EX BIBLIOTHECA
DOMINICANORUM
MONTIS POLITIANI
1786.

2. 3. 136 /4

Q L 3

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
CHRISTIANA
DOGMATICO-MORALIS

AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRAEDICATORUM.

TOMUS QUARTUS

IN DECALOGUM.



ROMAE, MDCCXLIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS
APUD SIMONEM OCCHI.

Digitized by Google

INDEX

Librorum, diſſertationum, capitum, paragraphorum, & quæſtionum quæ in hoc Tomo continentur.

LIBRI QUINTI

IN DECALOGUM

DISSERTATIO IV.

De variis iuramentorum generibus, & præcipue de iuramento doloſo.

PROOEMIUM. pag. 1.

CAPUT I.

De iuramento doloſo. Quotuplex dolus in iuramento: & an interdum liceat doloſe iurare? Recentiorum ſententia exhibetur, & refellitur: vera proponitur, & propugnatur. 2.

CAPUT II.

An Confeſſarius iurare licite valeat, ſe neſcire delictum quod in confeſſione audivit? Verus modus proponitur cuſtodiendi ſigillum ſacramentale, aliaque ſecreta, quibus devincti ſunt Principum miniſtri, aliique. 6.

CAPUT III.

An reus, præter iuris ordinem interrogatus negare cum iuramento poſſit delictum occultum? 16.

CAPUT IV.

Plura quæſita de variis iuramentorum generibus reſolvuntur. 20.

Quæſt. I. *An adultera poſſit cum iuramento negare, ſe commiſiſſe adulterium quod reipſa commiſit, cum a marito interrogatur?* ibid.

Quæſt. II. *An interrogatus, num veniat e tali civitate, quæ falſo exiſtimatur peſte infecta, poſſit iurare, ſe non venire ex eadem, ſubintelligendo, ex eadem ut infecta peſte?* 21.

Quæſt. III. *An Clericus, deferens mercem gabellæ ſubiectam, interrogatus poſſit iurare, ſe eam non ferre?* 22.

Quæſt. IV. *An qui probabilem cauſſam habet occultandi creditoribus aliqua bona, poſſit uti reſtrictione mentali, & iurare, ſe non occultaſſe?* ibid.

Quæſt. V. *An debitor pauper qui accepit pecunias, & ob paupertatem nunc eas ſolvere nequit, preſſus a creditore ut ſolvat, poſſit iudici interroganti iurare, ſe pecunias illas non accepiſſe quas revera accepit?* ibid.

Quæſt. VI. *An qui nummos mutuo acceptos ſolvit, poſſit in iudicio negare ſe illos accepiſſe?* ibid.

Quæſt. VII. *An negare quis poſſit licite iudici interroganti, fundum eſſe ſuum, quando non totus, ſed pars tantum ſua ſit; vel accepiſſe centum mutuo, ſi ex illis ſolverit quinquaginta?* ibid.

Quæſt. VIII. *An creditor qui virtute inſtrumenti publici exigit debitum, cuius pars ſoluta eſt, poſſit iurare integram ſummam ſibi deberi, quando alio titulo tantumdem reipſa ſibi debeatur, illudque alia via recuperare nequeat?* 23.

Quæſt. IX. *An poſſis petenti pecuniam mutuo, vel librum commodato negare cum iuramento, te pecuniam, vel librum habere, etiam quando mutuum eſt aliquo modo debitum, ſubintelligendo, ut tibi mutuo, aut commodato dem?* 24.

Quæſt. X. *An Scholaſticus, ſive candidatus, interrogatus a iudice, num locutus fuerit cum oppoſitoribus ad cathedram, vel illorum domus ingreſſus, poſſit negare, ſi verba, vel ingreſſus non fuerint ad ſubornandum?* ibid.

Quæſt. XI. *An adultera ſacramentaliter confeſſa adulterium, poſſit negare, & iurare ſe non commiſiſſe?* ibid.

Quæſt. XII. *An coactus ad aliquam actionem, puta ad ducendam ſponſam quam ducere non tenetur, iurare licite poſſit, ſe illam ducturum, ſubintelligendo intra ſe, ſi ad id tenebor?* ibid.

Quæſt. XIII. *An mercatores qui iuſtum ab emptoribus pretium exigere nequeunt, iurare licite poſſint, tanti aut tanti ſibi mercem ſtare, licet revera tanti ſibi non ſtet, ſubintelligendo, computatis omnibus expenſis; vel tanti ſibi ſtare, ſubintelligendo cum alia merce quam habent domi, vel alibi emerunt?* 25.

Quæſt. XIV. *An, quando opinio probabilis eſt quod taxa alicuius rei ſit iniuſta, & propterea venditor falſis ponderibus, vel alio modo iniuſtitiam compenſat, poſſit, ſi a iudice interrogetur, id totum negare, ſubintelligendo, ſe iniuſtam rem non feciſſe?* 26.

Quæſt. XV. *An licitum ſit uti iuramento amphibologico, quoties ſe ſe offert honeſta cauſſa tegendi veritatem?* 27.

Quæſt. XVI. *An, dum interrogaris, ut, omni æquivocatione ſubmota, & abſque ulla amphibolia ſincere veritatem manifeſtes, poſſis cum mentali reſtrictione iurare?* ibid.

Quæſt. XVII. *An idiotæ, hominesque litteris, & hac nova Theologia deſtituti; ſed avita chriſtiana ſinceritate imbuti, qui has amphibolias formare neſciunt, poſſint iurare, & veritatem occultare eo in ſenſu quem viri docti verum reputant?* 28.

CAPUT V.

Reus iuridice interrogatus, cuique hæc iuridica interrogatio certo conſtat, tenetur ne fateri crimen, tametſi talem confeſſionem eiuſdem mors conſequatur? ibid.

DISSERTATIO V.

De iuramentis Principum ſervandæ iuſtitiæ in diſtributione præmiorum, officiorum, & dignitatum.

CAPUT I.

Principes valent iuramento adigere ſubditos ut officia, abſciſſo perſonarum reſpectu, ſolamque diſtribuentem iuſtitiam ſpectantes, exerceant, & ut in officiorum, vel dignitatum ambitu ſuffragatores nec muneribus, nec obſequiis, nec promiſſionibus inflectant. 43.

C A-

CAPUT II.

Explicatur iuramentum prohibens ambitum, vulgo Broglio, *quo Reſpublicæ vetare ſolent Nobilibus ſuis, ne in aſſequendis dignitatibus, & magiſtratibus, ſeu quibuſcumque gradibus ambitum exerceant.* 45.

CAPUT III.

Plura iuramenta imponere Principes ſolent adverſus ambitus abuſum. 47.

CAPUT IV.

Expenduntur obiectiones adverſus iuramentum ambitus: & magis confirmatur lex quæ ambitum prohibet. 49.

CAPUT V.

Variæ quæſtiunculæ inſtituuntur, & reſolvuntur ſuper ambitus lege. 51.
Quæſt. I *Omnia ne quæ in lege ambitus continentur, obligant ſub gravi culpa?* ibid.
Quæſt. II. *An admittenda ſit materiæ parvitas in iis quæ prohibentur lege ambitus?* ibid.
Quæſt. III. *An Princeps debeat, vel poſſit ſuſpendere iuramentum, additum legi ambitus, ſi ſciat illud non obſervari?* 52.
Quæſt. IV. *An, ſi candidatus ſcrutinium ſuffragiorum quæ ſibi conferenda ſperat, ante collationem dignitatis inſtitueret, rationeſque ſubduceret, legem, & iuramentum ambitus violaret?* 54.
Quæſt. V. *An præfatum iuramentum ambitus poſſit aliquo modo inter iuramenta incauta collocari?* 55.
Quæſt. VI. *An, ſi ſola pœnarum impoſitione poſſet haberi finis conſervandæ libertatis in iuſtitiæ adminiſtratione, ſuſpendi deberet iuramentum?* ibid.
Quæſt. VII. *An reipſa nunc pateat alia via cuſtodiendi iuſtitiæ iura libera & integra, præter vinculum iuramenti?* ibid.

CAPUT VI.

Alia iuramenta quæ afficiunt magiſtratuum Præſides, alioſque miniſtros tantum, explicantur. 56.

CAPUT VII.

Quædam commenta quibus eludi præfata iuramenta ſolent, expenduntur. 57.

CAPUT VIII.

Proponitur iuramentum ambitus Belgici: & deciſio Facultatum Lovanienſium ſuper quibuſdam difficultatibus circa intelligentiam eiuſdem iuramenti. 59.

CAPUT X.

Explicatur iuramentum quod Rectores civitatum Belgii præſtant, obſervandi legem vetantem pompas, ſplendidoſque apparatus. 69.

CAPUT X.

Excuſationes, quibus eludi lex ſolet, & iuramentum contra pompas immoderatas, refelluntur. 70.

CAPUT XI.

Univerſæ diſſertationis complexio. Cauſſæ cur facile iuramenta deſcripta violentur. Confeſſariorum, & Theologorum nimia in iuramentis interpretandis facilitas. Ethnicorum imitanda ſeveritas. 73.

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

De quibuſdam iuramentis promiſſoriis, eorumque obligatione.

CAPUT I.

De iuramento ſervandi ſtatuta Reipublicæ, Capituli, Communitatis, Collegii, & cuiuſque Sodalitii. 77.
Quæſt. I. *An, ut Capitula, Monaſteria, Communitates ſe iuramento obſtringant, debeant ſinguli, & omnes eiuſdem Communitatis iurare?* ibid.
Quæſt. II. *An, facto iuramento a maiori parte, cogendi ſint qui repugnarunt, ad iurandum, & ad legis obſervantiam?* 78.
Quæſt. III. *An iuramentum ſervandi ſtatuta Communitatis, Univerſitatis &c. protendi debeat etiam ad futura, nempe ad ſtatuta in poſterum edenda?* ibid.
Quæſt. IV. *An iurans ſervare ſtatuta Communitatis teneatur ſervare ea quæ uſu recepta non ſunt, aut in deſuetudinem abierunt, vel per revocationem legiſlatoris amplius non obligant?* 79.
Quæſt. V. *An, ſi quis iuraret unicum ſtatutum alicuius Communitatis, illudque eſſet obſoletum, peccaret non ſervando ſtatutum illud?* 81.
Quæſt. VI. *An qui iurant ſervare ſtatuta Reipublicæ, Communitatis, Collegii &c. quæ ad nullam culpam obligant, culpam committant illa non ſervantes?* ibid.
Quæſt. VII. *An Univerſitas revocare poſſit ſtatutum ſuum iuratum?* 83.

CAPUT II.

De iuramentis quæ fiunt a miniſtris publicis ſervandi taxationem ſtipendii, ſecreta, bonumque publicum promovendi; & a medicis monendi infirmos de confeſſione. 84.
Quæſt. I. *Quandonam pretium lege taxatum dicendum ſit inſufficiens, & iniuſtum; ita ut miniſtri abſque periurii labe valeant aliquid præter dictum ſtipendium accipere, & petere?* ibid.
Quæſt. II. *An iuramentum præſtitum de ſervanda taxa obliget, ſi taxa ſit iuſta, & ſufficiens, lex tamen contrario uſu abrogata?* 85.
Quæſt. III. *An publici Miniſtri, Decuriones, Prætores, Senatoreſque urbium, qui, cum officium adminiſtrandum ſuſcipiunt, iurant ſe bono publico proſpecturos, teneantur publica peccata coercere?* 86.
Quæſt. IV. *An iuramentum ſervandi ſecretum eorum quæ in Capitulis, Conventibus, & Congregationibus tractantur, ſemper obliget ſub mortali culpa?* ibid.
Quæſt. V. *Quid teneantur præſtare medici vi iuramenti quod emittunt, dum facultatem medendi obtinent?* ibid.

CAPUT III.

De iuramentis non ludendi, non mutuandi, non fideiubendi, non vendendi minori, nec emendi auctiori pretio. 88.
Quæſt. I. *An iuramentum non ludendi validum ſit?* ibid.
Quæſt. II. *An qui iuramentum ſeu votum emiſit non ludendi, poſſit alteri nummos dare, ut ſuo nomine ludat, & ipſe ludo aſſiſtere?* 90.
Quæſt. III. *An iuramentum non ludendi cum tali perſona, aut in tali domo, vel tali genere ludi, validum ſit?* 91.
Quæſt. IV. *An votum, ſeu iuramentum non mutuandi ſit validum?* ibid.
Quæſt. V. *An iuramenta facta a mercatoribus non emendi auctiore pretio, & non vendendi viliori, valida ſint?* 93.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De iuramento contra aliud iuramentum. Item de iuramento non accuſandi, non denuntiandi, atque de iuramento nimis prodigo. ibid.
Quæſt. I. *An diſpoſitiones factæ contra priora iuramenta validæ ſint?* ibid.
Quæſt. II. *An iuramentum non accuſandi, non denuntiandi, invalidum ſit?* 94.
Quæſt. III. *An iuramentum prodigum ob finem turpem ſit validum?* 95.

CAPUT V.

De iuramento metu, & iniuria extorto. 96.
Quæſt. I. *An iuramentum coactum, ſi ius civile tantum ſpectetur, validum ſit?* 98.
Quæſt. II. *An qui gravi metu compulſus iuravit ſe rediturum ad carcerem, teneatur redire?* ibid.
Quæſt. III. *An captivus apud Turcas, licentia abeundi obtenta, pignore iuramenti pro reditu dato, redire teneatur?* 99.
Quæſt. IV. *An Epiſcopus relaxare valeat eiuſmodi iuramenta?* ibid.
Quæſt. V. *An qui latroni, ſeu cuique prædatori promiſit iureiurando ſervandæ vitæ cauſſa centum aureos, teneatur ſervare iuramentum?* 100.
Quæſt. VI. *An qui iuravit latroni, vel uſurario, vel cuique prædatori, ſe non denuntiaturum illos apud iudicem, teneatur ſervare iuramentum?* 101.
Quæſt. VII. *An iuramentum per iniuriam exactum, quale eſt illud quod exigere ſolet uſurarius ſolvendi ſibi uſuras, aut non reſcindendi contractum iniuſtum, validum ſit?* ibid.
Quæſt. VIII. *An iuramentum non repetendi uſuras ſolutas ſit validum?* 102.
Quæſt. IX. *An iurans ſolutionem debiti poſſit uti compenſatione, quando tantumdem ſibi debeat creditor cui iuratur?* 103.

CAPUT VI.

De iuramento dolo, vel errore præſtito. 105.
Quæſt. I. *An ſi error, ſeu dolus antecedens, & concomitans verſetur circa ſubſtantiam contractus, efficiat nullum tum contractum, tum iuramentum?* 106.
Quæſt. II. *An, ſi error concomitans verſetur circa qualitatem contractus, reddat contractum, & iuramentum nullum?* ibid.
Quæſt. III. *An error antecedens circa accidentia contractus abroget contractum, & iuramentum appoſitum?* ibid.
Quæſt. IV. *An error circa accidentalia, ſi cauſſam det contractui, reddat contractum ſimul, & iuramentum nullum?* 107.

CAPUT VII.

Quandonam iuramentum de materia per legem prohibita, & de non revelanda aliqua arte proximo utili, obliget. 109.
Quæſt. I. *An iuramentum non revocandi teſtamentum, non mutandi heredem inſtitutum, validum ſit?* 111.
Quæſt. II. *An iuramentum non propalandi aliquam artem, ſeu ſecretum alicuius artis, validum ſit?* 112.

CAPUT VIII.

De iuramento confirmante contractum. ibid.
Quæſt. I. *An iuramentum confirmet contractus invalidos?* 114.
Quæſt. II. *Quænam ex his duabus opinionibus probabilior ſit?* 116.

CAPUT IX.

Utrum obligatio iuramenti ita iurantem afficiat, & in illo ſubſiſtat, ut nullo modo trans-

Digitized by Google

tranſeat ad heredes; & an per procuratorem præſtari valeat; & a quo impediri poſſit illius obligatio, antequam præſtetur. 118.
Quæſt. I. *An iuramentum factum in favorem hominis ita ſit perſonale, ut nullam pariat in ſucceſſoribus, ſeu heredibus obligationem?* ibid.
Quæſt. II. *An, dum quis admittitur ad aliquem gradum, ſeu dignitatem, in cuius ſuſceptione iurare omnes ſolent, teneatur vinculo iuramenti, ſi ipſe non iuraverit?* 119.
Quæſt. III. *An, ſi quis iuravit Deo, ſe elargiturum pauperi ſtipem centum aureorum, eo defuncto, teneatur illius heres hoc iuramentum implere?* ibid.
Quæſt. IV. *An obligatio iuramenti promiſſorii tranſeat ad heredes illius cui iuratum eſt?* ibid.
Quæſt. V. *An iuramentum per procuratorem præſtari poſſit?* 120.
Quæſt. VI. *Quid requiritur ut procurator nomine alterius iuret?* ibid.
Quæſt. VII. *An obligatio iuramenti impediri poſſit, antequam præſtetur?* ibid.

DISSERTATIO VII.

De iis qui iurare valent tam extra, quam intra iudicium: & quando licitum ſit iuramentum exigere: tandem de iurandi conſuetudine.

CAPUT I.

Omnes ratione præditi extra iudicium iurare licite poſſunt, etiam per procuratorem. 123.

CAPUT II.

Qui in iudicio iurare valeant, recenſentur. 124.

CAPUT III.

Utrum inducere quis poſſit alium ad iurandum, quem exiſtimat peieraturum, aut per falſos deos iuraturum. 129.
Quæſt. I. *An perſona privata exigere iuramentum licite poſſit ab eo quem certo, vel probabiliter ſcit eſſe peieraturum, etiam gravi urgente cauſſa?* 130.
Quæſt. II. *Homo privatus recipere ne a peieraturo parato iuramentum licite poteſt?* 134.
Quæſt. III. *Perſonæ publicæ, ut iudici, licitum ne eſt ſecundum ordinem iuris exigere iuramentum ab eo quem novit, vel ſuſpicatur peieraturum?* ibid.
Quæſt. IV. *Licitum ne eſt Chriſtiano petere iuramentum, iuſta exigente cauſſa, ab eo quem ſcit iuraturum per falſos deos?* 135.
Quæſt. V. *An qui inducit alium ad iurandum falſum, quod iurans bona fide putat eſſe verum, ipſe vero qui inducit, ſcit eſſe falſum, peccet?* 141.

CAPUT IV.

De conſuetudine iurandi. Scripturæ ſacræ, Patres ſancti, & Concilia iurandi frequentiam execrantur. 143.

CAPUT V.

Plurium recentiorum Caſuiſtarum de iurandi, quin de blaſphemandi conſuetudine doctrina; quæ adverſatur Scripturæ, & Patribus. 146.
Quæſt. unic. *An iuramenta quæ ex prava iurandi conſuetudine proveniunt, abſque plena tamen deliberatione emiſſa, ſint peccata mortalia?* 155.

Quæſt.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quomodo pœnitens in confeſſione pravæ conſuetudinis iurandi, & Confeſſarius in illius abſolutione ſe gerere debeant? 158.

DISSERTATIO VIII.

De periurio, interpretatione, & diſpenſatione iuramenti.

CAPUT I.

Quid ſit periurium: an ſemper ſit peccatum mortale: & quanta ſit eius gravitas. 163.

CAPUT II.

De pœnis periurio impoſitis. 165.

CAPUT III.

De interpretatione iuramenti. 169.

CAPUT IV.

De iuriſiurandi ceſſatione. Quot modis iuramentum ceſſet. Quæ iuramenta Deo facta irritari, relaxari, vel commutari poſſint. 173.

DISSERTATIO IX.

De adiuratione.

CAPUT I.

Vera adiurationis notio, & eiuſdem diviſio. Sit ne religionis actus; & quæ ſint pro illius licito uſu conditiones? 179.

CAPUT II.

Qui adiuratores, quive adiurati eſſe poſſint. 181.
Quæſt. unic. *An hæc poteſtas ſit in omnibus æqualis?* 182.

CAPUT III.

Exorciſmorum uſus ſemper fuit in Eccleſia. Eorumdem efficacitas ad expellendos dæmones: & num res inanimes virtute polleant in eoſdem dæmones? 184.
Quæſt. unic. *An exorciſmi ſemper & infallibiliter ſuum producant effectum?* 185.

CAPUT IV.

Quomodo in energumenis dæmones inhabitent; quove in numero, & qua poteſtate dominentur in eos; & an peccata quæ dæmonum impulſu perpetrant energumeni, illis imputentur? 187.

CAPUT V.

Ratio quam in adiurandis energumenis debent ſervare Exorciſtæ: quæ præcipere, quæve interrogare, & quam fidem adhibere dæmoni debeant. 191.
Quæſt. unic. *An licitum ſit petere a dæmone ſignum egreſſus ſui e corpore, puta ut lucernam extinguat, ut vitrum frangat, aliudve ſimile?* 193.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De egreſſu dæmonum e corporibus obſeſſorum: quæve iſtius egreſſus ſigna. De ſpectris, & larvis, quæ loca, hominesque infeſtant, & terrent. 196.

LIBER SEXTUS

IN DECALOGUM.

De honorandis parentibus.

DISSERTATIO UNICA.

PROOEMIUM. 200.

CAPUT I.

Propoſitiones damnatæ, & laxæ adverſus quartum præceptum. ibid.

CAPUT II.

De pietate filiorum in parentes. 202.

CAPUT III.

De natura præcepti tum affirmantis honorandi, tum negantis non odio habendi parentes. Laxiores quorumdam Caſuiſtarum opiniones refelluntur. 204.

Quæſt. I. *Contra præceptum non habendi odio parentes peccant ne filii, ſi grave damnum ex odio parentibus deſiderent?* 205.

Quæſt. II. *Peccant ne filii, ſi ob finem quempiam utilem, adeundi nempe hereditatem, mortem parentibus exoptent?* ibid.

Quæſt. III. *Peccant ne letaliter filii qui torvis oculis aſpiciunt parentes, quique exterius nullum ipſis amoris ſignum exhibent?* 207.

CAPUT IV.

De obedientia filiorum parentibus debita. 209.

Quæſt. I. *Tenentur ne filii obedire parentibus?* ibid.

Quæſt. II. *Quæ ſint præcipua munia quæ præcipere filiis parentes valeant, & in quibus filii parentibus obedire teneantur?* ibid.

Quæſt. III. *Tenetur ne filius obedire patri vetanti ne aſſumat religioſum ſtatum?* 210.

Quæſt. IV. *Tenentur ne filii obedire parentibus præcipientibus religionis ingreſſum?* ibid.

Quæſt. V. *Poſſunt ne filii licite, invitis parentibus, matrimonia inire?* 211.

CAPUT V.

De ſubſidio a filiis parentibus exhibendo, ſpectatis tum animæ, tum corporis neceſſitatibus. 212.

Quæſt. I. *Peccant ne filii qui parentes abducunt, ne teſtamentum condant, & eleemoſynas largiantur?* ibid.

Quæſt. II. *Quid in neceſſitate corporali parentibus præſtare filii debeant?* 213.

Quæſt. III. *Tenentur ne filii e Religione egredi, ut parentes gravi neceſſitate preſſos alant?* 214.

Quæſt. IV. *Filius habens liberos, & parentes in æquali conſtitutos neceſſitate, quibus ſuccurrere prius debet?* 216.
Quæſt. V. *Si creditores, & parentes ſint in extrema neceſſitate, quibus providendum prius erit?* 217.

CAPUT VI.

De officiis parentum in filios. 218.
Quæſt. I. *Tenentur ne parentes curare ut iis artibus filii inſtruantur quæ eorum ſtatui conveniunt?* 221.
Quæſt. II. *Quæ ſunt diſciplinæ præcipuæ in quibus erudiendi ſunt filii a parentibus?* ibid.
Quæſt. III. *Peccant ne parentes, ſi negligant filiorum inſtructionem in diſciplinis, ſeu artibus eorum ſtatum decentibus?* ibid.
Quæſt. IV. *Parentes qui a religionis ingreſſu filios abducunt, peccant ne graviter?* 222.
Quæſt. V. *Quomodo ſe gerere parentes debent in dirigendis filiis qui amplecti Religionem volunt?* ibid.
Quæſt. VI. *Quandonam cenſentur graviter peccare parentes, dum filios a Religionis ingreſſu diſtrahunt?* ibid.
Quæſt. VII. *Peccant ne mortaliter parentes qui cogunt invitas filias monaſteria ingredi?* 223.
Quæſt. VIII. *Subiacent ne anathemati parentes qui nedum filias, ſed filios quoque ad monaſticam profeſſionem cogunt?* 224.
Quæſt. IX. *Excommunicationem præfatam incurrunt ne parentes qui filias cogunt ut monaſteria ingrediantur, non ut ſtatum monaſticum amplectantur, ſed ut ibidem ſub veſte laicali vitam ducant?* 225.
Quæſt. X. *Excommunicationem dictam incurrunt ne parentes, retrahentes filiam a Religionis ingreſſu?* 226.
Quæſt. XI. *Incurrunt ne excommunicationem parentes qui impediunt ne filia, ſeu mulier monaſterium ingrediatur, & novitiatum ſuſcipiat?* ibid.
Quæſt. XII. *Peccant ne parentes qui filias ſuas fucis deliniri ad turpem in aliis amorem accendendum, & cum procis converſari permittunt?* 227.

CAPUT VII.

De poteſtate qua parentes pollent filios puniendi. 229.
Quæſt. I. *Debent ne parentes non verbis modo, verum etiam pœnis filios corripere, & punire?* ibid.
Quæſt. II. *Quouſque extendi licite poteſt parentum poteſtas verberandi filios?* ibid.
Quæſt. III. *Poſſunt ne parentes licite coniicere filios in carcerem, aut pœna atroci plectere?* 230.
Quæſt. IV. *Subiacent ne parentes excommunicationi, ſi filios Clericos correctionis cauſſa verberent?* 231.
Quæſt. V. *Licitum ne parentibus eſt filios vendere, aut in pignus dare, extrema famis neceſſitate urgente?* ibid.

CAPUT VIII.

De obligatione parentum alendi filios legitimos; & utrum peccent, dum eos exponunt? 233.
Quæſt. I. *Quid nomine alimentorum veniat?* ibid.
Quæſt. II. *Sub alimentis comprehenduntur ne medicinæ, expenſæ in ſtudiis, in funeribus?* ibid.
Quæſt. III. *Tenetur ne pater alere filii uxorem?* 234.

Digitized by Google

Quæſt. IV. *Sunt ne alimenta conferenda ſecundum naturæ neceſſitatem, an ſecundum perſonæ dignitatem?* 235.
Quæſt. V. *Peccant ne parentes, ſi filios ſuos in hoſpitali exponant alendos?* ibid.
Quæſt. VI. *Parentes divites, qui ad evitandam matris infamiam hoſpitali tradunt filios nutriendos, teneantur ne reſtituere expenſas?* ibid.
Quæſt. VII. *Peccat ne contra iuſtitiam, aut caritatem is cuius ianuæ expoſitus puer eſt, ſi alterius ianuæ illum exponat?* 237.
Quæſt. VIII. *Tenetur ne ſolus pater reſtituere hoſpitali alimenta ſubminiſtrata filiis ſpuriis?* ibid.

CAPUT IX.

De obligatione parentum alendi filios illegitimos, & ſpurios. 238.
Quæſt. I. *Tenetur ne pater alimenta dare filio naturali?* ibid.
Quæſt. II. *Pater qui filiis legitimis caret, valet ne heredes omnium bonorum filios naturales inſtituere?* ibid.
Quæſt. III. *Tenetur ne pater alimenta præbere filiis ſpuriis?* ibid.
Quæſt. IV. *Tenetur ne pater dotare filias ſpurias?* 239.
Quæſt. V. *Filii ſpurii Clericorum, vel Religioſorum ſunt ne capaces recipiendi aliquid a patre via donationis, aut teſtamenti?* ibid.
Quæſt. VI. *Tenetur ne mater, æque ac pater, filium ſpurium alere?* ibid.
Quæſt. VII. *Debent ne matres filios ſuos proprio lacte alere?* ibid.
Quæſt. VIII. *Nobilitas matris eſt ne cauſſa ſufficiens, ut excuſetur a lactando filio uberibus propriis?* 141.
Quæſt. IX. *Levem ne, an gravem culpam contrahunt feminæ nobiles quæ renuunt lactare filios ſuos: & quæ ſint cauſſæ ab omni culpa excuſantes?* 143.
Quæſt. X. *Peccat ne graviter mater illa quæ ob aliquam ex recenſitis cauſſis nequit lactare filium, ſi negligat quærere bonam nutricem?* 144.
Quæſt. XI. *Quando mater impotens eſt filium lactare, tenetur ne pater impenſas facere in quærenda nutrice?* ibid.
Quæſt. XII. *Tenetur ne pater dotare filiam quæ nubere velit?* ibid.
Quæſt. XIII. *Quid, ſi indigno nubere velit, repugnante patre?* ibid.
Quæſt. XIV. *Occurrunt ne cauſſæ cur parentes alimenta filiis denegare valeant?* ibid.
Quæſt. XV. *Quæ & quot ſunt cauſſæ ob quas exheredare filios parentes valent?* 145.

CAPUT X.

De obligatione mariti erga uxorem. ibid.
Quæſt. I. *Tenetur ne maritus alere uxorem?* 146.
Quæſt. II. *Aſtringitur ne maritus alimenta præbere uxori, non ſoluta debita dote, ob obſequia ab eadem ſibi præſtita?* ibid.
Quæſt. III. *Quando uxor a marito ſine iuſta cauſſa recedit, exigere ne alimenta poteſt?* ibid.
Quæſt. IV. *Tenetur ne maritus alimenta præbere uxori adulteræ?* ibid.
Quæſt. V. *Maritus tenetur ne cum uxore cohabitare?* 147.

CAPUT XI.

De obligatione uxoris erga maritum. 148.
Quæſt. I. *Peccat ne graviter mulier quæ marito præcipienti ut abſtineat a vanis, ſuperfluiſque indumentis, & a moribus minus compoſitis, obedire renuit?* ibid.
Quæſt. II. *Quandonam uxor in domus regimine marito ſe ſe opponere licite poteſt?* ibid.
Quæſt. III. *Quæ obſequia præſtare uxor marito debet?* 149.

Quæſt. IV. *Peccat ne uxor, ſi cohabitare cum marito, illumque alio migrantem ſequi renuat?* ibid.
Quæſt. V. *Tenetur ne uxor ſequi maritum vagum, aut in exilium pulſum?* 150.
Quæſt. VI. *Debet ne uxor bonis ſuis paraphernalibus maritum pauperem alere?* ibid.
Quæſt. VII. *Si maritus debita contraxerit, ut uxorem aleret, tenetur ne hæc, defuncto marito, bonis ſuæ dotis debita eiuſmodi ſolvere, ne creditores defraudentur?* ibid.

CAPUT XII.

De mutua fratrum, & ſororum obligatione. 252.
Quæſt. I. *Tenetur ne fratrem frater alere?* ibid.
Quæſt. II. *Clericus licite ne poteſt ex ſui beneficii fructibus alimenta fratri, aut ſorori præbere, & etiam dotem?* ibid.
Quæſt. III. *Quam obligationem habeant fratres in bonorum partitione?* 253.
Quæſt. IV. *Donatio facta a patre titulo patrimonii pro ſacris ordinibus ſuſcipiendis, debet ne in collationem, ſeu in acervum communem afferri, ſi ceteri fratres legitima defraudentur?* ibid.

CAPUT XIII.

De honore quo coli debent eccleſiaſtici viri a laicis; & de officio Eccleſiaſticorum in ſubditos. 254.

CAPUT XIV.

De officiis Principum, & magiſtratuum erga ſubditos, & de iſtorum erga illos obedientia, & cultu. 257.
Quæſt. I. *Peccant ne Reges, & Principes qui munia & officia ſæcularia divendunt?* 259.
Quæſt. II. *Sunt ne ſæcularia officia dignioribus conferenda?* 261.

CAPUT XV.

De ſervorum erga dominos obligatione. 263.
Quæſt. I. *Servi iuſto bello capti, ſive chriſtiani, ſive infideles, licite ne arripere fugam valent?* 264.
Quæſt. II. *Iuſta ne eſt ſervitus titulo venditionis?* 265.
Quæſt. III. *Licitum ne eſt emere eum qui egeſtatis cauſſa ſe ſe vendit?* 266.
Quæſt. IV. *Qui a ſe, vel a parentibus legitime venditus eſt, poteſt ne licite fugere?* ibid.
Quæſt. V. *Nativitas eſt ne legitimus ſervitutis titulus?* ibid.
Quæſt. VI. *Quodnam crimen eſt ſervitutis iuſtus titulus?* ibid.
Quæſt. VII. *Servorum vita, & mors eſt ne in dominorum arbitrio conſtituta?* 267.
Quæſt. VIII. *Dominus occidens ſervum, tenetur ne aliquid reſtituere interfecti heredibus?* ibid.
Quæſt. IX. *Tenentur ne domini ſervis alimenta tum corporalia, tum ſpiritualia præbere?* 268.
Quæſt. X. *Tenentur ne domini de ſervorum delictis, & contractibus?* ibid.
Quæſt. XI. *Competit ne ſervis adverſus dominos actio civilis in foro exteriori?* ibid.
Quæſt. XII. *Quænam eſt ſervorum erga dominos obligatio?* 269.
Quæſt. XIII. *Tenetur ne ſervus dominum comitari euntem ad fornicandum?* ibid.
Quæſt. XIV. *Servi in extrema neceſſitate conſtituti tenentur ne ſe privare neceſſario alimento, ut dominis eadem neceſſitate preſſis illud ſubminiſtrent?* ibid.

Digitized by Google

Quæſt. XV. *Tenentur ne ſervi res dominorum conſervare?* 270.
Quæſt. XVI. *Peccant ne ſervi furantes bona dominis ſuis, ut res cibarias &c.?* ibid.
Quæſt. XVII. *Utrum quidquid acquirit ſervus, acquirat domino?* 271.
Quæſt. XVIII. *Ancilla, eorum quæ recipit ab amaſio, acquirit ne dominium?* 272.
Quæſt XIX. *Cuius ſunt bona quæ habebat ſervus ante captivitatem, quæque poſt mortem relinquit?* ibid.

CAPUT XVI.

De obligatione dominorum erga famulos, & iſtorum erga dominos. 273.
Quæſt. I. *An iuſtum ſalarium tribuere famulis domini debeant tum ſanis, tum infirmis?* ibid.
Quæſt. II. *Si famulus qui locavit operas ſuas ad annum, expleto ſemeſtri, ſua ſponte diſcedat, tenetur ne illi dominus dimidiati anni mercedem ſolvere?* ibid.
Quæſt. III. *Dominus debet ne ſolvere ſalarium famulo qui operas ſuas eidem locavit, nulla mercede pacta?* 274.
Quæſt. IV. *Eſt ne aliqua menſura iuſtæ mercedis ſolvendæ famulis?* ibid.
Quæſt. V. *Si dominus conducat minori mercede quam infima famulum, tenetur ne ad reſtitutionem?* 275.
Quæſt. VI. *Dominus qui abſque iuſta cauſſa famulum conductum ad annum, ante completum annum expellit, tenetur ne integram ei mercedem ſolvere?* ibid.
Quæſt. VII. *Peccant ne domini, ſi impediant ne famuli matrimonium contrabant?* 276.

LIBER SEPTIMUS

IN DECALOGUM.

De homicidio.

DISSERTATIO UNICA.

PRAELOQUIUM. 277.

CAPUT I.

Recenſentur propoſitiones tum quæ ſunt ab Eccleſia damnatæ, tum quæ laxæ videntur. 278.

§. I.

Propoſitiones damnatæ a duobus Pontificibus, Alexandro VII. & Innocentio XI. ibid.

§. II.

Propoſitiones caſuiſticæ nimium laxæ. 279.

CAPUT II.

Quid prohibeat quintum Decalogi mandatum, NON OCCIDES: & quam grave ſit homicidii ſcelus. 283.

§. UNIC.

ſ. UNIC.

Recenſentur quorumdam hæreticorum errores. ibid.

CAPUT III.

De cæde facinoroſorum hominum a ſuprema poteſtate præſcripta. 287.
Quæſt. I. *Hac poteſtate occidendi facinoroſos fruuntur ne Principes Clerici?* ibid.
Quæſt. II. *Damnare ne iudex valet aliquem inauditum, & non citatum?* 288.
Quæſt. III. *Licitum ne Principi eſt poteſtatem conferre cuilibet privato occidendi bannitos, etiam propoſito præmio?* 289.
Quæſt. IV. *Licet ne ſupremæ poteſtati facultatem facere filiis, fratribuſque ut impune occidant interfectores patrum, fratrumve?* 290.
Quæſt. V. *Tenetur ne iudex chriſtianus tempus concedere reo damnato ad mortem confitendi, atque ſacram Euchariſtiam recipiendi?* ibid.

CAPUT IV.

De cæde innocentis. Utrum iudex debeat ſententiam mortis ferre in eum quem teſtes evincunt nocentem, ſi ipſe privata ſcientia innocentem agnoſcat? 291.
Quæſt. I. *Tyranno minanti urbis excidium, niſi ei innocens occidendus tradatur, licita ne traditio eſt?* 292.
Quæſt. II. *Licitum ne iudici eſt illum occidere quem certo ſcit eſſe innocentem, ſi ſecundum allegata & probata nocens appareat?* 293.

CAPUT V.

De homicidio privata auctoritate perpetrato. 300.

ſ. I.

De occiſione Tyranni, & adulteri. ibid.
Quæſt. I. *Licitum ne marito eſt uxorem occidere in adulterio deprehenſam?* ibid.
Quæſt. II. *Supremus Princeps deprehendens uxorem, aut filiam in adulterio ſecreto, valet ne eam occulte occidere?* 301.

ſ. II.

De homicidio neceſſario ob vitæ defenſionem. 303.
Quæſt. unic. *Eſt ne licita iniuſti invaſoris occiſio ob neceſſariam propriæ vitæ defenſionem?* 304.

ſ. III.

De occiſione calumniatoris ob conſervationem honoris & famæ. Quorumdam Caſuiſtarum opinationes ab omni humanitatis ſenſu abhorrentes percenſentur, atque refutantur. 310.
Quæſt. I. *Occidendus ne calumniator ob defenſionem honoris magni momenti cum moderamine inculpatæ tutelæ?* 313.
Quæſt. II. *Si quis non verbis modo, verum etiam alapa, vel fuſte hominem infamare pertentet, adſtringitur ne iſte fugere, ne occidat invaſorem?* 317.

ſ. IV.

De occiſione invaſoris ob conſervationem bonorum temporalium. 322.
Quæſt. unic. *Quid, ſi fur rem ablatam in tuto poſuiſſet? Licitum ne eſſet vi eamdem auferre, furemque reſiſtentem occidere?* 333.

ſ. V.

Licita ne eſt occiſio invadentis pudicitiam, vel ſui ipſius ad evitandum peccati periculum? 334.

ſ. VI.

§. VI.

Pro defenſione vitæ, bonorum, honoris, & pudicitiæ proximi licita ne eſt invaſoris occiſio? 336.

Quæſt. I. *Licitum ne eſt occidere invaſorem pro defenſione pudicitiæ, & honoris proximi?* ibid.

Quæſt. II. *Teneris ne defendere innocentem ab iniuſto invaſore?* 337.

Quæſt. III. *Teneris ne occidere invaſorem, ſi aliter innocentem defendere nequeas?* ibid.

Quæſt. IV. *Teneris ne defendere bona proximi magni momenti cum occiſione neceſſaria raptoris?* 338.

CAPUT VI.

De ſuicidio directo. ibid.

Quæſt. I. *Dei, aut iudicis præcepto licet ne ſeipſum occidere?* 339.

Quæſt. II. *Licita ne eſt alicuius membri mutilatio?* 341.

Quæſt. III. *Licitum ne eſt ſemetipſum caſtrare ad ſuperandas tentationes?* ibid.

Quæſt. IV. *Licitum ne parentibus eſt filios caſtrare, ipſis ſive conſentientibus, ſive repugnantibus?* 342.

CAPUT VII.

De ſuicidio indirecto. ibid.

Quæſt. I. *Tenentur ne homines remediis maximi pretii, & extraordinariis uti ad vitam conſervandam?* 343.

Quæſt. II. *Licitum ne eſt id agere unde ſecutura mors indirecte prævideatur?* ibid.

Quæſt. III. *Tenetur ne infirmus cibum ſumere ad mortem evadendam, ſi in ſumptione extremis afficiatur doloribus?* ibid.

Quæſt. IV. *Licitum ne feminæ eſt permittere ſe ab invaſore violari, ne ab eodem occidatur?* ibid.

CAPUT VIII.

De homicidio caſuali. 345.

CAPUT IX.

Animadverſio in ea quæ dicta ſunt de homicidio, & ſuicidio. 348.

LIBER OCTAVUS

IN DECALOGUM.

DISSERTATIO I.

De luxuria, eiuſque ſpeciebus.

PROOEMIUM. 350.

CAPUT I.

Recenſentur propoſitiones tum ab Eccleſia damnatæ adverſus ſextum præceptum, tum quæ nimiam laxitatem & horrorem præferunt. 352.

Digitized by Google

§. I.

Propoſitiones damnatæ ab Alexandro Papa VII. & Innocentio XI. ibid.

§. II.

Propoſitiones laxæ Caſuiſtarum nondum damnatæ. 353.

C A P U T II.

Senſus genuinus divini mandati, Non mœchaberis. 360

C A P U T III.

Quid ſit luxuria, & quænam illius ſpecies. 362.
Quæſt. I. *Sit ne luxuria vitium genere ſuo mortale, & capitale?* ibid.
Quæſt. II. *Quæ ſunt luxuriæ filiæ?* 363.
Quæſt. III. *Quot ſint luxuriæ ſpecies?* 365.
Quæſt. IV. *Diſtinguuntur ne omnes ſpecies luxuriæ intra proprium genus eſſentialiter, vel tantum accidentaliter?* ibid.

C A P U T IV.

De caſtitate, quæ hoc ſexto mandato iubetur. 366.

C A P U T V.

In quo ſita ſit virginitatis notio, & qua ratione a caſtitate diſtinguatur. 368.
Quæſt. I. *Eſt ne virginitas hæc virtus a caſtitate diſtincta?* 369.
Quæſt. II. *Eſt ne virginitas excellentior matrimonio?* 370.
Quæſt. III. *Sit ne in viris æque ac in feminis virtus virginitatis?* 372.
Quæſt. IV. *Qua ratione virginitas amittatur?* ibid.
Quæſt. V. *Amitti ne virginitas poteſt extra matrimonium abſque culpa?* 373.
Quæſt. VI. *Quot modis tum in feminis, tum in viris virginitas naturalis amittatur?* ibid.

C A P U T VI.

De ſimplici fornicatione: ſit ne iure naturæ, nedum divino, vetita. 374.

§. I.

Rationes quibus S. Paulus Apoſtolus improbat præfatas propoſitiones, explicantur. 376.

§. II.

Ratio quam a priori adfert S. Thomas, evidenter demonſtrat fornicationem eſſe ſuapte natura malam, atque adeo iure naturæ vetitam. 379.

§. III.

Diluuntur argumenta Martini de Magiſtris, & Caramuelis. 381.
Quæſt. unic. *Sit ne fornicatio gravior ceteris peccatis?* 387.

C A P U T VII.

De concubinatu. Laxitas quorumdam Moraliſtarum in abſolutione concubinariorum, & fornicatorum. 388
Quæſt. I. *In quo differat concubinatus a fornicatione?* ibid.
Quæſt. II. *Abſolvendus ne ſit concubinarius, antequam concubinam dimittat?* 389.
Quæſt. III. *Si concubinarius promittat ſe dimiſſurum concubinam, poteſt ne, antequam eam dimittat, abſolvi?* ibid.
Quæſt. IV. *Abſolvendus ne eſt, ut contendit* P. Viva, *prima, & ſecunda vice qui perſiſtit in occaſione proxima, antequam eam dimittat?* 391.

Quæſt. V. *Si quis ita ſtupidus ſit, ut ignoret ſe debere concubinam dimittere; priuſquam abſolvatur, ſit pro prima vice abſolvendus?* 393.
Quæſt. VI. *Quænam ergo regula ſervanda in abſolutione concubinarii, & in occaſione proxima extantis?* 394.
Quæſt. VII. *Abſolvendus ne eſt concubinarius, aut concubina, ſi poſt ſeparationem mutuo ſe viſitent?* 395.
Quæſt. VIII. *Abſolvendus ne filiusfamilias qui domi concubinam habet?* ibid.
Quæſt. IX. *Mulier paupercula, quæ aut conſanguineo, aut diviti inſerviens, illorum efficitur pellex, abſolvenda ne eſt, niſi prius recedat?* 396.
Quæſt. X. *Abſolvendi ne ſunt qui exercentes artes honeſtas, & Reipublicæ neceſſarias, ſunt in occaſione proxima peccandi?* 397.
Quæſt. XI. *Abſolvenda ne hoſpita eſt quæ, quoties excipit hoſpites, rem cum iiſdem habet?* 398.

CAPUT VIII.

De pœnis latis in concubinarios laicos, & Clericos. 399
Quæſt. I. *Clericus qui ſemel cum muliere fornicatur, amittit ne beneficii fructus?* 400.
Quæſt. II. *Quos nomine* Clericorum *comprehendat Concilium in ſuo decreto?* ibid.
Quæſt. III. *In tertia parte fructuum, qua iuxta Tridentinum privandi ſunt Clerici concubinarii, comprehenduntur ne etiam quotidianæ diſtributiones?* ibid.

DISSERTATIO II.

De meretricio, mulierum aſpectu, choreis, tactibus, aliiſque huiuſmodi.

CAPUT I.

De licita meretricum permiſſione. 401.
Quæſt. unic. *Licitum ne eſt a meretricibus tributum ob meretricium ſolvendum exigere?* 406.

CAPUT II.

De aſpectibus mulierum, rerumque turpium. ibid.
Quæſt. I. *Quandonam peccari contingat in mulierum aſpectu?* 407.
Quæſt. II. *Culpa ne gravis eſt aſpectus membrorum turpium ſive mulieris, ſive viri?* 408

CAPUT III.

De choreis, ſeu ſaltationibus promiſcuis virorum, & mulierum. 409.

§. I.

Scripturæ divinæ, & Patres choreas damnant. 411.

§. II.

Rationes quæ chorearum corruptelam damnandam oſtendunt. 416.

§. III.

Auctoritate Eminentiſſimi Lambertini Archiepiſcopi Bononienſis, nunc BENEDICTI *XIV. choreæ damnantur.* 420.

§. IV.

§. IV.

Practica conſideratio chorearum. 425.

§. V.

Quid de chorearum uſu doceat S. Franciſcus Saleſius. 426.

CAPUT IV.

De verbis turpibus, & de familiari cum feminis colloquio: de oſculis, & tactibus: de mutua virorum, ac mulierum converſatione. 429.
Quæſt. I. *Quandonam obſcœna verba ſint peccata gravia?* ibid.
Quæſt. II. *Oſcula, tactus, & amplexus ſunt ne ſecundum ſe peccata?* 430.
Quæſt. III. *Oſcula, tactus, amplexus inter perſonas utriuſque ſexus ſunt ne peccata mortalia, ſi ob delectationem carnalem peragantur?* 431.
Quæſt. IV. *Tactus, amplexus, oſcula ob ſolam delectationem ſenſitivam, & naturalem exercita, ſunt ne peccata mortalia?* 432.
Quæſt. V. *Tactus impudici, puta in partibus verendis, aut in illis affinibus, ſunt ne peccata mortalia?* 434.
Quæſt. VI. *Sunt ne coniugatis liciti tactus partium pudendarum?* 435.
Quæſt. VII. *Oſcula, tactus, amplexus, litteræque amatoriæ, ſunt ne inter ſponſos licita?* 436.
Quæſt. VIII. *Peccat ne mulier quæ advertens ſe tangi libidinoſe, non reſiſtit, non ſe retrahit?* ibid.
Quid de hodierna mulierum, ac virorum converſatione? 437.
Quæſt. IX. *Peccat ne mortaliter mulier quæ manum, pedem, digitoſque ſuos contrectari, vellicari, aut perfricari ſentit, ſi non reſiſtat?* 439.
Quæſt. X. *Peccat ne mortaliter qui propria pudenda tangit?* ibid.
Quæſt. XI. *Qui brutorum verenda perfricat, irritatque ad effundendum ſemen, peccat ne mortaliter?* ibid.
Quæſt. XII. *Eſt ne mortale peccatum aſpicere coitus brutorum?* ibid.
Quæſt. XIII. *Quodnam peccatum perpetraret qui concumberet cum muliere mortua?* ibid.
Quæſt. XIV. *Sunt ne diverſæ ſpeciei peccata, oſcula, tactus, amplexus, & huiuſmodi peracta cum perſonis diverſi ſtatus, puta cum Monialibus, cognatis, & coniugatis?* 440.
Quæſt. XV. *Quid eſt delectatio moroſa; & utrum ſemper mortale peccatum ſit?* ibid.
Quæſt. XVI. *Quid ſit delectatio ſpeculativa, quid practica?* 441.
Quæſt. XVII. *Peccat ne mortaliter qui negative poſt ſufficientem advertentiam ſe habet in motibus venereis, neque conſentiens, neque diſſentiens?* 442.
Quæſt. XVIII. *Datur ne materiæ parvitas in genere luxuriæ?* 444.
Quæſt. XIX. *Quibus indiciis colligi prudenter poteſt aliquem conſenſiſſe delectationi venereæ, aut gravis negligentiæ reum eſſe?* 447.

CAPUT V.

De vellicatione genarum, & tactibus mamillarum. 448.

CAPUT VI.

Mulier vi compreſſa adſtringatur ne poſitive reſiſtere; an licite poſſit permiſſive ſe habere, ut vitæ, vel honoris periculum declinet. 455.

CAPUT VII.

De ſtupro, & pœnis ſtupratoribus debitis. 460.

Quæſt. I. *Perpetrat ne ſtupri flagitium qui virginem conſentientem, & ſub curâ parentum exiſtentem violat?* ibid.
Quæſt. II. *Quæ pœnæ conſtitutæ ſunt in ſtupratores?* 465.
Quæſt. III. *Quibus pœnis ſubiectus ſit immaturæ virginis deflorator?* 466.
Quæſt. IV. *Quibus pœnis iure canonico ſubiectus eſt Clericus virginem deflorans?* ibid.

CAPUT VIII.

De raptu. 467.
Quæſt. I. *Quid, ſi maritus ante bimeſtre vim inferat uxori, illam a domo paterna extrahendo, aut vi eam cognoſcendo? Is ne raptor habendus erit?* 469.
Quæſt. II. *Quid, ſi ſponſus ſponſam de futuro rapiat? Subiacet ne pœnis latis in raptores?* ibid.

CAPUT IX.

De adulterio. 470.
Quæſt. I. *Quid ſit adulterium?* ibid.
Quæſt. II. *Uxor committit ne adulterium, ſi, marito conſentiente, ab alio cognoſcatur?* 471.
Quæſt. III. *Adulter ne eſt qui rem habet cum uxore aliena, antequam matrimonium conſummetur?* 473.
Quæſt. IV. *Qui cognoſcit mulierem deſponſatam per verba de futuro, reus ne eſt adulterii?* ibid.
Quæſt. V. *Coniux quæ copulam ſodomiticam habet cum proprio marito, committit ne adulterium?* 474.

CAPUT X.

De inceſtu. 475.
Quæſt. I. *Quid ſit inceſtus?* ibid.
Quæſt. II. *Quænam ſunt perſonæ quibuſcum inceſtus committitur?* 476.
Quæſt. III. *Sunt ne omnia inceſtus crimina eiuſdem ſpeciei?* ibid.
Quæſt. IV. *Inceſtus cum cognatis ſpiritualibus, & legalibus ſunt ne ſpecie diſtincti?* 477.

CAPUT XI.

De ſacrilegio. 478.
Quæſt. I. *Quando utraque perſona ſacra commiſcetur carnaliter, duplex ne, an unum ſacrilegium committitur?* 479.
Quæſt. II. *Regularis profeſſus ſimul, & Sacerdos in aliquod luxuriæ crimen prolabens, duplex ne, an unicum perpetrat ſacrilegium?* ibid.
Quæſt. III. *Qui voto caſtitatis ligatus alium ad peccandum inducit, peccat ne contra proprium votum caſtitatis?* 480.
Quæſt. IV. *Committit ne ſacrilegium Religioſus qui moroſe delectatur de aliquo luxuriæ flagitio?* ibid.
Quæſt. V. *Qui voto caſtitatis ligatus alium tactibus polluit, quin ipſe ullo modo delectetur, committit ne ſacrilegium?* ibid.
Quæſt. VI. *Religioſus qui poſt ſolemne caſtitatis votum, emittit votum aliud peculiare abſtinendi a pollutione, committit ne duplex ſacrilegium, ſi ſe polluat?* 481.
Quæſt. VII. *Coniuges, ſi in Eccleſia coeant, committunt ne ſacrilegium?* ibid.
Quæſt. VIII. *Oſcula, tactus, amplexus, verba turpia, aſpectus impudici in Eccleſia contrahunt ne ſacrilegii malitiam?* 482.
Quæſt. IX. *Quis ſit proprie locus ſacer?* 483.
Quæſt. X. *Sacerdos, ſacramentum Euchariſtiæ geſtans, committeret ne ſacrilegium, ſi aliquod luxuriæ crimen ſive internum, ſive externum perpetraret?* 484.

Quæſt.

Quæſt. XI. *Sacrilegus ne foret qui geſtans reliquias fornicationem committeret?* 485.

CAPUT XII.

De flagitiis contra naturam. ibid.
Quæſt. I. *Differunt ne ſpecie hæc peccata contra naturam?* 486.
Quæſt. II. *Quodnam ex his flagitiis ſceleſtius ſit?* 487.

CAPUT XIII.

De pollutione voluntaria, ſeu mollitie. ibid.
Quæſt. I. *Differt ne polluſio propriis tactibus procurata, a pollutione excitata tactu mulieris dormientis, aut pueri doli incapacis?* 488.
Quæſt. II. *Qui ſe polluit, ſi habeat delectationem moroſam, aut deſiderium alicuius perſonæ ſacræ, coniugatæ, vel affinis, aut ſolutæ, debet ne has circumſtantias pandere in confeſſione?* 489.
Quæſt. III. *Pollutio voluntaria ita ne intrinſecus mala eſt, ut ob nullum finem, puta ſervandæ ſanitatis, vitæ, vel Reipublicæ, licita evadere queat?* ibid.
Quæſt. IV. *Licitum ne eſt confricare membra, aut aliis incitamentis uti, ut expellatur ſemen corruptum, dum timetur veri ſeminis effuſio?* 491.
Quæſt. V. *Mulier quæ in coitu cum marito non ſeminavit, peccat ne, ſi peracto coitu ſe tactibus ad ſeminandum provocet?* ibid.
Quæſt. VI. *Eſt ne peccatum diſtillationem quampiam excitare?* 492.
Quæſt. VII. *Pollutio voluntaria in cauſſa peccatum ne eſt?* 493.
Quæſt. VIII. *Pollutio præviſa, tametſi non intenta, eſt ne peccatum letale?* 494.
Quæſt. IX. *Licitum ne eſt applicare cauſſam quæ natura ſua inſtituta eſt ad producendum effectum bonum, ſi pollutionem ſimul inducat?* ibid.
Quæſt. X. *Tenentur ne ſub mortali culpa Chriſtiani vitare cauſſas medias, ſeu leves, quæ per ſe, quamvis leviter, provocant pollutionem?* 495.
Quæſt. XI. *Peccat ne mortaliter qui non evitat cauſſas per accidens parientes pollutionem?* 497.
Quæſt. XII. *Pollutio nocturna eſt ne ſecundum ſe peccatum?* 501.
Quæſt. XIII. *Pollutio nocturna eſt ne peccatum, ſi in cauſſa prævideatur?* ibid.
Quæſt. XIV. *Peccat ne qui pollutionem in ſomno inceptam, & in vigilia perdurantem non abrumpit?* 504.
Quæſt. XV. *Licitum ne eſt deſiderare in vigilia ut in ſomno pollutio accidat abſque culpa ob finem honeſtum, nempe ſanitatis, & concupiſcentiæ extinguendæ?* 505.

CAPUT XIV.

Sodomiæ notio, eiuſque enormitas. 512.
Quæſt. I. *Eſt ne verum ſodomiæ crimen, ſi femina coeat cum altera femina?* 513.
Quæſt. II. *Homo cognoſcens mulierem in vaſe præpoſtero, committit ne ſodomiæ crimen?* ibid.
Quæſt. III. *Circumſtantiæ agentis, & patientis in ſodomia ſunt ne adeo graves, ut manifeſtari in confeſſione debeant?* 514.
Quæſt. IV. *In ſodomiæ ſcelere ſunt ne explicandi gradus conſanguinitatis, & affinitatis?* ibid.
Quæſt. V. *Sunt ne omnes ſodomiæ eiuſdem ſpeciei?* 515.

CAPUT XV.

De pœnis in ſodomitas, ſive laicos, ſive Clericos, conſtitutis. ibid.
Quæſt. I. *Incurrit ne præfatas pœnas Clericus ſodomita, ſi in concubitu ſemen non effundat?* 516.
Quæſt. II. *Clericus agnoſcens feminam in vaſe præpoſtero, incurrit ne præfatas pœnas?* 517.

Digitized by Google

Quæſt. III. *Qui patiuntur ſodomiticum concubitum, ſunt ne pœnis a iure latis obnoxii?* ibid.

Quæſt. IV. *Qui ſemel, aut bis perpetrat ſodomiæ crimen, obnoxius ne eſt pœnis a lege ſtatutis?* ibid.

Quæſt. V. *Clericus nefariam ſodomiæ artem exercens incurrit ne beneficiorum privationem, aliaſque pœnas ſuſpenſionis &c. ante iudicis ſententiam?* 518.

Quæſt. VI. *Clericus reus peccati beſtialitatis incurrit ne pœnas latas in ſodomitas?* ibid.

CAPUT XVI.

De beſtialitate. 519.

CAPUT XVII.

De remediis adverſus luxuriam. Probabiliſtarum benignitas, luxuriæ nimium favens, non attendenda. 520.

LIBER NONUS

IN DECALOGUM.

De furto.

DISSERTATIO UNICA.

CAPUT I.

Propoſitiones ab Eccleſia damnatæ in furti materia, & aliæ Caſuiſtarum laxæ nondum damnatæ. 526.

CAPUT II.

Quid & quotuplex ſit furtum. 531.

CAPUT III.

De quantitate materiæ neceſſariæ ad furtum mortale. 536.

CAPUT IV.

De furtis minutis. 543.

Quæſt. I. *Cum plures ab eodem modica ſurripiunt, ſinguli ne mortaliter peccant, & reſtitutionis oneri ſubiecti ſunt?* 545.

Quæſt. II. *Quando plures ſeorſim modica furantur, & quilibet advertit ab aliis ſociis pariter modica ſurripi, abſque tamen communi conſilio, vel hortatu, peccant ne ſinguli mortaliter cum reſtitutionis onere?* 546.

Quæſt. III. *Qui poſt furtum mortiferum furatur ab eodem modica, peccat ne letaliter?* 549.

CAPUT V.

De neceſſitate quæ a furti reatu excuſat. Laxiores Caſuiſtarum, & præſertim PP. Viva, & La-Croix, opinationes reiiciuntur. 550.

Quæſt. I. *Licet ne in extrema neceſſitate furari?* ibid.

Quæſt. II. *Quiſque ne tenetur ex iuſtitia extreme indigenti ſuccurrere?* 551.

Quæſt. III. *Qui bona in extrema neceſſitate conſtitutus accepit, tenetur ne eadem, ſi conſumpſit, tranſacta neceſſitate, reſtituere?* 552.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. IV. *Qui rem alienam ſurripit non egens, & eam in extremam neceſſitatem delapſus conſumit, tenetur ne eam reſtituere, meliorem fortunam adeptus?* ibid.
Quæſt. V. *Licitum ne eſt in gravi neceſſitate furari?* 553.
Quæſt. VI. *Licitum ne eſt homini privato, in extrema neceſſitate conſtituto, ſurripere rem valde pretioſam?* 557.

CAPUT VI.

De occulta famulorum, aliorumque compenſatione. 558.

§. I.

Conditiones neceſſariæ pro occulta compenſatione. Laxæ propoſitiones PP. Dianæ, Viva, aliorumque recentiorum. 559.

§. II.

Rationum momenta quæ evincunt abſolute illicitam eſſe occultam compenſationem. 564.

§. III.

Quam ſit pernicioſa Principibus, dominis, & mercatoribus benignitas illorum Probabiliſtarum qui defendunt, occultam compenſationem licitam eſſe famulis, officialibus, & Principum miniſtris. 572.

CAPUT VII.

Quæſtiuncula de Comaclenſi compenſatione. 574.

CAPUT VIII.

De furtis domeſticorum. 576.
Quæſt. I. *Peccant ne filii qui bona furantur parentibus?* ibid.
Quæſt. II. *Quæ bonorum quantitas requiritur in furtis filiorum?* ibid.
Quæſt. III. *Furti ne reatum contrahunt uxores quæ bona maritis ſurripiunt?* 578.
Quæſt. IV. *Quid de opificum furtis dicendum?* 580.
Quæſt. V. *Quid de furtis Religioſorum dicendum?* ibid.

LIBER DECIMUS

IN DECALOGUM.

DISSERTATIO I.

De falſo teſtimonio, mendacio, eiuſque malitia.

CAPUT I.

Cenſus propoſitionum laxarum quas probabilitatis patroni adverſus octavum præceptum evulgarunt. 583.

CAPUT II.

Una & altera animadverſio in doctrinam P. Tamburini, aſſerentis, non peccare contra iuſtitiam eum qui imponit alicui falſa crimina ad tuendam propriam famam. 586.

CA-

CAPUT III.

De falſo teſtimonio vetito in octavo præcepto. 588.
Quæſt. I. *Quid ſit falſum teſtimonium?* ibid.
Quæſt. II. *Falſum teſtimonium eſt ne ſemper peccatum mortale?* ibid.
Quæſt. III. *Quid agendum teſti qui, debita adhibita diligentia, memoria deceptus falſum teſtatus eſt, vi cuius innocens damnandus eſt capitis?* 589.
Quæſt. IV. *Ad quid tenetur teſtis ſua pravitate falſum teſtimonium ferens in iudicio contra proximum?* 590.
Quæſt. V. *Quid præſtare debet qui alterum induxit ad falſum teſtimonium dicendum contra proximum?* 591.

CAPUT IV.

De mendacii notione, & malitia. Licita interdum mendacia non modo Ethnicorum plures, verum etiam Origenes, Caſſianus, Chryſoſtomus, aliique Græcorum docuerunt. ibid.

CAPUT V.

Sit ne omne mendacium peccatum, etiam cum ob finem bonum profertur. 594.

CAPUT VI.

De gravi mendacii malitia. 597.
Quæſt. I. *Mendacium iocoſum, & officioſum eſt ne peccatum mortale?* ibid.
Quæſt. II. *Eſt ne omne mendacium pernicioſum peccatum mortale?* 599.
Quæſt. III. *Mendacium rei, genere ſuo levis, ſi fiat in confeſſione, eſt ne peccatum mortale?* ibid.

DISSERTATIO II.

De detractione, & iudicio temerario.

CAPUT I.

Quid ſit honor, & fama, & qua ratione differant. 602.
Quæſt. unica *Quid ſit honor?* ibid.

CAPUT II.

De contumelia. 604.
Quæſt. I. *Contumelia eſt ne genere ſuo peccatum mortale?* ibid.
Quæſt. II. *Perferre ne patienter vir chriſtianus debet contumelias ſibi illatas?* 605.
Quæſt. III. *Licet ne obiicere teſti falſum crimen, quoties hoc conducit ad tuam famam tuendam?* 607.

CAPUT III.

De ſuſurratione, deriſione, & maledictione. ibid.
Quæſt. I. *Quid ſit ſuſurratio, & quomodo a detractione differat?* ibid.
Quæſt. II. *Licita ne eſt aliquando ſuſurratio?* 608.
Quæſt. III. *Licitum ne eſt quorumdam amicitiam diſſolvere, non ut inimici fiant, ſed ut locum amici expulſi occupes?* 609.
Quæſt. IV. *Quid ſit deriſio?* 610.
Quæſt. V. *Quid ſit maledictio?* 611.
Quæſt. VI. *Licitum ne eſt maledicere creaturis irrationalibus?* 614.

CA-

CAPUT IV.

De detractione. 615.
Quæſt. I. *Quid ſit detractio?* 616.
Quæſt. II. *Detractio eſt ne genere ſuo peccatum mortale?* ibid.
Quæſt. III. *Quot modis detractio perpetratur?* 617.
Quæſt. IV. *Eſt ne peccatum grave conficere libellos famoſos?* ibid.
Quæſt. V. *Eſt ne peccatum detrahere defunctis?* 618.
Quæſt. VI. *Eſt ne peccatum detrahere defunctis damnatis, puta paganis, hebræis, hæreticis?* 619.

CAPUT V.

Quæ regulæ ſpectandæ, ut colligi poſſit, detractionem eſſe peccatum mortale, vel veniale. 620.
Quæſt. I. *Eſt ne mortale peccatum generatim aſſerere talem hominem eſſe ſuperbum, avarum, iracundum, contentioſum, præſumptuoſum, vanum, & id genus ſimilia?* ibid.
Quæſt. II. *Eſt ne grave peccatum revelare naturales defectus alicuius?* 621.
Quæſt. III. *Revelare uni aut alteri honeſto, proboque viro grave occultum delictum, eſt ne crimen letale?* 622.
Quæſt. IV. *Utrum diffamatum aliis criminibus diffamare peccatum ſit?* 623.
Quæſt. V. *Letaliter ne peccat qui crimen publicum in hoc loco, narrat in alio ubi publicum non eſt?* ibid.
Quæſt. VI. *Quando neceſſitas manifeſtandi criminis excuſat a peccato detractionis?* 626.
Quæſt. VII. *Qui iniuſte alterius criminis notitiam acquiſivit, puta aperiendo litteras obſignatas, valet ne abſque culpa eiuſmodi notitia uti ad impedienda indicata mala?* 627.
Quæſt. VIII. *Licitum ne eſt patefacere ignorantiam Medici, Advocati, Theologi, aliorumque artificum?* 628.
Quæſt. IX. *Peccatum ne detractionis eſt traducere aliquem ut ſcrupuloſum?* ibid.
Quæſt. X. *Eſt ne peccatum detractionis traducere Chriſtianorum aliquos, & maxime Theologos, ut rigoriſtas, & laxones?* 629.
Quæſt. XI *Licitum ne eſt infamato ſuum infamatorem diffamare?* 631.
Quæſt. XII. *Eſt ne peccatum grave detractionis uni, aut alteri ſub ſecreto revelare occultum proximi peccatum?* 633.
Quæſt. XIII. *Utrum licitum ſit infamare ſeipſum?* ibid.

CAPUT VI.

De ſecreti revelatione. 636.
Quæſt. I. *Quid, & quotuplex ſit ſecretum?* 637.
Quæſt. II. *Quænam ſit ſecreti tegendi obligatio?* 638.
Quæſt. III. *Occurrit ne cauſſa quæ a ſervando ſecreto excuſet?* 640.
Quæſt. IV. *Licitum ne eſt aliena ſecreta expiſcari?* 642.
Quæſt. V. *Licitum ne eſt obſignatas litteras aperire?* ibid.

CAPUT VII.

De audientibus detractores. 645.
Quæſt. I. *Qua ratione peccare dicitur qui detractorem audit?* ibid.
Quæſt. II. *Tenentur ne ſuperiores ſubditorum detractiones iuſtitiæ lege impedire?* 646.
Quæſt. III. *Privatæ perſonæ quæ audiunt detractores, peccant ne mortaliter, niſi eos corripiant, aut iis non reſiſtant?* 647.

CAPUT VIII.

De iudicio temerario. 650.

Quæſt. I. *Quænam ſunt coniecturæ ſufficientes, ne iudicium dicatur temerarium?* 651.

Quæſt. II. *Sit ne iudicium temerarium genere ſuo peccatum mortale?* 652.

CAPUT IX.

De ſuſpicione, opinione, & dubitatione. 657.

CAPUT X.

Quomodo dubia ſint in meliorem partem interpretanda. 661.

CAPUT XI.

De reſtitutione honoris, & famæ. 665.

CAPUT XII.

De reſtitutione famæ per detractionem, vel calumniam obſcuratæ. 669.

Quæſt. I. *Qui alium inadvertenter, ſeu materialiter infamavit, obnoxius ne reſtitutioni eſt tum famæ, tum damnorum quæ hinc conſequuntur?* ibid.

Quæſt. II. *Infamator tenetur ne famam reſtituere tantum coram ſuis auditoribus, an etiam coram illis quibus iſti malum auditum manifeſtarunt?* 670.

Quæſt. III. *Iniuſtus detractor tenetur ne præter reſtitutionem famæ temporalia damna reſarcire?* 671.

Quæſt. IV. *Detractore ante reſtitutionem denato, tranſit ne ad heredes reſtituendæ famæ obligatio?* 672.

CAPUT XIII.

De modo, quo reſtituenda fama eſt, ſive per calumniam, ſive per detractionem denigrata. 673.

CAPUT XIV.

De cauſſis a famæ reſtitutione excuſantibus, & potiſſimum de mutua infamiæ compenſatione, quam plures docti iuniores defendunt. 678.

Quæſt. I. *Reſtituenda ne fama ſit cum gravi detrimento, aut periculo?* ibid.

Quæſt. II. *Quando infamatus alia via ſuam recuperaverit famam, tenetur ne detractor ad reſtitutionem?* 679.

Quæſt. III. *Quando fama reſtitui nequit, compenſanda ne diffamatio pecuniis eſt?* 680.

Quæſt. IV. *Datur ne mutua compenſatio in materia famæ?* 683.

CAPUT XV.

De compenſatione in pecuniis ob infamiam illatam. Sententia Probabiliſtarum exponitur. Abſurda quæ inde proficiſcuntur, patefiunt. 687.

CAPUT XVI.

Nonnullæ regulæ in praxi ſervandæ, ut extrema vitentur tum detractionis, tum exitioſi ſilentii. 690.

APPENDIX

DE DUOBUS POSTREMIS DECALOGI MANDATIS.

CAPUT I.

Exponitur germanus ſenſus verborum queis utrumque hoc praeceptum exprimitur. 693.

CAPUT II.

Notio concupiſcentiæ, quæ his duobus præceptis vetatur. 694.

CAPUT III.

Varii modi quibus in hæc duo poſtrema præcepta homines peccant. Tamburini, & Sanchez nonnullæ laxæ opiniones refelluntur. 696.

CAPUT IV.

Peccant in poſtremum Decalogi mandatum qui res alienas concupiſcunt. 701.

CAPUT ULTIMUM.

DECALOGI EPILOGUS,

In quo nonnulla præcipua eorum quæ dicta ſunt, capita ſub unica oculorum acie repræſentantur; & cavendum a quorumdam Caſuiſtarum laxitatibus ſuadetur. Benignitas probabiliſtica ex ſancto Auguſtino ſerpentis Evam ſeducentis blanditiis comparatur. 704.

FINIS.

Digitized by Google

Errata			*corrige ſic.*
Pag. 6.	lin.	6. & in eo ſen-	& in eo ſenſu.
26.		15. modo iniuſtitiam comdonſat	modo iniuſtitiam compenſat.
74.		28. olvendæ	ſolvendæ.
77.		15. talem feſtum	tale feſtum.
89.		16. de tal	de tali.
139.		34. illi qu	illi qui.
241.		ult. ſi loca aut Bonacinæ	ſi loco aut Bonacinæ.
259.		36. probabilius eſt	falſum eſt.
301.		12. uxoris poteſtatem	uxoris poteſtate.
337.		5. & antichriſtianos	& reipſa, aut moribus antichriſtianos.
403.		34. novaas deunt ciſternas	novas adeunt ciſternas.
468.		36. entarent	tentarent.
553.		18. quæ eſt in 36. *Per* ordine *miſſum*	quæ eſt in ordine 36. *Permiſſum*.
563.		16. bona creditoris	bona debitoris.
584.		35. Thgologi	Theologi.
698.		14. ad executionem redacto	ad executionem redacto, prohibente lege.

Digitized by Google

LIBER QUINTUS
IN DECALOGUM.
DISSERTATIO IV.
DE VARIIS IURAMENTORUM GENERIBUS, ET PRAECIPUE DE IURAMENTO DOLOSO.

PROOEMIUM.

SUperiorem diſſertationem huic præmiſi, ut viam mihi ſternerem ad plurimos caſus, & difficultates reſolvendas. Verboſa plus iuſto oratio fuit; ſed maxima controverſiæ, alioqui gravis, difficultas veniam nimiæ prolixitati impetrabit. Opponet fortaſſe aliquis ſuperfluum fuiſſe tempus terere in impugnandis aliorum rationibus, quibus amphibolia defenditur : parum namque referre videtur, ſive hac, aut illa ratione propugnetur, Confeſſarium, reum, teſtem, aliumve poſſe negare id quod ſub ſigillo tantum novit. Parum videri id poſſe imperitis, non negaverim; ſed certe falluntur. Nam, ſi concedamus, verba in extremo caſu occultandæ veritatis nihil ſignificare, vel licitum eſſe uſum ſcientiæ *communicabilis*, & *incommunicabilis*; iam admittimus principia univerſalia, quæ, non Confeſſario, ſecretario, aut reo dumtaxat, ſed omnibus indiſcriminatim hominibus faveant; & privilegium unicum, ac ſingulare Confeſſarii commune omnibus efficitur. Quia, ſi defendatur, Confeſſarium poſſe cuſtodire ſigillum, negando ſe ſcire quod ſcit, quia verba in extrema neceſſitate nihil ſignificant; ratio hæc univerſalis erit pro omnibus. Et reipſa recentes Theologi, ut ſæpius diximus, ex caſu ſingulariſſimo Confeſſarii inferunt, omnes communiter homines in ſimili gravi neceſſitate poſſe iiſdem uti phraſibus, formuliſque loquendi : quod quam falſum ſit, in caſuum reſolutione patebit. Quippe hæc integra diſſertatio tota occupabitur in explicandis variis iuramentorum generibus, & caſibus omnibus quos tractare iuniores Caſuiſtæ ſolent.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Iuramento doloſo. Quotuplex dolus in iuramento: & an interdum liceat doloſe iurare. Recentiorum ſententia exhibetur, & refellitur: vera proponitur, & propugnatur.

I. Dolum in iuramento contingere poſſe animadverto vel ex parte illius qui iniuſte exigit iuramentum, cogitque per iniuriam reſpondentem iurare [de quo dolo nunc non agimus] vel ex parte iurantis. Porro iurans multifariam iuramentum ſuum dolis implicare poteſt. Primo, cum exterius ſe iurare fingit, verbaque uſurpat quibus iurantes ſinceri uti ſolent; animum tamen non habet iurandi, aut ſe obligandi, aut exequendi promiſſum. De hoc doloſo iuramento egimus *diſſ.* 11. *cap.* IV. Secundo, cum verbis æquivocis, locutione amphibologica, aut reſtrictione mentali quis utitur, quibus iuramentum ſuum involvit. De hoc ſolo iuramento doloſo nobis in hac diſſertatione ſermo eſt.

II. Hoc in capite regulæ quædam generales ſtatuuntur: deinde in ſequentibus caſus peculiares proponam, reſolvamque. Sed priuſquam ſenſa noſtra promamus, recentiorum opiniones paucis indicabimus.

III. Auctores qui defendebant licitas reſtrictiones pure mentales, defendebant quoque licitum eſſe eaſdem iuramento confirmare; nullamque maiorem pro iuramento quam pro reſtrictione mentis requirebant cauſſam. Et quia res credibilis non videtur, placet propriis Auctorum verbis ſententiam ipſorum referre. ***Et ex his colliges cum Trullench. quamdam regulam notatu dignam. Quotieſcumque licitum eſt uti oratione ambigua, vel tacita reſtrictione; licitum etiam eſt uti iuramento, ſi neceſſitas, vel notabilis cauſſa id poſtulet, aut utilitas corporis, aut honoris, aut rerum familiarium, vel ſi intercedat iniuſta interrogatio facta illi qui amphibologice loquitur.*** Ita Antonius a Spiritu ſancto *tract.* V. *de iur. diſp.* 1. *ſect.* 9. *num.* 52. *pag.* 142. Item Leſſius *Lib. II. cap.* XLII. *dub.* 9. *num.* 48. Caſtropalaus *diſp.* 1. *de iuramen. punct.* 7. *num.* 6. *verſ. Denique*. Trullenchus *Lib. II. Decal. cap.* 1. *dub.* 15. Malletus *Malleatione* 3. *practica* 13. Diana *II. P. tract.* VI. *reſol.* 30. & plures alii.

IV. Ex his collige quam periculoſa res ſit ſequi opiniones faventes libertati. Sententia propugnans reſtrictiones mentales, communis ſatis erat ante Innocentium XI. eademque docebat, præfatas damnatas reſtrictiones iuramento firmari poſſe. Reſtrictiones illæ damnatæ fuerunt ut mendacia, & conſequenter appoſita iuramenta ut periuria. Sententia ergo ſatis communis olim erat penes etiam graves Theo-

Theologos, quæ licita aliquando eſſe periuria docebat, ſeu quæ putabat non eſſe periuria quæ periuria eſse Eccleſia declaravit. Ut enim omnis æquivocatio tollatur, nemo Catholicorum docuit, periurium eſse aliquando licitum. Sed plurimi exiſtimarunt, quædam mendacia non eſse mendacia, & quædam periuria non eſſe periuria. Venia tamen digni ſunt Theologi illi qui ante damnatas propoſitiones reſtrictiones iuratas propugnarunt.

V. Ceteri Theologi iuniores, qui ſcripſerunt poſt damnatas propoſitiones, in iuramentorum uſu cautiores paullulum ſunt. Graviores namque cauſsas pro iuramenti quam pro reſtrictionis, ſive amphiboliæ uſu expoſcunt. Nec iſti tamen ideo negant frequentem uſum iuramenti amphibologici, quod putent eſse periurium; ſed ob defectum iudicii, ſeu neceſſitatis. Abſolute enim ſtatuunt, quod, quoties reſtrictiones mentales externæ ſunt licitæ, toties iurari poſſit abſque periurio: quia, inquiunt, iuramentum ſequitur naturam actus cui apponitur. Quare, ſi reſtrictio externa vera ſit, verum quoque erit appoſitum iuramentum: quamvis ex conditione peculiari ipſius iuramenti aliqua maior neceſſitas requiratur ad illius prolationem quam ad ſolam amphibologicam locutionem. Aliquas hic regulas indicabimus: deinde in caſuum reſolutione propius ad praxim, quoad fieri poterit, accedemus.

VI. Quemadmodum reiecimus reſtrictiones, ſeu amphibologicas locutiones recentiorum plurium, tamquam reſtrictiones pure mentales, & mendacia; ita potiori iure illorum iuramenta, quibus præfatas reſtrictiones confirmant, tamquam periuria graviſſima improbamus, & prorſus damnamus. Quid quod aliqui vel ipſorum qui amphibolias defendunt, fatentur, eas, non ſemper ſaltem, poſse iuramento firmari: eo quia, licet probabilis notitia ſatis ſit ad ſimplicem affirmationem, ad iuramentum tamen certitudo neceſsaria eſt? Sic inquit vel ipſe Cardenas in ſua Criſi diſs. xix. cap. iv. num. 54. *Ad ſimplicem affirmationem ſufficit probabilitas facti, ad iuramentum vero requiritur certitudo.* Et revera, cum iuramentum ſacroſanctum ſit penes omnes nationes, & cum periurium graviſſimam malitiam contineat, omnis ratio vetat non ſolum uſum iuramenti, niſi & veritas, & neceſſitas concurrant; verum etiam ne illud verbis profanemus quæ nullum intelligibilem ſenſum proferant. Idcirco aliam ſubiicio regulam.

VII. Patres omnes abſolute damnant omnia iuramenta doloſa, ſeu verbis fallacibus, & æquivocis prolata. Pauca referam Sanctorum teſtimonia. D. Auguſtinus epiſ. cxxv. edit. Lov. ad Alipium. *Illud ſane certiſſime dici non ambigo, non ſecundum verba iurantis, ſed ſecundum expectationem eius cui iuratur, quam novit ille qui iurat, fidem iurationis impleri . . . Unde periuri ſunt qui, ſervatis verbis, expectationem eorum quibus iuratum eſt, deceperunt.* Item epiſ. cxxvi. *Expectationem eorum quibus iuratur, quiſquis deceperit, non poteſt eſſe non periurus.*

VIII. S. Iſidorus Lib. II. Sent. cap. xxxi. *Quacumque arte verborum quiſquis iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita accipit, ſicut ille cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit qui & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.*

IX. S. Raymundus in Sum. titul. *de iuram. & periur.* ſub finem. *Item illud nota, quod ſi iurans, vel recipiens dolum adhibeat, ſemper debet referri iuramentum ad intentionem illius qui non adhibuit dolum, vel artem*: 22. *quæſt.* v. Quacumque & §. Si ergo, & *cap.* Qui peierare, & §. Ex his. *Deus enim duplicitatis aſpernator ſimplicem intentionem conſiderat utriuſque, tam ex parte recipientis, quam ex parte dantis. Verborum artem aſpernatur, & odit, ut in præallegato* §. Ex his *in fin.*

X. S. Proſper apud Hincmarum Lib. de divort. Lotarii & Titbergæ.

At ſi iurandi te cauſſa perurget, & arctat,
Id puris verbis, id gere mente pia.
Nec verbi arte putes te fallere poſſe Tonantem,
Cui nihil abſtruſum eſt, cui tua corda patent:
Qui non ut iuras, ſed ut id iuraſſe putavit,
Cui iuras, audit; ſicque es utrique reus.
Nempe Deo, in vanum cuius vis ſumere nomen,
Seu ſocio, quem atra fallere fraude paras.

XI. D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxix. art. 7. ad 4. *Quando non eſt eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, ſi hoc procedat ex dolo iurantis, debet iuramentum ſervari ſecundum ſanum intellectum eius cui iuramentum præſtatur.*

XII. Patres in recenſitis textibus loquuntur de iuramento facto illis qui iure illud exigunt, & de iuramentis quibus contractus, & fœdera firmantur: quæ ſane iuramenta & ſimplicibus verbis, & abſque omni arte ſive verborum, ſive locutionum fieri debent. Item hæc iuramenta, ut ſonant, interpretanda ſunt; atque ſemper in favorem illius partis qui bona fide iuramentum in eo ſenſu quem verba præferunt, ſuſcipit. Tanta fuit penes vel ipſos Romanos Ethnicos iuramenti religio, ut vitio ſibi verterent aliqua interpretatione illud eludere. Cum enim quidam Tribuni plebis iuramentum præſtitum interpretari vellent, & populum ab illius vinculo ſolvere; populus iuramenti obſervationem proprio commodò prætulit, ut refert Titus Livius Decad. I. Lib. III. num. 20. *Nondum hæc, quæ nunc tenet ſæculum, negligentia Deum venerat, nec interpretando, ſibi quiſquam iusiurandum, & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad ea accommodabat.*

XIII. Sententia quam hac in controverſia propugno, eiuſmodi eſt. *Numquam licet ſermonem amphibologicum, ſeu ſcientia communicabili, & incommunicabili implicatum, ſacramento confirmare.* Non me latet, hanc quam propono, ſententiam cum communi iuniorum opinione pugnare. At illam defendunt Patres, & antiqui

qui

Digitized by Google

qui Doctores: eamque perſuadet ratio luculentiſſima, contra quam prævalere iuniorum multitudo non poteſt. Ut paucis rem expediam, naturam iuramenti conſiderandam exhibeo. Hæc autem tota ſita eſt in veritatis declaratione. Cedo; Quinam eſt iurisiurandi finis? Reſpondet S. Paulus, eſſe veritatis manifeſtationem, & finiendarum litium remedium. En illius verba ad Hebræos VI. *Homines enim per maiorem ſui iurant: & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum*. AEquivocationum, & amphibologiarum finis eſt occultatio veritatis; iuramenti vero finis eſt eiuſdem veritatis manifeſtatio. Porro quænam maior oppoſitio quam inter occultationem, & manifeſtationem veritatis?

XIV. Propoſitiones itaque, quas *capit.* IV. *diſſert.* I. recenſuimus, duo continent crimina. Primum eſt ſacrilegus iuramenti abuſus. Tunc enim aliqua re abutimur, cum ad finem omnino oppoſitum ei propter quem inſtituta eſt, eam adhibemus. Finis cuius gratia inſtitutum a Deo iuramentum divinæ declarant Scripturæ, eſt veritatis manifeſtatio. Ergo ſacrilege eodem abutimur, quoties illud ad occultandam veritatem uſurpamus. Alterum crimen eſt, quod, cum recenſitæ reſtrictiones, & amphibologiæ ſint revera & prorſus mentales, pura putaque mendacia ſunt; atque adeo iuramentum quo eædem confirmantur, periurium eſt.

XV. Opponunt adverſarii, hæc locum habere, quando ſermo amphibologicus pura mentali reſtrictione contectus eſt; ſecus, quando amphibologia eſt externa, & locutio licita, etiam in noſtra ſententia. Tum enim iuramentum naturam redolet ſermonis, ſeu actionis cui apponitur, ſeu quæ confirmanda eſt. Hæc licita eſt in omnium ſententia. Ergo & iuramentum.

XVI. Hæc evincunt, tunc iuramentum non eſſe periurium: quoniam locutio externa verum ſenſum habet, ut penes omnes convenit: at non tollunt quominus ſacrilegus tunc ſit iuramenti abuſus. Sit verax locutio amphibologica. At eo hæc unice pertinet ut veritatem tegat, occultetque. E contrario natura iuramenti, ut diximus, tota eſt in veritatis manifeſtatione. Ergo, quoties ſacramento uteris ad occultandam veritatem, iam ipſam iuramenti naturam pervertis. Quamvis ergo in amphibologica oratione iurata non ſit periurium, eſt tamen iuramenti abuſus, qui cum unico iuramenti fine pugnat.

XVII. Tandem communis humani generis ſenſus, Probabiliſtarum, quam recenſui, opinionem deteſtatur. Ecquis enim umquam ad iuramentum in graviſſimis controverſiis, veluti ad ſacram anchoram ſeſe reciperet; ſi ſciret amphibologiis uti iurantem poſſe in ipſa iurata locutione? Ego ſane numquam ab aliquo Probabiliſtarum iuramentum peterem pro alicuius controverſiæ definitione, potiſſimum ſi iurator doctrinam P. Caſtropalaî, quam *cit. cap.* IV. *diſsert.* I. deſcripſi, ſequeretur. Si iudices, ſi homines ſcirent præfatis amphibologicis, ſeu cavil-

latoriis locutionibus iurantes circumſcribere licite ſua iuramenta poſſe; non pluris facerent iuramenta quam verborum iocos. Ne multa. Admitte ut licita iuramenta amphibologica; & ecce continuo ſublata fœdera, ſocietatem diſruptam, reſciſſa commercia. Igitur, ut iuramenti ſanctitas cuſtodiatur, ut conſiſtat hoc ſacrum ſocietatis, & fœderum vinculum, ut communis humani generis perſuaſio, & ſumma erga iuſiurandum reverentia ſalva ſint, ſemper iuramentum eo in ſenſu adhibendum eſt quem ille cui iuratur, intelligit.

XVIII. Finem impono huic capiti aureis verbis Auctoris *Libri de conflictu vitiorum, & virtutum*, qui Liber olim tribuebatur a pluribus D. Auguſtino, habeturque *Tom. VI.* operum eiuſdem Auguſtini *in appendice*; cuius tamen verus Auctor eſt Ambroſius Autbertus octavi ſæculi celeberrimus Scriptor. Porro is in præfato *Lib. cap.* XIX. hæc docet. *Fallacia, atque mendacium & ipſa unum dicunt. Fallacia autem ſit ingenio, mendacium vero ſimplici verbo. Fallacia igitur dicit.... quum in non dando aliquem illudere quærit: Quid in petendo moras innectis? Non habeo quod tibi tribuere poſſim: celans utique in corde qui habet, vel quod ſibi conſervet, vel quod aliis, ſi voluntas ineſt, tribuat. Mendacium dicit: Omnino quod poſtulas non habeo; ſcilicet non artificioſo ingenio, ſicut fallacia, ſed ſimplici negationis verbo fruſtrans poſcentem. Sed veritas ad utraque reſpondet: Nec artificioſo ingenio, nec ſimplici verbo oportet decipere quemquam: quia quolibet modo mentiatur, os quod mentitur, occidit animam.*

C A P U T II.

An Confeſſarius iurare licite valeat ſe neſcire delictum quod in confeſſione audivit? Verus modus proponitur cuſtodiendi ſigillum ſacramentale, aliaque ſecreta, quibus devincti ſunt Principum miniſtri, aliique.

I. QUoniam defenſores reſtrictionum mentalium, ſigilli ſacramentalis clypeo muniti, omnes loquendi formulas, quamvis ſuapte natura mendaces ſint, tamquam licitas adverſus vel evidentiſſimas rationes propugnare contendunt; congruum duxi clypeum hunc e manibus illorum eripere. Oſtendam namque mera eſſe ſophiſmata illa quibus ex caſu ſingulariſſimo Confeſſarii inferunt, omnes indiſcriminatim homines poſſe eaſdem loquendi formulas quibus Confeſſarius utitur, adhibere.

II. Duobus modis interrogari Confeſſarius de alicuius delicti notitia poteſt. Primo ut homo, ſeu ut ceteri homines, ita ut ex circumſtantiis evidentiſſime pateat,

teat, non interrogari de rebus in confeſſione auditis, ſed de iis quas communi via ſcire poteſt. Et tum ſemper ut homo interrogatur, quando abſolute ut ceteri homines interpellatur. Nemo enim, maxime Chriſtianorum, dum Confeſſarium alloquitur, ab eodem notitiam quærit earum rerum quas in confeſſione audivit: eſſet quippe graviſſimum flagitium vel ſuſpicari in homine catholico tantam iniquitatem. Dum autem Confeſſarius hoc modo interrogatur, abſque ulla mendacii umbra reſpondere poteſt, & debet, ſe neſcire; &, ſi urgeretur, poſſet ſuam negationem iuramento confirmare: quandoquidem ad mentem interrogantis reſponderet, & veritatem diceret: quia revera ut homo, & communi via prorſus neſcit quod ſe neſcire iurat. Hæc eſt communis omnium Theologorum ſententia, quam docet D. Thomas in Supplem. quæſt. XI. art. 1. ad 3. *Dicendum, quod homo non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo: & ideo ſine læſione conſcientiæ poteſt iurare ſe neſcire quod ſcit tantum ut Deus*. Rationem aſſignat Dominicus Soto Lib. de teg. ſecr. memb. III. quæſt. III. *Voces enim*, inquit, *eo modo ſignificant quæ recipiuntur a populo. Populus autem chriſtianus, dum audit Sacerdotem iurantem ſe nihil ſcire, nihil intelligit de his quæ novit in confeſſione. Quare verba illa ſolum ſignificant, nihil ſe ſcire extra confeſſionem.*

III. Secundo interrogari poteſt Confeſſarius non ut homo, ſed ut Confeſſarius; & an in confeſſione tale delictum audierit. Maritus improbus impetere poteſt Confeſſarium, ut revelet, an uxor ſua confeſſa ſit adulterium perpetratum. Reſpondere ne tunc poteſt Confeſſarius, ſe neſcire, aut audiviſſe tale delictum? Adfirmanter reſpondent communiter recentiores, quamvis diverſis ducti rationibus. Nos vero dicimus, Confeſſarium nullo modo ſic reſpondere poſſe, vel debere: eo quod eiuſmodi reſponſio manifeſtum mendacium contineret ratione interrogationis iniquæ. Idque manifeſtum eſt ex doctrina D. Thomæ, qui docet, Confeſſarium ut hominem interrogari, non ut Deum, ſeu ut miniſtrum Dei. Quando enim interrogator ſceleſtus limitat ſuam interrogationem ad notitiam habitam in confeſſione, ſeu ad Confeſſarium ut Dei miniſtrum; iam non poteſt fieri diſtinctio duplicis perſonæ, humanæ, & divinæ. Quid ergo? Revelandum ne ſigillum erit? Abſit. Quomodo itaque cuſtodiendum? Unica & vera via illud ſervandi eſt illa quam poſt ſeriam meditationem aperit Dominicus Soto *Lib. de teg. ſec. memb.* III. *quæſt.* III. *concl.* 4. *dub.* 2. *pag.* 143. ubi ſibi hanc proponit difficultatem his verbis: *Sed quid, ſi percontetur, an audierit in ſacramento confeſſionis? Utrum licite poſſit negare ſe audiiſſe?* Reſpondet. *Hactenus opinionem ſecutus communem, reſpondebam inter legendum, licitum eſſe Sacerdoti dicere, ſe non audiviſſe in confeſſione. Sed, re modo oculatius inſpecta, veriſimilius mihi videor aliter ſentire. Et probatur id non licere. Primo quia, quamvis in illo verbo commode poſſit intelligi reſtrictio extra confeſſionem; in hoc tamen, Nihil audivi in confeſſione, incongrue*

profecto admodum intelligi poteſt: eo quod interrogans explicat contrarium, ſcilicet an audivit in confeſſione. Et ideo non excuſatur a mendacio: quemadmodum non excuſaretur, ſi diceret, Nihil audivi nec tamquam Deus, nec tamquam homo. Et, cum neque propter ſigillum confeſſionis mentiri permittatur, ſit ut illud reſponſum non ſit licitum. Poſt hunc tractatum *de tegendo ſecreto* ſcripſit ſuos *commentarios in IV. Sententiarum*, & *diſt.* XVIII. *quæſt.* IV. *art.* 3. hanc eamdem ſibi proponit difficultatem, his verbis: *Quid, ſi vel infidelis tyrannus, vel improbiſſimus Chriſtianus peculiariter a Sacerdote exquireret, utrum audierit in confeſſione Petrum hoc feciſſe? Profecto non licebit reſpondere, Non audivi in confeſſione.*

IV. Hanc eamdem ſententiam docet Laymanus, inter recentiores perdoctus Auctor, Lib. IV. tract. III. cap. XIII. de mend. num. 7. *Si vero talis loquendi modus, ac circumſtantiæ adſint, ut verbum* neſcio *determinetur ad omnem ignorantiam, puta ſi Confeſſarius adigatur ut dicat, an ullo modo, ſeu ratione ſciat; tunc vere ac proprie mentietur, ſi verbo* neſcio *erga alterum utatur, intra mentem cogitans*, quod tibi dicam. *Sed reſpondere debet, fruſtra ſe ſe de his interrogari; cum, ſeu ſciat, ſeu neſciat, nihil edicere opus ſit. Cum qua doctrina conſentit S. Auguſt. lib. de mend. cap.* XIII. *& lib. cont. mend. cap.* XVIII. ubi ait: *Si homo ægrotus, ac morti vicinus, de ſalute filii unici, ac cariſsimi quærat, qui paulo ante mortuus eſt; duo falſa ſunt, Vivit, & neſcio, nec abs te dici poſſunt, niſi mentiendo.*

V. Quid ergo agendum Confeſſario a tam iniquo interrogatore ad incitas redacto? Debet apoſtolico pectore, invictaque fortitudine interrogatorem repellere, illumque his obiurgationibus aggredi. An ignoras, inſanum caput, ſacrilegam eſſe tuam interrogationem? An te fugit, Dei miniſtrum de ſacramentali confeſſione neque adfirmare, neque negare quidquam poſſe? Divino miniſterio quo fungor, maximam inferrem maculam, ſi quidpiam in utramque partem hiſcerem. Abſtine ergo ab ea interrogatione quam tu ſine graviſſimo ſcelere facere non vales; & cui ego abſque ſacramenti profanatione reſpondere nequeo. Ita docet Sotus loc. cit. in IV. Sent. *Igitur in tali caſu, ſi tyrannus eſt infidelis, reſpondendum eſt illi, tamquam ſacramentum vituperanti, religionem chriſtianam præcipere de ſacramentali confeſsione in neutram partem quicquam eſse loquendum. Et multo efficacius reſpondendum eſset reprobatiſsimo Chriſtiano, tamquam ſacrilego: Non eſt fas ut ad iſtam tuam ſacrilegam interrogationem quicquam reſpondeatur.* Quid, ſi tyrannus urgeret, gladio diſtricto, ut Confeſſarius quidquam adfirmaret, aut negaret, ut a Confeſſarii ore verbum aliquod extorqueret? Mortem tunc Confeſſarius oppetere potius debet quam verbum ad confeſſionem pertinens proferre. Ita docet idem Sotus. *Et in utroque caſu, ſi mortem illi tyranni Sacerdoti comminarentur, illa eſset potius oppetenda quam verbum ullum proferendum quod in revelationem ſacramenti confeſsionis vergeret.*

VI.

VI. Quam dedimus doctrinam ſanguine ſuo confirmavit invictus Martyr S. Ioannes Nepomucenus. Cum enim Rex VVenceslaus, iniqua curioſitate percitus, Reginæ uxoris ſuæ, cuius Confeſſarius erat S. Martyr, ſecreta cordis, & amoris propenſionem ſcire percuperet, Confeſſarium adiit; atque illum blanditiis, & promiſſionibus maximorum præmiorum ad violandum confeſſionis ſigillum inducere pertentavit. Exhorruit ad ſceleratas preces vir beatus, & gravi, liberaque oratione illas propulſavit. Regi vero ira excandeſcenti, atque extrema ſupplicia minanti *B. Ioannes excelſo animo honores perinde ac minas contemnere, Confeſſarii munus explicare, ſilentii ſacroſancti legem extollere, pœnas temporales, & ſempiternas iis qui ſecretum non tenuerint, paratas, exaggerare. Denique Regem monere, ut abſtineret captandis quæ uni Deo cognoſcenda ſervantur: ſine ſacrilegio talia tentari non poſſe; in ceteris omnibus Regis imperia adorare ſe; hoc unum deprecari, quod, ſi mille mortes ſubeundæ eſſent, non faceret.* Auctor illius vitæ apud *Boland. die 16. Maii.* In equuleo autem diſtentus, ac facibus ardentibus exuſtus, cum non poſſet verbis, ſevero vultu impii Regis ſcelus deteſtabatur. *B. Ioannes indignum ratus ea de re toties obtundi, non verbis, ſed toto capite, & ſevero vultu ſacrilegium averſatus eſt.* Demum proiectus in flumen, martyrio coronatus rationem cuſtodiendi ſigillum ſacramentale nos docuit.

VII. Neque hac via incedere tum ſolum debet Confeſſarius, cum crimen de quo rogatur, in confeſſione audivit; verum etiam quando reipſa nihil audivit: quemadmodum enim ſacrilegus atque improbus eſt quicumque interrogator qui Confeſſarium urgere ad referandum ſacroſanctum illud ſigillum tentat, quive aliquid, quantumvis minimum, vi ſacramenti confeſſionis ſcire ſtudet; ſic culpabilis eſt Confeſſarius qui excelſum ſuum miniſterium, & altiſſimam dignitatem quoquo modo demittit, ſupponitque iniuſtis interrogationibus. Abutitur enim ſacramento, illudque profanat, quoties interrogatus adfirmat, vel negat quidquam. Ut ergo & dignitatem ſuſtineat miniſterii, & ſigillum ſecurius cuſtodiat, atque interrogatoris ſacrilegi os undique obſtruat, intrepide, & chriſtiana fortitudine reſpondeat: *Sacrilega eſt interrogatio tua; & ſacrilega foret reſponſio mea, ſive adfirmarem, ſive negarem, ſive quidquam reſponderem.* Hæc eſt doctrina Soti loc. cit. de teg. ſec. memb. III. quæſt. III. concl. 4. *Sigillum enim confeſſionis adeo debet eſſe ſanctum, ut non ſolum non affirmemus quæ illic audivimus, ſed nec negemus quæ illic non audivimus. Unde, ſi Sacerdos inductus in teſtem interrogetur, an pœnitens fecerit homicidium; quamvis ille fuerit innocens, nec crimen fuerit confeſſus, non debet Sacerdos dicere, Numquam hoc audivi in confeſſione: quia quamvis illud ſit verum, nec ſit revelatio ſigilli quæ cavetur in iure; eſt tamen quædam contaminatio ſacramenti, nec poteſt eſſe ſine ſcandalo.* Et quæ ſuperius dixit *in IV. Sent.* hic clarius explicat: ſubdit enim: *Ergo ſi impudentiſſimus tyrannus*

Digitized by Google

nus roget Sacerdotem, An hoc audiſti in confeſsione inquantum Deus? hoc illi reſponſo exprobrandum eſt verbum: Sacrilege, hæc eſt ſacramenti religio, ut nec ſi pœnitens mihi dixiſset, affirmare poſsem, nec, ſi non dixiſset, negare deberem. Nec affirmatio, nec negatio mea poteſt tibi facere fidem. Quare neutram a me reſponſionem expectes. Quæ quidem verba nullam profecto de ſe ſuſpicionem generant, verum ne ſit quod interrogatur.

VIII. Hæc quam expoſuimus, ratio cuſtodiendi ſigillum ſacramentale, non modo ſecurior eſt, & ſacramenti ſanctitati, & miniſterii dignitati magis conſentanea; ſed neceſſaria quoque eſt, ita ut ſæpius occultari alia via ſigillum nequeat. Quod ut evincam, caſum ſubiicio quem prius perdoctus *P. Orſi* in ſua *Cauſſa veritatis cap.* IV. expoſuit. Mater, conſcia flagitii a filia commiſſi, eam ad Confeſſarium ducit, ut, ſi pudicitiam corporis, quæ reparari nequit, ſaltem animæ ſalutem recuperet. Eidem ſuadet ut omnia, vel ſecretiora, crimina referet Confeſſario, cuius pedibus provoluta ſuam peragit confeſſionem. Poſt filiam immediate ſe ſiſtit mater tribunali, & omnium primum Confeſſario exponit confuſionem, acerbumque animi dolorem quo ob filiæ ſuæ lapſum angitur, illumque rogat ut in qualecumque ſolamen ſibi dicat, an filia ſaltem peccatum ſuum illi confeſſa ſit. Quid reſponſi tunc dabit Confeſſarius? Quo ſe vertet? Si adfirmet, filiam confeſſam eſſe peccatum ſuum, ſigillum violat. Si neget, pariter ſigillum infringit, reamque duplicis ſacrilegii, & confeſſionis peractæ, & communionis ſacræ proxime ſuſcipiendæ, filiam declarat. Niſi alia via, præter negationem, foret cuſtodiendi ſigillum; tunc ſane aliquod Dei præceptum eſſet impoſſibile obſervatu. Nam mater inſtat ut Confeſſarius reſpondeat. Silentium, ut inquiunt adverſarii, pro adfirmatione accipitur. Negatio eſt aperta ſigilli violatio, quemadmodum & adfirmatio. Nulla ergo alia ſuppetit via ſigilli hoc in caſu cuſtodiendi, niſi repulſio interrogationis, atque interroganti oſtendere quam ſit & chriſtianæ religioni, & ipſi ſacramento iniurioſa interrogatio.

IX. Accedit, hanc negationem, quam ceu unicum medium cuſtodiendi ſigillum requirunt plures Auctores, deridendam exponere religionem noſtram, ceu mendaciorum plenam, apud infideles. Nam tyrannus multis viis ſcire valet crimen perpetratum a pœnitente, ſive chriſtiano, ſive infideli recenter converſo. Ut tamen vel conſtantiam & fortitudinem experiatur Confeſſarii, vel ſuæ indulgeat perverſæ curioſitati, Sacerdotem urget ad manifeſtandum crimen in confeſſione auditum. Confeſſarius negat ſe quidquam audiviſſe, neque ut hominem, neque ut Deum. Pœnitens ipſi tyranno teſtatur ſe illud confeſſum fuiſſe. Quam in hoc caſu concipiet tyrannus de religione noſtra exiſtimationem? Vel Confeſſarium mendacii reum reputabit; & ſic via occluditur fidem adhibendi miniſtris Evangelii, atque religionem noſtram infidelibus ſuadendi: quod malum proficiſci a mendacio dolet

Au-

Auguſtinus Lib. de mend. cap. VIII. *Quomodo credendum eſt ei qui putat aliquando eſse mentiendum, ne forte & tunc mentiatur, quum præcipit ut credamus? Unde enim ſciri poteſt, utrum & tunc habeat aliquam cauſam, ſicut ipſe putat, officioſi mendacii, exiſtimans falſa narratione hominem territum poſse a libidine cohiberi, atque hoc modo etiam ad ſpiritualia ſe conſulere mentiendo arbitretur? Quo genere admiſſo, atque adprobato, omnis omnino fidei diſciplina ſubvertitur*. Vel exiſtimabit, apud Chriſtianos licita eſse mendacia, aut mendacia non eſse mendacia. Quis tyranno ſuadere poterit, negationem Confeſsarii vel nihil ſignificare, aut non eſse mendacium: quia, quando negatur notitia veritatis non manifeſtabilis, licet talem notitiam negans habeat, non committitur mendacium? Nonne unico verbo obſtruitur tyranni os, & religionis chriſtianæ ſinceritas, ac dignitas promovetur, ſi dicatur, præceptum graviſſimum eſse catholicæ religionis, quo cavetur ne quidquam adfirmetur, vel negetur de iis quæ audiuntur, aut etiam non audiuntur in confeſſione: quoniam profanaretur ſacramentum, etiamſi negaretur id quod reipſa a confitente dictum non fuit. Hæc profecto unica via, & ſecurior, & neceſsaria tum ad cuſtodiendum ſigillum, tum ad ſinceritatem religionis noſtræ illæſam ſervandam, & intaminatam.

X. Non omnes tanta ſunt fortitudine muniti, ut audeant aperta fronte crudelem tyrannum repellere, illiuſque interrogationem in frontem regerere. Fateor, non omnes tanta eſse fortitudine inſtructos; quemadmodum nec omnes Chriſtiani ſemper prompti reperiuntur ad fidei catholicæ publicam confeſſionem faciendam in conſpectu tyranni mortem crudeliſſimam minantis. Quid inde? Propterea ne præceptum aufertur publicæ confeſſionis fidei? Numquid humanæ naturæ imbecillitas regula erit honeſti, vel inhoneſti? Si ea ſolum ut neceſsaria, & honeſta admittenda ſunt quæ humanæ infirmitati congruunt, quæque animorum debilium viribus aptantur; actum conclamatumque eſt de univerſo fere Evangelio. Non ergo quod natura humana, ſuis relicta viribus, ſed quod victrice Dei gratia adiuta & roborata valet, perpendendum eſt. Si vero infirmitas prævaleat, cogaturque alterutrum violare; mentiatur potius quam ſigillum violet. De duobus ſiquidem malis neceſſariis minus eſt eligendum. Et, ne neceſſitatis vocabulum aures minus peritas offendat, ſciendum, neceſſitatem hanc non abſolutam eſſe & antecedentem, ſed conſequentem humanam infirmitatem; ſeu neceſſitas eſt quæ ex libera arbitrii electione proficiſcitur, non ex natura ipſorum præceptorum. Poteſt enim Chriſtianus, divina gratia adiutus hanc ſuam infirmitatem ſuperare, atque ſanguinem effundere potius quam ſacramentum profanare. Quod ſi non præſtat, ex eius oritur culpa. De hac loquebatur neceſſitate David Pſalm. XXIV. *De neceſſitatibus meis erue me*.

XI. Obiicies. Quamquam Sotus, Laymanus, Urſius, aliique propugnent, mentiri

tiri Confeſſarium qui rogatus ut ceu Confeſſarius & Deus crimen revelet, negat ſe illud audiviſſe, tametſi audierit; nihilominus contraria ſententia communiſſima eſt penes fere omnes Theologos tum antiquos, tum recentes, qui defendunt Confeſſarium tunc non mentiri, etiamſi dicat: *Neque via confeſſionis ſacramentalis audivi delictum, de quo me interrogas*: quia ſubintelligitur in hac reſponſione *revelabiliter*. Licet ergo Soti opinio probabilitate fruatur; non ob id reiicienda eſt contraria, quæ communior eſt, immo communiſſima. Quid quod vel ipſe P. Sotus contrariam non reprobat opinionem? Inquit enim de ſecr. teg. memb. III. quæſt. III. pag. 144. *At non contendo renuere, quin, dato caſu quo non poſſit aliter celari ſigillum, liceat reſpondere, Non audivi in confeſſione: quia univerſo populo receptum eſt, ut verba illa excuſent a mendacio. Sed credo numquam eſſe neceſſarium; atque adeo difficile poſſe excuſari a mendacio.*

XII. Reſp. Quæ ſit mens Soti, conſtat ex integro textu. Ipſe non credit contingere caſum poſſe in quo neceſſe ſit pro ſigilli cuſtodia ut Confeſſarius neget ſe audiviſſe in confeſſione quod revera audivit. Attamen præmittit ſe funem contentionis ducere nolle longiorem, num videlicet dari poſſit caſus in quo ſigillum cuſtodiri nequeat niſi præfata negatione: quo caſu admiſſo, receptum eſt apud Chriſtianos, verba illa a mendacio excuſare. Et ſane, admiſſo quod iuxta communem Chriſtianorum intelligentiam verba prolata a Confeſſario excuſent a mendacio, ſuumque habeant verum ſenſum, quatenus Confeſſor numquam reſpondet de iis quæ audivit ut Deus: admiſſa, inquam, hac hypotheſi, quod reipſa omnes Chriſtiani ſic intelligant ea verba, nulla eſt difficultas: quoniam numquam committitur mendacium, cum ad mentem interrogantium verba uſurpantur. Sed nemo Chriſtianorum, qui in hoc ſenſu verba illa accipiunt, Confeſſarium qua Confeſſarium interrogabit de delictis in confeſſione cognitis.

XIII. Sed, quidquid ſit de hac Chriſtianorum perſuaſione, & de opinione communiore Theologorum, nemo audebit inficiari, ſententiam noſtram & ſecurius in omni eventu cuſtodire ſigillum, & miniſterii ſanctitatem dignius propugnare. Quæro ego ab adverſariis: cur hanc ſententiam, quæ dubio procul cuſtodit ſigillum, cuius occultationem adeo exaggerant, ſuſcipere recuſant? An quia nimis dura, & quia Confeſſarios exponit periculo perferendi graviſſima tormenta, & mortem ipſam ſubeundi? Sed hæc inania ſunt. Nam conſtans negatio facta tyranno, non minus quam deliberata voluntas nihil reſpondendi, poteſt Confeſſarium in vitæ diſcrimen adducere. Nam contingere poteſt quod tyrannus ſciat delinquentem confeſſum eſſe ſuum crimen Confeſſario: & tunc vi tormentorum urgebit Confeſſarium ad revelandum crimen auditum; & ſi perſtiterit in negatione, ad mortem uſque illum torquebit. Præterquamquod veritates chriſtianæ & theologicæ, ut alias diximus, non pendent ab imbecillitate humanæ naturæ; neque earumdem veritatum regu-

læ

læ ſunt mala, & pericula quæ occurrere hominibus poſſunt. Si ergo ſententia noſtra & ſecurior, & verior, & ſigillo ſervando magis apta eſt; hanc, & non aliam, amplecti debemus.

XIV. Porro ſi ſcire cupis cur recentes facilius in oppoſitam concedant ſententiam, quamquam ea minus ad veritatem accedat, ratio præſto adeſt. Quoniam ex ea inferunt, poſſe quoque ceteros homines eiſdem uti verbis, eaſdem adhibere loquendi formulas quas Confeſſarius adhibet, ut magni momenti veritates occultare queant. Ceterum, licet antiqui Theologi admiſerint, poſſe Confeſſarium iurare ſe neſcire quod ſcit vi confeſſionis; nemo tamen illorum qui recte ſapiunt, privilegium quo fruitur Confeſſarius pro ſigilli cuſtodia, ad alios homines extendit. Idcirco namque Theologi docuerunt, poſse Confeſſarium iurare ſe neſcire quod ſcit vi confeſſionis, quia duplicem perſonam gerit, divinam, & humanam: & apud omnes Chriſtianos receptum eſt, Confeſsarium numquam loqui ut hominem, cum de iis ſermonem habet quæ ſub ſigillo confeſſionis audivit. Merito ergo verba illa in Confeſsario a mendacio excuſantur.

XV. Verum, ut ut ſit de præſata ſententia, & eius admiſsa probabilitate, illud tamquam falſum omnino improbamus quod ex illa inferunt recentes Caſuiſtæ, videlicet poſse quoque ceteros homines, exemplo Confeſsarii, negare ſe ſcire quod ſub ſecreto naturali ſciunt; vel quod nequeunt manifeſtare abſque læſione caritatis, aut iuſtitiæ. Falſum, inquam, eſt hoc in primis iuxta præfatam opinionem. Quia ſolus Confeſsarius gerit vices duplicis perſonæ, & ſoli Confeſsario populus chriſtianus hoc tribuit privilegium. Idque experientia patet. Nemo enim, niſi improbus, vel furore abreptus, Confeſsarium interrogat de iis quæ in confeſſione audivit: & cum Confeſsarius interrogatus reſpondet, ſe nihil ſcire, populus chriſtianus intelligit, illum nihil ſcire extra confeſſionem. *Voces enim* (inquit Soto de teg. ſec. memb. III. quæſt. III.) *eo modo ſignificant quo recipiuntur a populo: populus autem chriſtianus, dum audit Sacerdotem iurantem, ſe nihil ſcire, nihil intelligit de his quæ novit in confeſſione: quare verba illa ſolum ſignificant, nihil ſe ſcire extra confeſſionem*. Quis autem veterum Theologorum docet, quod populus chriſtianus, dum audit hominem iurantem ſe neſcire crimen occultum, intelligat de hoc crimine quod ſcit occulte, vel ſub naturali ſigillo? Utique auctores reſtrictionis mentalis defendunt, hominem poſſe iurare ſe nihil ſcire quod ſcit occulte; ſed nemo dicere poteſt, quod populus chriſtianus eodem modo intelligat verba & hominis negantis notitiam criminis occulti, & Confeſſarii negantis ſe ſcire ea quæ audivit in confeſſione. Ergo, admiſſa ſententia defendente Confeſſarium ut Confeſſarium interrogatum, poſſe negare ſe ſcire quod vi confeſſionis ſcit; nemo hinc inferre poteſt, id quoque ceteris hominibus indiſcriminatim licitum eſſe: quia nec ceteri homines Dei, & hominis perſonam gerunt; nec populus chriſtianus eodem

modo

Digitized by Google

modo intelligit verba aliorum hominum, quemadmodum intelligit verba Confeſſarii: alioquin numquam interrogaret ceteros homines de veritatibus occultis; quemadmodum non interrogat Confeſſarium de rebus in confeſſione perceptis.

XVI. Ex his colliges, quam falſo recentes Caſuiſtæ ex paritate Confeſſarii eliciant excuſationem aliorum hominum a mendacio, dum negant ea quæ abſolute non debent manifeſtari. Colliges etiam permagni referre, rationem inquirere ob quam Confeſſarii a mendacio excuſentur; quamvis adverſarii dicant eſſe de nomine quæſtionem, quia vellent ipſi aſſignare rationem quæ omnibus eſſet communis. Sed iam ex dictis ſatis ſuperque conſtat, caſum Confeſſarii eſſe ſingulariſſimum ob duplicem perſonam, divinam, & humanam, quam gerit, & ob communem, atque univerſalem exiſtimationem populi chriſtiani. Colliges tandem, quam inane ſit commentum a recentibus quibuſdam excogitatum, nempe ideo Confeſſarium non mentiri, quia verba in hoc, aliiſque ſimilibus caſibus ſpoliantur quacumque ſignificatione: quæ imaginatio ſi ſolida eſſet, iam illi votorum fierent compotes, poſſentque excuſare omnia hominum mendacia prolata ob cuſtodiam occultæ veritatis magni momenti. Verum hæc omnia iam ſupra penitus convulſa ſunt.

XVII. Ut omnia quæ Confeſſarium ſpectant, in pauca redigamus, conſideranda propono duo. Primo quod, admiſſa contraria ſententia, concedente poſſe Confeſſarium preſſum a tyranno, ut confeſſionem revelet, cuſtodire ſigillum, negando, & iurando ſe nihil audiviſſe, nihil ex ea inferatur in favorem ceterorum hominum. Secundo quod vera, & in praxi amplectenda ſit ſententia quam nos tradidimus, & quæ ſponte fluit ex doctrina Auguſtini, Thomæ, omniumque Patrum: qui tametſi hunc caſum ſub tali circumſtantia, & preſſa interrogatione non examinaverint; ea tamen ſtatuerunt principia ex quibus evidenter eruitur ſententia noſtra.

XVIII. Tandem addo, Confeſſarium debere ſemper iniuſtam interrogationem reprehenſione apoſtolica repellere, ſive audierit, ſive non audierit delictum, de quo rogatur. Quid quod vel ipſe P. La Croix *Lib. VI. part.* 11. *num.* 1982. docet veram eſſe doctrinam hanc? Quod vero hic Auctor ſubdit, nempe non omnes Confeſſarios in praxi ſic procedere, nullius eſt momenti. Quoniam ſi ſententia noſtra verior, & tutior eſt pro ſigilli cuſtodia; numquid falſa evadit, eo quod Confeſſarii minus periti contraria via incedunt? Porro non modo ſententia noſtra verior, & ſecurior eſt, ſed in aliquo caſu unice neceſſaria, ut fatetur ipſe P. La Croix *num.* 1983. qui docet, Confeſſarium interrogatum, an pœnitens confeſſus ſit peccatum, quod eſt *notorium*, non debere negare, ne ſacrilegii ſuſpectum reddat pœnitentem; neque adfirmare, ne ſigillum violet.

XIX. Quid, ſi idem Confeſſarius de peccato occultiſſimo eiuſdem pœnitentis inter-

terrogetur? Negare debet iuxta P. La Croix, alioſque Caſuiſtas ſe audiviſſe. Idem ergo Confeſsarius uno modo cuſtodiet ſigillum peccati occulti, & alio modo cuſtodiet ſigillum peccati notorii. Et poſtea audent dicere, noſtram alioquin veriſſimam ſententiam non poſse ad praxim reduci: quia non omnes Confeſsarii utuntur hac libera reſponſione? Timent varietatem reſponſionum in diverſis Confeſsariis; & eodem tempore docent varietatem reſponſionum in eodem Confeſsario, ac reſpectu eiuſdem pœnitentis?

XX. Ultimo hæc tene. In nullo caſu eſt neceſſaria negatio pro cuſtodia ſigilli. In aliquibus caſibus ſola repulſio interrogationis, ſeu reprehenſio, fatentibus omnibus, cuſtodire valet ſigillum. Uniformitas reſponſionis magnopere confert ad maiorem, ſecurioremque ſigilli cuſtodiam. Ergo reprehenſio ſola ſemper eſt adhibenda. Uniformes ergo ſint Theologi in ſcribendo de hac quæſtione; & uniformes erunt Confeſsarii in ſuis reſponſionibus. Tibi ne omnes faſces ſubmittent? Non mihi, ſed veritati.

XXI. Iuſta quoque, ac prudenti repulſione uti debent ſecretarii Principum, tribunalium Quæſitorum fidei, & ſimiles miniſtri ſigillo devincti. Solemnis penes omnes gentes, ac ſacroſancta ſemper habita fuit ſecretorum Reipublicæ cuſtodia. Papyrius, referente Aulo Gellio ex Marco Catone *Lib. I. noct. Att.* ſummum ſibi comparavit honorem, eo quod ex Senatu cum patre rediens matrem avidiſſime percontantem, quid in Senatu actum fuiſset, excogitato mendacio deluſit: quam ob cauſsam dictus fuit Prætextatus, ideſt abſconditus, ceterique pueri Romani Prætextati deinceps nuncupati fuere.

XXII. Quandonam vero etiam cum vitæ diſpendio debeant eiuſmodi ſecreta ſervari, alibi explicabitur. Nunc obiter dicimus, ſecretum in religionis negotio, & in re gravi ſervandum eſse, etiamſi mori oporteret. Quare ea quæ tractantur in Conciliis, in foro ſacro adverſus hæreticos, ſumma vigilantia ſunt occultanda. Miniſtri Principum, & Rerumpublicarum etiam cum vitæ diſpendio ſervare ſecreta gravis momenti debent. Privati quoque ſubditi ea ſecreta quæ vergunt in bonum publicum, cuſtodire tenentur, etiam in mortis conſpectu; ſecus ea quæ ſpectant privata negotia, ad quæ ſervanda cum vitæ periculo non obſtringuntur. Aliter de miniſtris ſtipendio ductis ſentiendum eſt. Si plura cupis, conſule doctiſſimum Soto *de tegend. ſecr.*

CA-

CAPUT III.

An reus præter iuris ordinem interrogatus negare cum iuramento poſſit delictum occultum.

I. QUia caſus de reo non legitime interrogato ſatis celebris eſt, ideo ipſum ſigillatim in hoc capite diſcutiendum ſuſcepi. Omnes fatentur, reum iuridice, ſeu ſervatis iuris formulis interrogatum debere ſub mortali confiteri veritatem iudici interroganti; conſequenter non poſse tunc uti quacumque etiam externa amphibolia. Tota ergo difficultas eſt de reo non legitime interrogato. Et quamvis hæc quæſtio locum ſuum habeat in tractatu de iuſtitia, & iure; nihilominus congruum duxi hic eam delibare, eo quod adverſarii illam urgeant, ut reſtrictiones mentales defendant.

II. Plurimi recentiores Caſuiſtæ docent, reum non iuridice interrogatum negare ſe commiſiſse delictum occultum, & iuramento negationem firmare poſse. P. Patritius Sporer *tract.* III. *in* 2. *præcep. Decal. cap.* 1. *ſec.* 3. *reg. gen. num.* 120. docet, reum non legitime interrogatum poſse cum iuramento negare ſe crimen aliquod commiſiſse quod revera commiſit, utendo amphibologica locutione, quam vocat primæ, & ſecundæ ſpeciei, ideſt quæ ſit externa, & non interna. Hanc opinionem communem vocat, & pro eadem præcipuos Auctores citat, *Leſſium*, & *Sanchez*. En evidentiſſimum argumentum quod non pauci recentes Caſuiſtæ voces tantum propoſitionum damnatarum varient; ſed eamdem doctrinam defendant. Leſſius, & Sanchez ſunt potiores Auctores reſtrictionum pure mentalium: ideo dicebant, reum poſse negare, reſtringendo mentaliter *ad dicendum*, quia putabant reſtrictionem pure mentalem eſse licitam. Felix Poteſtas *Tom. I. cap.* 11. *in* 2. *præcep. Decal. num.* 1735. ſententiam eamdem defendit. Buſembau *Lib. IV. dub.* 7. *art.* 1. Illius Commentator La Croix *Lib. III. part.* 1. *cap.* 11. *num.* 288. ſubobſcure quidem, ſed magis caute loquitur. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 1. *punct.* 2. *§.* 3. *num.* 118. referunt D. Thomam docere 2. 2. *quæſt.* LXIX. *art.* 1. poſse teſtem reſpondere iudici non legitime interroganti ſe neſcire delictum quod revera ſcit. Hanc falſam Salmanticenſium narrationem tranſcripſit Conſtantinus Roncaglia in *Nota ad diſſert.* XLIV. *Natal. ab Alex.* Si enim Auctores iſti D. Thomam legiſsent, oppoſitum aperte illum docere inveniſsent.

III. Et, ut reſolutioni viam aperiamus, D. Thomæ verba iſthuc tranſcribenda ſunt. Et primum S. Thomas in *quæſt.* LXIX. non de teſte, ut volunt Salmanticenſes, ſed de reo agit. En illius verba quæ habet cit. art. 1. in corp. *Si vero iudex hoc exquirat quod non poteſt ſecundum ordinem iuris, non tenetur ei accuſatus reſ-*

reſpondere; ſed poteſt vel per appellationem, vel aliter licite ſubterfugere: mendacium tamen dicere non licet.

IV. Ut hac D. Thomæ doctrina quodcumque effugium præcludam, quæro ab adverſariis, an liceat reo in ſui defenſionem proferre mendacium. Abſit, uno ore reſpondent. Quæro, an reus non iuridice rogatus poſſit, ſi velit, dicere mendacium, ſeu reſpondere cum mentali reſtrictione. Quis de hoc dubitat? Liber eſt ad bonum, & ad malum. Quæro, an valeat alio modo, vel alia via mendacium proferre, & cum reſtrictione mentali reſpondere, niſi reſpondendo, *Non commiſi delictum*, reſtringendo mentaliter *ad tibi dicendum*. Illa locutio, *Non commiſi delictum*, abſolute prolata a reo non legitime interrogato, cum deliberata voluntate celandi delictum, eſt mendacium, nec ne? Si negas, doce, quomodo reus mentiri valeat. Fortaſſe debet reus intentionem habere fallendi iudicem; non occultandi, & defendendi ſe ipſum? Sed hoc ineptum commentum eſt, quod a Theologis improbatur, & maxime a D.Thoma 2.2.quæſt. cx.art. 1. in corp. *Quod autem aliquis intendat falſitatem in opinione alterius conſtituere fallendo ipſum, non pertinet ad ſpeciem mendacii, ſed ad quamdam perfectionem ipſius*: alioquin ad fornicandum intentio fornicandi, ad furandum intentio furandi, ad blaſphemandum intentio blaſphemandi requireretur. Ediſſere ergo, quomodo reus mentiri valeat, niſi dicendo, *Non feci, non commiſi*. An requiritur quod proferat verba, *Non feci*, abſque reſtrictione *ad tibi dicendum?* Sed hæc reſtrictio verba non variat. Si ante reſtrictionem illa verba conſtituunt mendacium, etiam ſub præfata reſtrictione, a qua nullo modo variantur, mendacem efficiunt locutionem. At illa reſtrictio, inquis, non eſt pure mentalis, ſed externa: quia in talibus circumſtantiis illegitimæ interrogationis intelligitur reum neſcire ad dicendum. Egregie. Doce ergo, quomodo in talibus circumſtantiis reus poſſit & mentiri, & reſtrictionem *pure* mentalem efformare. Iam ad incitas es redactus. Vel ergo fateri debes, reum contra iuris ordinem interrogatum poſſe mentiri, & puram reſtrictionem mentalem formare; aut concedere debes hanc locutionem, etiam in talibus circumſtantiis prolatam, *Non feci, non commiſi*, ſubintelligendo *ad dicendum, ad manifeſtandum tibi*, eſſe puram putamque reſtrictionem mentalem, & conſequenter mendacium. Alias ſane reſtrictiones pure mentales excogitare neſcierunt Leſſius, & Sanchez. Ad ſolum Tamburinum recurrere potes. Solus ille alias excogitavit. Nimirum reſtringere poteſt reus: *Non commiſi homicidium nudus, ſed veſtitus*. Ob hoc tamen nec Tamburinus ipſe negat hanc reſtrictionem, *Non commiſi ad dicendum*, eſſe pure mentalem. Placet quæ diximus, confirmare auctoritate doctiſſimi viri Dominici Soto Lib. V. de iuſ. & iur. quæſt. vi. art. 2. *Quod autem liceat ei dicere ſe non feciſſe, nullatenus eſt ſuſtentabile.... quoniam nulla amphibologia valet eiuſmodi reſponſa mendacio excuſare. Et eſt mihi apertiſſima demonſtratio hæc, quod, ſi illud*

non eſſet mendacium, vana tunc fuiſſet cura, & ſollicitudo omnium Doctorum admonendi, non licere neque pro vita ſervanda in iudicio mentiri : quia nullum aliud mendacium cavere volunt quam hoc quo quis aperte negat ſe feciſſe quod fecit. Aſſignent quæſo, recentes Caſuiſtæ, concedentes licitum haud eſſe in iudicio mentiri, quodnam mendacii genus ſit ibi vetitum præter iſtud, *Non feci, non commiſi, neſcio.*

V. Falſa ergo omnino eſt ſententia Sporer, Buſembau, & plurium Caſuiſtarum. At, quod magis horrorem ingerit, eſt Auctores iſtos non ſolum docere, poſſe reum negare ſe perpetraſſe delictum (qua in hypotheſi eſſet ſolum periculum mendacii officioſi) ſed aſſerere, inſuper poſſe reum *iuramento* firmare ſuam negationem. Quare, cum omni ſtudio periurium, & periurii periculum vitandum ſit, iſtorum opinio prorſus eſt reiicienda. Quod ut firmius præſtes, adverte, Auctores qui a novis Caſuiſtis in propriæ ſententiæ præſidium laudantur, eſſe illos qui docebant licitas reſtrictiones *pure* mentales. Patres omnes oppoſitum apertiſſime docuerunt; quin laudatus *SOTO* adverſus Hadrianum, qui obtrudebat pro contraria ſententia omnes Doctores, loco citato ſcribit ſe neminem vidiſſe qui ſuo tempore id doceret.

VI. Pluribus aliis omiſſis rationibus, & auctoritatibus, quibus evincere poſſem; falſiſſimam eſſe recentiorum opinionem, ut brevitati ſtudeam, ſolam D. Auguſtini manifeſtiſſimam deciſionem in medium promam. Verſat hanc quæſtionem Auguſtinus *Lib. de mend. cap.* XIII. his verbis. „ Quid, ſi de iuſto atque innocente, u- „ bi lateat, ſciens a iudice interrogeris, qui tamen ad mortem a maiore poteſta- „ te iuſſus eſt rapi, ut ille qui interrogat, executor ſit legis, non conditor? *An* „ *ideo non erit falſum teſtimonium, quod pro innocente mentieris, quia nec ille iudex,* „ *ſed executor interrogat? Quid, ſi ipſe conditor legis interroget, aut quilibet iudex* „ *iniquus ad ſupplicium quærens innocentem? Quid facies? Falſus teſtis, an proditor* „ *eris?* An ille proditor qui iuſto iudici latentem homicidam ultro detulerit; & „ ille non erit qui iudici iniuſto, ubi lateat innocens, quem quærit occidere, in- „ terroganti indicaverit eum qui ſe fidei eius commiſerat? An inter crimen falſi „ teſtimonii, & proditionis dubius, incertuſque remanebis? An tacendo, vel pro- „ fitendo te non eſſe dicturum, certius utrumque vitabis? Cur ergo non hoc fa- „ cies & priuſquam ad iudicem venias, ut caveas etiam mendacium? Evitato „ enim mendacio, omne teſtimonium falſum effugies, ſive omne mendacium ſit „ falſum teſtimonium, ſive non omne . . . . Quanto ergo fortius, quanto excel- „ lentius dices : Nec prodam, nec mentiar? Fecit hoc Epiſcopus quondam Taga- „ ſtenſis Eccleſiæ Firmus nomine, firmior voluntate . . . Sed venitur aliquando „ ad huiuſmodi articulum, ut non interrogemur, ubi ſit ille qui quæritur, neque „ cogamur ut eum prodamus, ſi ſic eſt occultatus, ut inveniri facile niſi prodi-

„ tus

Digitized by Google

„ tus nequeat; ſed quæritur a nobis, utrum illo loco ſit, an non ſit. Ubi, ſi eſſe ſcimus, tacendo eum prodimus, vel etiam dicendo, nequaquam nos eſſe dicturos, utrum ibi ſit, an non ſit. Ex hoc enim colligit ille qui quærit, ibi eum eſſe; ubi ſi non eſſet, nihil aliud ab eo qui mentiri nollet, nec hominem prodere, niſi eum non ibi eſſe reſponderetur. Ita per noſtram vel taciturnitatem, vel talia verba homo proditur, ut intret qui quærit, ſi poteſtatem habet, & inveniat eum : qui tamen ab eius inventione noſtro mendacio poſſet averti. Quapropter ſi neſcis ubi ſit, nulla eſt cauſſa occultandæ veritatis, ſed te neſcire fatendum eſt. Si autem ſcis ubi ſit, ſive ibi ſit ubi quæritur, ſive alibi, non eſt dicendum, cum quæſitum fuerit, utrum ibi ſit, an non ſit, *Non dico quod quæris*; ſed dicendum, *Scio ubi ſit, ſed numquam monſtrabo*. Nam, ſi de uno loco non reſpondeas, & te non eſſe proditurum fatearis, tale eſt ac ſi eumdem locum digito oſtendas." Adeo clara eſt Auguſtini ſententia, ut explicatione non egeat : & ideo referre omitto quæ habet *Lib. cont. mend.* variis in locis, potiſſimum *cap.* XVIII.

VII. Eſt ergo tum ratione, tum Patrum auctoritate firmata, & demonſtrata ſententia noſtra, qua ſtatuimus, reum minime poſſe negare ſe commiſiſſe, feciſſe &c. quod fecit; etiamſi præter iuris ordinem interrogetur. In eius tamen confirmationem placet aliam D. Thomæ auctoritatem afferre ex eadem quæſt. art. 2. *Sic ergo reo qui accuſatur, licet ſe defendere, veritatem occultando, quam confiteri non tenetur, per aliquos convenientes modos, puta quod non reſpondeat ad quod reſpondere non tenetur. Hoc autem non eſt calumnioſe ſe defendere; ſed magis prudenter evadere. Non autem licet ei vel falſitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur : neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhibere : quia fraus, & dolus vim mendacii habent. Et hoc eſt calumnioſe ſe defendere.*

VIII. Quid ad hæc recentiores Caſuiſtæ? Quænam eſt illa falſitas quæ reo præter iuris ordinem interrogato non liceat? Non ſane alia, niſi ea qua reus occultare poſſet crimen ſuum. Qui dolus, quæ fraudes, vim mendacii habentes, vetitæ illi ſunt? Non profecto aliæ, niſi reſtrictiones illæ mentales quæ ex definitione Eccleſiæ mendacia ſunt. An hic locum habere poteſt vaniſſimum illud commentum, ſcilicet eiuſmodi reſtrictiones ſub his circumſtantiis iniuſtæ interrogationis non eſſe internas, ſed externas. Hoc certe & ex iis quæ dicta ſunt, & ex hac D. Thomæ auctoritate convulſum remanet, taliterque contritum, ut ſuperfluum ſit quidquam addere. Quoniam aut nullum mendacium, nullæque pure mentales reſtrictiones prohibentur reis non iuridice interrogatis; aut falſa eſt recentiorum Caſuiſtarum opinio. Primum eſt contra doctrinam omnium Patrum, & Theologorum, ac ipſorum recentiorum, fatentium numquam licere ſive mendacium, ſive reſtrictiones pure mentales. Ergo verum ſecundum, nempe falſam eſſe

iſtorum opinionem, qua ſtatuunt, reum illegitime interrogatum negare poſſe ſe commiſiſſe quod reipſa perpetravit.

IX. Cum ergo certum firmumque ſit non poſſe reum negare crimen occultum, quando præter iuris ordinem interrogatur; & cum e contrario certum quoque ſit eum non teneri ad manifeſtandum præfatum delictum, & veritatem revelandam: quid, quæſo, ei agendum, quomodo ſe gerere debet? Iam ex D. Auguſtino, & D. Thoma, quomodo ſe gerere debeat eiuſmodi reus, patet. Primum poteſt eludere iudicium tacendo. Si hoc non valeat, appellare debet ad alium iudicem. Si hoc fieri nequeat, poteſt uti locutione amphibologica, quæ duplicem ſenſum verum vi verborum contineat; ſi tamen talis locutio occurrat, & interrogatio excipiat reſponſionem amphibologicam: non enim omnes, ut iam diximus, interrogationes reſponſa admittunt amphibologica. Si nulla ex aſſignatis viis ſatis ſit ad evadendum iniuſtum iudicium, poterunt rei eiuſmodi ſe antiquorum tegere clypeo, quem deſcribit Sotus de iuſt. Lib. V. quæſt. VI. art. 2. concl. 7. *Poſſunt, ac debent ſic contra ius requiſiti, quacumque uti amphibologia, quam uſitatus ſermo citra mendacium ferre poſſit. Nam, ſi talia verba verum ſenſum nullatenus admitterent, mendacium parerent, quod nullatenus licet. Equidem antiquus Doctorum clypeus ille erat, ut interrogatus diceret: Nego propoſita ut propoſita. Et revera inter ſinceros iudices illa eſſet legitima reſponſio.* Plura alia de reo, & de teſte in *tract. de iuſt. & iur.* fuſius dicturi ſumus. Hæc proinde nunc ſufficiant contra reſtrictiones mentales.

CAPUT IV.

Plura quæſita de variis iuramentorum generibus reſolvuntur.

I. QUoniam fuſo calamo impugnavimus doctrinam reſtrictionum mentalium, & æquivocationum quæ a reſtrictione pure mentali non differunt; ſupereſt ut, poſt explicatos duos caſus, Confeſſarii, & rei in iudicio, qui non levem præferunt difficultatem ob recentiorum quorumdam ſubtilitates, ceteros caſus omnes quos ipſi reſolvere ſolent conformiter ad ſuam doctrinam, nos revocemus ad ea quæ tradidimus principia. Hac enim ratione inutilis non erit, nec nimis prolixa diſputatio noſtra.

II. Quæſt. I. *An adultera poſſit cum iuramento negare ſe commiſiſſe adulterium quod reipſa commiſit, cum a marito interrogatur?* Reſp. Recentiores adfirmative communiter reſpondent. Sanchez *Lib. III. cap. VI. num.* 41. ubi hæc habet: *At tenendo noſtram ſententiam, numero decimo quinto relatam, verius eſt id licere.* Porro Sanchez

num.

Digitized by Google

num. 15. docet ſententiam de reſtrictione pure mentali damnatam ab Eccleſia, ut evidentiſſime probatum eſt. Ergo omnes recentiores, docentes cum P. Sanchez præfatam opinionem, docent opinionem damnatam. Porro hanc ſententiam docent Leander *tract.* 1. *diſp.* xlv. *quæſt.* xxv. Antonius a Spiritu ſancto *tract.* v. *diſp.* 1. *ſec.* 9. *num.* 56. Caſtropalaus *tract.* xiv. *diſ.* 1. *punct.* 7. *num.* 5. *ver. Decimo tertio mulier*, Bonacina *diſp.* iv. *quæſt.* 1. *punct.* 12. *num.* 5. *ver. Sexto adulteram*, Azorius *Lib. XI. cap.* iv. *quæſt.* v. *regula* 3. P. Cardenas in *Criſi diſſ.* xix. *cap.* vi. *num.* 69. dicit, *mulierem negare poſſe adulterium, intelligendo idololatriam*. P. Sporer *tract.* iii. *in* 2. *præc. Decal. cap.* 1. *ſec.* 3. *num.* 120. P. Felix Poteſtas *Tom. I. par.* 2. *num.* 1648. in eamdem propendit opinionem, & plures alii recentiores.

III. Relatam opinionem in propoſitione damnata contineri, mihi evidens eſt: Quoniam mulier adultera ſic a marito interrogata mentiri non poteſt licite, ut omnes fatentur. Sed mentiri alio modo non poteſt, niſi dicendo, *Non commiſi adulterium*, quod perpetravit: nec alio modo *pure* mentali reſtrictione poteſt crimen occultare. Vide quæ dicta ſunt *cap. præced.* Quomodo ergo ſe gerere debet adultera, gladio diſtricto a marito petita, ut adulterium confiteatur? Poteſt, inquit Soto *de teg. ſecr. memb.* iii. *quæſt.* iii. *concl.* 7. iurare ſe non fregiſſe matrimonium. Poteſt etiam dicere: Quomodo fidem dabis dictis eius quam non credis ſervaſſe fidem tori? Sed plures ſunt, addit Soto paullo poſt, hominum nequitiæ, quam ut omnibus poſſit obviam iri. *Ob idque in tali caſu mori opus eſt, quemadmodum ſi tyrannus mihi comminaretur mortem, niſi peierarem, aut leviſſime mentirer, mortem prius deberem oppetere quam mentiri.* Hanc noſtram ſententiam docet D. Auguſtinus apertiſſime *Lib. cont. mend. cap.* xxi. Salmanticenſes *tract.* xvii. *cap.* ii. *punct.* 8. *num.* 144. & omnes Theologi qui vere improbant reſtrictiones *pure* mentales, ut aiunt vel ipſimet Salmanticenſes. Quare hæc noſtra ſententia certa eſt, contraria falſa. Sed benigniſſimos Caſuiſtas terret ſanguinis effuſio, vitæ iactura. Duo illi aſſequi vellent. Primum vitam in tuto collocare; deinde a mendacii malitia purgare mendacium.

IV. Quæſt. II. *An interrogatus, num veniat e tali civitate, quæ falſo exiſtimatur peſte infecta, poſſit iurare ſe non venire ex eadem, ſubintelligendo, ex eadem ut infecta peſte?* Reſp. Communiter reſpondent adfirmative recentiores. Leander *tract.* 1. *diſ.* xliv. *quæſt.* xiii. ubi citat Sylveſtrum, Navarrum, Toletum, Azorium, Sayrum, Leſſium, Sanchez, Bonacinam, Filliucium, Palaum, Candidum, Trullenchum, Villalobos. Eam quoque docent Salmanticenſes *loc. cit. num.* 141. Sporer *loc. cit. num.* 122. Immo addit Sporer cum Toleto, & aliis, talem iurare poſſe ſe non tranſiiſſe, quamvis locus reipſa peſte eſſet infectus; ſi tamen ita celeriter tranſiiſſet, ut nihil luis ſe contraxiſſe crederet. Quid laxius dici poſſit, non video. Nos ergo reſpondemus negative: quia talis reſponſio eſt purum putumque

Digitized by Google

mendacium. Adde, non apparere graviſſimam cauſſam confirmandi iuramento talem reſponſionem, etiamſi locutione amphibologica conſtaret. Nec enim cauſſa quæ ſufficit ad amphibologiam, ſufficit ut licite iuramentum addatur: quoniam locutio amphibologica confirmari iureiurando nequit.

V. Quæſt. III. *An Clericus deferens mercem gabellæ ſubiectam, interrogatus poſſit iurare, ſe eam non ferre?* Reſp. Reſponſio communis recentiorum eſt affirmativa. Sporer *loc. cit. num.* 121. Leander *loc. cit. quæſt.* xv. & penes eum Sanchez, Suarez, Filliucius, Trullenchus, Sylveſter, Diana. Laudat quoque D. Antoninum, qui de iuramento nec verbum habet. Negativa ſententia vera eſt, tum ob rationes iam datas, tum ob ſcandalum quod ſuapte natura parit talis reſponſio. Laici enim exiſtimant, ſe poſse interrogare Clericos: & quamvis dignitas clericalis ſit externa, & poſſit videri ſufficiens ad determinandam reſponſionem in vero ſenſu; nihilominus non videtur a mendacio hæc reſponſio excuſanda. Iuramentum vero additum omnino illicitum eſt.

VI. Quæſt. IV. *An qui probabilem cauſſam habet occultandi creditoribus aliqua bona, poſſit uti reſtrictione mentali, & iurare ſe non occultaſſe?* Reſp. Adfirmative reſpondent Leander *loc. cit. quæſt.* xvi. & apud ipſum Sanchez, Bonacina, Candidus, Bannez, Palaus, & alii, quos in re aperte falſa legere non lubet. Eam quoque defendit Antonius a Spiritu ſancto *tract.* v. *diſ.* 1. *ſec.* 9. *num.* 56. Hæc ſententia duplici ex capite falſa eſt. Primo quia occultatio, ſeu compenſatio privata tum ſolum licita ſecundum plures poteſt eſse, quando quis certus omnino eſt abſque controverſia rem illam ſibi deberi (non ſufficit ius ſolummodo probabile) nec via adeſt illam recuperandi. Secundo falſa eſt, quia mendacium, & periurium certiſſime continet. Ideo reſponſio noſtra vera eſt negativa.

VII. Quæſt. V. *An debitor pauper, qui accepit pecunias, & ob paupertatem nunc eas ſolvere nequit, preſſus a creditore ut ſolvat, poſsit iudici interroganti iurare ſe pecunias illas non accepiſſe quas revera accepit?* Reſp. Adfirmative reſpondet Leander *loc. cit. quæſt.* xvii. Sanchez *num.* 32. Trullenchus *num.* 10. Diana *reſol.* 30. & alii. Huius opinionis falſitatem nemo non videt. Reiicitur ergo hæc opinio, tamquam omnino improbabilis, & falſa.

VIII. Quæſt. VI. *An qui nummos mutuo acceptos ſolvit, poſsit in iudicio negare ſe illos accepiſſe?* Reſp. Adfirmat Leander *loc. cit. quæſt.* xviii. & cum ipſo Azorius, Suarez, Covarruvias, Diana, Trullench, Filliucius, Bonacina, ab eodem Leandro citati, & poſt hos Antonius a Spiritu ſancto *tract.* v. *diſp.* 1. *ſec.* 9. *num.* 54. quin apud ipſum Mazzuchellus addit, poſſe debitorem hunc falſificare ſcripturas privatas, ut probare poſſit ſuam ſolutionem factam. Hæc opinio falſa eſt, & ſcandali plena. Nec rationibus confutari indiget, cum ſeipſa corruat.

IX. Quæſt. VII. *An negare quis poſsit licite iudici interroganti fundum eſſe ſuum, quan-*

Digitized by Google

quando non totus, ſed pars tantum ſua ſit; vel accepiſſe centum mutuo, ſi ex illis ſolverit quinquaginta? Reſp. Adfirmat Leander *loc. cit. quæſt.* xx. & apud ipſum Sanchez, Palaus, Bonacina, & alii. Contraria ſententia vera eſt. Qui negat fundum eſſe ſuum, totum fundum negat; atque adeo reſponſio falſa, & iuramentum appoſitum periurium eſt. Pariter qui totam ſummam negat, excludit etiam quinquaginta nummos quos debet. Et quidem aliquam æquivocationem excipere poteſt illa interrogatio, ſi fiat per verbum *debeo*: v. g. ſi dicat iudex, *Debes ne centum nummos Petro?* tu vero reſpondeas, *Centum non debeo*: verum dicis, cum non debeas niſi quinquaginta. At, ſi interrogatio fiat hoc modo, *Accepiſti ne centum a Petro?* Reſpondere minime potes te non accepiſſe centum, cum reipſa acceperis; licet ſolveris quinquaginta: quia negas factum veriſſimum. Nec ſolutio facta quinquaginta nummorum efficit quin acceperis centum. Reſponſio ergo noſtra eſt, te minime negare poſſe illam acceptionem, fundique poſſeſſionem.

X. Quæſt. VIII. *An creditor, qui virtute inſtrumenti publici exigit debitum, cuius pars ſoluta eſt, poſſit iurare integram ſummam ſibi deberi, quando alio titulo tantumdem reipſa ſibi debeatur, illudque alia via recuperare nequeat?* Reſp. Adfirmative reſpondent Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 8. *num.* 143. Antonius a Spiritu ſancto *loc. cit. num.* 53. Leander *loc. cit. quæſt.* XXI. Sanchez *Lib. III. cap.* VI. *num.* 36. Palaus *loc. cit.* Bonacina *diſp.* IV. *punct.* 12. *num.* 4. Trullenchus *Lib. II. cap.* 1. *dub.* 15. *num.* 10. Diana, & alii. Nos cum diſtinctione reſpondemus. Si creditor in iudicium producat inſtrumentum præfatum, & vi talis inſtrumenti evincat ſibi ſummam illam deberi integram, cuius tamen media pars ſoluta ſibi eſt, mentitur, & peierat, ſi iurat integram illam ſummam ſibi deberi: quia lis tota eſt de ſumma contenta in inſtrumento; de alia ſumma ſibi debita vi alterius tituli, nulla eſt controverſia; cum, ut fatentur adverſarii, nulla ratione creditor iſte evincere poſſit illam ſummam ſibi deberi. Omnes itaque circumſtantiæ determinant iuramentum, & reſponſionem ad affirmandum ſibi deberi integram ſummam quæ eſt in inſtrumento in iudicium producto. Ergo reſtrictio eſt pure mentalis. Ergo creditor perſurium, & mendacium committit, quoties affirmat, & iurat, vi illius inſtrumenti integram illam ſummam ſibi deberi; cum pars, vel tota ſoluta ſit: licet alio titulo ſibi tantumdem debeatur. Et hoc in ſenſu hanc opinionem adverſarii defendunt. Si enim creditor iurare poſſet ſummam quæ indicatur in inſtrumento, ſibi deberi; & aliquæ circumſtantiæ forent quæ rationabiliter indicarent, locutionem creditoris cadere ſupra aliam ſummam diverſo titulo debitam: forte tunc adeſſet aliquod fundamentum pro licita amphibolia. Sed, ut dictum eſt, cum omnes circumſtantiæ determinent locutionem tum iudicis interrogantis, tum creditoris iurantis ad affirmandam ſummam quam ſolvere vi illius inſtrumenti debitor tenetur; planum eſt adverſariorum ſententiam eſſe falſam,

B iiii quo-

quoniam innititur reſtrictioni *pure* mentali. Et reipſa Salmanticenſes, aliique uſtimi Scriptores eam exſcripſerunt a Leſſio, Sanchez, Palao, Leandro, aliiſque Auctoribus reſtrictionum *pure* mentalium defenſoribus. Mentitur ergo, & peierat creditor iſte, ſi iurat totam illam ſibi deberi ſummam.

XI. Quæſt. IX. *An poſſis petenti pecuniam mutuo, vel librum commodato, negare cum iuramento te pecuniam, vel librum habere, etiam quando mutuum eſt aliquo modo debitum, ſubintelligendo, ut tibi mutuo, aut commodato dem?* Reſp. Adfirmat Sanchez *Lib. III. cap.* VI. *num.* 43. Navarrus *in Summ. cap.* XII. Leander *loc. cit quæſt.* XXII. & apud ipſum Rodriquez, Diana, Sayrus, Salon, Millhardus, Bonacina, Palaus, Candidus, Trullenchus, & alii, ſive mutuum debitum, ſive non debitum ſit. Hæc opinio innititur unico fundamento reſtrictionis *pure* mentalis, quam Eccleſia damnavit: & ideo damnata dicenda quoque eſt præfata ſententia, ut vel ipſi adfirmant Salmanticenſes *loc. cit. num.* 145. Sporer *loc. cit. num.* 125. Sive ergo mutuum debitum aliquo modo, ſive nullo modo ſit; nequis abſque mendacio, & periurio iurare te non habere, cum habeas. Reſtrictio enim illa, *ad tibi dandum*, eſt pure mentalis.

XII. Quæſt. X. *An ſcholaſticus, ſive candidatus interrogatus a iudice, num locutus fuerit cum oppoſitoribus ad cathedram, vel illorum domus ingreſſus, poſſit negare, ſi verba, vel ingreſſus non fuerint ad ſubornandum?* Reſp. Abſolute reſpondent Auctores reſtrictionis mentalis, poſſe ſcholaſticum negare. At diſtinguendum eſt. Si ex circumſtantiis manifeſto conſtet iudicem interrogare de locutione ſubornante; poteſt ſcholaſticus reſpondere ad iudicis mentem, ſe locutum non fuiſſe de rebus ad cathedram pertinentibus. Si vero iudex abſolute interroget de locutione ut ſic, quemadmodum contingere ſolet; tunc ſcholaſticus negare licite nequit, quotieſcumque fuerit locutus. In aliquibus ſiquidem regionibus abſolute prohibetur colloquium, & ingreſſus in domum illorum qui opponere debent, ut periculum fraudum auferatur. Ideo abſolute quoque interrogare ſolent, num contra legem, vetantem quodcumque colloquium, locuti fuerint. Propterea reſponſio negativa mendax eſt, ſi locutio habita fuerit. Debet ergo ſcholaſticus fateri veritatem, ut evitet mendacium, & periurium; quidquid præter citatos dicant Salmanticenſes *loc. cit. num.* 142.

XIII. Quæſt. XI. *An adultera ſacramentaliter confeſſa adulterium, poſſit negare, & iurare ſe non commiſiſſe?* Reſp. Adfirmant plures Auctores. Sed, mea quidem ſententia, errant: quoniam neque negare poteſt ſe crimen illud commiſiſſe, quia revera illud commiſit; neque iurare ſe crimine illo carere, licet confeſſa illud ſit, eo quod non conſtet certo per confeſſionem factam remiſſum illud ſibi fuiſſe.

XIV. Quæſt. XII. *An coactus ad aliquam actionem, puta ad ducendam ſponſam, quam*

quam ducere non tenetur, iurare licite poſſit ſe illam ducturum, ſubintelligendo intra ſe, ſi ad id tenebor? Reſp. Adfirmant Auctores reſtrictionis mentalis. Sanchez *Lib. III. cap.* VI. *num.* 40. *&* 41. Palaus *tract.* XIV. *diſ.* 1. *punct.* 7. *num.* 13. Leander *tract.* 1. *de iuram. diſp.* XLV. *quæſt.* XXVI. & alii. Verum opinio iſthæc fetus eſt doctrinæ reſtrictionis *pure* mentalis: ideo falſa, & nullo modo probabilis. Idem eſto iudicium de aliis actionibus licitis quas ſub iuramento promiſiſti. Quare falſum quoque eſt quod laudati Doctores ſubdunt, nempe te poſſe per iniuriam coactum iurare, daturum pecuniam, ſubintelligendo, ſi debeas: eſt enim reſtrictio pure mentalis.

XV. Quæſt. XIII. *An mercatores qui iuſtum ab emptoribus pretium exigere nequeunt, iurare licite poſſint, tanti aut tanti ſibi mercem ſtare, licet revera tanti ſibi non ſtet, ſubintelligendo computatis omnibus expenſis; vel tanti ſibi ſtare, ſubintelligendo cum alia merce quam habent domi, vel alibi emerunt?* Reſp. Adfirmative reſpondet Leſſius *Lib. II. cap.* XLII. *dub.* 9. *num.* 46. Rebellus *Lib. IX. quæſt.* VII. *num.* 8. Bonacina *diſp.* IV. *de iuram. quæſt.* 1. *punct.* 12. *num.* 8. *&* *diſp.* III. *de contract. quæſt.* II. *punct.* 4. Caſtropalaus *diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 6. Leander *tract.* 1. *diſp.* XLV. *quæſt.* XXVII. qui citat Candidum, Trullench, & Villalobum. Animadvertas velim, quam ſit reſtrictio hæc mentalis a verborum prolatione diſtans. Iurare ergo ſecundum iſtorum doctrinam vales, tanti tibi ſtare hunc pannum, ſubintelligendo equum, queat ſimul cum panno emiſti? Quid ad ſinceritatem evangelicam deſtruendam validius? Nam, ne mercatores ſoli privilegio iurandi cum mentali reſtrictione potiantur, ſubdunt omnes citati Auctores, emptores quoque iurare licite poſſe ſimilem mercem minoris emiſſe, ſubintelligendo alio tempore. Puta, hoc anno triticum, vel vinum valet viginti, anno elapſo ſtabat quindecim. Dum hoc anno emis, ut venditorem urgeas ad vendendum parvo pretio, iuſto tamen abſolute, iurare potes te emiſſe quindecim; tametſi venditor intelligat hoc anno, tu vero ſubintelligas mentaliter anno elapſo. Et, ut nihil iſtius doctrinæ te fugiat, illud etiam conſidera, Theologos laudatos docere, te poſſe iurare cum tali reſtrictione, ut emptorem paratum vendere iuſto pretio, ſed ſupremo, inducas ad tibi vendendum pretio infimo. Hæc opinio aperte falſa eſt, & in propoſitionibus de mentis reſtrictione ab Eccleſia proſcriptis contenta. Eſt enim reſtrictio hæc *pure* mentalis, & conſequenter aſſertio mendax. Iuramentum additum periurium eſt, non ad vitam, aut patrimonium ſervandum prolatum; ſed ut res minori pretio ematur. Miraberis, poſt damnatas propoſitiones ab Eccleſia de mentis reſtrictionibus ſimilia doceri? Et unde, inquis, tanta in ſcribendo laxitas? Ex eo ſane potiſſimum ortum ducit quod commentatores propoſitionum damnatarum, ut P. Viva, P. De la Fuente, P. Caſnedi, P. La Croix, & alii doceant, præfatas propoſitiones haud eſſe proſcriptas ut ſunt in

San-

Digitized by Google

Sanchez, Leſſio, aliiſque plurimis Auctoribus, ſed tantum ut *iacent*. Hinc eſt quod eiuſmodi recentiores, legentes in Sanchez, Leſſio, Rebello, Bonacina, Moya, Excobario, Tamburino, & ſimilibus recenſitas quæſtiones, eas tranſcribunt, tamquam graviorum Doctorum innocuam doctrinam. Ad ſummum, quando denuo recuduntur citati Auctores, continentes aliquam ex damnatis propoſitionibus, propoſitio damnata ſignatur aliqua nota in margine, & italico charactere imprimitur. Innumeræ poſtea quæſtiones quæ ex doctrina in propoſitione proſcripta contentæ profluunt, ac neceſſario dimanant, ambabus ulnis ſuſcipiuntur. Si quam veriſſima hæc ſint, dignoſcere aves, illud obſerva, quod, cum recentes non pauci doceant propoſitiones a nobis hucuſque relatas, eas ſe exſcripſiſſe fatentur ex Bonacina, Sanchezio, Leſſio, Tamburino, Excobario, Moya, illiuſque ætatis aliis Theologis: qui, licet in aliis magni ſint faciendi, in morum tamen regulis tradendis frequenter errarunt. Hoc dictum eſt alias; dicendum tamen eſt ſæpius.

XVI. Quæſt. XIV. *An, quando opinio probabilis eſt, quod taxa alicuius rei ſit iniuſta, & propterea venditor falſis ponderibus, vel alio modo iniuſtitiam comdonſat, poſſit, ſi a iudice interrogetur, id totum negare, ſubintelligendo ſe iniuſtam rem non feciſſe?* Reſp. Quæſtionem hanc omnes communiter recentiores verſant: & quamvis ſimillima omnino, & eadem ſit ac præcedens; nihiloſecius eam proponere lubuit, ne Caſuiſtarum controverſias diſſimulare videar. Inter recentiores fuſo calamo eam pertractat P. Moya *tract.* II. *de Relig. diſp.* I. *quæſt.* VI. cuius occaſione multa excutit quæ non ſunt huius loci; & idcirco miſſa facio. Ad quæſtionem autem propoſitam reſpondet §. 2. ex ſuo P. Sanchez in *Sum. Lib. I. cap.* VI. *num.* 29. his verbis. *Quando taxa alicuius rei eſt iniuſta* (probabiliter) *ſi pluris vendens, aut defraudans in pondere, aut menſura; ita ut ſibi ſatisfaciat pro pretii iniuſtitia, & reddat correſpondentes merces pro pretio dato, poteſt hic rogatus a iudice, an pluris vendiderit, vel defecerit in pondere, & menſura, id negare, aſſerereque pretio taxato vendidiſſe; & integre pondus, & menſuram tradidiſſe, intelligendo hæc, ut pluris vendens, aut deficiens in pondere, & menſura non deliquerit.* En quam verum ſit quod ſæpe dixi, eiuſmodi Caſuiſtas etiamnum docere doctrinam damnatam ab Eccleſia, ut ego quidem arbitror, ſalvo meliore iudicio. Neque hæc dico, ut egregios Theologos offendam, ſed ut lectores periculo ſubducam. Quod Sanchez docuerit propoſitiones damnatas ab Eccleſia in materia reſtrictionum mentalium, eſt luce meridiana clarius, ut ſupra fuit oſtenſum. Sanchez illa univerſali doctrina plures caſus reſolvit: & recentiores, ut reſtrictiones iſtas mentales defendant, Sanchezii auctoritatem obtrudunt. Et ipſe Sanchezium colo, ceu egregium Theologum, & ſacrorum canonum ſcientia ornatum; ſed in hac materia illius doctrina proſcripta eſt; ideo nullius hic auctoritatis. Excu-

ſan-

Digitized by Google

ſandus autem celebris Theologus cum pluribus aliis qui ante proſcriptionem Eccleſiæ ſcripſere; ſed excuſandi minime ſunt recentiores non pauci, qui poſt pontificia oracula audent reſtrictiones mentales ſub variis thecnis propugnare. Moya pro hac ſua opinione laudat Dicaſtillum, Dianam, Leandrum, Angelum, Sylveſtrum, Navarrum, Azorium, Valentiam, Medinam, Soncinam, Sotum, Salonem, Rodriquez, Filliucium, Conradum, Laymanum, Reginaldum, Leſſium, Bonacinam, Zanardum, alioſque non paucos: quorum plurimi ſcripſere ante declarationem Eccleſiæ, alii docent oppoſitum, & alii, qui reapſe docent opinionem Moyæ, ſunt meri exſcriptores, quos inter non infimum locum tenet *Zanardus*, quem P. Moya magiſtrum ſapientem appellat, ut probabilitati pondus adiiciat. Sed, his miſſis, reſpondetur, reum eſſe periurii mercatorem qui, adulterata menſura, aut pondere, iudici legitime interroganti negaret ſe pondus, aut menſuram adulteraſſe. Nam, ut alias diximus, ſi eiuſmodi mercator vellet abſolute mentiri in iudicio, poſſet ne alia via mentiri, niſi negando ſe adulteraſſe menſuram quam revera adulteravit? Quam ſit falſa opinio Moyæ, & aliorum, ex iis quæ dicta ſunt, patet. Omitto alia quæ *loc. cit.* docet Moya, nempe licitum eſſe ob ſolam probabilitatem non ſervare *taxam* præfinitam a Principe. Qua opinione admiſſa, nil amplius ſtabile, & firmum in civili ſocietate. Nulla fere eſt menſura, nulla pretii taxa, quæ pluribus ob peculiares rationes iniuſta probabiliter non videatur. Iis igitur iuxta principia probabilitatis licitum erit eam taxam alterare. Quare hæc opinio regimini Reipublicæ infeſta omnino eſt, & exitialis. Hinc collige quam ſit vel ipſi Principatui perniciosa iuſto laxior Caſuiſtarum nonnullorum doctrina.

XVII. Quæſt. XV. *An licitum ſit uti iuramento amphibologico, quoties ſeſe offert honeſta cauſſa tegendi veritatem?* Reſp. Affirmative reſpondent Auctores reſtrictionum mentalium. Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 16. ubi alios Auctores laudat. Hæc opinio continetur in propoſitione damnata. Quoniam iuramentum amphibologicum, de quo loquuntur, eſt illius amphiboliæ quæ mere interna eſt, ut ex recitatis quæſtionibus patet.

XVIII. Quæſt. XVI. *An, dum interrogaris, ut omni æquivocatione ſubmota, & abſque ulla amphibolia ſincere veritatem manifeſtes, poſſis cum mentali reſtrictione iurare?* Reſp. Affirmative reſpondent Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſput.* 1. *punct.* 7. *num.* 16. Leander *tract.* 1. *diſp.* XLV. *quæſt.* XXXVII. & penes ipſos Bonacina, Suarez, Diana, Trullenchus: quia, inquit Caſtropalaus, *nulla propoſitio ita ample ſumi poteſt, quin aliquam reſtrictionem habere poſſis in mente.* Hæc doctrina eſt ne ab invidis delatoribus ad Sedem apoſtolicam traducta? Patet ne locus interpretationi de reſtrictione *interna*, & *externa*? Nonne conceptis verbis quamcumque excogitabilem mentis reſtrictionem ut licitam defendunt Auctores iſti; cum pro-

propugnent, te poſſe uti quacumque reſtrictione mentali vel in ipſa reſponſione in qua extrinſecus teſtaris & iuras te loqui, & iurare abſque ulla mentis reſtrictione ? In quo ethnico Scriptore tam corrupta doctrina ? Exemplum quod producit Caſtropalans de Confeſſario, alibi exploſum fuit ut ineptum : quoniam Confeſſarius Dei, & hominis perſonam gerit. An licitum erit homini, ut minori pretio emat mercem, eumdem loquendi modum, & phraſim uſurpare quam adhibet Confeſſarius, ut ſacramentale ſigillum cuſtodiat ? Sed de hoc fuſius alias.

XIX. Quæſt. XVII. *An idiotæ, hominesque litteris, & hac nova Theologia deſtituti, ſed avita chriſtiana ſinceritate imbuti, qui has amphibolias formare neſciunt, poſſint iurare, & veritatem occultare eo in ſenſu quem viri docti verum reputant ?* Reſp. Auctores reſtrictionum mentalium ſuſtinent, poſſe viros rudes negare, vel adfirmare in ſenſu quem Theologi verum reputant. *Quocirca ſufficiet ad excuſandum periurium iurare eo ſenſu quem vir doctus verum reperiet* : inquit Leander *tract.* I. *diſput.* xlv. *quæſt.* xxxviii. Similem doctrinam tradunt Caſtropalaus, Viva, & alii Auctores de uſuris agentes, ubi docent, minime neceſſe eſſe ut rudes ſciant varios contractus, ſeu verius dixerim, varios prætextus, quibus uſura tegi ſolet ; ſed ſatis eſſe ut intendant ex mutuata pecunia velle lucrari ſecundum aliquem modum quem viri docti excogitarunt. An non mirifica eſt doctrina iſthæc ? Quamquam enim poſſint homines rudes in pluribus controverſiis amplecti conſilium Theologorum ; an inde conſequitur eos poſſe & periuria, & uſuras perpetrare iuxta aliquem ex modis illis quibus recentiores Theologi & a periurii, & ab uſuræ malitia locutiones, & contractus præfatos excuſant ?

CAPUT V.

Reus iuridice interrogatus, cuique hæc iuridica interrogatio certo conſtat, tenetur ne fateri crimen, tametſi talem confeſſionem eiuſdem mors conſequatur?

I. VIX fuit aliquis ante probabiliſmi inventum qui adfirmantem ſententiam in dubium vocaverit ; ſed unanimi fere conſenſu antiquiores Theologi eam propugnarunt. At recentiorum Caſuiſtarum plures oppoſitam defendunt opinionem, aliquibus tamen conditionibus adiectis. Inquiunt ergo, reum obſtringi ad criminis confeſſionem, primum, ſi grave damnum ex tali confeſſione non immineat ; ſecundo, ſi crimen ita probatum ſit, ut nulla ſpes ſuperſit evadendi mortem. Ceterum, ſi ſolum præcedat ſemiplena probatio, quæ, licet ſatis ſit ut iu-

iudex iuridice interroget, non tamen ſufficit ad revincendum, damnandumque reum; tunc volunt non teneri reum iuridice rogatum ad delicti manifeſtationem. Alii docent, non obſtringi reum ad confitendam veritatem, ſi agatur de crimine per viam inquiſitionis, vel accuſationis, vel exceptionis. Alii ſuſtinent, reum teneri ad delicti confeſſionem, ſi iudex ex proprio procedat officio, & delictum notorium ſit, ac famoſum; ſecus, ſi iudex ad partis inſtantiam procedat. Verum, his omnibus dicendi modis relictis, ad probandam accedimus aſſertionem noſtram, videlicet *reum teneri ad manifeſtandam veritatem, quoties iuridice interrogatur; etiamſi veritate manifeſtata, capite plectendus ſit.*

II. Hanc noſtram ſententiam non modo antiqui Theologi fere omnes, ſed etiam graviores ex recentioribus tum Theologis, tum Canoniſtis propugnant. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxix. *art.* 1. D. Antoninus *III. Par. tit.* ix. *cap.* vii. *ſ.* 5. Paludanus *in IV. diſt.* xix. *quæſt.* iv. Caietanus *in* 2. 2. *quæſt.* lxix. *artic.* 1. Tabiena *verb.* Accuſatus *num.* 11. Sylveſter *verb.* Accuſat. *quæſt.* xiii. Armilla *verb.* Accuſ. *num.* 22. Sotus *de ſecr. memb.* ii. *quæſt.* vii. *concl.* 1. & *Lib. VIII. de iuſt. quæſt.* v. *artic.* 7. *ad* 4. Toletus *Lib. V. Summ. cap.* lviii. *num.* 3. Navarrus *in Manual. cap.* xviii. *num.* 57. Gabriel *IV. diſt.* xv. *quæſt.* vi. *art.* 2. *concluſ.* 6. Gomez *Tom. III. var. cap.* xii. Gregorius Lopez *Lib. IV. verſ.* Iuram. *tit.* xxix. *par.* vii. Archidiaconus *ſ. Item.* 22. *quæſt.* ii. Perez *Lib. VIII. ordinam. tit.* iv. Covarruvias *Lib. I. pract. qq. cap.* xviii. Philiarcus *de offic. Sacerd. Tom. I. par.* ii. *Lib. IV. cap.* xxv. Gutierrez *Canonic. Qq. Lib. I. cap.* xv. *num.* 15. Ledeſma *Tom. I. Summ. tract.* viii. *cap.* xiv. Graffis *I. Par. dec. cap.* vii. *num.* 16. Salon 2. 2. *quæſt.* lxix. *art.* 3. Sayrus *Clavis Reg. Lib. XII. cap.* xvi. Bannez 2. 2. *quæſt.* lxix. *art.* 1. Serra 2. 2. *quæſt.* lxix. *art.* 1. Azorius *Lib. XIII. cap.* xxv. Sanchez *Lib. VI. cap.* iii. *dub.* 29. Leſſius *cap.* xxxi. *num.* 12. Aragon 2. 2. *quæſt.* lxix. *art.* 1. Sylvius *in* 2. 2. *quæſt.* lxix. *artic.* 1. Candidus *diſ.* xxiii. *art.* 3. *dub.* 5. *&* 21. VVigandt *tract.* ix. *exam.* 5. *num.* 49. *quæſt.* iii. Salmanticenſes *tract.* xix. *append. cap.* vii. *punct.* 1. & diſcipuli D. Thomæ omnes, immo & extranei magis communiter.

III. Non alias in medium afferam rationes, quibus expoſitam ſententiam evincam, præter eas quas D. Thomas prodit loco laudato. Porro prima illius ratio eſt ex Scriptura deprompta. Siquidem illud quod Dei gloriæ repugnat, peccatum grave eſt. Occultatio autem veritatis iudici legitime interroganti, divinæ gloriæ gravem infert iniuriam, quemadmodum e contrario veritatis confeſſio in maiorem Dei gloriam cedit. Id clare patet ex Ioſue cap. vii. verſ. 19. *Et ait Ioſue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas.* Achan confeſſus eſt furtum, quod morte punitum fuit. *Vere ego peccavi Domino Deo Iſrael, & ſic, & ſic feci:* ibi verſ. 20. Confeſſione audita, Ioſue mortis ſententiam in reum dixit, *ibi verſ.* 25. ubi dixit Ioſue: *Quia tur-*

Digitized by Google

turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Iſrael. Habes hic iudicem interrogantem legitime reum de delicto capitali; habes quoque reum morte afficiendum ſuum confitentem crimen. Quod ſatis eſſe deberet, ſi res candide, & non ſophiſtice ageretur. Quamquam vero omne peccatum cum divina gloria pugnet, negatio tamen veritatis in iudicio ſingularem eidem irrogat iniuriam. Deus enim veritas eſt, & in veritatis enuntiatione potiſſimum ſplendet, ſicut in veritatis negatione plurimum offenditur.

IV. Secunda, & potiſſima D. Thomæ ratio ex Scriptura ſimiliter deprompta eſt, nempe ex D. Paulo epiſ. ad Roman. cap. XIII. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter CONSCIENTIAM.* His ultimis verbis potiſſimum, & fere unicum adverſariorum fundamentum ſubvertitur. Vult enim Apoſtolus nos obedire poteſtatibus, non ſolum propter pœnam, ſed etiam propter conſcientiam: quod & repetit ad Epheſ. VI. *Non enim ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ex animo cum bona voluntate.* Et D. Petrus Epiſ. I. cap. II. verſ. 13. *Subditi igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.*

V. Ex his divinis oraculis hanc concinnat Angelicus argumentationem. Qui contra iuſtitiæ debitum agit, mortaliter delinquit. Porro adverſus iuſtitiæ debitum omnino operatur qui ſuo ſuperiori legitime præcipienti obedire recuſat. Hæc enim inobedientia, iniuſtitia quædam eſt, tum quod poteſtati reſiſtit, tum quod læſam ſuo crimine iuſtitiam reſarcire reſugit. Immo eam inique denuo violat, delictum ſuum tegendo, & occultando. Peccatum autem contra iuſtitiam genere ſuo mortale eſt.

VI. Hæc argumentatio clarius ex ipſo Angelico confirmatur. Princeps, ſeu iudex, qui Principem ſuum refert, poteſtatem habet præcipiendi, & exigendi confeſſionem a reo. Ergo reus obſtringitur ſuperiori legitime præcipienti obedire. Ambæ propoſitiones ſunt ipſius D. Pauli, ut cuique laudatum textum legenti conſtare poteſt. Quid enim valeret principatus, niſi ea præſcribere poſſet quæ ad bonum commune Reipublicæ conferunt? Punitio vero delictorum neceſſaria eſt ad tranquillitatem, ordinem, & felicitatem communitatis. Quid vero præcipiendi poteſtas prodeſſet, quoties ſubditi a parendi debito liberi eſſent? Igitur, etiam iuramen-

mento ſublato, reus ſubditus mortaliter peccat, quando iudici legitime interroganti fateri veritatem omittit. Vi ſiquidem legis naturalis, & divinæ ſubditi obedire tenentur ſuperioribus ſuis. Si poſtea interveniat iuramentum (quod imponi alicubi, uti Venetiis, non ſolet) præter peccatum inobedientiæ, & iniuſtitiæ, committitur delictum graviſſimum periurii. Hanc Angelici doctrinam adoptavit Catechiſmus Tridentinus Part. III. de 8. præcep. num. 15. *De reis autem & ſontibus vult eos Deus veritatem confiteri, cum ex iudicii formula interrogantur. Eſt enim teſtimonium, ac prædicatio quædam illa confeſſio laudis, & gloriæ Dei, ex ipſius Ioſue ſententia, qui Achan ad veri confeſſionem adhortatus, inquit: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas.* Quid ad hæc reponere valeant Probabiliſtæ, penitus non teneo. Verum hæc noſtra ſententia evidentior evadet, cum adverſariorum obiectiones reſolverimus.

VII. Contrariam itaque ſententiam propugnant non pauci ex recentioribus. Lugo *Tom. II. de iuſt. & iur. diſp.* IV. *ſec.* I. *num.* 15. probabilem vocat hanc opinionem. Cardenas *diſſert.* XIX. *cap.* VII. hanc opinionem defendit, & pro eadem adducit Sylveſtrum, & Armillam. Hi duo Auctores *verb. Accuſ.* locis ſupra citatis *num.* 2. conceptis verbis docent, peccare mortaliter reum non confitentem veritatem iudici legitime interroganti, quamquam plectendus ſit ob crimen confeſſum pœna mortis. Laudat item Cardenas pro hac eadem ſua opinione Leſſium, qui loco a me ſupra citato expreſſe meam defendit ſententiam; licet contrariam non improbabilem appellet *num.* 16. Hinc collige quantum ſit iſtorum Auctorum citationibus fidendum. Pro hac opinione laudantur plures alii, *Filliucius, Villalobos, Fagundez, Tortel, Alcozer, Sancius, Peyerinus, Diana.* P. Laurenius *Lib. II. tit.* XVIII. *quæſt.* CXV. *numer.* 2. defendit, hanc ſententiam eſſe valde probabilem. *Salmanticenſes* quoque loco citato inquiunt, Auctorum agmen probabilem reddere hanc opinionem. Forte, ſi *Salmanticenſes* percurriſſent iſtud Doctorum agmen, ut illorum utar verbis, nec adeo numeroſum, nec tantæ fortitudinis reperiiſſent, ut ipſi, fidem adhibentes aliis relatoribus, exiſtimarunt. Certe Turrianus, minime ſeverioris doctrinæ ſectator, in *ſelect. centur.* I. *de cenſur. theolog. dub.* 25. improbabilem vocat hanc opinionem, additque pro ſe non habere niſi tres aut quatuor Summiſtas nullius auctoritatis. Ut ut res ſe ſe habeat circa Auctorum numerum, eorumque auctoritatem; hanc ego opinionem omnino improbabilem reputo, eo quod aperte ſit falſa, & falſis principiis innitatur, ut ſtatim palam fiet.

VIII. Obiiciunt ergo 1. Præceptum fatendi veritatem, quando crimen necdum probatum plene eſt, adeſtque ſpes evadendi damnationem ad mortem, ſi negetur veritas perpetrati delicti, non eſt humanæ imbecillitati accommodatum, nec humano modo poſſibile; dum ex centum, immo ex mille, vix unus ſit inveniendus qui in his circumſtantiis crimen ſit faſſurus. Hoc eſt potiſſimum iſtius opinionis fun-

fundamentum, quod inconcuſsum appellat Cardenas. Præcepta ergo cum periculo vitæ Chriſtianos non obligant? Non tenemur ergo evangelicæ fidei veritatem fateri, mortem tyranno minante? Eſtne humanæ imbecillitati accommodatum martyrium quodlibet, quamvis atrociſſimum, ſubeundum, cum præceptum confeſſionis fidei faciendæ coram perſecutore urget? Ex accommodatione ergo præceptorum ad humanam imbecillitatem colligenda eorumdem obligatio erit? Præcepta ergo quæ humanæ repugnant imbecillitati, Chriſtianos non obligant? Et hoc eſt argumentum illud inconcuſſum, quo reum a veritatis confeſſione liberant Theologi Probabiliſtæ? Sed, ne illis imponere videamur, audiamus ſecundam obiectionem.

IX. Obiiciunt 2. Leges & præcepta humana non obligant cum periculo vitæ, aut alterius damni ſupparis. Ergo præceptum iudicis non obligat reum cum periculo capitis, aut alio prope ſimili. Sub his terminis Cardenas, vir alioquin acris ingenii, proponit hoc argumentum, quod inconcuſſum appellat. Reſp. Non ſatis mirari ſubit quod vir Theologus legem humanam appellet legem illam naturalem, & divinam qua ſubditi obſtringuntur ſuis Regibus, Principibus, & ſuperioribus omnibus legitime præcipientibus obedire, non tantum propter vindictam, ſeu pœnarum timorem, ſed & propter conſcientiam. Nonne Apoſtolus Paulus conceptis verbis hanc legem præcipientem, ut ſubditi ſublimioribus poteſtatibus obediant, docet eſſe divinam? Nonne ait, reum qui reſiſtit obedire Principi iubenti veritatis confeſſionem, Dei ordinationi reſiſtere? *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit:* inquit Apoſtolus. Et D. Thomas ibi in Commentariis lect. 1. *Si enim poteſtas Principum, inquantum talis eſt, a Deo eſt, & nihil eſt a Deo ſine ordine; conſequens eſt quod etiam ordo quo inferiores poteſtatibus ſuperioribus ſubiiciuntur, ſit a Deo. Itaque qui contra hunc ordinem reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Verum, quia res eſt magni momenti, lubet rationem afferre qua D. Thomas evincit, iuris naturalis, & divini eſſe debitum illud quo ſubditi obſtringuntur obedire ſuperioribus. Siquidem præter manifeſta Dei oracula, quæ hoc perſpicue iubent, ex ipſis naturalibus principiis colligit Angelicus, ad ius divinum referendam eſſe ſubditorum ſubiectionem erga ſuos ſuperiores. Ait enim 2. 2. quæſt. CIV. art. 1. *Sicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus, ita operationes humanæ procedunt ex humana voluntate. Oportuit autem in rebus naturalibus ut ſuperiora moverent inferiora ad ſuas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatæ divinitus. Unde etiam oportet in rebus humanis quod ſuperiores moveant inferiores per ſuam voluntatem ex vi auctoritatis divinitus ordinatæ. Movere autem per rationem, & voluntatem eſt præcipere. Et ideo, ſicut ex ipſo ordine naturali divinitus inſtituto, inferiora in rebus naturalibus neceſſe habent ſubiici motioni ſuperiorum; ita etiam in rebus humanis ex ordine iuris naturalis, & divini tenentur inferiores ſuis ſuperiori-*

Digitized by Google

rioribus obedire. Eſt itaque manifeſtum legem naturalem eſſe, & divinam eam qua ſubditi ſubiiciuntur ſublimioribus poteſtatibus.

X. Obiicies 3. Præceptum Principis, ſeu iudicis obligat reum ad veritatis confeſſionem ſub pœna torturæ, aliorumque tormentorum, minime vero ſub culpa peccati mortalis. Quare non eſt præſumendum iudicem velle obſtringere reum ſub culpa gravi ad veritatis manifeſtationem. Reſp. Hæc doctrina directe adverſatur doctrinæ D. Pauli, qui loco citato *ad Rom.* XIII. apertiſſime docet, non ſolum timore pœnarum, ſed & conſcientiæ legibus devinctos eſſe ſubditos ſuis ſuperioribus. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Hæc verba adeo clara ſunt, ut nulla egeant interpretatione. Lubet nihilominus Angelici Doctoris commentarium in hunc locum addere. *Non ſolum propter iram, ideſt vindictam vitandam, quod pertinet ad ſecundam rationem; ſed etiam propter conſcientiam bonam conſervandam, quod pertinet ad primam rationem, quia qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Et paulo inferius ibi: *Ex quo patet quod ex neceſſitate iuſtitiæ tenentur ſubditi ſua iura Principibus exhibere.*

XI. Ego non cenſerem ab errore immunem qui doceret, ſubditos abſolute non teneri ſub culpa gravi obedire ſuis ſuperioribus; & viciſſim ſuperiores deſtitutos eſſe poteſtate obligandi ſubditos ſub peccato gravi, quoties imminet periculum vitæ, vel alterius graviſſimi damni, ut eſt pœna triremium, exilii, & carceris. Quid? Ergo damnandi erunt tot Caſuiſtæ qui talem opinionem docent? Neminem ego damno; quin omnes debito obſequio proſequor. Et, ut eos quoquo modo excuſem, animadverto, eorum neminem quæſtionem hanc ad ſacram Scripturam revocaſſe. Revolve omnes Auctores, docentes reum iuridice interrogatum non teneri ad veritatis confeſſionem cum vitæ periculo; & nec unum invenies qui textus D. Pauli, D. Petri, aliorumque ſacrorum Scriptorum expenderit. Hos textus nos ſupra retulimus, & alios hic ad maiorem veritatis confirmationem tranſcribimus. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum*: ad Coloſ. III. verſ. 22. Similia habet ad Titum III. *Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.* Item ad Hebr. XIII. verſ. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* D. Hieronymus in Commentariis Epiſtolæ *ad Titum cap.* III. hæc ſcribit in illa verba, *Admone illos Principibus* &c. *Quod quidem præceptum & hic, & ibi* (ad Rom. XIII.) *propterea puto editum, quia Iudæ Galilæi per illud tempus adhuc dogma vigebat, & habebat plurimos ſectatores, cuius & in Actis Apoſtolorum cap. v. fit mentio, Scriptura referente. Ante enim hos dies extitit Theodas, dicens, quemdam ſe eſſe magnum, cui appoſiti ſunt viri quaſi circiter quadrin-*

genti : & poſt hunc ſurrexit in diebus cenſus Iudas Galilæus : qui inter cetera hoc quoque, quaſi probabile ex lege, pro lege ferebat, *nullum debere Dominum vocari, niſi ſolum Deum, & eos qui iam facti ſunt adoptionis filii, ſolventes Deo decimas propter libertatem aſſecutam, non debere Cæſari tributa ſolvere. Quæ ſane hæreſis in tantum creverat, ut etiam Phariſæos, & multam partem populi conturbaret, ita ut ad Dominum quoque Salvatorem hæc quæſtio referretur, liceret ne dare Cæſari tributum, an non? Cui reſpondens Dominus ait* : Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. *Cui reſponſioni Paulus Apoſtolus congruens docet, credentes debere eſſe ſubiectos, ac obedientes Principibus, & poteſtatibus . . . Sed, quia dixerat*, Admone illos principatibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe: *poterat his qui tormenta formidant, occaſio ad negandum dari, dum iuxta Apoſtoli dictum ſe aſſererent principatibus, & poteſtatibus ſubiectos, & facere quod iuberent : propterea ſubiecit :* Obedite ad omne opus bonum. *Si bonum eſt quod præcipit Imperator, & præſes, iubentis obſequere voluntati*. Iſtius erroris mentionem facit D. Thomas in commentariis in epiſ. ad Rom. XIII. *Quidam fideles in primitiva Eccleſia dicebant, terrenis poteſtatibus ſe ſubiici non debere propter libertatem quam conſecuti erant a Chriſto . . . Sed libertas per Chriſtum conceſſa, eſt libertas ſpiritus, qua liberamur a peccato, & a morte. . . Interim autem, dum corruptibilem carnem gerimus, oportet nos dominis carnalibus ſubiacere*. Antiquorum hæreſim renovarunt Lutherani, blaſphemantes, *legem nullam ſive ab hominibus, ſive ab Angelis ullo iure imponi poſſe, niſi inquantum ipſi velint : liberi enim ſumus*.

XII. Quod Hieronymus narrat de Iuda Galilæo, qui, *quaſi probabile ex lege, pro lege ferebat*, ſubditos liberos eſſe a dominorum ſervitute, idem de non paucis Caſuiſtis dicendum videtur. Omnes ſiquidem tum antiqui, tum antiquis proximiores Theologi noſtram docuerunt ſententiam, tamquam unice ſecuram. Poſt probabilitatis inventum quidam cœperunt contrariam opinionem non improbabilem appellare. Leſſius loco ſupra citato, nempe *Lib. II. cap.* XXXI. poſtquam noſtram ſententiam tamquam communiorem docuit, *num.* 16. ſubdit, contrariam non eſſe improbabilem. *Non eſt tamen improbabile*, inquit, *reum non peccare mortifere negando crimen, præſertim in cauſſa capitali*. Non improbabilem, quin valde probabilem poſtea vocavit Cardinalis de Lugo *Tom. II. de iuſt. & iur. diſp.* IV. *ſec.* I. *num.* 15. Aucto recentiorum numero, eam abſolute tamquam in praxi ſecuram propugnare aggreſſi ſunt Cardenas, Laurenius, & noviſſime Conſtantinus Roncaglia *tract.* XIV. *de 8. Decal. præc. cap.* II. *de reo reſ.* 4. Ubi hanc ſtatuit concluſionem. *In tali ergo caſu non eſt in iudice auctoritas obligandi ad culpam ; adeoque nec in reo obligatio obediendi ſub mortali*. En quam apprime verba Hieronymi locum habeant. Quod enim ſub initium *quaſi probabile ex lege* docebatur, decurſu temporis *pro lege* fertur, & propugnatur. Peccavit ergo ſecundum hanc Roncagliæ do-

Digitized by Google

doctrinam Ioſue, cum ad ſatendum furtum induxit Achan, qui ex tali confeſſione lapidibus obruendus erat? Nam peccat iudex qui auctoritate deſtitutus adſtringit reum ad confitendum illud ad quod revelandum minime tenetur.

XIII. Ut manifeſtior evadat improbabilitas, & falſitas iſtius quam impugnamus opinionis, recolendum eſt id quod iam indicavimus, Principes auctoritate ſibi divinitus collata (eo modo quo alibi explicabimus) ſubditis ſuis imperare, eos regere, atque ab hoſtibus defendere, & ea omnia præcipere quæ ad illorum felicitatem, tranquillitatem, & commune Reipublicæ bonum pertinent. Quin Principes vi iuris naturalis, & divini, ut ex D. Paulo conſtat, hæc omnia præſtare debent. Viciſſim ſubditi eadem lege naturali, & divina exequi tenentur Principum iuſſa quæ bonum commune principatus ſpectant. Quoniam tum Principes maxime poteſtatem exercent principatus, cum bonum publicum ſubditorum promovent. Cum ergo dicimus, lege naturali & divina ſubditos Principum, Regumque mandatis obnoxios eſſe, non intelligimus quod eiſdem legibus obſtringantur ad quæcumque iuſſa quæ bonum privatum ſpectant, ſed ad ea quæ bonum commune inſpiciunt. Et quamvis præcepta quibus Principes, eorumque iudices, & miniſtri ad ſibi parendum urgent ſubditos, ſint in ſe humana, quia ab homine immediate proferuntur; in origine tamen, ut ſic loquar, ſunt divina, quatenus Principes vi auctoritatis ſibi a Deo collatæ leges rogant, & præcepta imponunt. Quibus poſitis, hanc elicio concluſionem.

XIV. *Opinio quæ ob vitandum periculum amittendæ vitæ eximit ſubditos ab obedientia, ſub culpa gravi ſuis Principibus reddenda in materia gravi, falſa omnino eſt, & penitus improbabilis, ne plus dicam.* Quoniam contraria directe eſt apertiſſimis ſacræ Scripturæ oraculis, ut ex allegatis textibus patet: contraria eſt Patribus, potiſſimum Hieronymo, Auguſtino, & Thomæ: contraria prorſus eſt Catechiſmo Tridentino. Ex his tribus fontibus hauſimus nos momenta illa luculentiſſima, quibus noſtram munivimus ſententiam. Hæc vero inconcuſſa principia miſſa fecerunt Caſuiſtæ novi qui oppoſitam ſuſtinent opinionem. Iure ergo nos eam improbabilem, & falſam appellamus, uſque dum auctoritati Scripturarum, Patrum, & Catechiſmi Tridentini reſponſum præbeant.

XV. Quid quod non modo falſa, ac improbabilis eſt, verum etiam Principibus, & Regibus infeſta? Enimvero, ſi periculum obeundæ mortis ſubditos a debito parendi ſuis Principibus ſolvit; non ergo arcium excubitores cum vitæ periculo locum ſuum cuſtodire tenentur: non ergo milites in civitatum obſidione conſcientiæ lege obſtringuntur cum vitæ periculo, imperantibus ducibus, muros conſcendere, urbemque invadere: non ergo ſatellites cum vitæ periculo, Principe iubente, graſſatores, monetarum adulteratores, alioſque ſceleſtos homines funibus ligare adſtringuntur: non ergo cum vitæ periculo cives catholici perfu-

gium in ſuis civitatibus denegare debent hæreſum ſeminatoribus: non ergo Principum, Regumque ſecretarii ſigillum cuſtodire in re ſummi momenti, imminente vitæ iactura, adſtringuntur. Ne multa. Hæc opinio, præterquamquod Scripturis, Patribus, & Conciliis contradicit, principatibus, & regnis bellum indicit: regimen perturbat, ſubditos adverſus Principes commovet. Fac mente perſuaſos eſſe ſubditos, non teneri ad parendum Principibus lege conſcientiæ: quis, quæſo, tempore peſtis excubabit ad ianuas civitatum, quis xenodochiis regendis incumbet? Si enim ſolius pœnæ timore hæc peragant ſubditi, nemo non videt omnia perturbari, & ad malorum extremum vergere.

XVI. Poſtremo, iſtius opinionis Auctores ſibimetipſis contradicunt. Nam omnes uno ore fatentur, legem humanam obligare ſub culpa gravi, & cum vitæ periculo ſubditos, quoties imminet damnum Reipublicæ aliquod graviſſimum. Porro, ſi auferas a Principe poteſtatem puniendi improbos, graſſatores, homicidas, latrones, oppreſſores, alioſque id generis homines; quid aliud erunt civitates, niſi ſceleſtorum receptacula, ubi nullus ordo, nulla tranquillitas, nulla felicitas, ſed horror, confuſio, & calamitas ſempiterna regnarent? Poſito autem quod in ſubdito iuridice interrogato non adſit debitum conſcientiæ confitendi delictum, deficit quoque in Principe poteſtas præcipiendi ſub gravi culpa confeſſionem perpetrati delicti, ut conceptis verbis docet *P. Roncaglia* cum ſuis eiuſdem opinionis fautoribus. Porro, ſublatis & a Principe poteſtate imperandi, & a ſubdito obediendi debito, conſequitur iuſtitiam vindicem ita extenuari, ut ſæpe nihil operari poſſet. Non raro ſiquidem confeſſio rei unica via eſt puniendi delicta, & coercendi improbos. Qui ergo adimit Principi poteſtatem imperandi, & ſubdito debitum reddendi confeſſionem delicti, ſin deſtruit omnino, ſummopere certe iuſtitiam, quam vindicativam vocant, extenuat, atque debilitat. Infligit etiam graviſſimum vulnus communi Reipublicæ bono, quod in ſcelerum punitione elucet.

XVII. Reponunt adverſarii, poſſe Principes iubere confeſſionem ſub pœna; & ob iſtius pœnæ timorem adſtringi ſubditos ad confeſſionem. Prætereo, quod hæc reſponſio directe contraria ſit præcepto D. Pauli expreſſe dicentis: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Hoc, inquam, prætereo: quia nemo unus iſtorum hanc ſententiam ad ſanctuarii pondus revocavit, ut dixi ſupra. Sed dico in primis, reſponſionem hanc ſemetipſam multis modis confodere. Siquidem adverſarii omnes confitentur, ſubditos ſub mortali obſtrictos eſſe ad parendum Reipublicæ, etiam cum vitæ periculo, in iis eventibus in quibus graviſſimum damnum boni communis timetur. Porro iam demonſtratum eſt, delictorum punitionem ad ſummam Reipublicæ tranquillitatem neceſſariam eſſe; & reorum confeſſionem medium neceſſarium ſæpe eſſe ad hanc iuſtam punitionem. Secundo adverſarii docent, reum teneri ſub culpa manifeſtare delictum

Digitized by Google

ctum plene probatum. Cur, quæſo, quando delictum omnino probatum eſt, peccat mortaliter, ſi illud neget? Quia, inquiunt, nulla datur ſpes evadendi mortem. Sed iam oſtenſum eſt, ſpem vitandæ mortis in iis eventibus in quibus bonum commune periclitatur, minime ſolvere ſubditos ab obedientiæ debito. Quænam eſt hæc theologizandi ratio? Quando delictum eſt tantum ſemiplene probatum, rei confeſſio medium eſt neceſſarium ad bonum commune ſervandum, ad innocentum vitam cuſtodiendam: quia e. g. ſi homicidæ non puniuntur, civium vita ſecura non eſt, quam omnes rei vitæ præferunt. Recentes Caſuiſtæ in hoc eventu, in quo bonum commune ſubditorum abſque confeſſione rei periclitatur, & confeſſione poſita hoc bonum commune ſervatur, docent, reum ad confeſſionem criminis haudquaquam obſtringi. Quando vero delictum eſt undique probatum, ita ut puniri ſine rei confeſſione poſſit, & conſequenter nullum eſt boni communis periculum, nulla iactura timenda; tunc ſub mortali obligant reum ad criminis confeſſionem. Cur? Quia tunc nulla eſt vitandæ mortis fiducia. En ergo quomodo ſibi contradicentes nullo modo ad boni communis ſive periculum, ſive conſervationem animum intendant; ſed reorum temporalis conſervatio privata ſit unica eorum Theologiæ regula in hac quæſtione dirimenda. Poſtremo, admiſſo quod Princeps nequeat obligare ſub culpa, neque obligare poſſet ſub pœna: quoniam quæque pœna ſupponit culpam; niſi iudex conceptis verbis declaret ſe nolle obligare ad culpam, ſed ad pœnam. Quomodo ergo poſſet iudex tormentis reum adigere ad ſceleris confeſſionem? Iniuſtum ſiquidem eſt quemquam ad id cogere quod non tenetur præſtare.

XVIII. Reſpondet Cardenas *diſp.* XIX. *cap.* VII. *num.* 85. Iniuſtum eſt quemquam urgere ad id quod non tenetur neque ſub culpa, neque ſub pœna præſtare; iniuſtum vero non eſt cogere ad confitendum ſub pœna quod ſub pœna fatori tenetur. Mirum profecto, hominem acutum, & doctum potuiſſe in graviſſima quæſtione tam inepto ſophiſmati inhærere. Ille ſiquidem exagitat in omne latus Caramuelem ob id ſolum quod in controverſiam revocaverit, num Deus contulerit Principibus poteſtatem obligandi ſub culpa: & ipſe ſtatuit cum communi Catholicorum ſententia *tract.* III. *de leg. cap.* II. *&* III. de fide eſſe, Principes tum eccleſiaſticos, tum ſæculares, pollere auctoritate præcipiendi ſub culpa. Ex qua certiſſima doctrina talem conficio argumentationem. De fide eſt Principes poſſe obligare ſub culpa. Ad eamdem fidem reducitur quod Principes omni meliori quo poſſunt modo debeant promovere bonum commune, ſubditorumque tranquillitatem, & defenſionem. Obligatio igitur ſub culpa, utpote quæ maior eſt quocumque alio vinculo, eſt unum ex efficacioribus mediis ad præfatum finem boni communis obtinendum. Et, ut multa in pauca redigam, quæro ego, an aliquando Principes obligent ſub culpa. Aiunt adverſarii omnes. Ergo tum præcipue obligant, cum boni

boni communis tuendi urget neceſſitas. At boni communis conſervatio, & ſubditorum quies, ac tranquillitas neceſsario exigunt reorum punitionem. Ergo reorum quoque confeſſionem præcipiunt, cum abſque hac confeſſione ſæpius bonum commune ſervari nequeat. Quid plura? Nonne omnes adverſarii fatentur, graviſſima lege obſtringi Principes ad bonum Reipublicæ defendendum, conſervandumque; eademque graviſſima lege teneri ſubditos ad obediendum Principibus, dum tale bonum promovere ſatagunt? Lex autem quæ ſolum ſub pœna obligat, ipſis fatentibus, improprie lex eſt, vixque nomen legis meretur. Et quamvis tormenta non tantum per modum pœnæ, quantum ſub ratione medii apti ad extorquendam veritatem, adhibere iudices ſoleant; non tamen hinc ſequitur obligationem ſub culpa non eſse medium ſuapte natura magis efficax ad extorquendam veritatem, qualis eſt rei confeſſio.

XIX. Obiiciunt 4. Quamquam communis ſententia reapſe obliget reos ad criminis ſemiplene probati confeſſionem; attamen vix unus e centum eſt qui veritatem confiteatur, ut experientia conſtat; ſolumque vi tormentorum quandoque aliquis confitetur ſuum delictum. Quid igitur damni Reſpublica patitur ex hoc quod reus ſolvatur a debito confitendi crimen ſemiplene probatum? Reſp. Vix e mille ſceleſtis hominibus unus foret qui fidem Chriſti confiteretur, ſi confeſſio iſthæc aliquod atrociſſimum martyrium illis inferret. Anne homines, carnis illecebris innutriti, & flagitiorum pleni, coram tyranno, vivicomburium, aut necem ſtipite per medium corpus infigendo, aliamque ſimilem immaniſſimam mortem indicente, fidem Chriſti faterentur? Propterea ne tollendum eſt præceptum confeſſionis fidei? Anne ab hominum pravitate colligenda eſt divinæ legis obligatio? Nonne actum conclamatumque eſſet de Evangelio, ſi iſtud ab hominum penderet executione? Falſiſſima itaque eſt dialectica illa quæ idcirco contendit probare, legem aliquam non obligare ſub culpa, quia ſubditi illam raro obſervant. Sed ex conformitate ad bonum commune repetenda eſt legis obligatio.

XX. Obiiciunt 5. Leges Principum obligant ſub culpa reum, quando damnum quod is timet ex legis obſervatione, non eſt gravis momenti; ſecus, ſi damnum quod reo imminet, grave ſit, ut eſt vitæ periculum, pœna triremium, bonorum iactura. Tranſcribenda iſthuc ſunt verba P. Lugo Tom. II. de iuſt. diſp. xl. ſec. 1. num. 16. *Addidi tamen, reum obligari etiam ſub peccato, quando damnum quod timet, non eſſet tanti momenti: quia leges humanæ poſſunt obligare regulariter ad aliquod damnum ſubeundum: & quidem ad incolumitatem Reipublicæ neceſſaria eſt hæc poteſtas in iudice: nam pro eiuſmodi criminibus non poſſunt facile rei ſubiici torturæ. Quare, ſi reus non obligaretur ad reſpondendum, difficilis maneret punitio talium delictorum, quæ idcirco multiplicarentur cum maximo Reipublicæ detrimento*. His verbis finem facit Lugo ſuæ ſententiæ.

XXI.

XXI. Reſp. Concors eſt Theologorum conſenſus, maiorem, aut minorem legis obligationem ex maiori, aut minori conformatione ad bonum commune repetendam eſſe. Lex quæ propius, & validius bonum commune promovet, efficacius quoque obligat. Cum reus ex delicti confeſſione timet leve malum, delictum commiſit quo non valde bonum commune læſit; cum vero ex confeſſione veretur maximum malorum, delictum quoque perpetravit ſummopere communi bono repugnans. Porro eo ſpectant Principum præcepta ut bonum commune læſum reparent. Quo igitur maius eſt damnum bono publico illatum, eo efficacius adigunt reum ad id præſtandum quod ad præfati damni reparationem conducit. Si ergo iuxta P. Lugo tenetur reus ſub culpa fateri delictum parvum, quo leve vulnus bono publico inflixit; potiori ſane iure obſtringitur confiteri delictum grave, quo graviſſimum damnum intulit bono communi. Hæc omnia per ſe patent.

XXII. Obiiciunt 6. Reus, etiamſi probatum fuerit eius crimen, e carcere fugere poteſt vi iuris naturalis, quo potitur ad conſervandam vitam; quin hanc arripere fugam poteſt, etiam præcipiente Principe ne fugiat. Ergo occultare quoque ſuum crimen poterit. Reſp. Proponunt ſibi *Salmanticenſes* hanc obiectionem; ſed nullum reſponſum præbent ad eam partem quæ iudicis præceptum opponit. Dicimus ergo teneri reum ſub mortali permanere in carcere, quando iudex expreſſe id præciperet, uti etiam docent Caietanus, & Sylvius. Quidam volunt, iuſtum eſſe eiuſmodi præceptum non poſſe, ſed iniquum, utpote cum inclinatione naturali vitæ conſervandæ pugnans. Verum hæc ratio nulla eſt. Quoniam permanſio in carcere non eſt deſtructio phyſica ipſius vitæ; ſed ad ſummum omiſſio actus quo vitam conſervare poſſet. Quid? Iudex poteſt reum vita privare; &, ne fugiat e carcere, iubere non poterit? Si reus parere non teneretur, nec iudex poſſet præcipere. Verum tamen eſt iudices eiuſmodi præcepta imponere minime ſolitos eſſe. Idcirco D. Thomas *loc. cit. art.* 4. *ad* 2. dicit, reum poſſe fugere licite e carcere: additque non teneri eum permanere in loco unde mors ſequatur, quia communiter hoc præceptum non fit. Quod ſi quis contendere vellet, iniuſtum fore, ſecundum doctrinam D. Thomæ, eiuſmodi præceptum, non inde tamen quidquam præſidii pro ſua opinione colligeret. Quandoquidem S. Thomas apertiſſime docet, peccare mortaliter reum iuridice interrogatum, ſi veritatem occultet, quamvis ex confeſſione veritatis eiuſdem mors ſequatur: quia confeſſio veritatis, potiſſimum in iudicio, in Dei gloriam cedit. Et poſt hanc confeſſionem reus ſuas defenſiones exhibere poteſt: ideo non influit in propriam mortem, dum actum virtutis veracitatis exercet. Paritas itaque nulla eſt, ſi dicas, voluntariam permanſionem in carcere propriam mortem cauſſare. Et profecto, ſi paritas hæc quidquam concluderet; evinceret quoque reum non teneri, immo non poſſe confiteri licite veritatem, quando crimen eſt plene, & omnibus a lege requiſitis teſtibus

probatum : quod non admittunt iſtius ſententiæ patroni. Ex ſolutione ſequentis obiectionis clarior fiet hæc doctrina.

XXIII. Obiiciunt 7. Principes præcipere nequeunt id quod eſt contra naturalem inclinationem. Cuilibet autem a natura inſidet propriæ vitæ ſervandæ inclinatio : qua de cauſſa iudex imperare non poteſt ut reus ſeipſum iugulet, venenum ſibi propinet, & id genus actiones. Ergo neque præcipere poterit confeſſionem veritatis, ex qua mors ſequitur.

XXIV. Reſp. Adeo falſa eſt illatio iſta, ut nec ipſi adverſarii admittere eam quoquo modo valeant. Quod Princeps nequeat præcipere ut reus ſua manu ſeipſum iugulet, venenum accipiat, penes omnes certum eſt : quia his actionibus directe ſeipſum occideret ; pugnantque eiuſmodi actus cum ipſa natura. Confeſſio veritatis, naturæ, & honeſtati, ac legi tum humanæ, tum divinæ congrua eſt. Quod poſtea tam ſæpe obtundunt, præceptum confitendi veritatem adverſari naturali inclinationi vitæ ſervandæ, nullius momenti eſt. Ut enim id evidentius pateat, conſiderandum eſt, quod, cum reus commiſit crimen morte dignum, iam tum Princeps ius acquiſivit ad vitam deſtruendam ipſius rei ; & hic ſervandæ vitæ ius amittere incepit, quia ſuo crimine ab hominis dignitate receſſit, ac velut in beſtiarum cenſum ſemetipſum perſcripſit. Non itaque veritatis confeſſio, ſed delicti perpetratio viam ad mortem aperit. Hæc omnia peroptime more ſuo explicat Angelicus 2. 2. quæſt. lxiv. art. 2. *Omnis pars ordinatur ad totum, ut imperfectum ad perfectum: & ideo omnis pars naturaliter eſt propter totum. Et propter hoc videmus quod ſi ſaluti totius corporis humani expediat præciſio alicuius membri, puta cum eſt putridum, vel corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter, & ſalubriter abſcinditur. Quælibet autem perſona ſingularis comparatur ad totam communitatem, ſicut pars ad totum: & ideo, ſi aliquis homo ſit periculoſus communitati, & corruptivus ipſius propter aliquod peccatum, laudabiliter, & ſalubriter occiditur, ut bonum commune conſervetur.* Ibidem vero *in reſp. ad* 3. hæc addit. *Homo peccando ab ordine rationis recedit: & ideo decidit a dignitate humana, prout ſcilicet homo eſt naturaliter liber, & propter ſeipſum exiſtens; & incidit quodammodo in ſervitutem beſtiarum, ut ſcilicet de ipſo ordinetur, ſecundum quod eſt utile aliis . . . Et ideo quamvis hominem in ſua dignitate manentem occidere ſit ſecundum ſe malum; tamen hominem peccatorem occidere poteſt eſſe bonum, ſicut occidere beſtiam. Peior enim eſt, & plus nocet homo malus quam beſtia, ut Philoſophus dicit in I. Polit. & in VII. Ethic.* Quamquam ergo poſſit reus adverſus quemquam privatum hominem ſe ſe defendere, crimenque ſuum occultare; non tamen id præſtare valet adverſus Principem, ſeu iudicem, qui ex eo die quo ad ſuum tribunal delatum fuit iuridice crimen, in vitam rei perdendam ius acquiſivit, illudque perdere reus incepit. Hæc omnia clariſſima ſunt, nec fuſiore egent explicatione.

XXV.

Digitized by Google

XXV. Obiiciunt 8. Leges humanæ onus minime imponunt teſtimonium ferendi contra homines ſanguinis vinculo coniunctos, ut adverſus patrem, & matrem: quanto minus ergo obligabitur reus contra ſeipſum teſtimonium dicere? Reſp. In primis falſum eſt quod abſolute quis non teneatur teſtimonium dicere in patrem, in matrem, in filios, alioſve conſanguineos. Nam, ſi pater reus eſt læſæ maieſtatis, proditionis patriæ, adulteratæ pecuniæ, hæreſis, aliorumque id genus criminum, filius in patrem, & viciſſim pater in filium dicere teſtimonium obſtringitur. In aliis quibuſdam criminibus leges ipſæ excludunt teſtimonium unius conſanguinei adverſus alium conſanguineum, ut patet ex *text. in leg.* Teſtis idoneus, *ff. de teſtibus leg.* Parentes, *cod. eod. tit.* Leges autem non excipiunt, ſed urgent reum ad confitendum proprium crimen.

XXVI. Obiiciunt 9. Nullus teſtis adſtringitur, etiam iuſſus a Principe, teſtificari adverſus reum, cum ex ſuo teſtimonio aliquod grave malum ſibi prudenter timet. Ergo multo minus obſtringitur reus cum vitæ periculo contra ſeipſum crimen revelare. Reſp. Ut iam dictum eſt, teſtes obſtringuntur ſub gravi culpa obedire Principi, iubenti teſtificari adverſus proditorem patriæ, adulteratorem monetarum, hæreſum diſſeminatorem, etiam cum vitæ periculo, ut communis fert opinio ob rationem ſæpius dictam: quia bonum commune præferendum eſt bono privato. Quare, quoties inſtat debitum reparandi bonum publicum, teſtis cum ſuo etiam gravi detrimento veritatem ad id neceſſariam manifeſtare debet. Et, licet aliquando timor graviſſimi damni a debito veritatis manifeſtandæ teſtem ſolveret, non propterea timor amittendæ vitæ liberat reum ab obligatione confitendæ veritatis contra ſemetipſum. Quoniam teſtis innocens eſt, & ſuper innocentis vitam Princeps poteſtatem non habet; niſi graviſſima, & evidens neceſſitas boni communis urgeat in quibuſdam eventibus. Ceterum iam tum in reorum vitam perdendam ius acquiſivit Princeps, cum illi crimina perpetrarunt: & idcirco valet ſemper Princeps reos iuridice denuntiatos cogere ad veritatis manifeſtationem. Quandoque vero non poteſt adigere innocentes teſtes ad propalandam veritatem cum periculo propriæ vitæ, alteriuſve graviſſimi mali.

XXVII. Obiiciunt 10. D. Ioannes Chryſoſtomus, ut refertur *cap. de pœnitent. diſt.* 1. *can. Quis aliquando*, hæc habet: *Non dico tibi ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuſes*. Porro, ſi accuſatus reus crimen ſuum confiteretur, ſemetipſum proderet. Ad id igitur non tenetur. Reſp. Reſponſio facillima eſt. Chryſoſtomus loquitur de reo occulto, qui a nemine accuſatur. Hic non tenetur ſe prodere. Nec verbum autem ibi S. Doctor habet de criminoſo accuſato, & a iudice, ſervato iuris ordine, interrogato. Huiuſmodi namque reus, dum veritatem fatetur, non prodit ſeipſum; ſed proditus iam ab accuſatore, ſolum paret legitimo ſuperiori. Hæc reſponſio eſt D. Thomæ 2. 2. quæſt. lxix. art. 1. ad 1. *Quando*

do aliquis ſecundum ordinem iuris a iudice interrogatur, non ipſe ſe prodit, ſed ab alio proditur, dum ei neceſſitas reſpondendi imponitur per eum cui obedire tenetur.

XXVIII. Obiiciunt ultimo. Mendacium officioſum non eſt peccatum mortale. Eiuſmodi eſt mendacium quo reus in iudicio interrogatus negat crimen a ſe commiſſum, ut mortis pœnam vitet; quemadmodum mendacium tantum officioſum eſt illud quod quis profert, ut proximum ſuum a morte liberet. Hoc namque mendacium neque iuſtitiæ, neque caritati adverſatur.

XXIX. Reſp. Huic obiectioni reſpondet Angelicus *loc. cit. ad* 2. *& ad* 3. his verbis. *Ille qui mentitur in iudicio ſe excuſando, facit & contra dilectionem Dei, cuius eſt iudicium, & contra dilectionem proximi, tum ex parte iudicis, cui debitum negat, tum ex parte accuſatoris, qui punitur, ſi in probatione deficiat. Unde & in Pſalm.* cxl. *dicitur:* Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis: *ubi dicit Gloſſa: Hæc eſt conſuetudo impudentium, ut deprehenſi per aliqua falſa ſe excuſent. Et Gregorius lib. XXII. Mor. exponens illud Iob* xxxi. Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, *dicit: Uſitatum humani generis vitium eſt, & labendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & convictum defendendo multiplicare.* Hactenus Angelicus. Non eſt ergo mendacium iſtud ſolummodo officioſum, ſed pernicioſum ſimul. Animadvertendum tamen, quod, licet mendacium iſtud pernicioſum ſit genere ſuo mortale; poteſt tamen veniale dumtaxat fieri ob materiæ parvitatem quæ negatur; ut cum reus, vel teſtis mentitur in aliqua facti circumſtantia, a qua minime pendet ſtatus cauſſæ; dummodo tamen non adſit iuramentum. Si enim mendacium iuramento firmetur, ſemper eſt peccatum mortale.

XXX. Plures alias difficultates de reorum peccatis reſolvemus in tractatu de iuſtitia vindicante. Nunc finem huic quæſtioni imponimus, lectorem iterum admonentes de aperta contrariæ, quam impugnamus, ſententiæ falſitate; ut facile colligere poteſt ex rationibus quibus Auctores eiuſdem utuntur. Sunt enim mera ſophiſmata. Multitudo vero Auctorum, quæ alioquin ſatis parva eſt, non maius pondus addit quam addere ſolent centum teſtes de auditu. Omnes autem, uno aut altero excepto, Auctores contrarii ſunt teſtes de auditu: eo quod omnes alii poſt alios dicunt ſuam opinionem non eſſe improbabilem: quia Leſſius, & quidam alius Summiſta prius id ſcripſerat. Ceterum nemo unus, ut iam indicavimus, ex inſtituto hanc quæſtionem ad mentem ſacræ Scripturæ, Patrum, & Catechiſmi Tridentini expendit. Ratio potiſſima quam omnes afferunt, eſt evidenter falſa, nempe quod lex, & præcepta Principum legitime imperantium ea quæ conferunt in conſervationem boni communis, non obligant cum periculo vitæ. Hoc ſiquidem manifeſte falſum eſt, ne quid plus dicam. Nulla itaque probabilitate fruitur contraria opinio: quia, ut communiter docent Probabiliſtæ, nequit probabile eſſe illud quod conſtat certo eſſe falſum.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

DE IURAMENTIS PRINCIPUM SERVANDAE IUSTITIAE

IN DISTRIBUTIONE PRAEMIORUM, OFFICIORUM, ET DIGNITATUM.

DIfficillima, ſi qua alia, eſt controverſia propoſita: non quidem ſuapte natura, quia hoc ex capite potius facillima eſſet; ſed ob Theologorum ſubtiliſſima inventa amphibologiarum, reſtrictionumque mentalium. Harum ſiquidem uſum tum maxime neceſſarium prædicant, cum utilitas & commodum ſuadent. Et quia in præmiorum, & dignitatum collatione frequens eſt occaſio & damni ſubeundi, & utilitatis captandæ; idcirco iuramenta mentis reſtrictione, verborumque doloſa collocatione, & ſignificatione ad præmia aſſequenda, damnaque vitanda inflectuntur, & aptantur. Ut perſpicue rem hanc, quoad fieri poteſt, enucleem, in plura capita diſputationem tribuam: & in primis diſcutiam, an iuramenta ſubditis imponere, quænam ſub iuramento præcipere, quænam vetare Principes licite valeant. Deinde quæ reipſa in principatu ſub iuramento præſcribuntur, ediſſeram. Tandem difficultates quæ praxim, & obſervantiam iuramentorum ſpectant, explicabo.

CAPUT I.

Principes valent iuramento adigere ſubditos ut officia, abſciſſo perſonarum reſpectu, ſolamque diſtribuentem iuſtitiam ſpectantes, exerceant; & ut in officiorum, vel dignitatum ambitu ſuffragatores nec muneribus, nec obſequiis, nec promiſſionibus inflectant.

I. QUod Reges, & Principes poſſint ſubditos ſuos ſacramento adſtringere ut in iuſtitiæ ſive commutantis, ſive diſtribuentis muneribus officiiſque implendis ſola virtutum merita reſpiciant, oculoſque cuique humano affectui claudant, extra controverſiam poſitum eſt. Iuſtitiæ ſiquidem integritas, & eiuſdem intaminata adminiſtratio cuiuſque recti regiminis, & optimi Principatus baſis eſt. Ipſa

Ipſa bonum publicum promovet, & auget; ſubditoſque ad pericula ſubeunda, ad difficiles conatus, magnoſque auſus impellit. Porro ea omnia quæ in bonum commune principatus conferunt, Rex præſcribere iure valet. Cum ergo proſpicit, iuramentum opportunum fore ad iuſtitiæ integritatem ſervandam, eodem obſtringere ſubditos peroptime poteſt. Exempla tum ab Ethnicis, tum a ſacris litteris arceſſita rem confirmabunt.

II. Alexander ab Alexandro *Lib. III. dier. gen. cap.* XVII. leges refert quas plebis Tribuni rogarunt in ambitum illorum qui emendicatis aut pecunia, aut obſequio ſuffragiis dignitates, & gradus aſſequebantur. „ Petilius Tribunus plebis legem tulit (inquit) ad populum, qua largitiones illorum qui pecunia honores „ mercarentur, gravi damno, & pœna multavit: fuitque ſeveriſſima diſciplina, „ & ſub gravi cenſura lex ſervata, qua ambitioni, & cupiditati obviam ſæpe „ itum eſt; ita ut inter exempla relatum ſit, Q. Coponium, quod vini amphoram ei cuius ſuffragio magiſtratum petebat, dono dederat, ambitus condemnatum pœnas luiſſe. “

III. Lucius Calphurnius Cælius, Caius Servilius, & Caius Gracchus, & Marcus Linius, Cornelius Silla, Pompeius, & Quatinius Conſules, Dictatores, & Tribuni innumeras pene leges adverſus venales gradus, & dignitates condiderunt; donec tandem lata fuit *Lex Iulia*.

IV. Marcus Tullius tamdiu duraturam Romanorum Rempublicam aiebat, quamdiu adminiſtratio iuſtitiæ, largitio præmiorum, ac ſcelerum punitio viguiſſent. Multa hac de re ſcribit Lib. II. officior. cap. XVI. *Caput autem eſt in omni procuratione negotii, & muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Utinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora fortuna me ſervaſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent: non eſſem paſſus diutius eos imperare. Ne illi quidem multa ſæcula expectanda fuerunt: modo enim hoc malum in hanc Rempublicam invaſit... Nullum igitur vitium tetrius quam avaritia, præſertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus. Habere enim quæſtui Rempublicam non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium.* Porro quæſtui Reſpublica habetur, non modo cum dignitates, & gradus pecunia, & donis emuntur, verum etiam cum ſuffragia officiis, & promiſſionibus captantur, ſeu cum vota mutuo dantur hac pactione, ut occaſione data mutuo accipiantur.

V. At, omiſſis Ethnicorum ſanctionibus, ex ipſa Scriptura, & Chriſtianorum Principum edictis evincitur quam ſit ſancta conſuetudo adſtringendi ſacramento homines, ut recte, & iuſte principatus procurent negotia. Patriarcha Iacob fratrem ſuum Eſau adegit ut promiſſionem ſibi factam vendendi primogenita iuramento firmaret. *Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iuravit ei Eſau, & vendidit primogenita.* Gen. XXV. verſ. 33. Eodem ſacramenti vinculo adſtrinxit filium ſuum Ioſeph, ut

ut ſuum cadaver transferret in ſepulcrum patrum ſuorum. *Ego faciam*, inquit Ioſeph, *quod iuſſiſti. Et ille, Iura ergo, inquit, mihi*. Gen. XLVII. verſ. 31.

VI. Imperator Iuſtinianus in leg. XIV. cod. de iudiciis. *Omnes omnino iudices Romani iuris diſpenſatores non aliter litium primordium accipere, niſi prius ante ſedem iudicialem ſacroſanctæ deponantur Scripturæ: & hæ permaneant non ſolum in principio litis, ſed etiam in omnibus cognitionibus uſque ad ipſum terminum, & definitivæ ſententiæ recitationem. Sic enim attendentes ad ſacroſanctas Scripturas, & Dei præſentia conſecrati, ex maiore præſidio lites diriment, ſcituri quod non magis alios iudicant quam ipſi iudicantur; cum etiam ipſis magis quam partibus terribile iudicium eſt: ſiquidem litigatores ſub hominibus, ipſi autem Deo inſpectore adhibito cauſas proferunt trutinandas.*

VII. Plura tum Imperatorum, tum Principum edicta quæ iuramenta continent quibus miniſtri, ſive Reipublicæ Nobiles devinciuntur ad rectam adminiſtrationem iuſtitiæ abſque cuiuſque retributionis ſpe, tranſcribere iſthuc poſſem; ſed ea miſſa facio. Nimis enim compertum eſt, laudabilem eſſe conſuetudinem iuramentorum, quæ inſtituuntur ad maiorem obſervantiam earum rerum quæ in bonum commune Reipublicæ, & Principatus felicitatem conducunt.

C A P U T II.

Explicatur iuramentum prohibens ambitum, vulgo broglio, *quo Reſpublicæ vetare ſolent Nobilibus ſuis ne in aſſequendis dignitatibus, & magiſtratibus, ſeu quibuſcumque gradibus ambitum exerceant.*

I. Semel admiſſo, Principibus licitum, immo & expediens ſæpius eſſe iuramento adſtringere miniſtros, & ſubditos ut in graduum aſſecutione, ſeu collatione ſola merita, bonumque publicum reſpiciant; remanet inquirendum, quodnam genus *ambitus*, vulgo *broglio*, vetitum ſub iuramento ſit. Lex prohibens ambitum potiſſimum locum habuit in Republica Romana, quæ repetitis edictis, ac multiplicatis pœnis ambitus crimen prohibuit: quoniam in Republica qualibet multi ſunt dignitatum collatores, ſeu ſuffragatores; & ideo gravius periculum imminet ne candidati prenſationibus vota ſibi comparent.

II. Porro, ut perſpicue (quoad fieri poteſt) ſummi momenti, & difficillimæ reſolutionis argumentum ediſſeram, ambitus notionem, & diverſa genera promam oportet. Et quamvis nomen iſtud *ambitus*, vulgo *uffizio*, ſeu *broglio*, multa ſignificet, nequeatque præciſa definitione exponi; nihilominus dicere poſſumus, ambitum

tum generice acceptum eſſe quamdam meritorum expoſitionem & ſupplicationem a candidato factam ſuffragatoribus, qui conferre dignitatem debent. Ambitus iſte nil mali ſuapte natura prodit. Verum alius ambitus eſt, qui, præter meritorum expoſitionem, ſimplicemque precationem, qua candidatus orat ut ſuffragatores fixa memoria ſua teneant merita, addit peculiaria obſequia, promiſſiones, pacta, retributionem, munera, & alia, quæ movent ſuffragatorem ad votum conferendum, non intuitu meritorum candidati, ſed proprii commodi ex tali voto reportandi. Quibus poſitis, duabus concluſionibus rem totam exhauriam.

III. Dico primum. *Nullus Princeps lege aliqua interdicit Nobilibus ſuis diligentias, ſollicitudines, & induſtrias neceſſarias, neque ſimplicem meritorum narrationem, immo neque precationem illam quæ unice eo ſpectat ut ſuffragatores memoria teneant merita candidati, eaque expendant.* Adeo vera eſt expoſita concluſio, ut quilibet Principatus iubeat, Nobiles ſuos hoc prenſationis genus exercere. Heinc in Republica Romana veſte alba candidati, qui officia, & dignitates petebant, in publicum prodibant. Alibi ſua ſigna peculiaria habent, quæ ambitum indicant. Profundis quoque corporis inclinationibus, ſubmiſſaque voce merita ſua inſinuant; atque ad labores in commune Reipublicæ bonum perlatos, expenſaſque factas ut reſpiciant ſuffragatores, ſin manifeſta oratione, vultu, geſtu, & univerſi corporis demiſſione modeſte & reverenter orant. Hæc omnia ex antiquiſſima conſuetudine Nobiles peragunt, quæ non modo non improbantur, ſed commendantur a Principe: ſunt enim diligentiæ iſtæ neceſſariæ ut ſuffragatores candidatorum merita perſpecta habeant, & pro illorum qualitate præmia, gradus, & regimina impartiri valeant. Quare Princeps non modo iſtius generis ambitum non prohibet, ſed nec prohibere abſolute licite poteſt, aliqua extraordinaria circumſtantia dempta. Quandoque enim quæ abſolute bona ſunt, nocua evadunt ob aliquas circumſtantias, quæ tamen, ſi rariſſime occurrant, non ſunt, nec eſſe debent ſufficientes cauſſæ abrogandæ conſuetudinis quæ ſuapte natura conſentanea eſt Principatui.

IV. Dico ſecundum. *Quilibet Princeps ambitum illum ſevere interdicit qui exercetur precibus importunis, promiſſionibus, amicorum, atque conſanguineorum negotiationibus, minis, ſponſionibus iuratis, ſive ante, ſive poſt collationem dignitatis, aliiſque artibus, quæ tollunt, vel aptæ ſunt tollere indifferentiam, & libertatem ſuffragatorum.* Huius generis ambitus diſtribuenti iuſtitiæ ſummopere infeſtus eſt. Impedit enim ne præmia dignis, vel dignioribus conferantur; quin ad indignos promovendos viam aperit latiſſimam, atque infinitorum cauſſa malorum eſt. Si enim ignorantes, qui neſciant, ſi ignavi, qui nequeant iuſtitiam ſive commutantem, ſive vindicem adminiſtrare, ad regimina exaltentur; quot non conſequuntur damna? Subditorum perturbatio, ſcelerum, ſceleſtorumque impunitas, virtutis, atque

Digitized by Google

que proborum hominum depreſſio, & anguſtia, univerſæ denique Reipublicæ iactura. Qua ergo lege obſtringitur Princeps ſubditorum tranquillitatem procurare, commune Principatus bonum ſartum tectum cuſtodire, & augere, optimos ſubditos præmiis, & dignitatibus donare, atque publicæ felicitatis perturbatores punire; eadem itidem devincitur ea omnia præſcribere quæ in hunc finem conferant, eaque vitare quæ tantum bonum impediant. Ad hos fines aſſequendos iuramenta, quibus obſtringuntur tum candidati, tum ſuffragatores ad iuſtitiæ leges ſervandas, ſummopere conducunt. Iure ergo & merito iuramentorum legem adverſus ambitum Principes rogant.

C A P U T III.

Plura iuramenta imponere Principes ſolent adverſus ambitus abuſum.

I. PRimum iuramentum quo obſtringere Principes ſuos Optimates ſolent, ſpectat ea omnia quæ capite ſuperiore *num.* 4. deſcripta ſunt, nempe preces importunas, negotiationes, parentum, amicorumque conſpirationes, ſcrutinia, votorum permutationes, iuramenta quibus ſuffragatores teſtentur candidatis, ſive ante, ſive poſt collationem dignitatis, ſe illis ſuffragatos fuiſſe aut fore ſuffragaturos. Alia iuramenta executionem ſpectant prioris iuramenti. Porro ut iuramentum prohibens ambitum deſcriptum, exactiſſime demandetur executioni, conſueſcunt Principes plures deſtinare magiſtratus, qui eiuſmodi executioni invigilent. Nobiles qui recenſitos magiſtratus conſtituunt, aut iiſdem præſident, duo emittunt iuramenta: alterum, cum magiſtratum ineunt; alterum, cum magiſtratu abeunt. Primo iurant ſe in id operam daturos ut iurata lex ambitus ab omnibus obſervetur. Secundo iurant ſe reipſa obſervari illam effeciſſe. De his tribus iuramentis pauca dicturi ſumus.

II. Primum iuramentum iuſtum eſt, habetque omnes conditiones neceſſarias. Illius ſiquidem materia æqua, & conſequenter licita eſt: gravis quoque ſummique momenti, quippe bonum publicum ſpectat. Illius itidem obſervantia ſuapte natura facilis eſt. Habet itaque omnes conditiones iuramenti promiſſorii. Vide quæ *capite* II. *num.* 4. dicta ſunt.

III. Porro ut melius vim obligationis qua iuramentum iſtud pollet, percipiatur, obſervandum eſt, quod, quando non ab aliqua poteſtate, ſeu Rege cogente, ſubditis illud imponitur (qui, velint, nolint, illi ſe ſubiicere tenentur) ſed ab illis ipſis indicitur qui illud exequi debent, ut in Republica Romana; tum ne fucata qui-

quidem eludi tergiverſatione valet. Quandoquidem Optimates, ſi ſigillatim conſiderentur, ſubditi ſunt; ſi coniunctim, Principatum conſtituunt, poteſtatem præferunt publicam. Ipſi ergo ſibi leges ſunt, quia ipſi illas condunt una congregati; ſed ſeparatim accepti, legibus a ſe ſimul conditis obnoxii evadunt. Porro, ſi iuramenta, de quibus nunc ſermo eſt, ab illis ipſis qui plurium ſæculorum experientia didicere quæ Principatus bono congrua, quæ noxia, quæ obſervatu poſſibilia, vel impoſſibilia ſunt, inſtituuntur, & pluribus decretis renovantur, pœnarumque ſeveritate adverſus tranſgreſſores muniuntur; ſi hanc ſolam inſtitutionem, & crebram repetitionem, confirmationemque ſpectemus, in fumum abeunt obiectiones illæ quæ fieri ſuper difficili iſtorum iuramentorum obſervatione ſolent.

IV. Primum ergo iuramentum quod ſingulos Optimates afficit, omnibus conditionibus pro licito, validoque iuramento neceſſariis, inſignitum eſt. Duo poſteriora, nempe ſecundum, & tertium, ſolos præfatorum magiſtratuum Præſides tangunt. Secundum, quemadmodum primum, eſt promiſſorium. Tertium aſſertorium. Hæc duo iuramenta peculiarem ſecum afferunt difficultatem. Secundum, quo obſtringuntur magiſtratus ad promovendam primi iuramenti obſervantiam, pluribus ſcopulis obnoxium eſt. Difficile ſiquidem eſt, homines, potiſſimum in Principatu, in quo invicem magnopere pendent, velle alios ſibi æquales, vel ſuperiores in ordinem continere, & tranſgreſſores coercere; & immenſam odii, invidiæque ſegetem ſibi parare. Tertium vero, quod eſt aſſertorium, quo præfati magiſtratuum Præſides iurant ſe reipſa obſervationem legis ambitus curaſſe, eſt omnium difficillimum. Hæc tamen difficultas ab obſervantia dictos Præſides haudquaquam excuſat. Si eos graviſſimum, uti revera eſt, præfati iuramenti onus anxios efficit; magiſtratum recuſare valent. Ceterum, ſi dignitatem magiſtratus ambiunt, & ſuſcipiunt, iure adſtringi poſſunt ut ſub iuramento onera impleant eiuſdem. Verum de hoc plura in ſequenti. Reliquum foret ut limites diligentiæ quam præſtare debent Præſides iuramenti vindices, definiremus. Sed paucis hoc expediemus.

CAPUT IV.

Expenduntur obiectiones adverſus iuramentum ambitus : & magis confirmatur lex quæ ambitum prohibet.

I. PLures opponi difficultates ſolent adverſus legem imponentem iuramentum non exercendi ambitum in dignitatum aſſecutione. Eas omnes ad examen revocabimus, & ex earum reſolutione clarius patebit quam iuſta ſit lex quæ ambitum ſub iuramento prohibet.

II. Obiicies 1. Iniquum eſt iuramentum ab eo exigere quem ſcis eſſe peieraturum, ut cum S. Auguſtino, D. Thoma, & D. Antonino communiter Theologi docent. At illi ipſi qui iurant ſe ambitum non facturos, per ambitum dignitates aſſequuntur; idque manifeſtum eſt ex ipſo facto. Nequit ergo Princeps eiuſmodi iuramentum exigere a ſubditis, quos noſcit peieraturos. Potuit primum legem, & iuramentum imponere, quia periuria nota illi non erant; nunc autem, cum experientia didicerit, ſubditos non obſervare iuramentum quod exigit, non poteſt licite tale iuramentum imponere.

III. Reſp. Homo privatus non poteſt inducere ad iurandum, neque exigere iuramentum ab eo quem certo ſcit eſſe peieraturum, ut ſuo loco dicemus. Sed hinc nihil colligitur contra iuramentum ambitus. Princeps non uni, aut alteri iuramentum imponit, ſed omnibus Nobilibus. Porro falſum eſt omnes peierare: nam plures iuramentum obſervant. Hoc autem ſatis eſt ut Princeps poſſit iuramentum imponere omnibus Nobilibus, licet a quibuſdam violetur.

IV. Obiicies 2. Non aliqui dumtaxat, ſed maior pars iuramentum iſtud infringit; quin communiter omnes illud violant, & pauciſſimi ſunt qui illud obſervent; nec Principi ignota eſt hæc univerſalis tranſgreſſio. Tenetur ergo legem abrogare quæ tot periuriorum cauſſa eſt. Periuria enim peccata immania ſunt, quæ divinam provocant vindictam, & flagella ſuper periuros inducunt. Cum itaque ad Principem pertineat ſubditorum mala pro virili parte removere, conſequitur, eum obſtringi ad revocandam legem quæ fons eſt, & origo infinitorum propemodum malorum.

V. Hæc oppoſitio locum habere nequit, potiſſimum ubi illi ipſi qui iurant, iuramenti legem condunt. Quo enim fundamento dici poteſt, a maiori parte non obſervari iuramentum illud quod ab illis ipſis qui ſervare illud debent, poſt diuturnam experientiam renovatur, noviſque legibus munitur? Si communiter omnes fere, paucis exceptis, iuramentum ambitus violarent; anne præſumendum eſt

tam proiectæ conſcientiæ omnes fere Optimates eſſe, ut conſcii periuriorum quæ ipſi perpetrant, velint renovare legem quam ſciunt a ſemetipſis violandam fore repetitis periuriis? Ubi vel leve fundamentum tantæ perverſitatis? An ne credibile eſt in tanta multitudine nullos fore reclamaturos in illo ſolemni conſeſſu congregatos pro legis renovatione, ſi ſcirent legem a maiori parte violari?

VI. Obiicies 3. Non præſumptionis, ſed experientiæ, & facto ſtandum eſt. At experientia conſtat fere omnes ambitum exercere in dignitatum aſſecutione. Ergo lex ambitus obſolevit. Quandoquidem univerſalis tranſgreſſio legis, ſi diuturna eſt, & Principi nota, conſuetudinem inducit, quæ legem abrogat.

VII. Reſp. Ut ſententia noſtra manifeſtior evadat, concedamus quod alioquin falſum eſſe præſumendum eſt, nempe communiter fere omnes legem ambitus violare. An ne propterea contraria conſuetudo legem tollit? Minime gentium. Quoniam lex ambitus, licet humana, & poſitiva dici poſſit, prout ſcripta, & promulgata, & ſub definitis formulis concepta a Principe ſit, abſolute tamen naturalis eſt; ſeu ambitus, quem Princeps ſuo decreto prohibet, iam ab ipſa lege naturali vetitus ſemper fuit. Siquidem ambitus iſte lædit iuſtitiæ diſtribuentis iura, eo quod liberam eiuſdem adminiſtrationem impedit. Quare lex iuramenti declarat tantum, &, quoad poteſt, confirmat legem naturalem, pœnaſque tranſgreſſoribus infligit. Porro tranſgreſſiones legis quæ in ſua origine naturalis eſt, non conſuetudinem, ſed corruptelam graviſſimam pariunt. Nulla quippe conſuetudo legi naturali prævalere poteſt, illamque abrogare, ut Theologi omnes docent. Leges mere humanæ, & poſitivæ, quæ aliquando bono communi congruæ, & neceſſariæ ſunt, &, circumſtantiis variatis temporum, ac perſonarum, non amplius conſentaneæ ſunt, vel non tam neceſſariæ, contraria conſuetudine auferri poſſunt; contra lex naturalis non temporum, non locorum, non perſonarum mutationi obnoxia eſt, ſed ſemper eadem firma, & invariata conſiſtit, ideoque nulli ſubiacet contrariæ conſuetudini. Hæc omnia certiſſima ſunt. Quamvis ergo violatio legis univerſalis foret, quamvis omnes legem ambitus violarent; non propterea culpa minueretur, ſed augeretur. Neque idcirco lex tollenda, ſed illius obſervatio maiore conatu promovenda foret.

VIII. Sed quid conſuetudinis larvam obtrudis? An non inter conditiones neceſſarias pro vera conſuetudine conſenſus Principis requiritur? Porro nonne Principes ſingulis annis renovare iuramenti legem ſolent? Volunt ergo legis obſervationem. Renovant, inquis, ſed ſimul ſciunt non fore obſervandam. Quid inde? Etiam Deus ſcit legem ſuam divinam a paucis obſervandam fore. An propterea non obligat? Accedit: quando Optimates una coniuncti legem renovant, Principis perſonam gerunt, dum ſeiuncti, & ſigillatim legem violant, ſubditi vices ſuſtinent. Præterquam quod nec ipſa violatio legis in Principe vim legis aufert. Subduntur ſa-

ne

Digitized by Google

ne & ipſi Principes legum obligationi *directive*, licet non *coactive*; cum nullum hic in terris ſuperiorem habeant, a quo cogantur legem ſervare. Tandem non eſt præſumendum Optimates renovantes legem ſcire legem ab omnibus violandam. Peccarent tunc qui ſacroſanctum iusiurandum ioci loco haberent, illudque ſibi ſponte violandum imponerent. Sed potius verum eſt, Optimates noſſe iuramenti neceſſitatem ad Principatus rectam procurationem, & ad iuſtitiæ diſtribuentis obſervationem. Ceterum, dum obſervantiæ occaſio adeſt, humanitatis imbecilſitate, & ambitionis æſtu impellentibus, tentationi ſuccumbunt nonnulli, & hanc, quemadmodum alias leges, violant: &, quod omnium malorum maximum eſt Theologos inveniunt qui illorum periuria fucis, & cavillis honeſtant ut licita de quo infra.

CAPUT V.

Variæ quæſtiunculæ inſtituuntur, & reſolvuntur ſuper ambitus lege.

I. PLures adhuc difficultates quæ in legis huius executione occurrunt, reſolvendæ ſuperſunt. Quod ut melius efficiam, varias quæſtiunculas proponam, ſimulque reſolvam.

II. Quæſt. I. *Omnia ne quæ in lege ambitus continentur, obligant ſub gravi culpa?* Reſp. Principes, & Reſpublicæ varias adiicere conditiones in lege ambitus ſolent. Aliæ maioris, aliæ minoris momenti ſunt. Quæ levia ſunt, parum bono publico conducunt: idcirco hæc quæ levia iudicantur, contraria valent conſuetudine abrogari. Sed quænam gravia reputari communiter debent? Leges, & decreta conſulenda ſunt, quoniam aſſignari generalis regula nequit. Gravia reputantur *ſecreta commercia, importunæ, ſeu violentæ preces, conſanguineorum, amicorumque conſpirationes, rationem dati, aut non dati ſuffragii reddere, idque iuramento ſive ante, ſive poſt collationem dignitatis firmare, & ſcrutinia inſtituere.*

III. Quæſt. II. *An admittenda ſit materiæ parvitas in iis quæ prohibentur a lege ambitus?* Reſp. Sicut in aliis legibus, ita & in hac parvitas materiæ reperitur, tum ob defectum plenæ deliberationis, tum ob levem tranſgreſſionem. Puta, ſi quis poſt ſinceram meritorum narrationem ſimplicem adderet precationem, ut ſuffragator ad meritum candidati reſpiceret, nullum peccatum committeret. Si vero ultra ſimplicem precationem, quæ ſignum potius ſubmiſſi animi eſt quam iniuſtæ ſuaſionis argumentum, preces multiplicaret; poſſet aut venialiter, aut mortaliter peccare. Etenim, ſi preces ita validæ, & importunæ forent, ut, licet veram violentiam, & coactionem non inferrent ſuffragatori, illius tamen liberam

Digitized by Google

indifferentiam tollerent; dubio procul peccatum foret mortale, præter crimen periurii. Si autem preces ita moderatæ forent, ut, licet limites legis aliquomodo tranſilirent, non tamen ſecundum prudentem exiſtimationem, liberam facultatem ferendi ſuffragii graviter læderent; peccatum non foret mortale, neque tunc periurium committeretur: quia materia iuramenti promiſſorii potiſſimum non conſiſtit in aliquo puncto indiviſibili; ſed conſideratur ſecundum prudentem exiſtimationem. Hæc tamen caute accipienda ſunt, maxime ob iuramentum datum de non exercendo ambitu. Nam, licet transgreſſio legis ambitus abſolute levis, & venialis utcumque eſſe poſſit; facillime tamen mortalis evadit ob iuramentum, quo firmatur promiſſio obſervandæ legis. Quare præter meritorum expoſitionem nihil aliud addendum eſt. Et, ſi precatio aliqua adiungenda foret; non alia, niſi hæc, aut ſimilis, eſſe deberet: Oro dominationem veſtram ut ad merita mea, ſeu ad labores, & diſpendia a me facta in favorem Reipublicæ reſpicere dignetur.

IV. Quæſt. III. *An Princeps debeat, vel poſſit ſuſpendere iuramentum, additum legi ambitus, ſi ſciat illud non obſervari?* Reſp. Huius quæſtiunculæ facilis erit reſolutio, ſi finem ob quem lex condita, & iuramentum impoſitum fuit, in memoriam revocemus. Hæc porro lex eo unice ſpectat ut iuſtitiæ integritatem, eiuſdemque illibatam adminiſtrationem cuſtodiat, & tueatur, tamquam firmiſſimum Reipublicæ propugnaculum. Ad iſtius finis aſſecutionem, poſt diuturnam plurium ſæculorum experientiam, Principes norunt iuramentum magnopere conducere. Quo poſito, nemo non videt, Principem non teneri ad revocandum præfatum iuramentum. Non tenetur, inquam, nec titulo iuſtitiæ, nec caritatis, neque ratione politica. Immo e contrario aſſero, Principem potius iuſtitiæ, caritatis, & politiæ vinculis obſtringi ad promovendam, inculcandamque & legis, & iuramenti obſervantiam. Siquidem, quoties legiſlator videt legem a ſe ob bonum commune latam violari; illius eſt in tranſgreſſores animadvertere, pœnarumque ſeveritate refractarios ad obſervantiam adigere. Quod tum potiſſimum verum habet, quando lex lata a Principe ea confirmat, vel reiicit quæ ab ipſa lege naturali præcipiuntur, aut vetantur. Porro lex ambitus nil aliud prohibet ſub iuramento quam ea quæ prohibentur vel ipſa naturali lege. Nequit ergo Princeps ſuam legem licite revocare. Quandoquidem, ſi talem legem, aut iuramentum revocaret, iam ipſe ad iuſtitiæ læſionem ianuam reſeraret, quoniam ea auferret quæ ad iuſtitiam intaminatam ſervandam conferunt. In hypotheſi enim loquimur quod Princeps legem tulerit reipſa bono communi conſentaneam; & quod poſt maturam experientiam eamdem legem cognoſcat neceſſariam ad iuſtitiæ conſervationem; & tandem quod temporis decurſu nihil novi acciderit, ratione cuius lex ipſa inutilis, aut minus bono communi, ſeu iuſtitiæ iuribus cuſtodiendis apta evaſerit. Tunc Princeps nullo modo legem ſuam revocare licite valet. Nam con-

Digitized by Google

conſiſtunt omnes rationes, omnia momenta, ut ſupponimus; quæ Principem impulerunt ad ferendam legem. Ergo, ſi omnia immota conſiſtunt, ſi iuſtus fuit Princeps in lege ferenda, iuſtus quoque eſt in ea conſervanda: & , ſi iuſtus foret in illius revocatione, iniuſtus fuiſſet in eiuſdem inſtitutione. Sed tranſgreſſiones, & periuria Principis menti nunc adverſantur, quæ in legis inſtitutione ignorabat: idcirco nova ratio adeſt legem iuratam revocandi. Si ratio iſta valeret, plurimæ leges naturales, & Evangelium ipſum revocandum eſſet. Nam plures ſunt tranſgreſſores quam obſervatores. Multitudo tranſgreſſorum movere Principem debet, non ad violatam legem tollendam, ſed ad legis obſervantiam validius inculcandam, & ad violatores pœnarum ſeveritate in ordinem redigendos. Poſito ergo quod iurata lex ambitus revera conſerat ad iuſtitiæ diſtribuentis iura tuenda, & ad bonum commune promovendum; non eſt amplius in Principis poteſtate eiuſdem legis revocatio: quia iurata lex ambitus nil aliud eſt, niſi maior explicatio, & confirmatio legis naturalis, quæ ob multitudinem tranſgreſſionum numquam abrogari iure valet. Ad iuramentum autem legi appoſitum quod attinet, cum & iſtud iudicatum fuerit medium efficax ad liberam iuſtitiæ adminiſtrationem conſervandam; & cum nulla nova appareat ratio vi cuius ineptum evaſerit ad eiuſmodi finem; nulla quoque occurrit ratio ob quam Princeps illud revocare valeat. Si enim iuſtitia ipſa hoc iuramentum, tamquam ſuæ conſervationi utiliſſimum, & pene neceſſarium, præſcripſerit; illud ſi abrogaret, ſemetipſam conficeret: quoniam ea ſubmoveret ſine quibus vix ſe conſiſtere poſſe, longiſſima experientia cognovit.

V. Neque caritatis titulo tenetur Princeps præfatum iuramentum ſuſpendere ob multorum tranſgreſſiones; quin ob hanc cauſſam illud potius inculcare debet. Siquidem, præter rationum momenta recenſita ferendi legem iuratam adverſus ambitum, alterum ſupereſt in ipſa lege conceptis verbis expreſſum. Illud autem eo ſpectat, ut auferat occaſionem duplicis periurii. Prava etenim conſuetudo ante legem ambitus obtinebat, ut Nobiles ſuffragatores, priuſquam dignitas collata fuiſſet, iuramentum ederent dandi ſuffragium candidato; & poſt collationem dignitatis aliud repeterent iuramentum, quo confirmabant ſe reapſe ſuffragium illi dediſſe: quæ duo iuramenta ſacrilega & iniqua, utpote iuſtitiæ diſtribuentis libertati adverſa, erant. Caritatis autem eſt maiora mala impedire. Iurata lex abſtinendi ab ambitu, Nobiles incapaces conſtituit iurandi ſe ambitum facturos. Si enim quis publice iurat ſe mihi petenti votum, negaturum illud eſſe, nullam amplius ego fidem adhibere ei prudenter poſſum, etiamſi poſtea iuraret ſe tale votum mihi daturum. Publicum ergo iuramentum impedit duo privata iuramenta, ſeu periuria. Quamquam igitur lex publici iuramenti ſecum adferat periculum alicuius periurii; adhuc tollenda nec titulo caritatis eſt, quia tollit occaſio-

nem plurima perpetrandi periuria. Præter quam quod iuramentum publica auctoritate inſtitutum pro iuſtitiæ conſervatione, & a plurimis Nobilibus quolibet trimeſtri innovatum, cedit in Dei honorem, iuſtitiæ incrementum, ac iurantium meritum. Contra, iuramenta privata, facta in favorem ambitus, ſemper ſunt iniuſta, ſæpiſſime prava, & periuria, & numquam in Dei honorem, vel iuſtitiæ conſervationem cedunt. Cum itaque officium caritatis ſit mala proximorum impedire, conſequitur vinculo caritatis Principem obſtringi ad promovendam publici iuramenti contra ambitum obſervantiam, ut periculo plurium periuriorum ſubditos ſuos ſubducat, eoſque ad privatim peierandum incapaces conſervet. Quis enim fidem adhibebit iuramento illius qui publice iuravit ſe minime facturum quod poſtea ſub iuramento ſe facturum adpromittit?

VI. Poſtremum ipſius Politiæ ratio impedit quominus Princeps ſuſpendat laudatum iuramentum. Hæc enim ſuſpenſio tetram maculam univerſæ Nobilitati adſpergeret. Siquidem eiuſmodi ſuſpenſio argumento foret, Nobiles periuros eſſe. Cur namque ſuſpenſio dictæ legis inculcatur, niſi ut ab occaſione peierandi, immo ab ipſis periuriis, Nobiles liberentur? Admiſſa itaque legis abrogatione, Princeps publica auctoritate declararet, Nobiles periuros eſſe. Quo poſito, en iacturam famæ, venerationis, & exiſtimationis: en tribunalium contemptionem. Iurant Nobiles ſe recte adminiſtraturos ſubditis ſuis iuſtitiam. Si ſemel ſe produnt iuramentorum profanatores, ac publicos tranſgreſſores; quis debito obſequio ſuſpiciet eorum iuſſa? Ex quibus omnibus colligitur, iuramentum adverſus ambitum inſtitutum ſummopere ad iuſtitiæ integritatem, bonique communis conſervationem conducere, & eiuſdem praxim optimam eſſe. Licet autem multi eodem abutantur, & periuria perpetrent; non tamen revocandum eſt. Sed quæ rationum momenta Principem impulerunt ad condendam legem, & iuramentum iſtud imponendum, eadem movere illum debent ad eiuſmodi iuramenti obſervantiam curandam, violatoreſque, & refractarios coercendos. Clauſulæ dumtaxat quæ ſub iuramento cadunt, temperari, ſi opus foret, poſſunt.

VII. Quæſt. IV. *An, ſi candidatus ſcrutinium ſuffragiorum quæ ſibi conferenda ſperat, ante collationem dignitatis inſtitueret, rationeſque ſubduceret, legem, & iuramentum ambitus violaret?* Reſp. Si ſolum ſcrutinium conficeret calculorum quos favorabiles ſibi credit, ut vel ſpem ſuam foveret, vel a petitione recederet; nullum peccatum foret. Si vero amici, & parentes interveniant, qui ſimul illud ſcrutinium, ſeu computum faciant, ut explorent quot vota deſint, quotve requirantur ad dignitatem comparandam; & hac ratione dignoſcant, quinam ſuffragatorum ſibi ſint adverſi, quive faventes, valeantque illos ſollicitare, iſtos placare, benevoloſque ſibi reddere; tunc dubio procul lex violatur, & periurium committitur. Verbo dicam. Quando ſcrutinium privatum ſolummodo inſtituitur, ut candi-

didatus ſciat quid ſperare, quidve deſperare valeat; nullum, mea quidem ſententia, peccatum committit. Si vero ſcrutinium inſtituat, ut vota augere valeat, & ſuffragatorum propenſiones explorare eo fine ut eorumdem benevolentiam ſibi conciliare officiis, & obſequiis valeat; peccat tum contra legem, tum contra iuramentum legi adiunctum.

VIII. Quæſt. V. *An præfatum iuramentum ambitus poſſit aliquo modo inter iuramenta incauta collocari?* Reſp. Nihil frequentius Scripturæ ſacræ, ſanctique Patres inculcant quam ut a frequenti iuratione abſtineamus. Quia dicitur in Eccleſiaſtico XXIII. verſ. II. *Vir multum iurans implebitur iniquitate*. Item verſ. 9. *Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa*. Patrum auctoritates, ubi de conſuetudine iurandi ſermo erit, afferemus: nec enim quæſtioni huic quadrant. Quare breviſſime reſpondemus, nullo modo tamquam incautum reputari præfatum iuramentum poſſe. Illa enim incauta iuramenta merito dicuntur quæ ſine neceſſitate, & ad res leves parvique momenti firmandas frequenter proferuntur. Porro iuramentum ambitus ad confirmandos actus ſummi momenti, & propter maximam utilitatem communis boni, atque cum debita gravique deliberatione fit: nec frequenter exhibetur, ſed tantum quolibet trimeſtri. Quare comites habet omnes prærogativas, ſeu conditiones iuramenti promiſſorii.

IX. Quæſt. VI. *An, ſi ſola pœnarum impoſitione poſſet haberi finis conſervandæ libertatis in iuſtitiæ adminiſtratione, ſuſpendi deberet iuramentum?* Reſp. Quando alia via, aliiſque mediis poſſet Princeps promovere, & conſervare integritatem iuſtitiæ, bonumque commune Principatus; dubio procul a lege imponente iuramentum abſtinere deberet: quoniam iuramentum eſt gravis, & ultimæ neceſſitatis remedium: una ſiquidem ex conditionibus quæ ſanctum reddunt eiuſdem uſum, eſt neceſſitas; qua ſublata, iuramentum incautum eſſet.

X. Quæſt. VII. *An reipſa nunc pateat alia via cuſtodiendi iuſtitiæ iura libera & integra, præter vinculum iuramenti?* Reſp. Cum a pluribus ſæculis omnium remediorum pro evellendis corruptelis in die gliſcentibus adverſus iuſtitiæ diſtribuentis adminiſtrationem Principes periculum fecerint; dicendum videtur, nullum aliud ſuppetere validum remedium præter iuramentum. Idcirco Principes legem iurandi tam frequenter, & tam ſevere inſtaurarunt ut iuſtitiæ integritati occurrerent. Si enim alia remedia, nempe multæ pecuniarum, officiorum, & dignitatum privatio, ſatis fuiſſent; a lege iurandi imponenda abſtinuiſſent Principes. Quod adeo verum eſt, ut illi ipſi qui inutilitatem remediorum quæ recenſuimus, experti ſunt, expediens iudicarint ſe ſe iuramentorum vinculis obſtringere.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Alia iuramenta quæ afficiunt magiſtratuum Præſides, alioſque miniſtros tantum, explicantur.

I. QUam gravis ſit lex ambitus, quamque ſtricti iuris, inde colligi poteſt, quod Principes non modo legem iurandi rogaverint, verum etiam legem inſtituerint creandi miniſtros, ad iſtius legis executionem curandam deſtinatos, qui iuramento ſe devinciant in ipſo miniſterii exordio, ſeu ingreſſu, procurandi præfatæ legis obſervantiam, &, officio expleto, altero iuramento teſtentur ſe reipſa legis obſervantiam curaſſe. Quæ duo iuramenta, cum peculiari difficultate ſint implicita, ſigillatim diſcutienda ſunt.

II. Iuramentum quod miniſtri in ipſo dignitatis ingreſſu exhibent curandi legis obſervantiam, promiſſorium eſt. Difficilius tamen obſervatu eſt quam ipſum iuramentum quod afficit omnes Optimates de ambitu non exercendo. Quandoquidem hoc iuramentum quo miniſtri ſe obſtringunt ad induſtriam adhibendam ut lex executioni demandetur, præter difficultatem illam quam perſonalem vocare poſſumus, abſtinendi ab ambitu per primum iuramentum univerſale vetito, graviorem aliam ſecum defert difficultatem, cogendi nimirum ceteros omnes Nobiles ad legis iuratæ obſervantiam. Quæ res odii, invidiæque plena eſt, pluribuſque obnoxia ſcopulis. Quare qui hanc dignitatem præſidendi; & invigilandi præfatæ legis obſervationi ſuſcipiunt, bono animo, invictaque fortitudine inſtructi ſint oportet. Non ſpei, non timori, non reſpectibus hominum ſint ſubiecti; ſed ſolius iuſtitiæ, boni communis, & patriæ ſervandæ, amplificandæque ardore flagrare debent. Qui has prærogativas ſe non habere cognoſcunt, ab huiuſmodi dignitatibus abſtinere debent, oblataſque reſpuere, ut periuriorum periculo ſe ſe ſubducant. Quod ſi vel inviti eiuſmodi onera, ſeu officia ſubire adſtringantur; tunc toto conatu, ſedulaque vigilantia, omni humano abſciſſo reſpectu, invigilare, & pro virili parte efficere debent ut iurata lex obſervetur. Pauci ſunt, inquis, qui hæc præſtare valeant. Non abnuo. Sed quid inde? Anne propterea ab obſervantia iuramenti liberi ſunt? Non certe. Plurima namque alia præcepta difficillima ſunt, paucique reperiuntur qui ea obſervent: neque idcirco de obligatione, & debito eadem exequendi dubitatio ulla occurrit.

III. Tertium iuramentum omnium difficillimum eſt, appellaturque *aſſertorium*. Teſtantur enim præfati miniſtri, dum magiſtratu ſe abdicant, ſe reipſa effeciſſe ut lex obſervaretur. Si iuramentum hoc exhibere renuant, nequeunt ad alias Prin-

Digitized by Google

Principatus dignitates admitti. Et propterea qui propriæ conſcientiæ conſulere ſerio cupiunt, aut invicta fortitudine promovere legis obſervantiam debent, aut ſe magiſtratu abdicare.

CAPUT VII.

Quædam commenta quibus eludi præfata iuramenta ſolent, expenduntur.

I. Quaſdam obiectiones *cap.* IV. adverſus primum iuramentum ambitus fieri ſolitas refutavimus. In præſenti quædam commenta quibus omnia tria iuramenta eludere non pauci conantur, refellenda ſuſcipimus.

II. Obiicies 1. Iuramentum promiſſorium non obligat cum gravi periculo honoris, famæ, & bonorum iacturæ. At Præſides, ſi Optimates adſtringerent ad obſervandam legem iuratam ambitus, multa in pericula, & incommoda inciderent. Dicendum ergo eſt, non teneri cum tanto damno implere iuramentum promiſſorium de curanda legis huius obſervantia. Reſp. Quando iurans invincibiliter ignorat grave periculum iuramento annexum, non tenetur ad ſervandum id quod ſub iuramento promiſit. Neque hæc dum dicimus, abſolvimus iurantem ab obſervantia iuramenti; ſed ſolum aſſerimus, in tali eventu iurantem non iuraſſe ſe facturum id quod gravia damna infert promittenti. Si enim perſpecta hæc damna, & incommoda illi fuiſſent; prudenter præſumendum eſt illum minime iuraturum fuiſſe. Quomodo autem ſimiles iuratores relaxationem iuramenti petere debeant, alibi dicam. Ceterum Præſides, aliique miniſtri omnes minime ignorant, ſed apprime cognoſcunt pericula, damna, incommoda, odia, invidiamque quibus ſe ſe ſubiiciunt, cum iurant ſe legis huius obſervantiam curaturos. Nullo ergo modo pericula, & damna in quæ ſolent incidere, cum ceteros Nobiles ad legis ambitus obſervantiam adigere pertentant, illos ab executione dati iuramenti excuſant. Nihil ergo timidis Præſidibus remanet, niſi ut exequantur monitum Eccleſiaſtici cap. IV. *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro iuſtitia; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Item illud cap. VII. *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.*

III. Obiicies 2. contra primum iuramentum non exercendi ambitus. Hoc iuramentum conditionatum eſt, nempe, ego iuro me ab ambitu ceſſaturum, dummodo alii quoque abſtineant. Senſus ergo iurantis obſervantiam conſtitutionis eſt eiuſmodi. Si hæc conſtitutio ab omnibus, aut a maiori parte obſervabitur, iuro me quoque illam obſervaturum. Quod vero conditio iſthæc ſubintelligatur, ex

eo

eo conſtat quod ſi iuramentum Titii eſſet abſolutum, etiamſi ceteri ambitum in petitione dignitatum exercerent, tunc Titius iuraret ſe numquam in poſterum aſſecuturum eſſe aliquod officium. Quoniam omiſſio ambitus, dum communiter alii illum exercent, èſt tacita recuſatio cuiuſque dignitatis. Cedo. Si quis iuraret ſe numquam e vagina gladium eductúrum, conditio ſane ſubintelligeretur, dummodo ceteri illum non exerant ad eum occidendum. Idem ergo in caſu noſtro dicendum. Qui primi ambitu utuntur, ut ſuffragia ſibi comparent, utique peccant; ſecus illi qui aliorum exemplo coacti ambitum agunt, ut ab iniuſtis æmulis ſe ſe defendant. Quid namque magis exoptant viri probi, meritorum pleni, & de Republica optime meriti, quam ut vel ipſa ambitus ſpecie ſublata, ſola ſpectentur merita? At, ſi homines indigni uni ſtudent ambitus arti, ipſa ſervandæ iuſtitiæ neceſſitas ad ambitum viros dignos compellit.

IV. Reſp. Hæc ſunt ſophiſmata quibus vel ipſi ſapientes ſibi fucum faciunt Conditio obiecta, quæ reſtrictio mentalis eſt, humanæ ſocietati, regimini, & cuique mutuo fœderi infeſta, & exitialis, locum ad ſummum habere poſſet in iis legibus quæ mere poſitivæ ſunt, & mutationi obnoxiæ, quæque, Principe conſentiente, contraria conſuetudine abrogari queunt; ut ſunt illæ quæ manuum tactus, mutuos amplexus, motum e loco prohibent, de quibus ſupra dictum eſt. At lex ambitus, de qua in præſentia ſermo eſt, non tam eſt poſitiva, quam confirmatio iuris naturalis præſcribentis liberam iuſtitiæ adminiſtrationem. Quapropter, quacumque ſubditorum tranſgreſſione admiſſa, adhuc obligat, potiſſimum Principe eamdem legem renovante: nec tranſgreſſiones etiam univerſales ſubditorum conſuetudinem umquam inducunt contra hanc legem, ſed deteſtabilem corruptelam. Lex ambitus iuſtiſſima eſt, ut vidimus. Tenetur ergo ſubditus Principi illam roganti omnino parere, conſequenter ſecundum mentem Principis iurare, quacumque conditione ſecluſa. Tunc conditio in aliquo iuramento ſubintelligi iure, & prudenter poteſt, quando actus iurati executio mala evaderet, & contrarius actus foret neceſſarius. Idcirco, quando quis iurat ſe numquam eductúrum gladium, ſubintelligitur neceſſario conditio, nempe quod inimicus gladium non exerat ad illum occidendum: quia defenſio vitæ eſt neceſſaria, & omiſſio defenſionis quandoque mala eſſe poteſt. Quare iuramentum non adhibendi gladium ſine præfata conditione includeret actum amittendi vitam, qui actus iuramenti capax non eſt: & ideo conditio eidem iuramento ſemper eſt coniuncta. E contrario omiſſio ambitus vetiti a laudata conſtitutione ſemper bona eſt, & congrua iuramenti materies. Nullam ergo conditionem addere iurans poteſt tali iuramento. Viri probi, de Republica optime meriti, labores exantlatos, diſpendia facta in bonum commune, omnia ſua merita exponere poſſunt, hiſque licitis viis aſſequi dignitates valent. Nec credibile eſt adeo iniuſtos fore ſuffragatores

Digitized by Google

tores maiori ex parte, ut ambitus artibus ſuccumbant, & indignis præmia impartiant. Quod ſi ea etiam foret temporum calamitas, ut ab aliis omnibus iuſtitia violaretur; non ob id tu excuſaris ab obſervatione legis, quæ iuſtitiæ conſervationem præcipit. Nulla ergo conditio, nulla mentis reſtrictio locum habet in præfatis iuramentis. Numquid quia alii iuſtitiam violant, tibi quoque illam violare fas eſt?

V. Obiicies 3. In decreto contra ambitum præcipitur ut denegetur ſuffragium illud imploranti. At contingere non raro poteſt, illum qui implorat, eſſe digniorem præ aliis omnibus. Iniuſtitiam igitur ego committere deberem, ſi legi parendo ſuffragium illi denegarem. Reſp. Aut candidatus ſuffragium implorat ſimplici precatione; & tunc legem ambitus non violat, nec ſuffragium eſt illi denegandum: aut ſuffragium implorat precibus importunis, & violentis; & tunc legem iuratam ambitus tranſgreditur, atque pœnam privationis a lege latam incurrit. Quare in hoc caſu iniuſtitiæ actum non exerces, dum denegas illi ſuffragium: quia candidatus, licet abſolute ſit dignus, ob culpam tamen ambitus commiſſi indignum ſe ſe conſtituit habendi dignitatem quam petit, ſic imperante lege: & idcirco iuſtiſſime illi tu ſuffragium denegare debes.

CAPUT VIII.

Proponitur iuramentum ambitus Belgici: & deciſio Facultatum Lovanienſium ſuper quibuſdam difficultatibus circa intelligentiam eiuſdem iuramenti.

I. Ut pleniore in lumine collocem ea quæ ſuperioribus capitibus docui, pro exacta obſervantia, & recto intellectu iuratæ legis latæ in ambitus proſcriptionem, congruum duxi iuramentum quod ab antiquis temporibus a candidatis Principatus Belgii ſit, ſuprema auctoritate imperante, referre. Plures variorum regnorum leges in medium afferre potuiſſem in confirmationem eorum quæ dixi; ſed prolixitatis nimiæ vitandæ cauſſa, unicam legem pro Belgio conditam referam, eo quod hæc præ ceteris conformior ſit legi ſupra explicatæ: & deciſio difficultatum ſuper eiuſdem legis ſincera intelligentia, ab Univerſitate Lovanienſi data, plurimam lucem deciſionibus noſtris afferet, & auctoritatem. Iuramentum autem quod exhibetur ab univerſis, & ſingulis in magiſtratum vel Senatum perſcribendis, vel per magiſtratum, aut Senatum de officio providendis, eſt ſequentis formæ.

II. *Ego N. N. per, & ſuper ſancta Evangelia promitto, ac iuro me pro conſulatu, vel officio iurato, nec bona ulla, nec pecuniam, nec munus, nec obſequium,*

nec

nec beneficium dediſſe, promiſiſſe, obtuliſſe, aut dari, promitti, vel offerri meo nomine curaſſe. Inſuper nec precibus ſollicitaſſe, aut ſollicitatorem interpoſuiſſe, nec mutuum dediſſe, vel dari feciſſe quoquo modo ſive per me, ſive per alium quemquam. Quod ſi ſecus egerim, prævaricator, & infamis cenſear, nec umquam ad Senatum, aut miniſterium, aut ullam iuriſdictionem, ullumve regimen cuiuſquam urbis, oppidi, vel pagi pateat mihi aditus. Similiter quoque me non acceptaturum ſive per me ipſum, ſive per alium ullum munus, aut oblationem honorariam ſive in pecunia, ſive in bonis pro collatione cuiuſquam officii, vel miniſterii mihi competente; nec permiſſurum ut ulla mihi fiat eiuſmodi promiſſio eo intuitu.

III. Plures difficultates ſuper obſervantia præfati iuramenti exortæ fuerunt. Vix ſiquidem lata eſt lex aliqua quorumdam rationibus, negotiiſque incommoda, confeſtim homines iſti ſtudent variis commentis eamdem ſin penitus eludere, ſaltem extenuare, & in varios ſenſus propriæ utilitati conſentaneos detorquere. Potiſſimum commentum excogitatum pro ſuavi interpretatione Belgici iuramenti erat reſtrictio mentis, qua iurantes formulam iuramenti ad ſuam intentionem accommodabant, & inflectebant, ut ex doctrina datæ deciſionis conſtat.

R E S O L U T I O

data a tribus Facultatibus, Theologiæ, iuris canonici, & iuris civilis.

„ IV. Reſpondetur non licere: & quiſquis eorum aliquid quæ in iſtis formulis tanguntur, iuxta quod planiſſime verba ſonant, fecerit, & tamen iuraverit ſe non feciſſe, eſt indubitati periurii reus. Non eſt iſta in puteum Democriti abſtruſa veritas, ut nonnulli putant; ſed ita perſpicue oculis humani generis expoſita, ut non minus dolendum ſit imperitorum animos propriis cupiditatibus ita obſcurari, ut eam, iam olim inter Ethnicos indubitatam, a peritioribus veluti dubiam diſcutiendam cenſeant, quam ipſos peritos cupiditatibus alienis uſque adeo lenocinari, ut rem lucidiſſimam tortuoſis ratiocinationibus quodammodo obruere, ac de conſcientia hominum delere velle videantur. Quid enim? An forte non eſt iuſiurandum, quo ſe dicunt ſancte promittere, tactiſque Evangeliis iurare? An non diſertis verbis omnia, & ſingula ſe feciſſe, vel facturos eſſe negant, *per ſe, per alios, directe, vel indirecte, quocumque modo:* quæ ſecundum apertiſſimum verborum ſenſum, quem ex Principis, & Reipublicæ mente habent, & omnium hominum iudicio præſeferunt, eos feciſſe, vel facere ſe ſciunt, & in ipſo caſu ſupponuntur? Falſum ergo eſſe ſciunt quod iurant; & proinde periurium eſt. Quid enim periurium, niſi iurare quod falſum

„ quis

„ quis arbitretur, videlicet non ſe feciſſe, aut facere norit? Unde Auguſtinus to-
„ tius humani generis ſenſum de illa veritate promens: *Da*, inquit, (1) *alium*
„ *qui ſcit falſum eſſe*, & *dicit verum eſſe*, & *iurat*, *tamquam verum ſit quod ſcit*
„ *falſum eſſe*. *Videtis quam iſta deteſtanda ſit bellua*, & *de rebus humanis exter-*
„ *minanda*. *Quis enim hoc fieri velit? Omnes homines talia deteſtantur*. In quo ge-
„ nere iurantium, viderint illi, num ab Auguſtino comprehenſi ſint qui ſciunt ſe
„ prenſationibus, promiſſis vini, cerviſiæ, pecuniarum effuſionibus nundinatos eſſe
„ magiſtratus, lectiones, & officia: & ſcientes, videnteſque, coram ſcientibus,
„ Deo ipſo, quem teſtem invocant, inſpectante; nihilominus iurant non feciſſe:
„ videant, inquam, etiam atque etiam, utrum ipſi non ſint *qui iurant*, *tamquam*
„ *verum ſit quod ſciunt falſum eſſe*, & ſimul videbunt quam *deteſtandæ belluæ de*
„ *rebus humanis exterminandæ*, veritate per os Auguſtini loquente, decernantur.
„ Cuius quidem rei ratio ut enucleatius intelligatur, & occurratur frivolis quo-
„ rumdam cavillationibus, quibus tamquam ficulneis foliis turpitudinem tegunt;
„ ſciendum eſt, certam receptiſſimamque eſſe veritatem etiam apud illos qui quam
„ maxime habenas laxaverunt adulterandæ veritati, fallaciiſque verborum pertur-
„ bant humani generis commercium, eum qui ſponte ſua, nemine, niſi propria
„ ambitione aſſequendi honoris, impellente, iuramento ſe ſe ingerit, & eius ne-
„ ceſſitati ſe exponit; atque interim Princeps vel per ſe, vel per ſtatutum iuſtiſ-
„ ſimis de cauſis latum, præcipit ut iuret veritatem, non poſſe aliter iurare quam
„ ſecundum mentem Principis, ac ſtatuti. Tunc enim, quidquid alias licere, vel
„ non licere quiſpiam dixerit, ceſſat omnis cauſa, vel in ſpeciem legitima fucan-
„ dæ veritatis. Nam & Princeps, ut ſupponimus, legitime iubet, & Principi le-
„ gitime iubenti obediendum eſſe lex humana, & divina, & naturalis, & æter-
„ na teſtatur. Nec Principi obedire poteſt, niſi eo ſenſu iurando quem mens
„ Principis poſtulat, & ipſa verba planiſſime profitentur. Nam in illis circum-
„ ſtantiis, neſcio quo privato ſenſu, a ſenſu Principis, & ſtatuti, & Reipublicæ,
„ & omnium hominum alieno, iurare non eſt obedire Principi, ſed illudere. Ne-
„ que calliditas iſta periurio iurantem liberat; ſed eum reddit Principis indigna-
„ tione, & humani generis deteſtatione digniorem. Omnem enim fidem ex eius
„ commercio funditus tollit, qui in tam rationabilibus circumſtantiis adhuc a ver-
„ borum ſtrophis, & occulti ſenſus verſutiis præſidium petendum putat. Atqui hæc
„ omnia in præſenti caſu concurrunt limpidiſſime. Nam & Princeps legitimus iu-
„ rari veritatem iubet, & legitime iubet, & tota Reſpublica id quod iubet, pro-
„ bat, & quo ſenſu iubeat, verba clamant, ut vel tardiſſimis notum eſt: & res
„ graviſſima eſt, & Reipublicæ omnino neceſſaria, & neminem ad iurandi neceſ-
„ ſita-

(1) *Serm.* XXVIII. *de verb. Apoſt. cap.* 2.

Digitized by Google

„ ſitatem adigit, niſi propriæ ambitionis æſtus, qui ad honores per ambitus, & „ corruptelas anhelat, & properat. Quis igitur dubitet, hic fidem atque ſinceritatem iuſſui, ſtatutoque Principis, & expectationi Reipublicæ deberi, niſi qui doloſe iurando fallere, & omnem loquendi ſinceritatem, omnem iuriſiurandi fidem „ ex hominibus exterminatam cupit? Cui enim, quando, quomodo quiſquam iniurato credat, ſi neque iuratis hic tuto credi poteſt? Si, inquam, liceat hic „ commentitio verborum fuco Principis, & Reipublicæ, & omnium hominum expectationem fallere, & de cæpis interrogatum, de alliis iurare. Hoc enim non „ iurare, ſed peierare eſt. Nam, ut optime veriſſimeque ſanctus Auguſtinus (1): „ *Expectationem eorum quibus iuratur, quiſquis deceperit, periurus eſt*. Quod cum „ prædictis ſaltem circumſtantiis, ſi umquam abſolutiſſime, verum eſſe, nullum „ dubium eſſe debet. Quam perverſitatem nimis Reipublicæ etiam in loquendo, „ nedum in iurando, pernicioſam graviter perſtrinxit Tertullianus (2). *Iuſta, & „ digna præſcriptio eſt in omni quæſtione ad propoſitum interrogationis pertinere debere ſenſum reſponſionis. Ceterum aliud conſulenti aliud reſpondere dementis eſt*. „ Et Auguſtinus, fallaciis peierantium terminos collocans, fidentiſſime dicit: *Illud „ ſane rectiſſime dici non ambigo, ſecundum expectationem illius cui iuratur, quam „ novit ille qui iurat, fidem iurantis impleri: nam verba difficiliter comprehendunt, „ maxime breviter, ſententiam cuius a iurante fides exigitur. Unde periuri ſunt qui „ ſervatis verbis expectationem eorum quibus iuratum eſt, deceperunt*. Propter quam, „ credo, abſolutiſſimam Auguſtini reſolutionem veritas illa in ius canonicum, „ ſancto Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo verba præformante, translata eſt (3). *Quacumque arte verborum quiſque iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita „ hoc accipit, ſicut ille cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus ſit qui & Dei „ nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit*. Unde periurium, & dolum „ ſimul in huiuſmodi iureiurando, quod ad privatas intentiones, relicto legitimo „ verborum ſenſu, detorquetur, non minus Iſidorus, (4) & Auguſtinus deteſtantur; dum non minus ita iurando *quam proximum dolo capiendo*, iurantes reos „ fieri volunt. Nempe uterque regulam a Spiritu ſancto fixam intuebatur, qui „ cum rogaretur a Propheta ſuo: (5) *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, „ aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* planiſſimum reſponſum dedit, non ſolum dicendo, *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*, quod omnes iſti Principum, „ & Reipublicæ ludificatores pro ſe iactitant; ſed etiam addendo: *Qui non egit „ dolum in lingua ſua: qui iurat proximo ſuo, & non decipit*. Quanto iuſtius addas, qui iurat Regi ſuo, & Reipublicæ, & non decipit? Nam huiuſmodi deceptio,

(1) *Epiſt.* CCXXIV. (2) *Lib.IV.cont.Marc.cap.*11. (3) *Cap.* Quacumque arte XXII. *quæſt.* V. *ex S. Iſidoro Lib. II. Sent. cap.* XXXI. (4) *Iſidorus ibid.* (5) *Pſal.* XIV.

„ ptio, ſi uſpiam, certe in iſtis noſtri caſus circumſtantiis, tam æquis ex parte „ Regis & Reipublicæ, tam iniquis ex parte ambientium, qui ultro præcipites in „ iſtas mentiendi, & peierandi anguſtias ruunt, maxime deteſtabilis eſt; ut ſane „ adverſus tales potiſſimum ſententias ſuas Scriptura, & veteres iſti pronuntiave- „ rint, quibus & Zacharias exitium comminatur. *Hæc eſt maledictio quæ egreditur* „ *ſuper faciem omnis terræ, & veniet ad domum iurantis in nomine meo menda-* „ *citer, & conſumet eam, & ligna eius, & lapides eius.*

„ Deinde ex alio capite doctrinæ iſtius veritas perſpicuo conſtare poteſt. Quan- „ do enim a Principe, vel Collegiis popularibus aliqui ad magiſtratum, vel pro- „ feſſiones academicas adſciſcuntur, inter eligentes, electoſque expreſſum hoc in- „ tercedit pactum, ut non alia lege ad magiſtratum, aut profeſſionem admoti „ cenſeantur, quam ſi ſolemni iureiurando hi ſe de ambitu purgaverint; illi vero „ viros idoneos officiis, atque lectionibus, citra perſonarum acceptionem, ac „ munerum ſordes, ſe admoturos receperint, iuxta formulas iuramenti ſupra de- „ ſcriptas. Iam vero certum eſt, & omnium Doctorum ſententia indubitatum, a „ conventionibus, pactiſque mutuis, ſive tacitis, ſive expreſſis, omnem abeſ- „ ſe debere fraudem, dolumque malum; multoque magis a ſacramentis, qui- „ bus conditionem appoſitam ſe ſervaturos alter alteri ſpondet, ac iurat. Eſt au- „ tem fraus doluſque malus, *ſicut ſcit omnis, qui verba latina intelligit, cum aliud* „ *agitur, & aliud fingitur*, inquit Auguſtinus: vel, ut alibi poſt Philoſophos di- „ cit, *cum aliud agitur, aliud ſimulatur; cum aliud ore profertur, aliud pectore te-* „ *gitur*. (1) Quod qui faciunt, ut olim recte quidam (2) dixit, *perfidi, improbi,* „ *malitioſi ſunt*. Qui autem Dei teſtimonio fidem ſimulationis iſtius ſupplere vo- „ lunt, perfidiæ addunt periurium. Alterutrum autem quiſquis tamquam licitum „ in conventionibus humanæ ſocietatis admittit, omnia profecto vincula mutui „ commercii diſrumpit, omnem fidem adimit dicentibus, promittentibus, iuranti- „ bus; pontemque ſternit per quem omnes fraudes, mendacia, periuria tuto tranſ- „ eant. Hoc certe ſcio, quiſquis huiuſmodi reſtrictionum, vel potius fraudum, „ aut mendaciorum ſtrophas, in mutuis conventionibus permiſſas putat, nemini „ ſuccenſere debere qui ſibi iuranti, cælumque & terram in fidei ſuæ ſubſidium „ invocanti, non crediderit. Qua pœna talibus nulla forſan iuſtior, & ad per- „ verſitatem illam corrigendam opportunior infligi poſſet, nimirum ut ſuam ho- „ minibus fidem in loquendo ſuſpectam eſſe ſentiant qui eam ex hominibus do- „ cendo ſuſtulerunt. Fixum ergo ratumque maneat, a pactis mutuis omnem ab- „ eſſe debere fraudulentiam: omnem ergo occultam reſtrictionem, quæ verbis ex „ mente paciſcentium non comprehenditur. Tanto enim pernicioſior ille dolus eſt, quan-

(1) *Tract.* VII. *in Ioan. & in Pſal.* V. & XIV. (2) *Tullius Lib. III. offic.*

„ quanto latentius lædit; tanto deteſtabilior, quanto maiori hypocriſi ſub integri-
„ tatis pallio latet. Ex quo naſcitur ut omnium gentium iudicio quiſquis in paci-
„ ſcendo, pactique conditionibus iureiurando ſanciendis, etiam hoſtem, nedum
„ Principem, feſellerit, aliud animo cogitans, aliud verbis præſeferens, ſacrilegus
„ & periurus ſit. Talis iudicatus eſt olim Cydias, qui, cum aurum ex depoſito
„ reddendum ſuſcepiſſet, baculum, cui illud incluſerat, Archetimo cuidam, qui
„ depoſuerat, manu tenendum tradidit, interea teſtem invocans Deum cum ver-
„ ſuta mentis interpretatione, ſe aurum ei reddidiſſe. Sed, Deo ſuam a fraudibus
„ vindicante veritatem, baculus per Archetimum iratum fractus, aurum effuſum,
„ dolus detectus fuit. Cydias cum deteſtatione humani generis mala morte periit.
„ (1) Tales & illi multo potiori iure ſunt qui, cum profeſſionem, vel magiſtra-
„ tum ſub lege præſtitæ, vel præſtandæ integritatis a nundinationum ſordibus, ac-
„ ceperint, eamque pecuniarum, & munerum acceptione apertiſſime violaverint,
„ audacter iurant, eam ſe præſtitiſſe, videlicet [ſicut mentis reſtrictione Princi-
„ pem ſuum ludificantur] quia non acceperunt, ut nonnemo *publice*, ut alii *non*
„ *ab indignis*, alii *non ultra ſolitum*. Quaſi vero acceptio clancularia, aut ab eis
„ quos ipſi dignos iudicant, aut per corruptos hominum mores iam conſueta, non
„ ſit acceptio munerum, non ſordes, non damnatæ impoſita lege corruptelæ. Sic
„ enim his auctoribus, etiam Romanus populus deierare potuiſſet, ſe nihil omni-
„ no accepiſſe, quando uſque adeo conſuetudine quadam ambitus invaluerat, ut
„ corruptelis uterentur *ὡς ἐργασία συνήθει*, *ut opificio conſueto*, palamque in foro
„ menſæ pecuniis plenæ ponerentur, quibus ſuffragia populi redimerent (2). Ni-
„ hil enim ultra conſuetum, nihil nonnumquam palam, nihil ſæpius ab indignis
„ accipiebant. Nam Cæſar inter ceteros induſtria, fortitudine, domi, bellique cla-
„ rus, & perquam dignus, fuit, qui Gallicarum opum profuſione obnoxiam tene-
„ bat plebem. Sed quemadmodum nemo dubitat intolerandas iſtas fuiſſe Romani
„ populi corruptelas; ita & noſtrates eſſe certum eſt, & neutræ reſtrictionum be-
„ neficio, inter iurandum interpoſito, a manifeſta, periurii labe excuſari poſſunt.
„ *Fraus enim aſtringit, non diſſolvit periurium* (3). Nec vero veritas iſta tam ob-
„ ſcura eſt, ut vel in ſolis Doctoribus eccleſiaſticis, vel in ſacris litteris quæren-
„ da ſit. Vidit eam, ſcripſit, opereque expreſſit impietas Paganorum, ut pietas
„ Chriſtianorum noſtrorum erubeſceret. Marcus enim Attilius Regulus, cum a
„ Carthaginenſibus captus, eis non per ſacramenta Dei veri, ſed dæmonum in-
„ quinamenta iurare cogeretur, ut niſi captivorum commutationem impetraſſet,
„ rediret ad carcerem, non putavit in iſtis anguſtiis, aliqua iurandi dexteritate
ſibi

(1) *Hiſtoriam narrat ex Herod. Stobeus ſerm.* XXVI. (2) *Plutarchus in Catone Uticenſi*. (3) *Cicero Lib. III. de offic.*

„ ſibi poſſe ſubveniri ; ſed horrendos corporis cruciatus ſibi revertendo ſubeundos „ potius arbitratus eſt, quam fallaciter ſuum de reditu iusiurandum intelligendo, „ vel non redeundo, peierare. Periurum enim ſe omnino fore iudicavit , ſi aliud „ iuraret quam quod legitimus verborum ſenſus præ ſe tulit, quodque ab illo non „ Rex, non Reſpublica ſua , ſed hoſtis firmandum ſacramenti ſanctitate poſtula- „ bat. Nam hinc eſt etiam illud præclarum , & ab Auguſtino (1) celebratum, „ quod Romana cenſura poſt acceptam Cannenſem cladem noluit retinere in nu- „ mero Senatorum, non ſolum eos qui metu mortis, crudeliumque pœnarum aper- „ tiſſime peierare quam ad caſtra Pœnorum redire maluerunt; ſed etiam illos qui „ reatu periurii ſe putaverant abſolutos : quia poſt præſtitum iusiurandum, quaſi „ aliquid obliti , ficta neſcio qua neceſſitate reverſi fuerant, quam quodam iu- „ randi artificio, præter mentem eorum quibus iuraverant , excepiſſe videbantur. „ (2) Omnibus enim notis, ignominiiſque confectos eſſe tradunt , ut quidam eo- „ rum mortem ſibi extemplo conſciverint ; ceteri non foro ſolum, omni deinde „ vita, ſed luce prope, ac publico caruerint. (3) *Ita non attenderunt*, inquit Au- „ guſtinus, (4) *qui eum Senatu pepulerunt , quid ipſe iurando cogitaſſet , ſed quid* „ *ab illo ii quibus iuraverat , expectarent* . Hæc legimus, hæc miramur, hæc infi- „ delium ſenſa, & facta laudibus in cælum tollimus : & nos Chriſtiani diſputan- „ dum putamus , utrum periuri ſint qui non hoſtibus , ſed Reipublicæ, & Regi „ ſuo, nullo mortis iuſtæ, vel iniuſtæ, nullo carceris arcendi metu, ſed ſolo am- „ bitionis æſtu ſtimulante, ultro ſe ſe ad magiſtratum, & officia, & inde ad ius- „ iurandum ſubeundum offerunt, ſcientiaque facti ſui , & conſcientia reclamante „ deierant, nihil eorum ſe feciſſe , vel facturos eſſe quæ iurisiurandi formula ex- „ primuntur. Et, quod magis intolerabile eſt, ad hoc nefas quaſi licitum viri bo- „ ni, neſcio qua Theologiæ quaſi limatioris fiducia , annuendum eſſe decernunt. „ Quid enim eſt hoc aliud quam artem fallendi Principem , & Rempublicam, „ adeoque peierandi , tradere ; ſi verum eſt quod veriſſimum eſſe in caſu lon- „ ge mitiori docuit Auguſtinus (5) *periuros eſſe qui , ſervatis verbis , expe-* „ *ctationem eorum quibus iuratum eſt , deceperunt ?* Quæ ſi tempore Augu- „ ſtini monſtra ſententiarum prodiiſſent , quanta vocis contentione , & animi „ gemitu iterum iuxta doctrinæ ſuæ iam traditæ regulam exclamaſſet *: Et* „ *ſunt in eis docti , qui etiam regulas figunt , fineſque conſtituunt , quando de-* „ *beat , quando non debeat peierari ? O ubi eſtis fontes lacrymarum ? Et quid* „ *faciemus , quo ibimus , ubi nos occultabimus ab ira veritatis , ſi non ſo-*

(1) *Epiſ.* ccxxiv. (2) *Polib. & Aug. unum fuiſſe volunt ex decem. Livius vero, & Attilius Græcus plures, de quo & Tullius in fin. III. offic.* (3) *Vide Livium Lib. XXXII. in fin. Tullius in fin. III. offic.* (4) *Epiſ.* cckxiv. (5) *Ibidem.*

Digitized by Google

„ *lum negligimus cavere mendacia , ſed audemus inſuper docere periuria ?* (1)

„ Ab huius labe criminis aliqui ſe immunes putant , quod non aliter cenſeant „ intelligendum hoc iusiurandum , vel aliter a Principe intelligi , quam ne cor- „ rumpantur donis, promiſſiſve collatores , ut in perſonam indignam ſuffragium „ ſuum conferant. Argumento eſſe , quod Princeps ſciat iſtam donandi, petendi- „ que conſuetudinem , nec in ſtatuti [ut ſonat] tranſgreſſores animadvertat. Ita „ vindex criminum in eorum patrocinium accerſitur ; ſed toto cælo falluntur. „ Primo quia ex conniventia Principum, ſcelerum licentiam colligere fallaciſſimum „ eſt argumenti genus. Nam in criminibus vindicandis multa poſſunt Principes „ quæ non expediunt ; multa expediunt quæ non poſſunt; multa poſſunt, & ex- „ pediunt, ſed opportunius differuntur; multa, quia publicæ probationis luce de- „ ſtituta, quamvis ſeveriſſime punienda, relinquunt Deo, qui ſolus occultorum te- „ ſtis, & iudex eſt. Deinde, quod putant Principem, & Rempublicam intellige- „ re cum iſta reſtrictione iuramentum, ſine dubio falſum eſt. Primo quia non pot- „ eſt cadere in priorem iuramenti partem , qua quiſque iurat *ſe non ambiviſſe* „ *muneribus magiſtratum*. Illius enim ſenſus abſolutus eſt, quod munera nulla de- „ derit, quibus ſuffragia compararet , ſepoſita omni dignitatis, indignitatiſque con- „ ſideratione. Quid enim magis fingi poſſet fatuum quam iusiurandum ab aliquo „ de ſua dignitate, ſeu capacitate poſtulare, ut videlicet iuret, nullis muneribus „ quibus eligentes corruperit , ſe ambiviſſe ut ſe indignum eligerent? Igitur neque „ reſtrictio illa in poſteriorem partem cadere poteſt, qua iidem iurant *ſe munera* „ *non accepturos*. Diſerte enim additur, *quod ſimiliter* , ſive eodem ſenſu quo iu- „ rant ſe non dediſſe, iurent ſe non accepturos eſſe munera. Deinde quemadmo- „ dum officia conferre indignis propter munera, gravis noxa Reipublicæ eſt, ita „ & muneribus corrumpi ad officia minus dignis conferenda , præteritis digniori- „ bus, Reipublicæ vehementer noxium eſt. Utrumque ergo incommodum amoli- „ ri voluerunt qui in bonum Reipublicæ iſtas iurisiurandi formulas præſcripſerunt. „ Denique quia iuramenti obiectum , ſenſus , & veritas ex verborum quibus ex- „ preſſum eſt, ſignificatione pendet, non ex conceptibus quos ſibi pro arbitrio iu- „ rantes formant. Ex mentali autem reſtrictione verborum ſignificationem ſuſpen- „ dere, eſt omnem vocalem iſtorum ſignorum vim, ac certitudinem, adeoque o- „ mnem humanæ ſocietatis fidem , quæ citra illam ſubſiſtere nequit , uno letali „ ictu interimere. Cum ergo in præſcriptis iurisiurandi formulis nullum ſit quod di- „ gnitatis, vel indignitatis ſignificationem præſeferat ; non eſt illa iuramenti in- „ terpretatio , ſed adulteratio . Dignitatis ergo eorum qui concurrunt , exiſti- „ matio conſcientiæ cuiuſque iuxta naturæ legem relicta fuit , non autem iura-

men-

(1) *Lib. cont. mend. cap.* XVIII.

Digitized by Google

„ mento illigata : propterea quod plerumque illius comparatio incertior ſit quam „ ut deprehendi poſſit. At vero, quia munerum oblatio collatorum iudicia excæcare, & affectum potentiſſime ad ſe trahere ſolet, illæque ſinceritatis peſtes facile notari poſſunt ; in eas cautio iuramenti palam directa fuit, ut univerſim „ excluderentur. Ad extremum Rex ipſe ſenſum iuramentorum talium nuper perſpicue expoſuit. Nam in edicto anni 1626. quo ſacramentum omnibus officiorum candidatis imponitur, diſertiſſimis verbis declarat ſe non permittere *ut collatores officiorum ex eis emolumentum ſuum captent, non magis venditione, aut elocatione, quam alia quacumque ratione : neque ut quiſquam accipiat, aut largiatur quicquam reſpective in recognitionem, aut gratitudinem directe, aut indirecte quocumque modo*. An dignis vendere, aut elocare, a dignis pretium emungere, caveas cereviſarias exſugere, non eſt ſuum captare emolumentum? Hinc ulterius „ in eodem edicto cuncta officia quæ tali modo extorta fœdataque fuerint, ipſo „ iure vacare, & impetrari poſſe decernuntur. An dignorum officia non ſunt officia? Hinc præterea quotquot pretii alicuius accepti, aut dati culpa detinentur, ab officiis deiiciendos, & ad hoc ipſum, vel aliud adminiſtrandum tota „ vita inhabiles eſſe, ſancitur. Quæ profecto manifeſtiſſime clamant, omnes omnino quorumlibet corruptelas, ſive digni, ſive indigni videantur candidati, „ regia ſanctione eſſe ſuppreſſas. Et ſane remedium quod ſordibus iſtis coercendis „ iam olim publica auctoritate appoſitum fuit, hoc ſenſu intellectum, nullius fuerit, eſſeve poterit utilitatis. Iuramento enim ſatisfecerit, fidemque purgaverit „ ſuam, quiſquis dixerit ſe dignum putaviſſe, qui revera indignus fuerit; adeoque „ iuriſiurandi violati nonniſi a ſe ipſo damnari poterit. Neque minus contra ſcopum huiuſce regiæ ſanctionis tendit quod a dignis quam quod ab indignis accipiantur munera. Toto enim edicto illud in primis ſpectat Princeps, quemadmodum late in ipſa præfatione, aliiſque locis declaratur, ne populus exactionibus „ aliiſque illicitis emungendæ pecuniæ modis, a magiſtratibus, Præfectiſque ſuis „ opprimatur; dum pretium quod in venandos honores, & officia plena manu fuſum fuit, paullatim iterum cum fenore colligitur. Quod profecto malum Reipublicæ ab omnibus illis ambitioſis ſuffragiorum corruptionibus imminet. Nec „ vero umquam huiuſmodi leges, & iuramenta intellecta fuerunt in Rebuſpublicis, quæ ſordes ambientium ſevere coercendo, oppreſſiones iuſtitiæ, & populi, aliaque mala a cervicibus ſuis arcere voluerunt. Teſtis eſt Romana, in qua „ ſemper ambitus, hoc eſt criminis affectati perperam honoris, fuerunt rei, quotquot in ſe populi ſuffragia pretio pertraxiſſent, ſive de cetero digni, ſive indigni haberentur. Qua de cauſa crimen iſtud etiam in maximis illius Reipublicæ „ viris tum accuſatum, tum magna ſeveritate vindicatum eſt. Nam,ut Saluſtius, (1) *vir*

(1) *In coniur. Catil.*

Digitized by Google

„ *bonus ad bonores* , *&* *imperia vera via* , hoc eſt , ut eum exponit Auguſtinus, „ (1) *virtute*, *utitur* ; *malus dolis* , *atque fallaciis contendit* : inter quas profecto „ munerum corruptelæ non infimum locum tenent . Itaque, poſtquam ſuffragio- „ rum invaluiſſet corruptela per adulteratos populi mores , & Cato legem a Se- „ natu ferendam curaſſet, quo magiſtratus deſignati, ſi neminem accuſatorem ha- „ berent, *iurato iudicio ſe offerre cogerentur*, *atque ibi rationem parati magiſtratus* „ *reddere* , (2) etiam periuri habiti ſunt non ſolum ſuffragatores qui pretio in „ candidatos traducti probarentur, ſed etiam candidati, ſi cuius facta ſacramento „ eius diſſona probata fuiſſent . Quam propterea legem ita timuere candidati, ut „ periculoſiſſimus tumultus adverſus Catonem concitatus fuerit . Nimirum quia „ nondum didicerunt a Chriſtianis Ethnici dexteritatem deponendi iſtius metus, „ ſubtilem, inquam , illam Theologiam, qua legitimam Reipublicæ ſanctionem „ de non comparandis , aut pretio vendendis ſuffragiis , quam iuxta Reipublicæ „ mentem violaſſent, ſine periurio ſe non violaſſe iurarent. Periuri igitur fuerunt „ Ethnicorum iudicio, qui magiſtratus , aut officia pretio ambientes, ſe pretium „ non dediſſe deierarent. Periuri fuerunt etiam Imperatorum iudicio , Theodoſii, „ & Valentiniani, qui, cum iuſſiſſent magiſtratus *iuratos inter geſta depromere* , *ſe* „ *pro adminiſtrationibus ſortiendis neque dediſſe quidpiam* , *neque daturos umquam* „ *poſtmodum fore* , *ſive per ſe*, *ſive per interpoſitam perſonam in fraudem legis* , *ſa-* „ *cramentique* ; quæ formula hodierno iuramento, de quo tractamus, eſt ſimillima: „ adverſus tranſgreſſores, tamquam publico crimine neglecti ſacramenti periuros, „ addunt : *Si quis auſus fuerit præbita ſacramenta negligere*, *non modo adverſus ac-* „ *cipientem*, *ſed etiam adverſus dantem*, *accuſandi cunctis* , *tamquam crimen publi-* „ *cum*, *concedimus facultatem* . *Quod ſi quis a Romanis Imperatoribus* , *&* *Ethnicis* „ *Senatoribus*, *&* *priſcis Romanæ Curiæ Cenſoribus*, *tamquam Theologiæ imperitis*, „ *ad ſubſellia Theologorum chriſtianorum provocandum putet*; *profecto cauſa*, *de qua* „ *ſatagimus*, *finita eſt*. *Periuri enim fuerunt etiam Principis Theologorum Auguſtini* „ *iudicio*, *qui de tali ſuffragiorum ſuorum nundinatore populo* , *quia iuratus in ſuf-* „ *fragia mittebatur*, *ſine fluctuatione decernit* . *Quid aliud toties Senatores corrupti* „ *in iudiciis*, *toties populus in ſuffragiis* , *vel in quibuſcumque cauſis quæ apud eum* „ *concionibus agebantur*, *niſi etiam peierando peccabant?* *Nam corruptiſſimis moribus* „ *ad hoc mos iurandi ſervabatur antiquus*, *non ut a ſceleribus metu religionis probi-* „ *berentur*, *ſed ut periuria quoque ſceleribus ceteris adderentur*.

CA-

(1) *Lib.V. de Civit. Dei cap.* XII. (2) *Plut. in Catone minore*.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Explicatur iuramentum quod Rectores civitatum Belgii præſtant, obſervandi legem vetantem pompas, ſplendidoſque apparatus.

I. INter plurimas leges quæ politicum moderantur regimen, non infimum locum tenent illæ quæ divitum pompis modum limiteſque præſcribunt. Huiuſmodi porro legum una eſt quæ ſolos afficit Præſides qui ad civitates ſubditas regendas deſtinari ſolent. Lex iſta prima fronte minime gravis apparet; ſed intra œconomicæ familiarum inſpectionis confinia conſiſtere videtur. Verum, ſi quis eam penitius ſpectaverit, communi Principatus bono, adminiſtrandæ iuſtitiæ integritati, ac ſubditorum tranquillitati apprime neceſſariam cognoſcet. Quandoquidem, ſi Nobiles, qui divitiis affluunt, pro libito poſſent apparatus ſplendidiſſimos inſtruere, & pompis curruum, equorum, famulorum, veſtiumque indulgere, convivia opipare parare, palatia ornare, nullo ſervato termino; hinc conſequeretur ſolos divites ſeligendos fore ad eiuſmodi regimina: unde innumera proficiſcerentur damna. Nam non omnes divites ſcientia, prudentia, fortitudine pollent adminiſtrandi iuſtitiam, continendi in officio ſubditos, bonumque commune promovendi. Pauperes, & mediocris fortunæ Nobiles, licet ingenio, & prærogativis omnibus inſtructi, has dignitates exercere numquam poſſent, eo quod divitiis careant quibus tot impendiis ſatisfaciant. Præterquam quod immoderatæ Rectorum pompæ ſubditis civibus exemplo ſunt, & incitamento ad patrimonia prodigenda, propriaſque familias deſtruendas. Nil enim impenſius affectant homines quam ceterorum luxum, faſtumque æmulari, &, ſi poſſint, ſuperare. Ne multa. Pompæ, & apparatus nimis ſplendidi, potiſſimum in Rectoribus civitatum, infinitorum propemodum malorum cauſſa ſunt. Siquidem hinc ſequitur quod civitates, quæ duobus Rectoribus, qui ampli territorii ſubditorum cauſſas audirent, & dirimerent, qui invigilarent commerciis, negotiationibus, mercaturæ, aliiſque non levioris momenti rebus, opus haberent, uno donentur, ut ſolus habeat honoraria, ſtipendia quæ pro duobus ſtatuta ſunt. Hinc litigantium cauſſæ in foro marceſcunt, hinc ſubditorum querelæ, turbationes, & murmura. Quibus malis ut occurreret Belgii Principatus, providentiſſima variis temporibus adverſus immoderatas maxime ſubditarum civitatum Rectorum pompas ſaluberrima edidit decreta.

Digitized by Google

CAPUT X.

Excuſationes quibus eludi lex ſolet, & iuramentum contra pompas immoderatas, refelluntur.

I. TAmetſi lex præfata facillima ſit obſervatu, & non minus divitibus, quam non divitibus commoda: nam illorum opulentia nota eſt, nec indiget a vanis pompis emendicare ſplendorem; iſtorum vero inopia præfatæ legis remedio occultatur: eam nihilominus innumeris commentis eludere tentant. Potiſſima excuſatio quæ obiici ſolet, eſt quod numquam eiuſdem obtinuit obſervantia. Nemo, inquiunt, aut ſaltem pauciſſimi, executioni demandarunt legem quam *pragmaticam* in Romano Principatu vocant. Præterea in lege contra pompas plura continentur. Ad iuramenti autem veritatem ſatis eſt ut aliqua obſerventur, ceteris neglectis. Docent enim communiter Theologi, iurantes plura ſtatuta communitatis non teneri obſervare omnia, ſed ea tantum quæ uſu vigent. Similiter, quando unicum ſtatutum plura imponit penſa, non omnia ſolvenda ſunt; ſed, ut iuramentum verum, licitumque ſit, ſufficit quod quædam reddantur. Hæc ſunt ſophiſmata, quibus iurantes obſervantiam citati decreti ſe ſe ab illius executione liberare contendunt.

II. Reſp. Ut a primæ excuſationis confutatione auſpicemur, falſum in primis eſt atque falſiſſimum, decretum iſtud numquam fuiſſe executioni mandatum; ſed ſolum temporis decurſu, ob hominum imbecillitatem, quemadmodum aliæ leges, non modo humanæ, & poſitivæ, ſed naturales, & divinæ contemni ſolent; ſic & huic accidit decreto. Verum quid inde? An ne propterea deſinit obligare? Si ſola prævaricatorum malitia ſatis eſſet ad legis abrogationem, actum de omnibus legibus eſſet. Nec ipſæ poſitivæ leges ſola inobſervantia obſoleſcunt; ſed requiritur inſuper legiſlatoris conſenſio, quæ numquam prudenter præſumi poteſt, quando idem omnino latæ legis finis perſeverat. Quid, ſi legiſlator manifeſte reſiſteret? Quid, ſi legem ipſam data occaſione renovaret, pœnarumque ſeveritate muniret? Hæc omnia in noſtro caſu concurrunt. Decretum adverſus pompas latum fuit [ut vetuſtiora tempora prætermittamus] anno 1713. & anno 1732. inſtauratum, noviſque declarationibus roboratum. Ubi ergo conſenſus Principis, ad introductionem conſuetudinis abrogantis legem neceſſarius? Itaque etiam admiſſo quod communiter Rectores civitatum hoc decretum tranſgrederentur, non ob id culpa minuitur, ſed augetur. Neque communis tranſgreſſio legem abrogat, Principe legitime repugnante. Repugnat autem Princeps, aut dum expreſſe legis obſervantiam inculcat, renovatque; aut dum legem quæ perſeverat eſſe bono communi

Digitized by Google

muni neceſſaria, non retractat. Quoties ſiquidem conſiſtit finis legis, voluntas quoque Principis, a tali fine ad legem condendam mota, conſiſtat oportet.

III. Docent utique Caſuiſtæ, illos qui iurant ſtatuta communitatis, ea tantum quæ vigent, ſervare debere; ſecus quæ in deſuetudinem abicere. Sed, ut ſequenti diſſertatione fiet palam, ſatis ieiune, ne dicam inepte, hanc verſant communiter difficultatem: tum quia deſuetudinem à corruptela, & abuſu non diſtinguunt; tum quia nimis laxe plures eorum ſacramenti leges interpretantur. Porro, ut ad rem noſtram accedamus, nunc ſermo non eſt de pluribus, ſed de unico ſtatuto, cuius obſervantiam Rectores iurant, antequam civitatum procurationem ſuſcipiant. Utique hoc unicum ſtatutum plura ſervanda præcipit. Ultro concedimus non pauca eſſe quæ levia ſunt, levemque proinde imponunt obligationem. At de his nulla eſt difficultas: quia hæc levia, cum grave onus non imponant, non ſunt obſervatu difficilia; neque hæc dumtaxat communiter Rectores negligunt. Potiſſima iſtius ſtatuti ſunt: quod currus auro, cælatura, aliiſque fucis, & pigmentis, quæ ſplendidam præferunt oſtentationem, careant: quod famulorum, equorumque numerus, & eorum inſignia ſint ad præſcriptum legis: quod in ſuis palatiis choreas, ludos, ſcenas, convivia, & cetera id genus, in ſtatuto recenſita, peragi non curent, aut permittant. Porro, ſi huiuſmodi, & ſimilia, quæ ſunt potiſſima materies præfatæ legis, civitatum Rectores violant, dubio procul peccant mortaliter, reique periurii ſunt.

IV. Obiicies 1. Ad veritatem iuramenti ſatis eſt aliqua quæ in dicto ſtatuto continentur, Rectores ſervare. Sicut enim qui iurant plura communitatis ſtatuta; neceſſe haud eſt ad iuramenti veritatem ut omnia obſervent; ſed ſatis eſt ut ea exequantur quæ ſunt in uſu: ita qui iurant obſervantiam ſtatuti plura iubentis, a periurii labe immunes erunt, ſi aliqua eiuſdem ſtatuti obſervent. Et hæc videtur communis doctrina Theologorum.

V. Reſp. His commentis præfati iuramenti vim elevare contendunt non pauci. Ut nullo negotio eadem explodamus, præmittendum eſt, quod, quando quis iurat unicum ſtatutum, debeat relpſa illud obſervare, ut periurium vitet. Quia hoc unicum ſtatutum totam conſtituit iuramenti materiam: quæ ſi deeſſet, vanum, falſumque evaderet iuramentum. Rectores civitatum iurant unicum decretum. Hoc unicum decretum eſt tota iuramenti materia. Obſervandum eſt ergo, ut iuramentum verum ſit. At inquiunt: Hoc unicum decretum plura præcipit. Ad veritatem iuramenti non omnium, ſed aliquorum tantum requiritur obſervantia.

VI. Concedere & ipſe volo, veritatem iuramenti ſecundum legiſlatoris mentem conſiſtere poſſe; quamquam non omnia quæ decretum præcipit, examuſſim obſerventur. Nec enim legiſlator ſubditorum conſcientias ita obſtringere intendit;

Digitized by Google

ut illa omnia quæ præcipit, ita abſque ulla diſcretione ſubditi exequantur, ut ſi quidpiam levioris momenti omittant, confeſtim periurii rei evadant. Abſit tam ſevera, quin & falſa interpretatio. Verum omnes quoque mihi concedere debent, ad veritatem iuramenti requiri quod ea ſaltem Rectores obſervent quæ ſunt præfati ſtatuti potiſſima materia, & illa quæ primario legislator ſpectat. An quiſquam hoc inficiabitur? Si enim præcipua legis iuſſa omitti licite poſſent, numquid grave flagitium foret quæ levia ſunt violare? Cum ergo reponunt, ad veritatem iuramenti ſatis eſſe ut aliqua tantum ſerventur; quæro, quænam eſſe debeant *hæc aliqua* quæ ab unica lege imperantur. Numquid forſitan ea quæ levioris ſunt momenti, quæve fini legis parum, aut nihil proſunt, vel officiunt? Quid tam ridiculum, quam ſi dicatur, in levioribus iuſſis legem conſiſtere? Si contra dicant, obſervanda eſſe ea quæ primario a lege præcipiuntur; nobiſcum ſentiunt. Quandoquidem, ſi civitatum Rectores ea exequantur quæ potiſſimum iurata ab ipſis lex iubet; ipſos tamquam legis obſervatores, quamquam minuta quædam omittant, colimus. Porro edictum primario, & quaſi unice, prohibet ea quæ ſupra *num. 3.* recenſuimus, videlicet currus auro, argentoque, cælaturis, picturiſque fulgidos, equos, famuloſque ſplendidioribus ornatos inſignibus, & præter numerum præſcriptum, palatiorum nimia, & exquiſita ornamenta. Paucis, ea potiſſimum lex prohibet quæ publicam oſtentationem, faſtum, pompas, & magnificos apparatus præferunt, quæ æmulationem excitant, patrimonia prodigunt, aliiſque inferioris fortunæ Nobilibus impedimento ſunt ne talia regimina tot impendiis obnoxia adminiſtrare valeant. Hanc eſſe materiam potiſſimam præfatæ legis, præcipuumque legislatoris finem, nemo inficias iverit. Hæc itaque ſi omittantur, lex infringitur, & iuramentum violatur. Si reponis, in deſuetudinem hæc abiiſſe: ergo in deſuetudinem quoque lex abiit: ceſſante enim primaria materia, & præcipuo legis fine abſolute, & in communi, ceſſat lex. Si lex ceſſavit, ergo deficit materia iuramenti, quoniam lex unica eſt. Ergo peccant iurantes ſervare legem unicam, quæ non extat, quæ non viget. Quid reponis? Si lex viget, & obligat, periuri ſunt qui eam non obſervant. Si lex periit conſuetudine contraria prævalente, qui eam iurant, profanatores ſunt ſacramenti, cum iuramentum præſtent de materia non extante. Quid, quæſo, tam inane quam iurare unicam legem, quæ non eſt? Sed dicamus id quod eſt, nempe legem vigere, quia perſeverat finis legis, perſeverat voluntas legislatoris, qui iuramentum ſervandæ legis, data occaſione, a Rectoribus exigit. Iſtius iuramenti obſervantia non a minutis quibuſdam iuſſis, ſed ab executione principalium mandatorum, quæ primario legislator intendit, pendet. Quamquam ſi præcipua obſervabunt, levia non negligent.

VII. Obiicies 3. Lex publice violatur, ſciente & vidente legislatore: nec quiſquam

quam adhuc pœnam ſubiit ob iſtius legis violationem. Ergo dicendum videtur, ex Principis conſenſu legem amplius non obligare.

VIII. Reſp. Ex iis quæ dicta ſunt, ſophiſma evaneſcit. Voluntas legislatoris ex legis renovatione, & ex petitione iuramenti ſervandæ legis colligitur; ſecus vero ex punitione tranſgreſſorum. Quid, ſi quis argueret, Evangelium Chriſti in deſuetudinem abiiſſe, quia homines, ſciente & vidente Deo, illud conculcant? Principes ſæpius Dei providentiam imitantur in criminibus vindicandis. Eo vel maxime quia multa poſſunt Principes quæ non expediunt; & multa expediunt quæ non poſſunt; & multa poſſunt, & expediunt, quæ Deo caſtiganda remittunt. Denique multa ſciunt quæ tamen iuridicis probationibus deſtituta ſunt. Quid, ſi legislator minus diligens foret, & ſuo deeſſet officio in caſtigandis criminibus? An ne propterea immunes a culpa legum violatores forent?

CAPUT XI.

Univerſæ diſſertationis complexio. Cauſſæ cur facile iuramenta deſcripta violentur. Confeſſariorum, & Theologorum nimia in iuramentis interpretandis facilitas: Ethnicorum imitanda ſeveritas.

I. UNus ex cardinibus quibus vertitur Reſpublica quæque, eſt ſincera fides in pactis, in commerciis, in fœderibus ſive cum exteris, ſive cum ſubditis. Porro nullum arctius vinculum eſt ad hanc fovendam, confirmandamque fidem, & mutuam ſocietatem, quam ſacramentum a religione arceſſitum. Hoc de Romana Republica teſtatur Tullius Lib. III. offic. cap. IX. *Nullum*, inquit, *vinculum ad aſtringendam fidem, iureiurando maiores arctius eſſe voluerunt. Id indicant leges in duodecim Tabulis, indicant ſacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides: indicant notationes, animadverſioneſque Cenſorum, qui nulla de re diligentius quam de iureiurando iudicabant*. Similes leges, quæ adminiſtrationem iuſtitiæ ſive commutantis, ſive diſtribuentis, quæ ſubditorum felicitatem ſpectant, quælibet bene inſtituta Reſpublica habet; omneſque, ut ſanctius obſerventur, ſacro iureiurando munitæ ſunt. Cum primum eiuſmodi iuramenta inſtituta fuerunt, ſancte obſervabantur; ſummaque ſemper fuit Reipublicæ cuiuſque vigilantia in iuramentorum inviolata obſervantia curanda. Quandoquidem, ſi hæc laxatur, infringitur unus ex præcipuis Principatuum cardinibus. Fac licitum eſſe, quemquam pro ingenio interpretari poſſe iuramenta ambitus, pomparumque ad proprium commodum. Admiſſa ſemel Theologia tali, quæ vim obligan-

ligandi iuramentis adimat vel ob univerſalem inobſervantiam, vel ob novam opinandi licentiam, huiuſmodi cavillationibus poſitis, quæ fides in poſterum iuramentis adhibenda? Si mentis reſtrictionibus, ſi amphiboliarum fallaciis, aliiſque novis inventis licet iuramenta præfata propriis rationibus aptare; cur non & alia, quæ ſummi momenti ſecreta cuſtodiunt, quæ fœdera ſtringunt? Quare, ſi Princeps ſemper agnovit iuramentum ceu unum ex fundamentis optimæ adminiſtrationis; conſequitur illius eſſe, ſanctam iuramenti obſervantiam exacta ſeveritate curare. Alioquin, ſi permitteret ipſe laxam interpretandæ iurationis facilitatem, iam ipſe ſui regiminis laxaret habenas, ſeſeque iuramentorum ſacro ſubſidio ſponte privaret. Quid enim valent iuramenta quæ quiſque inflectere ad ſuum commodum poteſt?

II. Undenam tanta in interpretandis, flectendiſque ad proprias rationes iuramentis facilitas? Non ſane aliunde quam ab humana aſtutia, quam ab inconſtantia, & volubilitate infirmæ voluntatis. Hæc eſt prima, & potiſſima radix. Ceterum nova quorumdam recentium Caſuiſtarum ratio theologizandi, inventum reſtrictionum mentalium, & nimia quorumdam Confeſſariorum indulgentia, latiſſimam aperuerunt viam iuramentis eludendis, violandiſque. Certe, antequam doctrina reſtrictionum mentalium prodiret in publicum, ſanctior erat iuriſiurandi diſciplina. Et revera, ſi, fallaciis amphiboliarum, & reſtrictionum mentalium lenociniis amandatis, omnes Confeſſarii pro iuramenti ſanctitate ſtarent, ſi omnes idipſum ſaperent; aut exactiores eſſent homines in præſtanda iurata fide, aut ab imponendis ſibi iurandi legibus abſtinerent. Quandoquidem qui iurant non exercere ambitum in dignitatum petitione, non indulgere vetitis pompis in civitatum regimine, ſunt illi ipſi, ut alias animadvertimus, qui legem iurandi condunt, renovantque, dum pro tribunali ſedent, dum rationes, & bonum commune Principatus, dum iuſtitiæ adminiſtrandæ libertatem ſpectant: & tum neceſſitatem legum, & iuramentorum evidenter agnoſcunt. Idcirco non modo leges, & iuramenta non abrogant; ſed potius novis declarationibus, pœnarumque additionibus roborant, & confirmant. At, dum quis deinceps leges, & iuramenta exequi debet; non amplius commune, ſed proprium bonum conſiderat: & cum experiatur leges, & iuramenta ſuo peculiari bono, ſuiſque privatis rationibus incommoda, & infeſta; omnes ingenii vires exerit, ut ſophiſmata, & fallacia commenta excogitet, quibus iuramenta ad ſuos conformet mores, & cupiditates. Quid, ſi ille tanti non eſt? Theologos, & Confeſſarios tunc adit; difficultates illis obſervandi leges, & iuramenta obiicit, & exaggerat. Iſti ingenia torquent, libros evolvunt, verſantque reſtrictionum mentalium, & amphiboliarum laxas opiniones; atque in eiſdem facile regulas expiſcantur, quibus tandem faciant ſatis ſe conſulentibus. Ipſe audivi Confeſſarios ſæpe exaggerantes difficultatem ſervandi

di præfata iuramenta, & conſcientiis iurantium ſuccurrendi. Quibus ego reponebam. Si lex difficilis eſt, illi viderint qui eam retractare valent, & tamen nolunt. Interim noſtrum eſt, quandiu lex viget, illius obſervantiam promovere, non vanis interpretamentis eludere. Si illi, cum Principatus præferunt maieſtatem, leges iuratas volunt; eaſdem exequantur, cum ſubditorum ſuſtinent onus. Quod ſi eoſdem Theologi, aut Confeſſarii exſolvunt, duplex crimen perpetrant.

III. Hæc tamen ſagax interpretandi leges, & iuramenta ſcientia nova prorſus non eſt, ſed verſutiæ, ab originali culpa relictæ, indivulſa comes ſemper fuit. Hanc deplorabat Auguſtinus amariſſimis lacrymis Lib. cont. mend. cap. XVIII. *Et ſunt in eis docti qui etiam regulas figunt, fineſque conſtituunt, quando debeat, quando non debeat peierari. O ubi eſtis fontes lacrymarum? Et quid faciemus, quo ibimus, ubi nos occultabimus ab ira veritatis; ſi non ſolum negligimus cavere mendacia, ſed audemus inſuper docere periuria?*

IV. Verum, Patrum, & Theologorum chriſtianæ profeſſionis miſſis ſententiis; lubet in calce huiuſce diſſertationis quædam Ethnicorum effata, & exempla ſubiicere, quæ nos Chriſtianos rubore maximo perfundere deberent. Primum exemplum ſuppeditat Livius *Dec. I. Lib. III. cap.* VIII. ubi narrat iuramentum indictum, ſeu renovatum a Quintio Cincinnato Conſule, quo plebs fidem dederat, & firmaverat iuſſu Conſulis eundi ad caſtra. *Cavillari* (inquit Livius) *tum Tribuni, & populum exſolvere religione velle: privatum eo tempore Quintium fuiſſe, cum ſacramento adacti ſint. Sed nondum hæc quæ nunc tenet ſæculum, negligentia deum venerat: nec, interpretando, ſibi quiſque iusiurandum, & leges aptas faciebat; ſed ſuos potius mores ad eas accommodabat.* Tribuni dumtaxat veluti ſagaciores, ac ſapientiores cavillabantur, plebem non obſtringi iuriſiurandi vinculo, quia, quando iuraverat, Quintius non Conſul, ſed privatus homo erat. Sed, inquit Livius, nondum tanta deorum contemptio obtinuerat, ut quiſque pro arbitrio interpretari iuramenta, ſibique leges aptare auderet; ſed proprios mores ad leges, & iura iuranda conformabant omnes. Num unius veri Dei neglectus Chriſtianorum animos, menteſque ſubierit in iuramentorum interpretationibus, alii iudicent.

V. Aliud exemplum refert idem Livius *Dec. III. Lib. II. cap.* XXXII. ubi narrat verſutiam unius captivi militis, qui, Romam proficiſcendi licentia obtenta, cum pro pignore redeundi ad caſtra non aliud niſi iuramentum Annibali dediſſet, cenſuit iuramento ſe exſolutum, ſi poſt diſceſſum ſtatim ad caſtra, quaſi aliquid ibi oblitus, recuperaturus rediret, & ſtatim veſtigia Romam relegeret, ſicuti reipſa peregit. *Cum egreſſi caſtris eſſent* (inquit Livius) *unus ex iis minime Romani ingenii homo, velut aliquid oblitus, iuriſiurandi ſolvendi cauſſa, cum in caſtra rediiſſet, ante noctem comites aſſequitur.* Tantam verſutiam Romano homine indignam reputavit Livius, atque ſupplicium refert quo Senatus callidum punivit hominem. *Unus ex iis*

iis (inquit cap. xxxv.) *domum abiit, quod fallaci reditu in caſtra, iureiurando ſe exſolviſſet. Quod ubi innotuit, relatumque ad Senatum eſt, omnes cenſuerunt comprehendendum, & cuſtodibus publice datis deducendum ad Annibalem eſſe.*

VI. Hoc idem factum narrat Tullius Lib. III. offic. cap. IX. *Sed ut laudandus Regulus in conſervando iureiurando; ſic decem illi quos poſt Cannenſem pugnam iuratos ad Senatum miſit Annibal, in caſtra redituros ea quorum potiti erant Pœni, niſi de redimendis captivis impetraviſſent, ſi non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus Auctor in primis, ſcribit, ex decem Nobiliſſimis qui tum erant miſſi, novem revertiſſe, a Senatu re non impetrata: unum ex decem, qui paullo poſtquam egreſſus erat e caſtris, rediiſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe. Reditu enim in caſtra liberatum ſe eſſe iureiurando interpretabatur: non recte: fraus enim diſtringit, non diſſolvit periurium. Fuit igitur ſtulta calliditas perverſe imitata prudentiam. Itaque decrevit Senatus ut ille veterator, & callidus vinctus ad Annibalem duceretur.* Et alio loco eiuſdem Libri: *Nullum vinculum ad aſtringendam fidem maiores noſtri iureiurando arctius eſſe voluerunt.* Graves luere pœnas fallaces, & verſutos iuratores, vel ipſe Heſiodus aſſerit,

Clades mortalibus unde
Adveniunt, quoties fallaci pectore iurant.

VII. Hæc omnia referre congruum duxi, ut Ethnicorum ſinceritas, & conſtantia in præſtanda iurata fide, eorumque in verſutis commentis deteſtandis ingenuitas, pudore illos perfundat qui evangelica luce donati, ſacra iuraiuranda vanis reſtrictionibus, amphiboliis, ineptiſque interpretationibus eludunt, non ſine infidelium ſcandalo. Livius indignum romano nomine iudicavit militem qui facti æquivocatione iuramentum interpretatus fuit. An ne chriſtiano nomine digni erunt illi Chriſtiani qui, non ut vitam ab atroci morte, quemadmodum miles præfatus, ſervent, ſed ut pompis vanis indulgeant, ut aliquem aſſequantur dignitatis gradum, iuramenta ſacro Evangeliorum contactu, publicoque ritu Deo & Principi facta, arbitrariis ſignificatibus commentantur, atque in ſenſus propriis appetitionibus faventes detorquent, Principis mentem deludunt, divinæque maieſtati teterrimam inferunt iniuriam? Et hæc dicta ſufficiant pro explicatione controverſiæ a ceteris prætermiſſæ.

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

DE QUIBUSDAM IURAMENTIS PROMISSORIIS, EORUMQUE OBLIGATIONE.

DE iuramento promiſſorio generatim accepto, eiuſque abſoluta, gravique obligatione egimus diſſertatione ſecunda. In præſentia peculiaria iſtius generis iuramenta, de quibus non leves difficultates enucleandæ occurrunt, ſub examen inducimus.

CAPUT I.

De iuramento ſervandi ſtatuta Reipublicæ, Capituli, Communitatis, Collegii, & cuiuſque ſodalitii.

I. DE iuramentis peculiaribus Principatus ſuperiore diſſertatione ſatis ſuperque egimus. Nunc de quibuſdam iuramentis promiſſoriis quæ non modo a Principatu, & Republica, ſed a quaque fere Communitate, Univerſitate, & Collegio fieri ſolent, ſermo nobis erit. Id vero partite præſtabimus, ut meliori in lumine veritas, quoad fieri in re ſatis impedita poterit, collocetur.

II. Quæſt. I. *An, ut Capitula, Monaſteria, Communitates ſe iuramento obſtringant, debeant ſinguli, & omnes eiuſdem Communitatis iurare?* Reſp. Primo certum eſt Capitula, Communitates, & quæque ſodalitia poteſtatem habere ſe iuramento aſtringendi ad aliquid peragendum: quod duobus modis fieri valet. Primo, inquit Suarez *Lib. II. cap.* XXXI. *num.* 8. cum iuramentum ſit ad obligandum ſingulos diviſim agentes; ut quando iurant obſervare talem feſtum, aut quidquam eiuſmodi. Secundo, cum iurant aliquid *collegialiter* præſtandum; quod iuramentum ſpectat non ſingulorum, ſed totius Capituli, ſeu Communitatis operationes: ut cum ſtatuunt non revocare talem legem, non admittere quemquam in propriam ſocietatem, & id genus ſimilia. Certum quoque penes omnes eſt, neceſſe haud eſſe ut ſinguli, & omnes, ſed ſatis eſſe ut maior pars Communitatis iuret; niſi eſſet ſpeciale ſtatutum, maiorem numerum, puta duarum partium, præſcribens. Ratio eſt, quia quod fit a maiori parte, a tota Communitate fieri communiter cenſetur, ad vim obligandi quod attinet. Ceterum, ſi ſuffragatores diffident, ſi renuunt plures legi aſſentiri; dici vere non poteſt, quod unanimi conſenſu factum ſit:

Digitized by Google

ſit : quia, præcedente revera tali diſſidio, ſolum verum eſt maiorem dumtaxat partem legem rogaſſe ; quæ maior pars, quantum ad vim obligandi, pro tota reputatur Communitate.

III. Quæſt. II. *An, facto iuramento a maiori parte, cogendi ſint qui repugnarunt ; ad iurandum, & ad legis obſervantiam ?* Reſp. Adfirmant communiter omnes, quando refragatores nequeunt oſtendere evidentem iniuſtitiam rogatæ legis. Si enim qui repugnarunt, legem a Communitate latam appellarent ad ſuperius tribunal; pendente cauſſa, nec lege, nec iuramento tenerentur ; ſed cauſſa deiecti ad legem devincerentur, & ad iuramentum edendum. Utique verum eſt vi iuramenti eos non teneri, quouſque non iuraverint, ad legis obſervantiam ; ſed tenentur vi obedientiæ, pacti, & legis, ſeu iuſtitiæ. Quælibet enim pars tenetur ſe ad totum conformare. Quare poſt latam a maiori parte Capituli legem, & acceptatam, omnes & ſinguli ad illam ſervandam adſtringuntur. Alioquin nullum firmum ac ſtabile fœdus cum Communitate iniri poſſet. In dies enim perſonæ mutantur. Quapropter ceſſaret iuramenti a Communitate facti obligatio ; niſi omnes pertinentes ad Communitatem vinculo legis factæ conſtringerentur. Quod potiori iure locum habet, quando actus ab Univerſitate iuratus, non ſolum *collegialiter*, ſeu ab omnibus ſimul, ſed a ſingulis etiam ſervandus eſt. Licet enim vi iuramenti non obligentur, donec iuraverint, eo quod iuramentum actio perſonalis ſit; tenentur tamen titulo iuſtitiæ, & obedientiæ; quin & ad iurandum, ut dictum eſt, ab Univerſitate cogi poſſunt, niſi evidens, & manifeſta ratio impediat.

IV. Quæſt. III. *An iuramentum ſervandi ſtatuta Communitatis, Univerſitatis &c. protendi debeat etiam ad futura, nempe ad ſtatuta in poſterum edenda?* Reſp. Si iurans præciſe exprimat ſtatuta iam edita, planum eſt, iuramentum non extendi ad ſtatuta edenda. Similiter, ſi iuramentum fuit abſolutum, communiſſima ſententia eſt, reſtringi ad ſtatuta iam facta, ſecus ad futura : eo quod propter metum periurii, ſtrictioris interpretationis iuramentum ſit. S. Antoninus *II. P. tit.* I. *cap.* VI. *§. 6.* hæc addit. *Poſſet tamen diſtingui, quod aut ſtatuta quæ poſtmodum fiunt, non ſunt multum præiudicialia ; & tunc extenditur iuramentum ad illa : aut ſunt gravis præiudicii; & ad illa non extenditur iuramentum.* Verum, ſive gravis, ſive levis ſit res iurata, ad ſola ſtatuta edita reſtringi iuramentum, communis, & mihi vera, ſententia docet : nec aperte diſſentit ſanctus Archipræſul. Azorius *Lib. II. cap.* VIII. *quæſt.* VII. Suarez *Lib. III. cap.* XXXII. Candidus *diſp.* XXVI. *art.* 12. *dub.* 12. *concl.* 20. Sanchez *Lib. III. cap.* XIV. *num.* I. Leander *diſput.* XXXIV. *quæſt.* V Leſſius *Lib. II. cap.* XLII. *dub.* 4. Palaus *diſp.* II. *punct.* 14. *num.* 2. Prado *cap.* XXXII. *quæſt.* VI. *§.* 2. *num.* II. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 7. *§.* I. *num.* 77. & communiter omnes. Addendum tamen, quod, ſi ſtatutum futurum eſſet dum-

taxat

taxat declarativum prioris ſtatuti iam iurati, tunc iuramentum etiam ad iſtud extenderetur: quia abſolute non eſſet novum, ſeu diſtinctum ſtatutum, ſed unum cum veteri iam iurato, cuius foret declaratio & explicatio, conſtitueret. Et hoc quoque commune eſt penes Auctores.

V. Quæſt. IV. *An iurans ſervare ſtatuta Communitatis, teneatur ſervare ea quæ uſu recepta non ſunt, aut in deſuetudinem abierunt, vel per revocationem legislatoris amplius non obligant?* Reſp. Non admodum clare ſuper hac quæſtione loquuntur Auctores, eo quod non diſcernant ſtatuta quæ ea præcipiunt quæ ſunt iuris naturæ, a ceteris quæ ſunt meri iuris poſitivi; & ſimiliter non diſtinguant, quando præſumi poſſit conſenſus Principis, ſeu Communitatis, nec ne. Quem defectum ut evitemus, in primis eſt obſervandum, quod ea quæ iuris naturalis, & divini ſunt, ut obſervatio iuſtitiæ ſive commutantis, ſive diſtribuentis, & ſimilia, non ſubiaceant conſuetudini, aut præſcriptioni; conſequenter nec iuramentum eadem confirmans. Quare, licet maior pars Communitatis violaret præfatum iuramentum, ſeu ſtatutum iuratum, non ob id conſuetudo adverſus iuramentum induceretur. Et pro maiori claritate duo tranſgreſſionis tempora diſtinguamus oportet. Alterum, quo lex iurandi rogatur. Si tum maior pars legem contemneret; legem non acceptaret, atque adeo legem abrogaret. Alterum poſt rogatam, & acceptatam legem iuratam obſervandi ea quæ ſunt iuris naturalis, & divini. Tum tranſgreſſio etiam maioris, & maximæ partis legem non abrogaret. Præter tranſgreſſionem conſenſus quoque Principis ſeu Communitatis ad conſuetudinem requiritur: qui præſumi non poteſt, quoties Communitas ipſa iuramentum exigit, & res iurata ad ius naturale, aut divinum pertinet. Quando autem materia iurata eſt ſolius poſitivi iuris; hæc præſcriptioni, & conſuetudini eſt obnoxia: quia non raro contingit uno tempore bono communi conſentaneam eſſe legem, alio vero tempore infeſtam. Quid, ſi obſervantia ſtatuti perſeveret eſſe bono communi utilis, & iuramentum de illius obſervantia a communitate exigatur? Diſtinguendum mihi videtur. Si lex iurata iuxta communem exiſtimationem valde utilis eſt bono communi, licet a pluribus non obſervetur, non propterea antiquata dicitur; ſi bono communi parum proficit, deſuetudine ceſſare poteſt. Pauciſſima ſunt ſtatuta cuiuſque Communitatis, Capituli, Reipublicæ, Collegii, quæ inutilia prorſus ſint bono communi; ſed omnia aliquo modo in illud conferrent, ſi obſervarentur. Quid inde? Nulla ergo ſtatuta conſuetudini ſubiacebunt contrariæ? Silent omnes quos ego legerim Doctores ſuper hoc. Id quod mihi veroſimilius videtur, eſt illas leges & ſtatuta ex quorum inobſervantia, & tranſgreſſione graviter læditur bonum commune, nequire conſuetudine contraria aboleri; &, licet iſtæ a pluribus violentur, non idcirco tranſgreſſiones culpa vacare: quia numquam poteſt præſumi rationabilis conſenſus legislatoris in ea quæ grave detrimentum inferunt com-

communi bono, cuius obſervantiam promovere tenetur ipſemet legislator. E contrario, tametſi præfata ſtatuta utilia aliquo modo ſint fini, & bono communi; attamen, ſi nec illorum obſervantia valde augeat, ſeu conſervet, nec illorum tranſgreſſio valde lædat commune bonum, hæc obſoleſcere poſſunt: quia non præſumitur, Principem velle ſubditorum conſcientias obſtringere in rebus parvi momenti; nec omnia quæ conferre in augmentum boni communis poſſent, exequamur neceſſe eſt, ſed ea tantum ſine quibus bonum commune difficile conſiſtere valet. Ex quibus colliges, nimis diminutos eſſe communiter Caſuiſtas, dum docent abſolute, ea ſtatuta in deſuetudinem abire quæ a maiori parte non obſervantur; & ea quæ deſuetudine quacumque ceſſaverint, non obligare. Nam tranſgreſſio maioris partis non ſemper deſuetudinem, ſeu contrariam conſuetudinem, ſed corruptelam ſæpe inducit. Paucis verbis hæc indicavit D. Antoninus II. P. tit. x. cap. vi. §. 6. *Cum quis iurat ſervare ſtatuta Communitatis, vel alicuius Collegii, ſi qua ſunt abrogata per contrariam conſuetudinem, quæ ſit rationabilis, & præſcripta . . . non videtur obligatus ad illa*. Rationabilem, & præſcriptam conſuetudinem exigit S. Archipræſul; & id communiter Theologi omnes docent, dum de conſuetudine abrogante legem ſcribunt. Quando autem reipſa contingant rationum momenta, & circumſtantiæ tales quæ legem humanam abrogare valeant, definire præciſe nequaquam poſſumus. Solum addimus, duo hic, quemadmodum in omnibus aliis controverſiis, extrema eſſe vitanda: alterum illorum qui ex ſola legis tranſgreſſione conſuetudinem obtrudunt; alterum illorum qui, neglecta praxi, circumſtantiis, & temporum conditionibus ſpretis, legi abſtractæ nimis ſevere adhærent. Iſtis conſiderandum propono ſcitum illud D. Thomæ 1. 2. quæſt. xcvii. art. 3. *Difficile eſt conſuetudinem multitudinis removere*.

VI. Optandum ſane foret, ut Reſpublicæ, Communitates, Collegia, & Univerſitates ſuas iurandi reformarent formulas; ut partite recenſerent leges, & ſtatuta iuranda, miſſis aliis quæ reipſa in deſuetudinem abiere; ut declararent, quæ vigeant, & quæ abolita ſint. Sed id vix deſiderare, nedum ſperare poſſumus. Et tamen graviſſima iurandi lex, quæ, ut cuiuſque periurii periculum auferatur, præciſa eſſe debet, id ſummopere exigeret. Sed quæ a multitudine pendent; difficillime reformari queunt. Quoties mihi occaſio contingit conſulendi privatis in hac materia, ſuadeo ut ipſi præſtent quod multitudo exequi omittit; nempe ut explicate, & clare, quoad fieri poteſt, ea recenſeant quæ ſub iuramento ſervanda promittunt, eaque reiiciant quæ obſoleta dicuntur. Quando iurantes ſunt ipſi qui ſimul in Communitate congregati legem iurandi condunt, vel exequendam imponunt; nulla, aut levis eſſe poteſt difficultas in ſimili declaratione; ſicuti occurrere poſſet, ſi iurantes eſſent ſubditi, & conditor legis Rex abſolute imperans. At, inquis, ſi quis eiuſmodi iuramenta præfatis exceptionibus ederet, deriden-

Digitized by Google

dendum ſe ſe exhiberet, quia hæc omnia tacite ſubintelliguntur. Deridendum ſe ſe præberet iis qui ſuo tempore dicturi ſunt : *O nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore* &c. Sap. v. ſecus vero ceteris, qui de propria æterna ſalute ſolliciti, legem iurandi graviſſimam ea qua par eſt reverentia, & obſequio obſervant, & periculum periurii ſummopere vitare ſtudent. De ſtatutis quæ ab ipſa Communitate revocata ſunt, nulla eſt difficultas : planum ſiquidem eſt hæc non obligare. Certum item eſt, iuramentum ſervandi abſolute ſtatuta alicuius Communitatis comprehendere etiam ſtatutum illud quod licet tempore, quo iuramentum emiſſum fuit, non obligabat ob defectum alicuius conditionis, puta approbationis, vel confirmationis ; temporis tamen decurſu obligat, quia accedunt omnes conditiones neceſſariæ ad conſtituendum ſtatutum illud licitum.

VII. Quæſt. V. *An, ſi quis iuraret unicum ſtatutum alicuius Communitatis, illudque eſſet obſoletum, peccaret non ſervando ſtatutum illud?* Reſp. Sanchez *Lib. III. cap.* XIV. *num.* 9. Prado *cap.* XXXII. *num.* 15. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 11. *punct.* 7. *§.* 1. *num.* 79. aliique communiter docent, iuramentum præfatum ad nihil obligare; & iurantem non peccare, dum non implet quod promiſit. Ad id probandum omnes rationem quam aſſignat P. Sanchez, exſcribunt. Dicunt namque, iuramentum non eſſe de implenda re abſolute, & ſecluſo ſtatuto, ſed ſervandi ſtatutum; ſeu eſſe iuramentum implendæ rei iuxta ſtatuti præſcriptum. Poſito ergo quod ſtatutum obſoletum ſit, & ad nihil obliget, iuramentum quoque nullam pariet obligationem. Sic communiter ratiocinantur recentiores. Et tamen iſti omnes docent, materiam iuramenti debere eſſe poſſibilem, licitam, utilem, immo gravis momenti; aliter iuramentum ad minus incautum eſſet. Debuiſſent ergo & hic addere ſaltem, tum exigentem, tum præſtantem ſimile iuramentum peccare ob defectum iudicii. Ut mea præfefert opinio, non videtur præſumendum, Communitatem adigere quemquam ad iurandum unicum ſtatutum, ſive legem quæ non ſit, ſeu quæ deſuetudine prorſus deſierit. Quod ſi ſimilis ſtatuti ſervandi iuramentum exigeret; non video quomodo a culpa excuſari poſſet ſive exigens, ſive præſtans eiuſmodi iuramentum, quod evidenter incautum eſt. An ne conſuetudo etiam obtinet iurandi, & exigendi iuramentum ſine ulla neceſſitate, & de re vana, quæ reipſa non exiſtit? Quando enim unicum iuratur ſtatutum, materia iuramenti tota eſt ſtatutum iſtud: quo penitus ſublato, tota deficit, iuramenti materia. Falſum ergo eſt iuramentum, aut certiſſime incautum. Ergo tam iurantes, quam exigentes iuramentum, peccant. Iurans tamen non ſervando ſtatutum revera abrogatum, non peccat; ſed peccavit iurando incaute illius obſervantiam.

VIII. Quæſt. VI. *An qui iurant ſervare ſtatuta Reipublicæ, Communitatis, Collegii &c.*

&c. quæ ad nullam culpam obligant , culpam committant illa non ſervantes ? Reſp. *P. Sanchez*, *Trullench*, *Palaus*, *Bonacina*, *Prado*, *Salmanticenſes* , & communiter recentiores docent, nullius culpæ reum evadere qui ſimilia iurata ſtatuta ſervare negligeret; atque tamquam certum id decernunt. Mihi tamen hæc opinio falſa eſt. Et primum iuramenta exigi minime ſolent pro obſervantia conſtitutionum quæ nullius ſunt momenti, quæque ad nullam obligant culpam , ſed ea ſtatuta iuramento firmantur quorum obſervantia perquam maxime intereſt Communitatis. Ideo præter ligamen ſtatuti additur iuramenti vinculum. Deinde in hoc hallucinati videntur recentiores Caſuiſtæ , quod obligationem ſtatuti ab obligatione iuramenti non ſecernant. Utique iuramentum non efficit ut ſtatuta quæ ad nullam culpam vi ſua obligant, ab ipſo iuramento vim obligandi ad culpam accipiant. Ceterum, licet nulla ſit obligatio ex principiis iuſtitiæ proficiſcens , urget tamen obligatio a iuramento orta, quæ ad religionem pertinet. Nonne qui iuramento obſtrictus eſt ad ſervandum ſtatutum , vinculo religionis ad id tenetur ? Ergo qui iuramentum infringit, religionis debitum violat. Hoc ergo vertit diſcrimen leges pœnales inter & leges conſcientiam ligantes, quod qui leges tantum pœnales iuratas violat, unicum committit peccatum contra iuramentum ; contra qui iuratas leges ſub culpæ pœna obligantes violant, duo perpetrant crimina , alterum contra legem, alterum contra iuramentum . Et profecto , ſi iuramentum ſervandi ſtatuta ſolum pœnalia nullam religionis obligationem inferret, ſuperfluum foret & fruſtraneum.

IX. Hanc quam tradimus doctrinam ex D. Thoma eruimus. Siquidem ille 2. 2. *quæſt.* clxxxvi. *art.* 9. quærit, an Religioſi ſemper mortaliter peccent , dum aliquod Regulæ ſtatutum violant ? Et hoc ſibi obiicit argumentum primo loco. *Facere contra votum eſt peccatum damnabile . . . . Sed Religioſi voto profeſſionis ad Regulam adſtringuntur . Ergo peccant mortaliter tranſgrediendo ea quæ in Regula continentur .* Cui obiectioni ut reſpondeat, in primis in corpore articuli ſtatuit , *votum profeſſionis reſpicere principaliter tria prædicta, ſcilicet paupertatem , continentiam, & obedientiam.* Deinde *in reſp. ad* 1. directe occurrit obiectioni dicens , *quod ille qui profitetur Regulam , non vovet ſervare omnia quæ ſunt in Regula ; ſed vovet regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in tribus prædictis . Unde & in quibuſdam Religionibus cautius aliqui profitentur, non quidem Regulam , ſed vivere ſecundum Regulam . . . . In quibuſdam autem Religionibus adhuc cautius profitentur obedientiam ſecundum Regulam; ita quod profeſſioni non contrariatur, niſi id quod eſt contra præceptum Regulæ.* Ex his ſatis apparet quam longe a doctrina recentiorum diſtet doctrina Angelici . Non aſſerit ille, Regulares vovere ſtatuta ut ſtatuta ; ſed expreſſe, ut eos culpa liberet, docet illos non vovere ſtatuta ipſius Regulæ. Et profecto ſi ego iurarem me craſtina die ſervaturum ſilentium ;

quis

Digitized by Google

quis me a culpa periurii excuſaret, ſi deliberate ſilentium frangerem, quamvis vi meæ profeſſionis nullius culpæ reus ſim, ſilentium violans?

X. Unum denique addo, iuramenta ſervandi ſtatuta Communitatis, Capituli &c. ut plurimum in communi, ſeu, ut aiunt, *collegialiter* ſervanda iurari: & idcirco parvitatem materiæ admittere non recuſo; ac proinde aſſero, iurantes quandoque mortaliter, quandoque venialiter peccare, ſi negligant defendere, conſervare &c. præfata iurata ſtatuta. Hæc quoque eſt intentio iurantium, & intentio Communitatis exigentis iuramentum. Aliter omnino ſentiendum eſt de iis qui privatim iurant aliquam peculiarem promiſſionem. Iſtos enim, ſi deliberato animo rem iuratam, ſive levem, ſive gravem, implere negligant, reos eſſe periurii ſupra probavimus.

XI. Quæſt. VII. *An Univerſitas revocare poſſit ſtatutum ſuum iuratum?* Reſp. Convenit in primis penes Auctores, ſi iuramentum fuit non revocandi ſtatutum iuratum, non poſſe Communitatem, Univerſitatem &c. revocare dictum ſtatutum abſque periurio. Præciſo autem tali iuramento, ſi ſtatutum iuratum obſervandum ſit a ſingulis Communitatis perſonis, ut quando decernitur, neminem arma deferre, neminem noctu domo egredi, aliaque id genus; tunc ſtatutum revocari a Communitate poteſt: quia, cum illud ſtatutum ſinguli de Communitate exequi debeant; conſequitur Communitatem retinere facultatem revocandi illud. Porro iuramentum non tribuit ſtatuto iurato perpetuitatem, ſed maiorem dumtaxat obligationem, quamdiu durat. Ergo, revocato ſtatuto, corruit quoque iuramentum. Contra, ſi res iurata a tota Communitate ſimul accepta impleri debeat, communiter docent Auctores, non poſſe eiuſmodi iuratum ſtatutum a Communitate revocari: quia, cum tale ſtatutum edit, illudque iuramento confirmat, auctoritatem ſibi aufert illud revocandi. Sic docent Covarruvias, Prado, Sanchez, quos ſequuntur, & laudant Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 7. *ſ.* 1. *num.* 82. Ut ingenue fatear, rationem minime teneo cur Communitas non poſſit revocare eiuſmodi ſtatutum, quando non ſit a ſuperiore poteſtate confirmatum; ſi iuſta revocationis cauſſa occurrat. Sive enim ſtatutum a ſingulis exequendum ſit, ſive ab omnibus *collective* acceptis, ad poteſtatem revocationis nihil pertinere videtur. Quod vero aſſeritur, non poſſe Communitatem ſimile iuratum ſtatutum revocare, quia id declaratum eſt ex *cap.* Dilecto *de Præb.* non evincit intentum. Quoniam allegatus textus ſolum declarat, nullius eſſe momenti quod contra præfatum iuratum ſtatutum ſit; & merito: nam, perſiſtente lege, fruſtraneum eſt id quod contra legem ſit. Ceterum textus iſte haudquaquam declarat, Communitatem, aut Univerſitatem non poſſe, cum boni communis ratio ſuadeat, ſtatutum præſatum revocare.

CAPUT II.

De iuramentis quæ fiunt a miniſtris publicis ſervandi taxationem ſtipendii, ſecreta, bonumque publicum promovendi; & a Medicis monendi infirmos de confeſſione.

I. PLuribus in locis miniſtri publici, ut Scribæ, Procuratores, Advocati, Decuriones, aliique in ingreſſu officii ſui iuramentum emittunt non petendi, aut accipiendi quidquam præter ſtipendium lege publica taxatum & definitum: quod ſane iuramentum iuſtum, licitum, honeſtum, & Reipublicæ maxime conſentaneum eſt. At, quia nihil tam evidens, & honeſtum occurrit quod humana ſagacitas in diſputationem non adducat; ideo quæri cœptum eſt, num præfatum iuramentum obliget, quando ſtipendium pro miniſtris taxatum inſufficiens ſit eorum ſuſtentationi, & conſequenter iniuſtum. Satis implexe Caſuiſtæ verſant hanc difficultatem, ut ex dicendis conſtabit.

II. Quæſt. I. *Quandonam pretium lege taxatum dicendum ſit inſufficiens, & iniuſtum; ita ut miniſtri abſque periurii labe valeant aliquid præter dictum ſtipendium accipere, & petere?* Reſp. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 7. *§.* 2. *num.* 84. dicunt, probabiliſſimam eſſe ſententiam *Molinæ*, *Lugonis*, *Leandri*, *Trullenchi*, & aliorum, qui aiunt in Hiſpania ſtipendium pro miniſtris taxatum, eſſe iam iniuſtum; & propterea poſſe dictos miniſtros ultra taxationem aliquid accipere, quod eorum ſuſtentationi ſufficiat. Deinde *num.* 85. non minus probabilem afferunt contrariam ſententiam *Bannez*, *Petri Ledeſmæ*, *Villalobi*, *Ioannis a Cruce*, *Pradi*, & *Caſtropalai* aſſerentium, ſtipendium taxatum iuſtum eſſe: & prolixam auctoritatem exſcribunt *Caſtropalai* inquientis, ſe conſuluiſſe plures Scribas, qui ſibi teſtati ſunt taxationem eſſe iuſtam. En quomodo quæſtio meri facti probabilis reputatur in utramque partem, propterea quod ipſorum miniſtrorum alii adfirmant, alii negant pretium eſſe iuſtum. Quis in primis non videat, ipſos miniſtros in propria cauſſa haud eſſe teſtes fide dignos, ſaltem pro ea parte qua negant taxatum ſtipendium ſufficiens eſſe; tametſi validum ſit eorum teſtimonium, prout adfirmant iuſtam eſſe ſtipendii taxationem? Rurſus iuſta pretii determinatio nonniſi a legitima poteſtate fieri valet. Adfirmant vel ipſi Caſuiſtæ molliores, hoc pretium definiendum minime eſſe ex indigentia miniſtrorum, & neceſſitate alendæ familiæ; ſed ex labore, & prudentum iudicio, inquiunt *Salmanticenſes*. At qui ſunt hi prudentes? Ipſi miniſtri ſuæ artis conſcii? At iſti iudices in pro-

Digitized by Google

propria cauſſa eſſe nequeunt. Homines alterius profeſſionis, qui lites peragunt ſub patrocinio advocatorum? Sed iſti ab ipſis advocatis reiicientur tamquam indigni iudices. Quid ergo eſt reliqui, niſi ut ipſa Reſpublica, quæ ſola eſt eiuſmodi controverſiæ legitimus iudex, taxationem hanc definiat? Ergo, ſi ſemel determinavit iſtud ſtipendium, nequit augeri, inſcia Republica. Dicimus itaque pro ſolutione quæſiti, miniſtros iurantes legem taxati ſtipendii, nequire præter illud quidquam accipere. Enimvero libere miniſterium ſuſcipiunt, & conſequenter ſponte iuramentum illud edunt. Non eſt ergo unde excuſari poſſint, ſi illud tranſgrediantur. Si iniuſtum eſt ſtipendium, cur illud ſponte iurant? Deinde quis eſſet talis iniuſtitiæ iudex? Nonne ipſa Reſpublica? Quouſque ergo Reſpublica pretium non mutat, iuſtum dicendum eſt, Quod ſi miniſtri iniuſtum, & inſufficiens ſibi, propriæque familiæ alendæ illud experiuntur; id Principi ſignificent. Ceterum, ſi iniuſtum ſtipendium præfatum ideo dicendum eſt, quia miniſtri illud iniuſtum obtrudunt, ſeu quia reipſa illius limites tranſiliunt; iam ex ſola legis tranſgreſſione deſuetudo, ſeu corruptela infertur: quod eſt ſupra refutatum, tamquam omnium ſophiſmatum peſſimum. Ad deſuetudinem ſiquidem honeſtam, licitamque præ aliis conſenſus Reipublicæ requiritur, qui in his caſibus non modo præſumi nequit, ſed contrarius etiam manifeſto conſtat. Etenim quoties Scribæ, Advocati, ceterique miniſtri ſtipendium pro patrocinio præſtito, exaratiſque libellis acceptum, in ſchedulis publicis ſignare debent; non illud quod acceperunt, ſed quod taxatum a Republica eſt, ſignant. Nec ſufficit reponere, ſponte clientes amplum ſtipendium exhibere: quia liquet hoc eſſe falſum, coactoſque pretium augere: quod inde patet, inquit Cardinalis Toletus *Lib. V. cap.* LXII *num.* 8. quia, peracta lite, clientes ſuos Procuratores, Advocatos, & Scribas rapaces, & latrones compellant, Si legi taxati pretii ſtare nolint, iuramentum omittant.

III. Quæſt. II. *An iuramentum præſtitum de ſervanda taxa obliget, ſi taxa ſit iuſta, & ſufficiens, lex tamen contrario uſu abrogata?* Reſp. Leander diſp. XXXI. quæſt. VII. *Probabilius*, inquit, *adhuc reſpondeo non obligare tale iuramentum Scribas, & alios miniſtros .... quia cenſendi ſunt ſe noluiſſe obligare*. Pro hac opinione laudat *P. Sanchez*, *Palaum*, *Dianam*, *Trullenchum*, *Pradum*. Mihi non modo probabilior non eſt hæc ſententia, ſed neque probabilis; immo aperte falſa. Quid? Taxa iuſta eſt, & uſus contrarius eam abrogat? Iuſtitia ergo quæ commutans appellatur, qualis eſt in præfato ſtipendio, conſuetudini obnoxia eſt? Contrarius uſus abrogare poteſt iuſtitiam, ipſo Principe repugnante? En unum ex principiis tot rapinarum, rapacitatum, oppreſſionum, & iniuſtitiarum quæ in foris graſſantur. Si enim vel ipſi Caſuiſtæ docent, uſum abolere poſſe ipſam iuratam iuſtitiam; quid tam ſanctum, tam iuſtum erit quod, prævalente hominum

malitia & abuſu, violare ſibi licitum non reputent eiuſmodi miniſtri? Reiicienda itaque eſt hæc opinio tamquam omnino falſa, & erronea: quia nullus uſus abrogare poteſt iuſtitiam commutantem, quæ iuris naturalis eſt. Quare in hypotheſi quod taxa reipſa iuſta ſit, ut Leander cum ſuis ſupponit, uſus contrarius numquam præſcribere valet, & potiſſimum repugnante Principe, qui taxam iuſte definivit.

IV. Quæſt. III. *An publici miniſtri, Decuriones, Prætores, Senatoreſque urbium, qui, cum officium adminiſtrandum ſuſcipiunt, iurant ſe bono publico proſpecturos, teneantur publica peccata coercere?* Reſp. Præfati miniſtri vi ſui iuramenti ea omnia impedire tenentur quæ publicam perturbant tranquillitatem; peccata autem quæ humanam ſocietatem non infringunt, non tenentur vi iuramenti ſui removere. Immo, ſi Principes multa privata ſcelera permittunt, ut maiora vitent mala, & univerſalem quietem foveant; conſequenter etiam miniſtri, qui Principum perſonam referunt, eadem non aſtringuntur auferre; ſed induſtriam ſuam totam conferre debent, ut pacem civium, ut mercium abundantiam, iuſtaque pretia conſervent, ut civitatem ab hoſtibus, & damnis præſervent; eaque curare quæ communi bono proſpexerint conſentanea.

V. Quæſt. IV. *An iuramentum ſervandi ſecretum eorum quæ in Capitulis, Conventibus, & Congregationibus tractantur, ſemper obliget ſub mortali culpa?* Reſp. Plures Caſuiſtæ, quos laudat Leander *diſp.* XXXI. *quæſt.* III. & ſequuntur Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* II. *punct.* 7. *§.* 2. *num.* 88. defendunt, iuramentum iſtud mortaliter obligare, ſi res ſecreto commendata gravis momenti ſit; venialiter vero, ſi res modica ſit, & levis. Sed nos iam fuſe probavimus ſupra, iuramentum promiſſorium nullam admittere materiæ parvitatem; ſed quodlibet periurium eſſe mortale: quod tum potiſſimum locum habet, quando ſub iurato ſecreto res unica, & definita cuſtodienda traditur, quamquam levis ſit: eo quod tunc deficeret iuramenti promiſſorii veritas futura, quæ eſt illius propria, ſicut iuramenti aſſertorii propria eſt veritas præſens.

VI. Quæſt. V. *Quid teneantur præſtare Medici vi iuramenti quod emittunt, dum facultatem medendi obtinent?* Reſp. Sciendum eſt, Medicos vi iuris naturalis, & divini aſtringi ad monendos infirmos morti proximos de ſacramentis ſuſcipiendis. Sed de hoc in præſentia ſermo non eſt. Præter hoc ius extat lex eccleſiaſtica quam indixit Innocentius III. *in cap.* Cum infirmitas *de pœnit. & remiſſ.* quaque iubet, Medicos vocatos ad curandos infirmos debere omnium primum illos monere, & inducere ad confeſſionem. Hanc legem renovavit Pius V. in ſua conſtitutione edita anno 1566. die 8. Maii, cuius initium eſt, *Super gregem dominicum*, addens præceptum, ne Medici ultra tertium diem viſitent ægrotum, niſi per Confeſſarii ſcriptam atteſtationem conſtet infirmum eſſe peccata ſua confeſſum. Iubet

rur-

Digitized by Google

rurſus Pontifex ut Medici iſtius decreti obſervantiam iurent, dum profitendi artem medicam poteſtatem accipiunt. Decreti vero iurati violatoribus pœnas infligit infamiæ, privationis Doctoratus, & mulctam pecuniariam arbitrio Ordinarii definiendam, præter alias pœnas contentas in laudato cap. *Cum infirmitas*.

VII. Pro iſtarum legum explicatione nonnulla diſtinguenda ſunt. In primis ubi conſtitutio Pii V. uſu, & conſuetudine recepta eſt, obligat ſub mortali, nemine diſſentiente: quia lex graviſſima eſt, & pœnas ſeveriſſimas imponit. Id ſolum in controverſiam vocatur, quæ infirmitas eſſe debeat quam curare Medici nequeant, niſi prius de confeſſione facienda infirmos moneant. Plures Auctores ſuſtinent, eam requiri infirmitatem quæ grave mortis periculum indicet. Sed communis ſententia media via incedit. In quolibet morbo nullum præferente periculum Medicus non tenetur vi dictarum legum ægroto confeſſionem indicere, quia talis admonitio perridicula appareret. Præfatæ leges non modo obligant Medicos ad monendos infirmos laborantes mortis periculo, ſed etiam gravi detentos infirmitate, de qua prudenter timeri poteſt quod gravior evadat, & periculoſior. Ratio eſt, quia vi legis naturalis, & divinæ Medici adſtringuntur confeſſionem proponere infirmis in proximo mortis periculo conſtitutis. Sed laudati Pontifices ſuis legibus novum onus imponunt Medicis. Ergo dicendum, Medicos debere infirmos de confeſſione facienda admonere, non ſolum in periculo mortis, ſed etiam in quacumque gravi infirmitate, licet periculum amittendæ vitæ non inſtet. Idque colligitur expreſſe ex cit. cap. *Cum infirmitas*, ubi dicitur: *Ne, cum infirmi admonentur, exiſtiment ſe iam eſſe in periculo, & afficiantur triſtitia, atque adeo mortis periculum facilius incurrant*. Ex quibus verbis colligitur, Pontificem ſupponere, confeſſionis monitionem faciendam eſſe, antequam mortis periculum immineat. Quam interpretationem amplectuntur *Caietanus*, *Tabiena*, *Sanchez*, *Bonacina*, *Palaus*, *Salmanticenſes*, & alii communiter.

VIII. In eodem cap. *Cum infirmitas*, dicitur, hanc admonitionem ante omnia fieri debere, ideſt ante omnium medicamentorum applicationem. Pius V. in ſua conſtitutione vetat Medicis ne poſt tertium diem viſitent infirmos renuentes confiteri. Quod intelligendum eſt, inquiunt *Suarez*, & *Sanchez*, quando ex Medici deſertione non appareat periculum aggravandæ infirmitatis, vel ſubeundæ mortis Nec enim tale decretum adverſatur caritati, quæ etiam obſtinatis, quoad fieri poteſt, favet.

IX. Hæc dicta ſunt, ſpectato iuris rigore. Nam paucis in locis hæc decreta recepta ſunt; nec iuramentum ubique emittunt Medici ſervandi decreti Pii V. Ceterum, ubi decretum præfatum iuratur, cum alioquin iuſtiſſimum ſit, & ob reverentiam ſacramenti, dico Medicos ad illius obſervantiam iuratam teneri. Nec plurium Medicorum tranſgreſſio abrogare valet iuſtam ac iuratam legem. Ubi ve-

ro decretum non iuratur, ad ea Medici præſtanda obſtringuntur quæ lex naturalis, & divina præſcribit; videlicet, quando agnoſcunt, vel prudenter timent mortem, aut mortis periculum inſtare, debent chriſtiana, non mundana dexteritate infirmum admonere ut rebus ſuis tum corporis, tum animæ conſulere valeat. Quod Caietanus ſcribit in *Sum. verb. Medic.* non eſſe Medicorum triſtia infirmis annuntiare, ſed læta, intelligendum eſt, ut ipſemet Caietanus ſe ſe explicat, ad excuſandos bonos Medicos, qui partes ſuas implere ſolent; non indiſcriminatim, ut ex eodem Caietano referunt Salmanticenſes. Ne multa: Medicus, ſin ex officio Medici, certe ex profeſſione chriſtiana, prout valet, aſtringitur indicare ea quæ ex lege evangelica, & eccleſiaſtica infirmi exequi tenentur. Non eſt tamen neceſſe ut ipſe Medicus directe infirmo indicet vitæ periculum; ſed etiam per alios, nempe amicos, & conſanguineos, peragere id valet, prout prudentia chriſtiana melius iudicaverit expedire. Nec regula præciſa hic aſſignari poteſt. Extrema tantum ſunt vitanda, & illorum qui abſque ulla neceſſitate infirmos turbant; & aliorum qui ob vanum timorem ægrotos turbandi abſque ſacramentorum ſuſceptione illos mori ſinunt.

CAPUT III.

De iuramentis non ludendi, non mutuandi, non fideiubendi, non vendendi minori, nec emendi auctiori pretio.

I. DE pluribus materiis genere diverſis, brevitatis gratia, hoc in capite ſermonem inſtituimus. Innumeras movent difficultates Theologi recentes ſuper quolibet propoſito materiæ genere, & potiſſimum ſuper iuramento non ludendi. Omnia quæ ipſi fuſe pertractant, nos breviter reſolvemus. Talia enim non ſunt quæ longiorem requirant diſputationem.

II. Quæſt. I. *An iuramentum non ludendi validum ſit?* Reſp. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxviii. *art.* 2. ſtatuit ludum moderatum ad virtutem eutrapeliæ pertinere. Tot tamen conditiones neceſſariæ ſunt ad conſtituendum ludum actum virtutis, ut in praxi difficile reperiantur omnes; potiſſimum ſi ludus peragatur inter homines caritate deſtitutos. Animadvertendum quoque eſt; ludum illum dumtaxat ad virtutis actum reduci poſſe qui ad exhilarandum animum dirigitur, quique communiter in verbis, aut factis ludicris, & iocoſis conſiſtit. Quare omnes ludi, qui fortuiti, & caſuales, qui ad lucrandas pecunias exercentur, excluduntur ab iis ludis qui ad virtutis actus reduci valent. Quibus poſitis dico, iuramentum, quod frequenter fieri ſolet, non ludendi validum eſſe; quia communiter fit de ludo im-

Digitized by Google

immoderato, & pecuniario, quique eſt rixarum, & animi perturbationum, aliorumque malorum origo: conſequenter eſt de re licita, honeſta, & magnopere utili tum animæ, tum corpori. Quocirca falluntur Navarrus, & Rodriquez aſſerentes, eiuſmodi iuramentum, ſeu votum non eſſe validum, quia ludus poteſt eſſe actus virtutis. Quandoquidem iuramentum fere numquam fit abſtinendi a ludo qui ſit virtutis actus: idque experientia conſtat. Homines enim qui virtuoſe ludunt, numquam ſimile iuramentum, aut votum emittunt. Deinde iuramentum non ludendi validum foret, etiamſi ludum virtuoſum comprehenderet: quia perfectior virtus eſſe poteſt, quæ in abſtinentia a tali ludicra recreatione elucet. Moderata inter homines feminaſque converſatio, ciborum ſanitati utilium comeſtura, res uxoria ad actus virtutum ſpectant; attamen perfectioris virtutis eſt ab eiuſmodi actibus abſtinentia; ideoque iuramentum, ſeu votum ab eiſdem abſtinendi validum eſt, & obligans. Porro, ut dignoſcere quis valeat, quandonam ſub iuramento abſoluto non ludendi comprehendatur nec ne ludus moderatus, ſciat, fere ſemper iuramentum non ludendi fieri ad evitandam iacturam pecuniarum, & temporis, occaſionem iurgiorum, ac rixarum. Quando autem conſtat de tal fine expreſſo; planum eſt tunc non comprehendi ludum moderatum, & virtuoſum. Ceterum, ut dixi, vix fieri poteſt ut ludi pecuniarii ad ludum virtuoſum reducantur: & ideo in iuramento non ludendi, mea quidem ſententia, ſemper comprehenduntur omnes ludi pecuniarii, quamvis parva ſit pecunia quæ ludo exponitur: quia nimis familiare eſt periculum tranſiliendi limites moderatæ pecuniæ, & moderati ludi. Quamobrem qui iuravit ſe in poſterum non luſurum, ab omni ludo abſtinere debet; alioquin periurus evadet. Non negamus, quandoque eiuſmodi iuramenta fieri abſque debita deliberatione, & ex impetu animi perturbati; ſed tunc venandum erit, num fuerit ſufficiens deliberatio. Concedo & ego, iuramentum ſtrictioris iuris eſſe; eiuſque obligationem non extendendam ad res dubias, ſed potius coarctandam eſſe. Verum id intelligendum eſt maxime, quando materia iuramenti, ſeu voti ſunt actus qui vocantur ſupererogationis. Quando vero iuramentum, ſeu votum eſt de vitando periculo amittendi bona tum ſpiritualia, tum temporalia, a quorum malorum occaſione etiam abſque iuramento Chriſtianus abſtinere deberet; tunc, ut ego quidem arbitror, iuramentum potius amplificandum (moderate tamen, & intra genus materiæ iuratæ) quam coarctandum eſt. Quare minime mihi probantur innumeræ illæ diſtinctiones, & ſubtilitates quas ex Sanchez, Palao, & Leandro exſcribunt Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 11. *punct.* 7. *§.* 4. *num.* 96. *& ſeq.* & ideo, tamquam inutiles, miſſas facio; potiſſimum illas quibus gravitatem, & parvitatem materiæ ex diverſo iurandi fine colligentes, ſtatuunt parvitatem materiæ eſſe modo temporis, modo pecuniæ iacturam, & conſequenter iurantem nunc venialiter, nunc mortaliter peccare iuxta maio-

maiorem aut minorem materiæ iuratæ tranſgreſſionem : quæ omnia ſupra explo-ſimus, docentes, neque in aſſertorio, neque in promiſſorio iuramento parvitatem materiæ reperiri.

III. Quæſt. II. *An qui iuramentum, ſeu votum emiſit non ludendi, poſſit alteri nummos dare, ut ſuo nomine ludat, & ipſe ludo aſſiſtere?* Reſp. Pigeret ſane me iſta humanæ calliditatis inventa proponere, niſi in utramque partem a Theologis diſputarentur. Communior recentiorum opinio, quam propugnant *Sanchez*, *Leander*, *Palaus*, *Fagundez*, *Salmanticenſes*, *Tamburinus*, *Sporer*, & alii, defendit abſolute, poſſe iurantem talem per interpoſitam perſonam ludere, & ludentem aſpicere : quia proprie, & in rigore iurans non ludit : & cum iuramentum ſtricte interpretandum ſit, non debet extendi ad hunc ludum mediatum, & remotum. Hæc eſt unica iſtorum Auctorum ratio.

IV. Iam communi vertitur proverbio, quod qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Iuramentum ſtricte interpretandum, potiſſimum quando res iurata non prohibetur ipſa divina lege, ſed eſt ſupererogationis; ſemper tamen interpretatio iſthæc ſecundum regulas bonæ fidei, & chriſtianæ prudentiæ eſſe debet. Porro, cum quis, expertus ſe ludendo prodigere pecunias ſuas, patrimonium dilapidare, tempus terere, rixas & iurgia excitare, iurat ſe in poſterum non luſurum, ut eiuſmodi mala declinet, non evitat hæc omnia, cum per interpoſitam perſonam ludit : nam pecuniæ, & patrimonium prodiguntur, otioſe tempus inſumitur, & iurgiorum rixarumque periculum eſt. Verum, inquiunt adverſarii, hæc omnia nihil obſtant : quia non eſt attendendum, an finis iuramenti concurrat, ſed an ſub materia promiſſa comprehendatur. Immo repono ego, ex intentione, & fine iurantis interpretatio iuramenti colligenda eſt. Materia iuramenti eſt ludus. Eſto: at certe non eſt ludus utcumque, & ab omni circumſtantia ſeiunctus; cum in hac acceptione ſit actus indifferens, & vix congrua iuramenti materies; ſed ludus, ut eſt occaſio iacturæ pecuniarum, patrimonii, & temporis, ut eſt cauſa iurgiorum, rixarum, aut impedimentum vacandi rebus divinis, & conſulendi propriis negotiis, eſt reipſa iuramenti materies. Hæc autem omnia contingunt, cum iurans per interpoſitam perſonam, ſeu aliena manu ludit, & propriis oculis ludentes ſpectat. Ergo eſt materia propria iuramenti quod communiter fit non ludendi. Diſtinctio vero qua contrariæ ſententiæ Auctores dicunt ea quæ recenſuimus, conſectaria finem, non materiam eſſe iuramenti, & finem externum non cadere ſub lege : hæc, inquam, diſtinctio ſimilis eſt alteri qua non pauci votum paupertatis ſervare ſibi blandiuntur, ſi pecunias non propria, ſed aliena manu ad arbitrium expendant, vel in alieno ſcrinio conſervent. Quæ ſane diſtinctiones nugæ mihi ſunt, & meræ cavillationes, ortæ ſin ex animo decipiendi (quod præſumere nefas eſſet) certe ex præpoſtera aſſuetudine revocandi ad regulas abſtractas,

& me-

Digitized by Google

& metaphyſicas morum præcepta. Sæpiſſime finis legis non cadit ſub lege, quando eſt omnino extrinſecus; ſecus, ſi eſt intrinſecus, & conſtituit materiam ipſius legis, ut in præſentia contingit.

V. Similiter dicimus, hunc iuratorem non poſſe alterius nomine ludere. Etiam in hac hypotheſi diſtinctione utuntur laudati Theologi. Aiunt namque, ſi finis iuramenti fuerit vitare iacturam temporis, ut poſſit Deo vacare, ſuiſque rebus attendere; tunc nequit vel alterius nomine ludere. Si vero finis fuerit declinare iacturam pecuniarum, occaſionem rixarum, & iurgiorum; dicunt poſſe eum tunc ludere, quin tranſgrediatur iuramentum: quia in ludente alienis pecuniis huiuſmodi contingere minime ſolent. Sed hanc diſtinctionem ut ineptam reiicimus; cum ipſe iurans iuramentum ſuum cum tali præciſione, ſeu diſtinctione non copulaverit. Siquidem in abſoluto iuramento non ludendi omnia recenſita incommoda intelliguntur cavenda: & quamquam frequentiora ſint in ludo propriæ pecuniæ quam alienæ; attamen, quoties ludi ſunt pecuniarii, aſſuetis eiuſmodi ludis familiaria ſunt deſcripta mala; quæ ut declinarent, ſacramenti ſeſe munierunt vinculo. Dicendum ergo nobis videtur, talem iurantem neque proprio, neque alieno nomine abſque iuramenti tranſgreſſione poſſe ludis vacare.

VI. Quæſt. III. *An iuramentum non ludendi cum tali perſona, aut in tali domo, vel tali genere ludi, validum ſit?* Reſp. Si hoc iuramentum, vel votum ſit de re omnino indifferenti, quemadmodum abſolute eſt ludus cum tali perſona, vel in tali domo; iuramentum, ſeu votum ad nihil obligat. Ceterum, ſi habeat finem honeſtum, videlicet fugam rixarum, iurgiorum, quorum talis perſona occaſio eſſe ſolet; ſi talis ludus eſt cauſſa amittendi magnam pecuniæ ſummam; ſi illa domus origo eſt malorum: tunc iuramentum ſactum evitandi præſata mala, & pericula validum eſt; atque iurans ſub periurii pœna illud obſervare adſtringitur: quia iuramentum eſt de re bona, & honeſta. Adverte tamen, ut iuramentum, ſeu votum validum ſit, non ſatis eſſe illud poſſe in finem honeſtum dirigi; ſed oportere inſuper ut ipſe iurans tacite, vel expreſſe habeat talem finem honeſtum. Hinc iuramenta eiuſmodi non ludendi cum tali perſona, in tali domo, ex tædio, & ira concepta, & in vindictam talis perſonæ facta, incauta ſunt, & invalida. Iuramentum ſactum in commodum filiorum, vel aliorum, & ab ipſis acceptatum, validum eſt, nec poteſt retractari. Iuramentum conditionatum durat, donec impleatur conditio. Titius filius iuravit ſe non luſurum, donec pater Roma redierit. Romæ moritur pater. Poteſt ne filius ludere? Negat Bonacina *diſp.* XIV. *p.* I. *punct.* 16. *num.* 6. Sed vera eſt adfirmans opinio, quam defendit Tamburinus *Lib.III. cap.* III. *§.* 5. *num.* 64. quia manifeſta præſumptio eſt talem fuiſſe iurantis animum. Nimis materialis eſt Bonacinæ interpretatio.

VII. Quæſt. IV. *An votum, ſeu iuramentum non mutuandi ſit validum?* Reſp.

Abſque

Abſque ulla controverſia eiuſmodi ſive votum, ſive iuramentum nullum eſt. Mutuari namque eſt actus miſericordiæ, & caritatis; & quandoque ex præcepto ad mutuum dandum obligamur. Ergo iuramentum abſtinendi a tali actu non eſt de re honeſta, & licita; & idcirco invalidum. Idem omnino dicendum de iuramento non fideiubendi. Ut autem clarior ſit reſolutio, ſub variis circumſtantiis conſiderari poteſt præfatum iuramentum. Nam, ſi abſolutum ſit, & fiat vel ob Dei honorem, aut ob propriam utilitatem; patet eſſe invalidum, & nullum: quia repugnat tum conſiliis, tum præceptis evangelicis; & conſequenter non poteſt in Dei honorem cedere. Si iuramentum fiat ob vitandam gravem iacturam proprii patrimonii, & filiorum, ac propriæ familiæ damna, quæ ſolent eſſe cauſſæ ad eiuſmodi iuramenta inducentes, quæque finem honeſtum conſtituunt; quia urgente neceſſitate proximi, præceptum quoque urgere poteſt mutuandi, ideo iuramentum abſolutum non mutuandi etiam ob dictum finem, non obligat ſaltem in omni eventu, quia adverſaretur maiori bono, videlicet ſuccurrendi proximo conſtituto in gravi neceſſitate. Si vero iuramentum fiat in gratiam tertii, poſt iſtius acceptationem obligat, nec retractari valet; ſecus ante acceptationem. Denique hoc iuramentum conſiderari poteſt ex parte formæ, qua concipitur. Nam, ſi iuras te mutuo non daturum pecunias, nec fideiuſſurum abſque prævio examine, & accepto prudentum, amicorumque conſilio; iuramentum validiſſimum eſt: quia non reiicit omne mutuum, nec quamcumque fideiuſſionem, ſed tantum incautam, & imprudentem. Sæpe enim corruunt, vel maxima damna patiuntur familiæ ob fideiuſſiones præcipites & incautas. Quoties ergo quis iurat abſtinere a mutuo, & fideiuſſione abſque hoc examine & conſultatione; iuramentum optimum eſt, & aſtringit iurantem. E contrario iuramentum fideiubendi, & mutuandi omnibus indiſcriminatim invalidum eſt, & vitioſum: quia includit prodigalitatis vitium, & imprudentiæ, niſi ſit alia conditione circumſcriptum. Validum vero foret, ſi iurans eſſet abſolutus dominus ſuorum bonorum, filiis & neceſſariis heredibus deſtitutus, atque iuraret in honorem Dei mutuare, & fideiubere. Hac enim ratione omnia bona ſua pauperibus diſtribuere poſſet. Similia iuramenta fideiubendi, mutuandi, diſtribuendi bona ſua in eleemoſynam pauperibus, ita interpretanda communiter ſunt, ut executioni mandentur minori, quoad fieri poteſt, detrimento, & periculo ipſius iurantis. Circumſtantiæ tamen omnes bene ſunt ponderandæ.

VIII. Ultimo loco ſpectanda eſt perſona quæ iuramentum emittit non mutuandi, non fideiubendi. Nam, ſi Clericus ſit, & iuret non fideiubere pro laico, validum eſt: quia Clericis in ſacris vetitum eſt fideiubere pro laicis, excepta neceſſitate, ut colligitur *cap.* Te quidem XI. *quæſt.* I. *& cap.* I. *de fideiuſſoribus*; ubi tamen prohibetur Clericis frequentia fideiuſſionis. Hodie vero fideiuſſio facta a Clerico pro laico valida eſt: & Clericus ſolvere tenetur de patrimonialibus bonis,

aut

Digitized by Google

aut etiam, ut vult Sylveſter *verb.* Fideiuſs. *quæſt.* 111. de redditibus beneficii; de quibus tamen diſponere pro arbitrio nequit, cum adminiſtrator, non dominus ſit, ut ſuo loco dictum eſt.

IX. Quæſt. V. *An iuramenta facta a mercatoribus non emendi auctiore pretio; & non vendendi viliore, valida ſint?* Reſp. Invalida eſſe communiter ſentiunt omnes. Quoniam nec in Dei honorem, nec in proximi utilitatem cedunt. Qui itaque talia edunt iuramenta, ſervare eadem minime aſtringuntur.

CAPUT IV.

De iuramento contra aliud iuramentum. Item de iuramento non accuſandi, non denuntiandi, atque de iuramento nimis prodigo.

I. DUobus modis poteſt ſecundum iuramentum priori iuramento eſſe contrarium, ſcilicet vel in actu iurandi, vel in materia iurata. Exemplis rem declaro. Iuraſti te numquam ſub iuramento quidquam promiſſurum, vel ſuperiore inconſulto, vel abſque ſcriptura: deinde abſque his circumſtantiis ſcripturæ, vel conſultationis iuras, & promittis aliquid licitum, & honeſtum. Hoc ſecundum iuramentum illicitum quidem eſt; validum tamen & obligans, quoties materia promiſſa, & iurata licita eſt, & honeſta. Iuraſti Deo ſervare caſtitatem: deinde promittis ſub iuramento te ducturum puellam in ſponſam. Hoc ſecundum iuramentum, contrarium priori in re iurata, eſt illicitum ſimul, & invalidum. Violare ſiquidem id quod voto, aut iuramento promiſiſti, ſemper illicitum eſt, & prohibitum. Ita docent communiter omnes. Advertunt tamen, debere primum iuramentum obligare eo tempore quo ſecundum iuramentum emittitur, ut iſtud invalidum ſit. V. g. iuraſti te ducturum Roſam: deinde ſub iuramento promittis te ducturum Cæciliam. Secundum iuramentum invalidum eſt, quia tempore quo factum fuit, durabat primum. *Quod* autem *initio invalidum eſt, tractu temporis non convaleſcit*, in 6. reg. *Non firmatur*, de reg. iur. Contra vero, ſi primum iuramentum ceſſavit, quando emittitur ſecundum, manifeſtum eſt ſecundum obligare.

II. Quæſt. I. *An diſpoſitiones facta contra priora iuramenta validæ ſint?* Reſp. Iuraſti te non vendíturum campum, non mutaturum teſtamentum, non ducturum Bertam in matrimonium: deinde campum vendis, teſtamentum mutas, Bertam ducis. Sunt ne validæ diſpoſitiones iſtæ? Quid, ſi iuramento firmatæ eſſent? Iuramentum invalidum eſt, quia eſt de re illicita. Ceterum diſpoſitiones civiles validæ ſunt. Quoniam per iuramentum tibi minime abſtuliſti facultatem ven-

vendendi, & commutandi quæ antea vendere, & commutare iure poteras; ſicuti, ſi iuraſti te ieiunaturum, non idcirco tibi eripuiſti comedendi poteſtatem; ſed ſolum iuramentum comeſturam illicitam reddit. Licet ergo ſecundum iuramentum contrarium priori in re iurata invalidum ſit; non tamen invalidæ ſunt diſpoſitiones civiles, quæ a libera poteſtate diſponentis pendent. Hæc tamen intelligenda ſunt, dummodo poteſtatem reapſe habeas diſponendi de rerum venditione, & commutatione. Iuraſti equi tui venditionem, & reipſa Petro illum vendidiſti, & tradidiſti. Hunc eumdem equum cum iuramento vendis Paulo. Hæc ſecunda venditio nulla eſt: quia vi prioris venditionis, & traditionis equus ablatus eſt a tuo dominio. Iuxta hanc communem doctrinam plures alios conſimiles caſus reſolvere poteris.

III. Quæſt. II. *An iuramentum non accuſandi, non denuntiandi, invalidum ſit?* Reſp. Iuramentum univerſale non accuſandi, nec denuntiandi invalidum eſt: quia ſæpe urget præceptum accuſandi, & denuntiandi delicta potiſſimum quæ cedunt in damnum publicum. Et, quamquam bonum etiam ſit & honeſtum quandoque non accuſare; non obſtat tamen quominus iuramentum univerſe factum non accuſandi ſit nullum: quia, cum iuramentum univerſale includat omnes caſus, eo ipſo quod plures ſint illiciti, totum corruit: malum enim ex quocumque defectu. Iuramentum de accuſanda, vel non accuſanda aliqua determinata perſona valebit, vel non valebit, prout caritas, & prudentia ſuadebit, aut diſſuadebit obligationem accuſandi. Hac ipſa ratione iuramentum accuſandi univerſe omnes abſque ulla exceptione nullum eſt. Sæpe enim accuſatio caritati, prudentiæ, & iuſtitiæ adverſatur.

IV. Plures ſolent moveri difficultates ſuper hoc iuramento de accuſando ante, vel poſt delictum, & ſuper intelligentia illius *cap.* Quemadmodum, *§.* Illud *de iureiurando*, ubi Innocentius III. declarat iuramentum generaliter factum de non accuſando uxoris crimine, non eſſe obligatorium: quia contingere poteſt quod mulier ſit infidelis, & nolit cohabitare abſque iniuria Creatoris, quo in caſu tenetur vir illam accuſare; ſecus, ſi delictum uxoris eſſet adulterium. Verum non eſt cur in eiuſmodi quæſtionibus tempus teramus. Illud ſolum addendum, plurima iuramenta denuntiandi, vel accuſandi aliorum crimina frequenter fieri animo vindictæ; & idcirco non obligare, utpote de re illicita. Quod ſi vindicta gravis fuerit, duplex erit peccatum & contra caritatem erga proximum, & contra religionem, eo quod nomen Dei aſſumitur ad confirmandum vindictæ propoſitum. Hinc iuramentum puerorum accuſandi ſocios apud magiſtros, iuramenta parentum, & dominorum puniendi filios, & ſervos invalida ſunt, & culpabilia communiter, quia facta animo vindictæ; quæ tamen cum gravis eſſe non ſoleat, ideo non excedit culpam venialem. Quod ſi hæc iuramenta emittantur animo

evan-

Digitized by Google

evangelicæ correctionis, appareatque ſpes boni eventus; valida tunc eſſe poſſunt. Sed non ita frequenter hæc occurrunt.

V. Quæſt. III. *An iuramentum prodigum ob finem turpem ſit validum?* Reſp. Duplici in ſenſu reſolvenda eſt præſens quæſtio. Primum an iuramentum quidquam donandi meretrici ob copiam ſui corporis ſit validum? Secundo an iuramentum iſtud, quatenus prodigum, ſit pariter invalidum? Ad primum quod attinet, omnes concedunt, promiſſionem iuratam factam meretrici ante perpetratum flagitium debere reſcindi, cum ſit illicita; perpetrato vero delicto, implendam eſſe affirmant, eo quod tunc pretii ſolutio licita ſit. Quod non contingit in donatione ſimoniaca, quæ ſemper illicita eſt, ſive ante, ſive poſt collationem gradus eccleſiaſtici. Hæc omnia communia ſunt. Ego tamen dicerem, fornicatorem teneri ad dandum pretium meretrici poſt perpetratum crimen, non vi promiſſionis factæ ante perpetratum delictum, quam nullam dicerem, ſicut & iuramentum; ſed vi iuris conſurgentis poſt patrationem criminis. Res tamen tanti non eſt, ut contentionis ſunem ducamus.

VI. Circa ſecundum plures Theologi docent, promiſſionem iuratam quæ prodiga ſit, valere pro illa parte qua iuſta eſt; ſecus pro parte exceſſus, quo efficitur prodiga, ſicut & iuramentum. Molina *Tom. II. diſp.* cclxxi. & Sanchez *Lib. III. cap.* ix. *num.* 27. docent, promiſſionem iuratam prodigam integram valere ſecundum omnes partes: quia, licet culpam commiſerit qui prodige donare iuravit; ipſa tamen impletio promiſſionis iuratæ licita eſt. Hæc opinio mihi falſa eſt: nam promiſſio vere prodiga ſemper eſt culpabilis, non modo quando fit, ſed etiam quando impletur. Prodigalitas namque vitium eſt. Ergo illius quoque executio peccatum erit. Igitur evidens eſt, promiſſionem huiuſmodi, ſaltem prout eſt prodiga, nullam eſſe. Ceterum mihi abſolute, & ſecundum omnes partes nulla eſt dicta promiſſio iurata, quæ vinculum iniquitatis eſſe nequit. Si itaque abſolute prodiga eſt, abſolute pariter nulla erit. Quare utramque opinionem reiicimus, nempe primam, quæ docet eſſe validam hanc promiſſionem pro ea parte qua prodiga non eſt; & ſecundam, quæ integram promiſſionem validam defendit. Quoniam promiſſio abſolute prodiga, tota vitioſa eſt: ergo tota nulla eſt. Nec verum eſt quod ait P. Sanchez, culpam committi, dum prodige promittitur; ſecus dum executioni mandatur ipſa prodiga promiſſio. Falſum eſt hoc apertiſſime: quandoquidem prodigalitas eſt abſolute vitioſa. Ergo & quando promittitur, & quando impletur promiſſio, culpa contingit. Perperam vero adducitur exemplum mercedis quæ datur meretrici. Nam ſolutio pretii ex iuſtitia meretrici debetur; nec quidquam malitiæ in ſe involvit; licet malitiam, ſeu actus culpabiles præſupponat.

Digitized by Google

CAPUT V.

De iuramento metu, & iniuria extorto.

I. EX duplici metu oriri poteſt iuramentum, levi ſcilicet, & gravi. De iuramento ex metu levi proficiſcente nulla eſt difficultas, quia penes omnes validum eſt. Circa iuramentum ex metu gravi tota eſt quæſtio, quæ agitari poteſt ſpectato iure naturali, canonico, & civili.

II. Prima ſententia docet, nullam eſſe iuramenti gravi metu extorti obligationem ſive in foro interno, ſive externo. Et hanc ſententiam docuerunt plures Iuriſtæ, Vincentius Abbas, Alciatus, Felinus, Lopez, Rolandus, Flaminius, quos citat Sanchez *Lib. IV. de matrim. diſput.* xx. *num.* 3. aitque hanc opinionem eſſe probabilem.

III. Secunda opinio defendit, iuramentum metu gravi extortum validum quidem eſſe in foro conſcientiæ, & obligare ſub mortali; ſecus in foro iudiciali externo. Hanc defendit Valentia *diſput.* VI. *quæſt.* VII. *punct.* 4. *§.* 3. & Fachinæus *Lib. VIII. controv. cap.* CII.

IV. Tertia, quæ communis eſt penes omnes Theologos, potiſſimum ſi ius naturale, & pontificium ſpectetur, docet, iuramentum gravi metu extortum abſolute validum eſſe. Hanc expreſſe docent D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *artic.* 7. Caietanus, & Sylvius *ibi*, Soto *Lib. VIII. quæſt.* 1. *art.* 7. Navarrus *in Man. cap.* XII. *num.* 14. Covarruvias *de ſponſ. II. Part. cap.* III. Molina *Tom. I. tractat.* II. *diſp.* cxlix. Suarez *Lib. III. cap.* XVI. *num.* 18. Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* XI. *num.* 14. Leſſius *Lib. II. cap.* XLII. *dub.* 6. Guttierrez *de iur. I. Part. cap.* LVII. *num.* 18. Diana *Part. VIII. tract.* VII. *reſol.* 57. Azorius *Lib. I. cap.* XI. *quæſt.* XII. & , ut dixi, communiter omnes Theologi. Atque nunc ſermo eſt de metu per iniuriam illato: nam ſi iuſtus foret metus, nulla eſſet difficultas. Ratio evidens eſt; quia metus, etiam gravis, non tollit quin iuramentum illud ſit voluntarium, & liberum. Validum ergo erit iure naturæ. Iure quoque canonico validum eſt, ut colligitur ex cap. *Debitores*, ubi Alexander III. decernit eos qui iuraverant ſolutionem uſurarum, cogendos eſſe ut Domino iuramentum exſolvant. Huc quoque pertinet quod docet Innocentius III. *cap.* Ad audientiam, *de his, quæ vi*. Quod confirmari poteſt ex Angelico. Hoc iuramentum comitantur iuſtitia, & iudicium; nec in deteriorem recidit exitum. Porro *quicumque* (inquit Angelicus) *iurat aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quod veritas impleatur; ſi tamen alii duo comites adſint, ſcilicet iudicium, & iuſtitia*. Et in reſpon. ad 3. ſubdit, *quod in iuramento quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Una quidem*

Digitized by Google

dem qua obligatur homini, cui aliquid promittit : & talis obligatio tollitur per coactionem : quia ille qui vim intulit, hoc meretur ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen eius promiſit ; & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ : quia magis debet damnum temporale ſuſtinere quam iuramentum violare. Poteſt tamen repetere in iudicio quod ſolvit, vel Prælato denuntiare, non obſtante quod contrarium iuravit : quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum : eſſet enim contra iuſtitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiuſmodi iuramentis homines abſolverunt, non quaſi decernentes huiuſmodi iuramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi huiuſmodi obligationes ex iuſta cauſa relaxantes.

V. Faciles quandoque ſolent eſſe Prælati in relaxandis huiuſmodi iuramentis ; prudentia tamen opus eſt. Nam, ſi ex diſpenſatione ſcandalum, vel iniuria religionis chriſtianæ immineret, ut ſi infideles reputarent nullam eſſe apud nos iuriſiurandi religionem; tunc diſpenſatio concedenda non foret.

VI. Obiicies 1. Simplex promiſſio metu extorta non obligat ; ergo neque iuramentum promiſſionem confirmans : acceſſorium enim ſequitur principale. Reſp. Negatur conſequentia. Promiſſio ſimplex, quæ iure naturæ valida eſt, iure poſitivo fit invalida ob coactionem. Sed nullum ius poſitivum canonicum invalidum declaravit iuramentum coactum. Nec exigitur pro iſtius valore quod promiſſio valida ſit; ſed ſatis eſt quod eius executio ſit licita. Immo in iuramentis coactis promiſſio minime conſideratur (tantum abeſt ut ſit quid principale, & iuramentum acceſſorium) ſed ipſum iuramentum per ſe conſideratur: nec extorquetur ad confirmandam promiſſionem, ſed ad invocandum Deum in teſtem rei futuræ aſſertæ. Denique promiſſio fit homini, qui iniuria illam extorquet; iuramentum fit per Deum, & ob illius reverentiam ſervandum eſt.

VII. Obiicies 2. Votum metu extortum, ſicut & matrimonium, invalida ſunt : ergo & iuramentum. Item Pontifex in *cap.* Quamvis *de pactis in* VI. declarat pacta quæ non vi, aut dolo firmata ſunt, ſervanda eſſe : ergo, ſi vi, aut dolo firmata fuiſſent, ſervanda non eſſent. Reſp. Ad primum negatur conſequentia nam votum, & matrimonium coacta, declarata ſunt poſitivo iure nulla ; quæ alioquin iure naturæ, non ſecus ac iuramentum, valida forent, eo quod modo eodem libera ſint, & voluntaria. Sed iuramentum nullo iure declaratum eſt nullum. Adde, matrimonium eſſe nullum, etiam ſi iuramento firmatum fuiſſet : quia ad hoc ut quis actum iuratum exequi teneatur, debet actus iſte (quod eſt magnopere attendendum) eſſe licitus; quæ autem ſunt vetita, licita non ſunt. Matrimonium coactum prohibitum eſt : ideo iuramentum quo illud confirmatur, eſt nullum, quia eſt de actu vetito, & illicito. Ad ſecundum dicitur, Pontificem declaraſſe, iuramenta ſine vi, & dolo facta, eſſe valida in utroque foro, tam in-

terno, quam externo. Ceterum quæ vi iurata ſunt, in foro externo irrita iudicari ſolent: quia cogenti per iniuriam alterum ad iurandum in foro externo non datur actio. Quæ omnia confirmat ipſe Pontifex his verbis: *Ut agatur conſultius, & auferatur materia peierandi, non eis ita expreſſe dicatur, ut iuramenta non ſervent*: ubi Pontifex ſermonem habet de abſolutione quæ a foro externo concedi ſolet. Subdit tamen: *Si ea non attenderint, non ob hoc ſunt, tamquam pro mortali crimine, puniendi*: quod pariter de exterioris fori punitione intelligendum eſt: quia Eccleſia, cum in deteſtationem iniuſti cogentis, tum ob commiſerationem illius qui vim, & iniuriam pertulit, coacta iuramenta punire numquam ſolet, tamquam periuria, etiamſi ſervata non fuerint.

VIII. Quæſt. I. *An iuramentum coactum, ſi ius civile tantum ſpectetur, validum ſit?* Reſp. Probabiliſſima mihi videtur opinio quæ docet, iuramentum coactum, ſpectato ſolo iure civili, invalidum eſſe. Nam magiſtratus civiles pollere facultate ſtatuendi leges, & conditiones ſervandas in quolibet futuro iuramento, res certa videtur. Nonne magiſtratus iſti reapſe decernunt, quinam ad iurandum admittendi, quinam repellendi ſint? Hac eadem ratione alia onera, ſeu alia ſtatuta condere valent, quibus declarent, iuramenta quæ caruerint conditionibus a ſe præſcriptis, ſeu quæ facta non fuerint iuxta præſcriptum ſuarum legum, nulla eſſe. Hæc omnia certa videntur. Sed ius civile reipſa declaravit, iuramenta coacta irrita eſſe, tum in *authentica Sacramenta puberum*, ubi expreſſe ſtatuitur, iuramenta per vim, vel metum facta nullius eſſe roboris: quod etiam cavetur in *eg.* Non dubium *cod. de legibus*: item in *leg.* Iuris gentium, *ff. de pactis*, ubi dicitur, quoties pactum a iure communi remotum eſt, ſervare hoc non oportet, nec obligat; neque iusiurandum de hoc adiectum, ne quis agat, ſervandum. Hanc opinionem tamquam probabiliorem defendit Caſtropalaus, qui pro eadem plures laudat. Hæc tamen eruditionis potius gratia dicta ſint: nec enim ad nos admodum pertinent; cum tamquam ſententiam certam teneamus, eiuſmodi iuramenta iure naturali, & pontificio valida eſſe.

IX. Quæſt. II. *An qui gravi metu compulſus iuravit ſe rediturum ad carcerem, teneatur redire?* Reſp. Primo certum eſt, nemine diſſentiente, ad reditum iurantem eiuſmodi teneri, ſi carcer iuſtus ſit, etiam ſi pœna mortis ſubeunda foret. Difficultas eſt, an, quando carcer iniuſtus eſt, & adeſt probabilis timor iniuſtæ vexationis, teneatur iurans redire. Negant plures Auctores, Covarruvias, Plaza, Baſilius Legionenſis, Guttierrez, Vaſquez, Navarrus, quos citat, & ſequitur Reginaldus *Lib. XVIII. Praxis*, *num.* 62. Leander *diſput.* x. *quæſt.* XXI. ubi plurimos laudat. Contraria ſententia communior eſt, & mihi probabilior, quam defendunt Toletus *Lib. IV. cap.* XXII. *num.* 2. Leſſius *Lib. II. cap.* XLII. *dub.* 6. *num.* 28. Sanchez *Lib. III. cap.* XI. *num.* 3. Suarez *Lib. II. cap.* X. *num.* 24. Bonacina *Tom. II.*

diſp.

diſp. IV. *quæſt.* I. *punct.* 9. *num.* 2. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. Soto *Lib. VIII. quæſt.* I. *art.* 7. Sylvius 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. *quæſit.* I. *ad* 8. Sporer *in* 2. *præcep. Decal. cap.* I. *ſect.* 2. §. 4. & communiter alii. Ratio eſt, quoniam reditus ad carcerem ob finem ſervandi iurisiurandi fidem actus eſt fortitudinis, veracitatis, patientiæ, & religionis. Nec iſte cenſetur ſe ſe occidere, vitamque ſuam prodigere; ſed ſolum periculo vitæ ſe ſe exponere: ad quod non raro ex iuſta, & rationabili cauſſa tenemur omnes. Dicimus tamen, te debere redire ad carcerem, etiam cum periculo amittendæ vitæ, quando, dum iuraſti, hoc periculum proſpexiſti. Quod ſi, facto iuramento abſque hac prævifione, periculum iſtud ſupervenerit, ex mutatione tam gravis circumſtantiæ ad reditum non teneris.

X. Obiicies. Iure caritatis quiſque tenetur periculum propriæ vitæ fugere: ergo iuramentum non declinandi hoc periculum, ſed potius adeundi illud, caritati repugnat, & conſequenter illicitum eſt: eo vel maxime quod talis reditus tyranno occaſionem ſuppeditat iniquæ vexationis: nec fidelitas ſervanda eſt iniquo petitori. Reſp. Urget utique fugiendi periculum iniuſtæ mortis, alteriuſve graviſſimi mali, præceptum. At, iuramento poſito non fugiendi, aut redeundi, ceſſat fugæ obligatio. Quoniam, dato iuramento, illius obſervatio actus eſt fidelitatis, fortitudinis, veracitatis, & religionis. Neque tali reditu tyranno porrigitur iniuſtæ vexationis occaſio; ſed ille ex ſua iniquitate ſæviendi anſam arripit. Et, licet ſervanda violento aggreſſori fides non ſit, ſervandum tamen eſt obſequium Deo, cuius teſtimonium adductum fuit in iuramento, quo reditus ad carcerem firmatus fuit.

XI. Quæſt. III. *An captivus apud Turcas, licentia abeundi obtenta, pignore iuramenti pro reditu dato, redire teneatur?* Reſp. Auctores relati pro prima opinione *num.* 9. expoſita, negative reſpondent; ſed communior, immo communiſſima ſententia adfirmat ob rationes *præc. quæſt.* datas. Quibus addi debet ſcandalum, & dedecus chriſtianæ religionis, quod ex inobſervantia præfati iuramenti conſequeretur.

XII. Quæſt. IV. *An Epiſcopus relaxare valeat eiuſmodi iuramenta?* Reſp. Si iuramentum iuſtum ſit, ut ſi iuraſti cuſtodi innocenti te rediturum, quo in caſu vi iuſtitiæ redire adſtringeris; certum eſt non poſſe ab Epiſcopo relaxari. Immo iurans nequit in ſimili caſu diſpenſationem petere; quamvis aliqui Auctores doceant, licite poſſe Epiſcopum diſpenſare, etiamſi iuramentum iuſtum ſit, quando imminet vitæ iactura, vel alterius graviſſimi mali periculum. Sed hæc opinio communiter reiicitur. Quia iudex, & cuſtos ius legitimum habent retinendi captivum, ſeu carceri mancipatum: cui iuri cedunt ob acceptum iuramenti pignus. Ergo relaxatio talis iuramenti læderet præfatum ius; damnumque iudici

aut domino, aut cuſtodi inferret. Si vero iuramentum extortum iniuſtum ſit, & carcer iniurioſus; tunc certum eſt relaxari poſſe ab Epiſcopo. Advertendum tamen, quod alias diximus, ne eiuſmodi diſpenſationes ſcandalum, & irriſionem chriſtianæ religionis inferant. P. Vaſquez dicit, iuramentum datum cuſtodi redeundi ad carcerem obligare ſolum, cum cuſtos bona fide credit iuſte captivum detineri in carcere; ſecus, ſi iudicis iniuſtitiæ particeps ſit ipſemet cuſtos. Fagundez, quem laudat Leander *diſp.* x. *quæſt.* xxvi. abſolute docet, non aſtringi iurantem ad reditum, ſive cuſtos innocens ſit, ſive iudicis, & tyranni malitiæ particeps. Verum hæ opiniones, licet eas probabiles appellet Leander, reiiciuntur communiter a Theologis. Pariter communis Theologorum opinio aſſerit, captivum dimiſſum a Turcis, teneri ſolvere aureos quos pro ſua redemptione ſe daturum iuravit.

XIII. Quæſt. V. *An qui latroni, ſeu cuique prædatori promiſit iureiurando ſervandæ vitæ cauſſa centum aureos, teneatur ſervare iuramentum?* Reſp. Omnes Auctores qui docent, iuramentum gravi metu extortum nullum eſſe, defendunt quoque, præfatum iurantem non teneri promiſſa iurata implere. Sed communiſſima opinio oppoſitum propugnat. Quare omnes qui defendunt iuramentum, etiam gravi metu extortum, validum eſſe, docent etiam, eum qui iurat latroni ſe daturum pecunias pro ſui capitis redemptione, teneri ſolvere pecunias iuratas ob rationem dictam, quod iuramentum validum ſit: & licet promiſſio ſimplex nulla evadat ob iniuriam a latrone illatam, iuramentum tamen ob reverentiam divini teſtimonii obligat implere promiſſa. Quare non recte ſcripſit M. Tullius Lib. III. offic. cap. ix. *Quod ita iuratum eſt, ut mens conciperet fieri oportere, id ſervandum eſt; quod aliter, id ſi non feceris, nullum periurium eſt: ut ſi prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi iuratus quidem id non feceris. Nam pirata non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium. Cum hoc nec fides eſſe debet, nec iuſiurandum commune. Non enim falſum iurare, peierare eſt; ſed quod ex animi tui ſententia iuraveris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere periurium eſt. Scite enim Euripides:*

Iuravi lingua, mentem iniuratam gero.

XIV. Hanc Ethnicorum fallacem doctrinam adoptarunt non pauci Caſuiſtæ recentes, qui docent, captum a latrone poſſe ſub reſtrictione mentali iurare ſe daturum pecunias, *ſi debuerit, ſi ſibi placuerit, ſi voluerit*. Hanc ſententiam docet Leander *diſp.* x. *quæſt.* xviii. ubi plures laudat Auctores, quos inter Soto *Lib. III. quæſt.* i. *art.* 7. Sed tantum abeſt, ibi docere illum opinionem Leandri, ut immo his verbis eam impugnet. *Statuitur regula generalis. Si verba exterius prolata reſpectu intentionis iurantis plane falſa ſunt, ideſt menti eius diſſona, univerſim, & abſque ulla*

Digitized by Google

ulla exceptione eſt peccatum mortale. Id quod præſenti exemplo monſtratur, ubi extra ſine reſtrictione iuratur, & in mente non habetur abſoluta intentio. Neque iurans excuſatur per illam mentalem reſtrictionem: Dabo, ſi debeo; aut iuro dare, ſi debeo. Nam, poſtquam verbis non explicat, ſed verba ſunt abſoluta, non conſonat os menti; ſed ficta eſt iuratio, quia intus non ſit abſolute ut explicatur extra. Quem ideo caſum comprehendit ſententia Auguſtini ſuper Pſalm. XXIII. *relata cap.* Util. XXII. *quæſt.* II. *& can.* In dol. *ubi ait;* In dolo iurat qui aliter facturus eſt quam promittit. *Quapropter, quantumcumque per vim, & iniuriam fuerit iuramentum extortum, factumque ad redimendam vitam, erit mortale periurium.* Solummodo Sotus, & ceteri Theologi docent, licitum eſſe uti amphibolia vere externa, quæ vi verborum ab extorquente per vim iuramentum percipi poſſit. Reſtrictiones vero mentis, ut ſunt illæ quas prodit Leander, *Dabo ſi voluero, ſi debuero*, graviores Theologi cum Soto improbant. Recentes vero Caſuiſtæ non pauci Ciceroni inquienti, *Non enim falſum iurare peierare eſt*, adhærent; ſolumque addunt *falſum materialiter:* ipſiſque placet illud Euripidis, *Iuravi lingua, mentem iniuratam gero.* Si vera foret hæc quorumdam recentiorum doctrina, numquam eveniret caſus quo iurans teneretur ſolvere latroni iuratas pecunias; ſemper enim aut expreſſe, aut tacita mentis reſtrictione ſuum iuramentum circumveniret. Nam citati Caſuiſtæ docent, quod, ſi capti a latronibus ruſtici ſint & rudes, ignorantes efformare mentis reſtrictiones, ſatis illis ſit habere intentionem ſe ſe conformandi modo loquendi doctiorum virorum. Sed de his plura ſuo loco dicta ſunt.

XV. Quæſt. VI. *An qui iuravit latroni, vel uſurario, vel cuique prædatori, ſe non denuntiaturum illos apud iudicem, teneatur ſervare iuramentum?* Reſp. Negative reſpondent S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *art.* 7. *ad* 3. Caietanus *ibi dub. ult.* Sylvius *hic quæſt.* I. *ad* 6. Abulenſis *cap.* V. *Matth. quæſt.* CCCVI. *& quæſt.* CCLX. Angelus *verb.* Iuram. 5. *quæſt.* XIV. Armilla *verb.* iuram. 4. *quæſt.* XI. Tabiena *verb.* iuram. *quæſt.* X. *num.* II. Barboſa *Lib. XV.* ſ. Eleganter *num.* 33. Ledeſma *Tom. II. tract.* XI. *cap.* III. *dub.* 4. Soto *Lib. VIII. quæſt.* I. *art.* 7. *ad* 8. *in* 3. *memb.* Aragon. 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *art.* 7. *ad* 3. Sanchez *Lib. III. cap.* XXI. *num.* 12. Non improbamus diſtinctionem qua utuntur *Sotus, Sanchez*, & *Aragon.*, immo eam admittimus, quoniam eſt ipſius D. Thomæ; videlicet iuramentum non denuntiandi latronem tum eſſe invalidum, quando latro ita nefarius eſt, ut bono communi infeſtus ſit, turbetque publicam tranquillitatem, quia tunc urget præceptum illum denuntiandi. Hoc expreſſe docet D. Thomas *ad* 3. Contra, ſi caſus occurreret in quo non urgeret præceptum denuntiandi, quia latro non eſſet bono publico exitialis (quod rariſſime contingere exiſtimo) tum iuramentum illi factum non denuntiandi ſervandum foret.

XVI. Quæſt. VII. *An iuramentum per iniuriam exactum, quale eſt illud quod exige-*

re ſolet uſurarius ſolvendi ſibi uſuras, aut non reſcindendi contractum iniuſtum, validum ſit? Reſp. Certum eſt penes omnes, ex ſimplici promiſſione ſolvendi uſuras non oriri debitum eaſdem ſolvendi: quia fenerator nullum ius acquirit ex promiſſione ſibi facta; ſed peccat eas petendo, & accipiendo: conſequenter nec in promittente obligatio ulla adeſt illas ſolvendi. Reſtat ſolum inquirendum, an iurans teneatur ad ſolutionem vi iuramenti. Negant aliqui, quos citat Leander *diſp.* x. *quæſt.* VIII. Sed communiſſima ſententia eſt, iuramentum iſtud validum eſſe, & proinde implendum. Idque definitum eſt in *cap.* Debitores, *de iure iurando*. Ratio quoque eſt manifeſta. Quia iuramentum ſemper ſervandum eſt, quoties non vergit in detrimentum ſalutis æternæ. Porro ſolvere uſuras non eſt quid contrarium æternæ ſaluti. Quamvis enim ex parte recipientis ſolutio uſurarum mala ſit, & illicita; ex parte tamen ſolventis actus bonus eſt, potiſſimum ſacta promiſſione: quia pertinet ad fidelitatem, & veracitatem implere promiſſa, maxime iurata. Quid, ſi promiſſio fuit illicita, ut quando petiſti mutuum, non neceſſitate cogente, ſed cauſſa prodigendi illud cum meretricibus, in ludis, aliiſque vanis oblectamentis? In hac poſitione negant aliqui validum eſſe iuramentum, eo quod ſit de re illicita. Affirmant vero magis communiter alii, quia ſemper pertinet ad veracitatem, & fidelitatem implere promiſſum: qua ratione utuntur Sanchez *Lib. III. cap.* XI. *num.* 5. & Caſtropalaus *punct.* 3. *num.* 4. At, mea quidem ſententia, non conſiſtit. Quia, quando iuramentum promiſſorium habet materiam illicitam, ſemper nullum eſt, ut vel iſti Auctores fatentur. At ſolutio uſurarum abſque ulla neceſſitate tum in promiſſione, tum in executione mala, & illicita eſt. Ergo iuramentum firmans talem ſolutionem nullum erit. Quam ſententiam defendit etiam Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. *ad* 3. *dub.* 1. Valentia 2. 2. *diſp.* v. *quæſt.* XXI. *punct.* 4. *concl.* 5. & mihi vera videtur.

XVII. Quæſt. VIII. *An iuramentum non repetendi uſuras ſolutas ſit validum?* Reſp. Ut iam indicatum eſt, fenerator nullum ius acquirit exigendi uſuras ex promiſſione ſibi facta illas ſolvendi. Quapropter, ſi illas accipit, reſtituere tenetur. Et hac ratione iurans, impleto iuramento ſolutionis, ſtatim repetere licite poteſt pecunias datas feneratori, ut omnes adfirmant. Quæritur dumtaxat, an, ſi quis iuraſſet ſe non repetiturum uſuras, teneatur ſervare iuramentum iſtud ſecundum? Adfirmative reſpondent communiter omnes: quia actus non repetendi uſuras licitus eſt; ac proinde licitum, validumque iuramentum. Poteris tamen a legitimo ſuperiore eccleſiaſtico petere relaxationem eiuſmodi iuramenti: quia, ſi iuraſti non repetere uſuras, minime iuraſti non impetrare diſpenſationem. Quid, ſi iuraſſes non denuntiare, neque impetrare diſpenſationem? Hoc iuramentum, ut diximus ſupra, nullum eſt, eo quod ſit de re illicita: ſæpe enim urget præceptum

ptum

Digitized by Google

ptum denuntiandi publicos uſurarios. Quæ diximus de uſuris, dicenda ſunt de contractu iniuſto ratione pretii, nimium exorbitantis a iuſtitia.

XVIII. Obiicies. Promiſſio ſolvendi uſuras nulla eſt: ergo nullum quoque eſt iuramentum: quia acceſſorium ſequitur naturam principalis. *Regula* Acceſſorium, *de regulis iuris in* VI. *& regula* Cum principalis *ff. de regul. iur.* Reſp. Communis reſponſio Doctorum eſt, acceſſorium corruere, quando cauſſa irritans principale concurrit, ſeu elucet etiam in acceſſorio; ſecus, ſi alia ſit principalis, alia acceſſorii ratio. In præſentia cauſſa irritans promiſſionem eſt iniuria, & turpitudo extorquentis uſuras; & ob hanc iniuriam nullum acquirit ius. Hæc porro turpitudo, ſeu iniuria non reperitur ex parte Dei, cui ſit iuramentum: idcirco validum eſt. Hinc regula *Cum principalis*, non dicit, principali non ſubſiſtente, acceſſorium corruere; ſed cum principalis cauſſa non ſubſiſtit, tunc corruere iuramentum. Præter quam quod iuramentum in noſtro caſu non eſt acceſſorium, ſeu confirmans promiſſionem; ſed confirmat aſſertionem futuram.

XIX. Quæſt. IX. *An iurans ſolutionem debiti, poſſit uti compenſatione; quando tantumdem ſibi debeat creditor cui iuratur?* Reſp. Suarez *Lib. II. cap.* XXXVII. fuſo calamo hanc verſat quæſtionem. Pro opinione adfirmante licitam eſſe compenſationem, refert Bartolum, cui ſubſcribere ait communiter Iuriſtas. Sententiam vero negativam fatetur eſſe communem Canoniſtarum, in *cap.* Ad audientiam I. *de iureiuran.* Ipſe vero adhæret priori ſententiæ adfirmanti, pluribus tamen adiectis conditionibus, & clauſulis, quas neque recenſere vacat, neque expendere, quia non iudicamus pretium operæ. Opinionem hanc adfirmativam defendunt quoque Sanchez *Lib. III. cap.* XVII. *num.* 15. Azorius *Lib. XI. cap.* VIII. *quæſt.* X. Sententia negativa mihi probabilior eſt, & eruitur ex *cap.* Ad noſtram I. *de iureiuran.* & ex *cap.* Debitores, & *cap.* Si vero, *de iureiur.* Sed ſic evincitur ratione. Ideo ſecundum adverſarios licita eſt compenſatio, quia alia via repetere nequit iurans quod ſibi debetur; & aliunde non eſt rationi conſonum quod amittere debeat ſua, & curare aliena; cum quiſque prius propria quam aliena curare teneatur. Atqui iuxta D. Thomam, & communem Theologorum ſententiam ſervandum eſt iuramentum, etiam cum iactura bonorum temporalium: *quia* (inquit Angelicus loc. cit.) *magis debet damnum temporale ſuſtinere quam iuramentum violare.* Qua ratione quiſque tenetur tum uſurario, tum latroni pecunias iuratas tradere ob iuramenti Deo facti obſervantiam. Ergo potiori iure ſervandum eſt iuramentum Deo factum ſolvendi debitum creditori.

XX. Reſpondet Suarez, peroptime ſervari iuramentum, quia compenſatio eſt quædam ficta ſolutio. Ficta ſcilicet ſolutio, non vera, & realis. At iuramentum veritate, non fictione exſolvitur. Reponit, iuramentum ab intentione pendere iurantis. Cum igitur iurans intendit compenſatione uti; *verbum dandi, vel ſolvendi*

Digitized by Google

(inquit Suarez num. 10.) *capax eſt huius amplæ ſignificationis*. Si verbum dandi, & ſolvendi reſpectu creditoris excipit hanc amplam ſignificationem; quidni etiam reſpectu feneratoris? Quidni reſpectu latronis, & piratæ? Quia, reſpondet ille *num.* 21. compenſatio locum non habet reſpectu latronis, & uſurarii ante realem ſolutionem. Quandoquidem, ſi non eſt debitum, non eſt compenſatio. Latro vero, & uſurarius nihil debent, priuſquam pecunias recipiant. Eſto. Sed ſubdo: Cur, ſi verbum *dandi*, & *ſolvendi* comparate ad creditorem tam amplæ eſt ſignificationis, ut excipiat has ſubintellectas clauſulas, *Si tu mihi prius tantumdem quod debes, reddideris, ſolvam, ſi quid tibi debeo*: cur, inquam, hoc idem verbum has amplas ſignificationes relate ad latrones, & uſurarios non excipiet? Fortaſſis ex doctrina eiuſdem P. Suarez difficile haud foret concedere quod petitur: quia, ut colligere fas eſt ex tota illius diſputatione, principia quibus vertitur hæc eius ſententia, ſunt mentis reſtrictiones; ideo P. Sanchez, & alii reſtrictionum mentalium patroni præfatam propugnant opinionem. Quare a fuſiore abſtinemus impugnatione. Addo ſolum, ipſummet Suarez *loc. cit. cap.* XXXVI. docere, iuramentum implendum eſſe in propria ſpecie, minime vero in re æquivalenti: ait enim num. 4. *Qui iuravit laborare in vinea alicuius, non facit verum quod dixit, etiamſi intereſſe ſolvat, vel alium vice ſua mittat*. Et tamen iuxta communem exiſtimationem magis accedit veritati qui per aliam perſonam ſupplet laborem iuratum in alterius vinea peragendum, quam qui ſolutionem iuratam creditori compenſatione exequitur: quia magis illuſus remanet creditor, dum nihil accipit de pretio ſibi iurato, quam dominus vineæ, qui loco unius alterum recipit operarium.

XXI. Ex his conſtat falſam eſſe reſolutionem caſus, quam exhibet Tamburinus *Lib. III. cap.* 111. *§.* 5. *num.* 34. de ſuo familiari Ioanne, qui, cum non poſſet exigere a ſuo conſobrino centum aureos ſibi debitos ex equo illi vendito, totidem aureos mutuo ſibi dari poſtulavit cum iuramento reſtitutionis; quos tamen minime reſtituit, quia compenſatione uti ſe poſſe cenſuit. Falſa, inquam, eſt Tamburini reſolutio ob duplicem rationem. Primo quia Ioannes ob ſolum reſpectum conſanguinitatis noluit per iudicem cogere conſobrinum ad ſolutionem. Quæ ratio inepta eſt iuxta omnes Theologos ad fundandum ius compenſationis, quando aliæ non occurrunt circumſtantiæ. Secundo falſam cenſeo talem reſolutionem, quia reipſa violatur iuramentum. At, inquit Tamburinus ex Bartolo, non eſt cenſendus periurus qui iuſte impeditur ab implendis promiſſis. Sed iuſte impedior ſolvere centum tibi, a quo mihi debentur centum. Quæ enim, per fidem tuam, æquitas poſtulat ut, te non ſolvente mihi debitum, ego ad tuum debitum ſolvendum impellar? Illa æquitas, Tamburine, id poſtulat quæ iuramentum Deo factum ſervandum præſcribit. AEquitas ſinceritatis, fidelitatis, veracitatis, æquitas denique religionis, qua ſacrum iuſiurandum coli debet; præcipit ut etiam cum

de

detrimento bonorum temporalium iuramentum impleam. Utique non eſt periurus qui iuſte impeditur ab implendo promiſſo; ſed falſiſſimum eſt te iuſte impediri ab obſervantia iuramenti præfati: quia, tametſi vi iuſtitiæ commutantis inter homines non tenearis reddere centum illi qui tibi debet centum, ſi nihilominus iuramentum intervenerit, adſtringeris ſacro religionis vinculo implere quod iuratus promiſiſti. Vide quæ dicturus ſum *cap. ſeq. num.* 8.

CAPUT VI.

De iuramento dolo, vel errore præſtito.

I. De iuramento doloſo ſuſo calamo ſupra egimus, quatenus ille qui iurat; ſciens & volens doloſe iurat, vel æquivocatione verborum, vel animo & intentione non iurandi, aut non ſe obligandi, aut non implendi promiſſum. Hoc iuramentum dicitur doloſum, quia iurans decipit illum cui iurat. In præſentia ſermo eſt de iuramento in quo iurans patitur dolum, quatenus ignorantia, vel errore ad iurandum illud inducitur quod ſi ſciret, minime iuraret. Id ut clare explicetur, ſequentia ſunt notanda.

II. Primo, duplex eſt error, ſeu dolus. Antecedens alter, qui contractum, ſeu promiſſionem antecedit, præbetque cauſſam celebrandi contractum; ita ut, ſublato hoc errore, contractus minime fieret, & illo præcedente fit. Alter concomitans, ſeu incidens nuncupatur, qui minime ad peragendum contractum inducit ſed, eo etiam non extante, contractus iniretur: quapropter hic error non efficit ut contractus ſit involuntarius. Rurſus hic duplex error ſpectare valet aut ſubſtantiam ſeu naturam, aut accidentia contractus. Quæ autem ſubſtantia, quæve accidentia ſint alicuius contractus, ex cuiuſque contractus natura peculiari colligendum eſt. Quæ enim in uno contractu ſubſtantialia, in alio accidentalia ſunt In contractu coniugii perſona contrahens eſſentialis, in contractu venditionis & emptionis accidentalis eſt. In donationibus, & promiſſionibus cauſſa movens, & finalis ad eſſentiam pertinet; in aliis contractibus, ut locationis, commodati, emptionis, inter accidentia reponitur. Illa ergo erit ſubſtantia & eſſentia alicuius contractus ſine qua ſubſiſtere nequit; accidentia vero ea dicuntur ſine quibus conſiſtere contractus valet. Inſuper error in contractu aut naturaliter contingere, aut ab ipſo contrahente, aut ab alio tertio induci poteſt. Si naturaliter accidat, error, ſeu ignorantia nuncupatur; ſi ex alterius malitia ſive contrahentis, ſive tertiæ perſonæ inducatur, dolus dicitur. Tandem animadvertendum eſt, duo reperiri contractuum genera. Alii contractus *ſtricti iuris*, alii *bonæ fidei* appellantur:
Il-

Illos iuxta verborum ſenſum expreſſum ultimo rigore intelligendos ius præcipit, ut ſunt ſtipulationes, liberales donationes, promiſſiones, feuda, & emphiteuſis; hos iuxta prudentum exiſtimationem interpretandos iura permittunt. In his arbitrari ex æquo & bono, ob communem fidei, & ſocietatis utilitatem, iudex valet; ſecus in illis.

III. Quæſt. I. *An, ſi error, ſeu dolus antecedens, & concomitans verſetur circa ſubſtantiam contractus, efficiat nullum tum contractum, tum iuramentum?* Reſp. Si error ſit antecedens, & verſetur circa ſubſtantiam rei; in omnium ſententia reddit contractum, & iuramentum nullum: quia eiuſmodi error antecedens tollit omnino voluntarium ad valorem contractus, & iuramenti neceſſarium. Idem dicendum de errore, ſeu dolo concomitante qui vertitur circa ſubſtantiam contractus: quia, licet error concomitans non cauſſet involuntarium; attamen nec voluntarium inducit, ſed non voluntarium, ut inquit D. Thomas 1. 2. *quæſt.* VI *art.* 8. Ad valorem autem contractus, ſeu iuramenti ſatis haud eſt conſenſus non voluntarius, ſed requiritur conſenſus reapſe voluntarius. Ergo error, ſive antecedens, ſive concomitans, qui circa ſubſtantiam rei verſatur, nullum reddit tum contractum, tum iuramentum appoſitum. Hinc qui iuravit ſe daturum gemmam vitream, & poſtea deprehendit eſſe pretioſam, iuramentum eius nullum eſt. Qui contraheret cum Franciſca, putans eam eſſe Roſam, matrimonium irritum foret. Nec obſtat quod adhuc, errore detecto, duceret Franciſcam: quia conſenſus voluntarius requiritur in actuali celebratione contractus, & iuramenti. Poſito autem errore concomitante, non habetur conſenſus voluntarius: quia licet hic error non cauſſet involuntarium, impedit tamen quominus conſenſus ſit poſitive voluntarius. Porro hic conſenſus poſitive voluntarius neceſſarius eſt ad valorem iuramenti, & contractus.

IV. Quæſt. II. *An, ſi error concomitans verſetur circa qualitatem contractus, reddat contractum, & iuramentum nullum?* Reſp. Communis ſententia defendit, errorem concomitantem qui ſolam qualitatem rei iuratæ, vel promiſſæ ſpectat, non impedire quominus contractus ſit validus, ſaltem iure naturæ: quia hic error non tollit quin conſenſus circa ſubſtantiam ſeu eſſentiam contractus ſit omnino voluntarius, & conſequenter contractus ſubſtantialiter ſeu eſſentialiter validus. Porro contractus qui ſecundum eſſentiam validus eſt, non poteſt ex defectu qualitatum accidentalium infringi.

V. Quæſt. III. *An error antecedens circa accidentia contractus abroget contractum, & iuramentum appoſitum?* Reſp. Communis ſententia eſt negativa: quia, ut dictum eſt de errore concomitante, error circa qualitates, & accidentia alicuius contractus, ſive antecedens ſit, ſive concomitans, haud tollit quin conſenſus in naturam, & ſubſtantiam contractus ſit omnino voluntarius: quo poſito, contra-

ctus

Digitized by Google

ctus validus eſt : ergo & iuramentum additum : quia hic verum habet quod iuramentum naturam contractus ſequatur.

VI. Quæſt. IV. *An error circa accidentalia, ſi cauſſam det contractui, reddat contractum ſimul, & iuramentum nullum?* Reſp. Plures difficultates ſolent hic movere Auctores, a quibus nos breviter expediemus. Igitur, ſi qualitas iſta volita eſt a contrahente, adeo ut in ſubſtantiam rei redundet, ſeu afficiat, & conſtituat obiectum eſſentiale illius contractus, nullum reddit talem contractum, etiam iuratum, quia deficit conſenſus voluntatis. Item, quotieſcumque error circa accidentalia dat cauſſam contractui, ita ut contrahens poſitive exigat præfata accidentalia, ſine quibus contractum minime celebraret, contractum nullum efficit. Diſtinctionem P. Caſtropalai *tract.* XIV. *diſp.* 11. *punct.* 5. *num.* 11. qua ſtatuit, tunc ſolum errorem dantem cauſſam contractui, contractum dirimere, quando error ingreditur obiectum contractus; ſecus, ſi non ingreditur cauſſam contractus : diſtinctionem, inquam, iſtam inanem pro præſenti deciſione reputamus. Quia, cum dicimus errorem dare cauſſam contractui, non intelligimus ſolam occaſionem excitantem, & allicientem, ſed veram cauſſam moventem voluntatem. Porro tunc qualitas ipſa revera ingreditur obiectum contractus, immo eſt tota ratio volendi contractum, quando ad ineundum contractum voluntatem permovet. Ergo ſi hæc qualitas dans cauſſam contractui non adſit, neque adeſt conſenſus; atque adeo contractus nullus eſt. Quod vinum vetus ſit, aut novum, qualitas eſt: attamen, ſi petenti expreſſe vinum vetus tu porrigeres recens; contractus nullus eſſet. Tunc autem dicimus, errorem circa qualitatem, & accidentalia dare cauſſam contractui, quando contrahens expreſſe petit eiuſmodi qualitates : quod fatetur & ipſe Caſtropalaus *num.* 12. ubi etiam concedit, tunc iure naturæ irritare contractum. Quando autem contrahens expreſſe non petit hæc accidentalia, tunc præſumendum eſt errorem circa illa non dare cauſſam contractui, nec ingredi illius obiectum; ſed inter ſolas occaſiones excitantes error iſte collocandus erit.

VII. Ex his collige. Si iuraſti nuptias puellæ putans illam eſſe virginem, vel iuraſti vendere fundum tali pretio, quo te læſum deinde deprehendis; ſtare debes contractui; quidquid in oppoſitum dicat Fagundez ex Leſſio *Lib.II. cap.* XLII. *dub.*6. *num.* 35. Secus, ſi expreſſe conditionem virginitatis, aut pretii in pactum deduceres. Siquidem omnes contractus, iuramenta, & vota valida ſemper reputantur, & ſunt, niſi expreſſe ſub conditione talis, vel talis qualitatis fuerint effecta. Quia communiter præſumitur abſolutus conſenſus, quando conceptis verbis pactum de qualitatibus accidentariis non apponitur. Sed iam plura de voto ex errore, & dolo.

VIII. Obiicies. Iſraelitæ dolo decepti iurarunt ſe non interfecturos Gabaonitas; & nihilominus iuramentum iſtud validum aſſeritur Ioſue IX. verſ. 19. *Iuravimus*

illis

Digitized by Google

illis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere : ſed hoc faciemus eis. Reſerventur quidem, ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi pèteraverimus. Quapropter ob Gabaonitarum occiſionem a Saule peractam Dominus illius domum afflixit , atque ſeptem de illius ſtirpe viros crucibus affigi iuſſit II. Reg. cap. XXI. *Dixitque Dominus : Propter Saul , & domum eius ſanguinum, quia occidit Gabaonitas... Filii quippe Iſrael iuraverant eis , & voluit Saul percutere eos zelo... Dixit ergo David ad Gabaonitas : Quid faciam vobis ?.. Qui dixerunt Regi.... Dentur nobis ſeptem viri de filiis eius , ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul.*

IX. Reſp. Si hiſtoriam attente expendamus, dolum, & errorem cauſſam dediſſe iuramento, ſeu fœderi iurato certo colligimus. Nam Gabaonitæ *callide cogitantes, tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & utres vinarios ſciſſos, atque conſutos, calceamentaque perantiqua &c... perrexeruntque ad Ioſue... & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſraeli : De terra longinqua venimus , pacem vobiſcum facere cupientes . Reſponderuntque viri Iſrael ad eos , atque dixerunt : Ne forte in terra quæ nobis ſorte debetur, habitetis , & non poſſimus fœdus inire vobiſcum . At illi ad Ioſue, Servi, inquiunt, tui ſumus. Quibus Ioſue, ait: Quinam eſtis vos, & unde veniſtis? Reſponderunt : De terra longinqua valde venerunt ſervi tui.* Ex textu ſancto aperte conſtat, Iſraelitas conceptis verbis longinquitatem regionis quam inhabitabant Gabaonitæ , deduxiſſe in pactum ineundi fœderis. Dolus itaque dedit cauſſam contractui. Nullum itaque fuit fœdus iuratum.

X. Præterquamquod iuramentum illud erat de re prohibita a Deo, qui iuſſerat omnes habitatores terræ Chanaam diſperdendos *Num.* XXIII. & *Deuter.* XX. Et quamvis, cum Iſraelitæ iurarunt , ignoraverint Gabaonitas eſſe Chananæos ; nihilominus ignorantia iſthæc non impediebat quominus iuramentum eſſet contra legem Dei, præcipientis occiſionem Gabaonitarum. Qua de cauſſa, cum deprehenderunt Gabaonitas eſſe de genere Chananæorum , comprehendere itidem debebant ſe iuramento non aſtringi. Sed ſumma iuriſiurandi reverentia tam alte eorum inſidebat animis, ut iurationem etiam invalidam voluerint obſervare . Hæc interpretatio colligitur ex Auguſtino, qui *quæſt.* XIII. *ſuper Ioſue* hæc ſcribit. *Mentientibus, quod de longinqua terra ad eos veniſſent, iuraverunt eis Iſraelitæ : poſtea vero quam cognoverunt ibi eos habitare ubi omnes quos invenerunt, ſecundum Dei præceptum debellare oportebat; noluerunt tamen frangere iurationem : & licet eos mentitos eſſe didiciſſent, parcere maluerunt iurationis cauſa; cum poſſent utique dicere, ſe tantum illis iuraſſe quos eos eſſe crediderant, ideſt de longinquo venientes.*

XI. Poſtrema D. Auguſtini verba clare evincunt , iuramentum illud abſolute invalidum fuiſſe : quia dolus , & fraus Gabaonitarum ei cauſſam dedit . Quidam dicunt, legem divinam de Chananæorum deſtructione univerſalem non fuiſſe ; cum

Raab

Digitized by Google

Raab, eiuſque familia ſervata fuerit, *Ioſue* VI. Sed, licet aliqua perſona privilegio exceptionis ab illa lege donata fuerit; nullum tamen adeſt fundamentum excipiendi a laudato præcepto plures & integras civitates, Gabaon, Caphira, Beruth, & Cariathiarim, omnes in regione Chananæorum ædificatas, & quibus omnibus Iſraelitæ pacem iuraverunt. Nec verum habet quod ſubdunt alii, Gabaonitas fœdus petiiſſe ineundum cum Iſraelitis animo veri Dei cultum amplectendi. Nam ſolo timore perciti ad Iſraelitas perrexerunt. *Timuimus igitur valde, & providimus animabus noſtris, veſtro terrore compulſi*, Ioſue ibid. Quamvis autem ſub initium deſiderio ſervandæ vitæ Gabaonitæ ad Iſrael venerint, poſtmodum tamen veri Dei cultores evaſerunt, ut ex Scriptura ipſa colligitur, docentque Interpretes Maſius, Abulenſis, & Franciſcus Sylvius.

XII. Ut paucis omnia comprehendamus, Iſraelitarum iuramentum abſolute invalidum fuit, utpote cui dolus, & fraus cauſſam dederant. Sed tanta tunc erat iuriſiurandi religio, ut propter invocati nominis Dei honorem exiſtimaverint Iſraelitæ ſe debere Gabaonitis parcere, illoſque a divino præcepto excipere. Domus autem Saul, eiuſque nepotes pœnam crucifixionis, aliaſque calamitates luerunt: quia, licet ſub initium mutuum fœdus nullum fuerit; attamen temporis decurſu, fraude detecta, Iſraelitæ nova confœderatione ſeſe Gabaonitis obſtrinxerunt: quam mutuam iuratam fidem Saul violavit, cum Gabaonitas occidit. Idcirco nil mirum, ſi illius ſucceſſores divinæ vindictæ ſupplicia perpeſſi fuere. Hinc ſatis probabile eſt Principes Iſraelitas minime peccaſſe Gabaonitis parcendo, etiam poſt fraudem detectam: quia nullibi legitur, Deum aut puniiſſe Iſraelitas, aut improbaſſe hanc illorum clementiam in Gabaonitas; ſed oppoſitum potius ex Scriptura eruitur, ut docet Franciſcus Sylvius 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *art.* 7. *quæſt.* II.

CAPUT VII.

Quandonam iuramentum de materia per legem probibita, & de non revelanda aliqua arte proximo utili, obliget.

I. CErtum primo eſt, iuramentum de materia per legem naturalem, divinam, & canonicam vetita nullum eſſe, quia eſt de re mala, aut de re impediente maius bonum; ut ſi iurares non ſervare conſtitutiones plurium ſacrorum ordinum, quæ ad culpam minime obligant, iurares rem quæ, licet revera mala non ſit, impedit tamen aſſecutionem maioris perfectionis; & idcirco iuramentum foret nullum.

II. Difficultas eſt, num iuramentum factum contra leges civiles obliget. Convenit

venit inter Doctores, iuramentum nullum eſſe, quando factum eſt contra legem civilem quæ bonum commune ſpectat. Tunc vero lex aliqua dicitur commune bonum iuſpicere, quando lata eſt univerſaliter pro omnibus. Ratio eſt evidens: quia tranſgreſſio talium legum eſt culpabilis mortaliter, vel venialiter iuxta materiæ varietatem; iuramentum autem nequit eſſe vinculum iniquitatis: nullum itaque eſt, quoties adverſatur legi civili bonum publicum ſpectanti. Præterea iuramentum in damnum tertii, ut communiter advertunt Doctores, non obligat, *cap.* Cum contingat *in fine de iureiur. cap.* Quamvis peccatum *de pactis in* VI Porro iusiurandum contrarium legi inſpicienti bonum commune, eſt in damnum tertii, nempe communitatis. Nequit itaque obligare. Hinc iuramenta de extrahendis mercibus vetitis extra civitatem, de armis deferendis prohibitis per leges civiles, nulla ſunt. Nullum quoque eſſet iuramentum Clerici renuntiandi privilegio fori, eo quod ſit in detrimentum ſtatus clericalis.

III. Certum itidem eſt, iuramentum eſſe nullum, quando eſt contra legem civilem quæ, licet non ſit in commune, ſed in privatum civium bonum lata, obligat tamen ſub culpa, ut revera obligare valet, & non raro obligat. Hoc ex dictis patet: quia iuramentum eſſe nequit iniquitatis ligamen. Id ſolum difficultatem ingerit, quando, & unde dignoſcere valeamus, legem diſponentem de privatis ſubditorum bonis obligare, aut non obligare ad culpam.

IV. Bartolus, quem plures ſequuntur Iuriſtæ *in lege* Si quis pro eo LVII. *num.* 9. *ff. de fideiuſſoribus* docet, legem in bonum privatum rogatam, ſi perſonas reſpiciat, obligare ad culpam; & iuramentum eidem contrarium nullum eſſe; ſi vero lex lata prohibeat tantum actum, ne fiat, vel irritet factum, tunc non obligat ad culpam; & iuramentum contra talem legem validum eſt. Quam diſtinctionem, ut inanem, & mere verbalem, merito communiter reiiciunt Theologi. Nam eo ipſo quod lex prohibeat actum, irritetque factum, ſimul perſonam afficit, illique prohibet ne in talem erumpat actum. P. Sanchez *Lib. III. cap.* IX. *num.* 35. ſtatuit, tunc legem non obligare ad culpam, quando directe bonum ſpectat privatorum, eſtque in eorum favorem lata; & conſequenter iuramentum huic legi contrarium, validum eſſe, & obligans: quia, cum lex faveat privato civi, minime illum cogit ne præfato favori renuntiet. Sed neque hæc doctrina conſiſtit. Siquidem illæ ipſæ leges quæ bona civium privata dirigunt, & de iis diſponunt, bonum commune ſpectant. Nam permagni intereſt Reipublicæ, ne uxores dote ſua priventur, ne pupilli, & minores damna in contractibus ſubeant, ne denique ſubditi vexationes iniuſtas patiantur. Et, quamquam non valde ex una parte illius referat quod divitiæ ſint huius, vel illius, dummodo ſint penes ſubditos; ex alia tamen parte in tranquillitatem, ſplendorem, & bonum Principatus cedit quod bona privata iuſte diſtributa, & conſervata ſint, & quod illis dentur, & conſerventur qui-

quibus iure obveniunt. Ideo ipſæ leges quæ a Principe diriguntur ad ſarta tecta cuſtodienda ſubditorum bona, eo tendunt ut bonum commune Reipublicæ promoveant. Hinc lex prohibens Clerico renuntiationem patrimonii, licet videatur reſpicere ſolum bonum ipſius Clerici, abſolute nihilominus ſpectat bonum commune ſtatus eccleſiaſtici. Qua de cauſſa iuramentum renuntiandi tali legi nullum erit.

V. Communis Auctorum doctrina in hac materia hæc eſt. Si leges civiles expreſſe aliquid iubeant, aut vetent, ſive directe in favorem privatorum, ſive in bonum commune, ſive obligent ad culpam, ſive non; iuramentum factum contra eiuſmodi leges, nullum reputatur: quia eſt de re legitime prohibita, & in bonum publicum ordinata. Iuramentum autem contrarium iuri legitimi ſuperioris, & contrarium bono communi, ſemper nullum eſt. Si vero leges ſint tantum permittentes, tunc iuramentum validum erit. Exemplis doctrina clarior fiet. Leges civiles prohibent alienationem fundi dotalis, vetant minoribus contractus, non obtenta a Prætore facultate, ludentibus pecunia credita, ne promiſſiones ineant, & morientibus, ne teſtamentum abſque præſcriptis formulis, & ſolemnitatibus condant. Quæ certe ſub culpa non prohibentur; ſed tantum ob quamdam rectam ſubditorum, & Principatus politiam. Si mulieres adverſus has leges iurarent alienationem fundi dotalis, minores contractus inirent ſub iuramento, ludentes iurarent ſolutionem pecuniæ; vi iuramentorum, quæ invalida ſunt, ad nihil obligarentur. Contra, quia tales leges permittunt, mulieres ſtare alienationi factæ, minores contractibus initis, ludentes ſolutioni peractæ, ſi mulieres iurarent ſe non reſciſſuras alienationes factas, nec minores revocaturos contractus, nec ludentes repetituros pecunias; valida forent eiuſmodi iuramenta: quia nulla eſt lex quæ præcipiat reſciſſionem dictorum contractuum.

VI. Pro pleniore tamen horum omnium intelligentia obſervandum eſt, leges civiles non paucas reperiri quæ plura prohibent ob vehementem præſumptionem fraudum, deceptionum, & iniuriarum: quæ omnia ſi revera abſint; iuramentum contra tales leges, quæ in dicta hypotheſi obligare ceſſant, validum erit, ſaltem in foro conſcientiæ. Quare ſi quis iuramentis ſimilibus contra leges civiles factis ſtare recuſaverit, quia invalida ſibi videntur, ob venerationem iuriſiurandi relaxationem a legitimo ſuperiore poſtulet; ſi illi tamen expediens viſum fuerit eam impartire. Sed, quod tutius eſt, quiſque abſtinere debet ab eiuſmodi iuramentis, quæ ſine neceſſitate, & niſi in re magni momenti fieri non debent.

VII. Quæſt. I. *An iuramentum non revocandi teſtamentum non mutandi heredem inſtitutum, validum ſit?* Reſp. Negant Bartolus in *leg.* Si quis *in princip. teſtam. ff. de legatis*. Gomez *Lib. III. Tauriz.* 75. & alii, quos refert Covarruvias *de teſtam. II. Part. num.* 15. quia, inquiunt, inſtitutio teſtamentorum, & hæredum debet eſſe libera; libertas autem per iuramentum impeditur. Sed hæc ratio nulla eſt:

eſt: quia libertas ſolum impeditur a vi extrinſecus facta, minime vero a proprio conſenſu, quo teſtator ſe ſe vinculo religionis adſtringit. Quare iuramentum præfatum validum eſt, quia per nullam legem irritatur. Nam, licet leges teſtamentorum revocationes permittant, minime tamen eas præcipiunt. Ex alia parte, cum teſtator iuramentum emittit non revocandi teſtamenti ſui, præſumendum eſt bono fine ad id induci. Ceterum, ſi circumſtantiæ mutarentur, ob quas expedientiorem iudicaret revocationem; tunc, ſi evidens non foret iuramentum eſſe nullum ob graviſſimam ſupervenientem mutationem, poterit diſpenſationem petere ob reverentiam iuriſiurandi.

VIII. Quæſt. II. *An iuramentum non propalandi aliquam artem, ſeu ſecretum alicuius artis, validum ſit?* Reſp. Hanc quæſtionem proponit D. Thomas *quodlib.* XII. *art.* 21. reſpondetque, abſolute non communicare doctrinam, ſeu ſalubre remedium alicuius experimenti, eſſe contra caritatem. Quare *ſimpliciter loquendo non tenetur, ſed male fecit iurando.... & ideo iuramentum contra omne id quod eſt de genere bonorum, eſt illicitum, & non ſervandum. Tamen in caſu ſervare tenetur, puta ſi ille, vel alius ſufficiens medicus præſens eſſet, & paratus eſſet curare, & uti illo experimento in ſalutem corporalem aliorum.* In primo argumento ſibi obiicit D. Thomas. *Videtur quod ſic: quia ſic obligatus non debet facere aliquid quod vercat in detrimentum illius quod dedit, vel docuit: hoc autem eſſet, ſi aliis communicaret.* Sed oppoſitio evaneſcit ex ſola doctrina data a D. Thoma in ſua reſponſione. Dicit namque, quod ſi abſque communicatione ſecreti experimenti, poſſit bono publico, & infirmitati proximi ſuccurri vel per alia remedia, vel quia ille qui ſecretum experimentum ſub iuramento cuſtodiendum dedit, præſens eſt, vel alius medicus aptus ad curandum infirmum; tunc iuramentum ſervandum foret; ſecus, ſi bonum publicum ex cuſtodia ſecreti damnum pateretur.

CAPUT VIII.

De iuramento confirmante contractum.

I. UT iuramenti promiſſorii vis, & obligatio bene intelligatur, ſemper præ oculis habenda eſt D. Thomæ doctrina, quam ex 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *artic.* 7. *ad* 3. ſupra dedimus, duplicem videlicet reperiri poſſe in promiſſorio iuramento obligationem, alteram reſpectu hominis, cui fit promiſſio; alteram reſpectu Dei, cui fit iuramentum. Quando promiſſio facta homini ſuapte natura nulla eſt, & ab ipſo iuramento valorem non recipit; iuramentum appoſitum vocatur per ſe ſtans; ut contingit in promiſſione facta uſurario, vel latroni ſolvend pecunias: quæ promiſſiones nullæ ſunt, nec ex iuramento validæ efficiuntur. Si vero

Digitized by Google

vero promiſſio homini facta invalida ſit, vi tamen iuramenti reviviſcat, fiatque valida, ita ut promiſſarius ius acquirat adverſus promittentem; tunc iuramentum appoſitum vocatur confirmans, roboratque ipſam promiſſionem: atque duplicem inducit obligationem, alteram fidelitatis, & iuſtitiæ, alteram religionis. Primum autem iuramentum, quod dicitur per ſe ſtans, ſolam parit obligationem religionis. Quomodo autem iuramentum valeat reddere efficacem promiſſionem quæ alioquin inefficax eſt, & invalida, indicant Doctores communiter reſpondendo, hoc privilegium habere iuramentum vi iuris poſitivi; ſeu ius poſitivum in honorem iuramenti dare robur promiſſioni quæ alioquin invalida erat, & nulla. Cuius autem generis promiſſiones, & contractus inefficaces, & invalidos iuramentum roboret, & confirmet, infra dicetur.

II. Præcipuus effectus iuramenti confirmantis contractum eſt ius quod acquirit promiſſarius adverſus iurantem. Siquidem, quando iuramentum eſt ſolum per ſe ſtans, nulloque modo confirmat promiſſionem, ſicuti eſt illud quod fit latroni, uſurario, aliiſque, qui per iniuriam, aut metum extorquent promiſſionem; promiſſarii iſti nullam acquirunt actionem adverſus promittentem, vi cuius diem illi dicere valeant.

III. Quando iuramentum firmat contractum, relaxationem nemo alius impertire valet, niſi creditor, in cuius favorem iuramentum datum fuit. Ille enim ius acquiſivit ex promiſſione ſibi iurata; & propterea ſolus huic iuri cedere poteſt, iuramentum relaxando; ut pluribus docet Tiraquellus in *cap.* Si umquam *cod. de revocand. donat. verb.* Revertatur *num.* 78. & 79. Verum utique eſt in contractibus iuramento confirmatis dari relaxationem a iudice, non tamen abſolute; ſed in eum tantum finem, ut iurans poſſit agere in iudicio pro contractus reſciſſione: quod tum contingit, quando dubitatio, & lis occurrit, num contractus validus ſit, & robur accipiat nec ne a iuramento. Quapropter ex tali relaxatione nullo modo contractus reſcinditur; ſed ſolum aperitur via ad reſciſſionem. Hinc eſt quod qui, cauſſa falſo allegata, impetrat iuramenti relaxationem, vel abſolute, vel ſolum ad effectum agendi in iudicio; tali relaxatione uti non poteſt, quia nulla eſt; atque damnum quodcumque, & omnes expenſas creditori reſtituere tenetur. Secus res ſe habet, quando iuramentum contractum non firmat: quia tunc licitum eſt diſpenſationem petere a quocumque legitimo ſuperiore. Tunc enim cum nullum ius acquiſiverit homo, cui iuratum fuit; ſed ſolus Deus, in cuius honorem factum fuit iuramentum: idcirco Prælati, qui Dei vices gerunt, poſſunt ſimilia iuramenta relaxare. Et hæc ratio evincit, ſicuti communis habet ſententia, Prælatos relaxationem hanc concedere poſſe, non tantum in iuramentis per iniuriam, aut metum extortis, in quibus turpitudo maxima ex parte promiſſarii reperitur, ut in iuramentis ſolvendi pecunias uſurariis, latronibus, & pi-

piratis ; verum etiam in iuramentis in quibus nulla eſt turpitudo ex parte recipientis, ut in iuramento ſolvendi pecuniam in ludo amiſſam, dic cæca, ſeu ſolutione dilata : qui contractus iure quidem poſitivo irriti ſunt, nullam tamen in iis agnoſcunt communiter Auctores turpitudinem ex parte recipientis. Porro, iure civili inſpecto, cum nullum ius acquirat creditor ex tali iuramento, ſolaque obligatio ſit ex parte Dei; poterit Prælatus hanc obligationem remittere, iuramentum relaxando, ne homines tam facile prodigant bona ſua. Quæ ratio, ſi ſatis fuit ut lex rogaretur irritans contractum, ſatis itidem eſſe debet ut iuramenti relaxatio impertiri licite poſſit. Quod ſi iurans relaxationem petere noluerit, momentanea ſolutione peracta; eamdem ſtatim repetere poterit : eo quod promiſſarius nullum acquiſivit ius, vi cuius ſolutio facta fuerit; cum unica ratio quæ iurantem movit ad eam ſolutionem, fuerit iuriſiurandi honor, & reverentia. Porro, ſi de non repetenda pecunia præceſſerit iuramentum, tunc relaxationis beneficio uti licebit. Denique iuramentum per ſe ſtans cum iurante occidit : iuramentum confirmans ad heredes tranſit, non vi iuramenti, quod perſonale eſt, ſed vi contractus confirmati. Hæc communia ſunt penes Auctores. Lege Guttierez *de iuram. I. Part. cap.* IIII. Covarruvias *de pact. II. Part. §. 3. num.* 2. Molina *Tom. II. de iuſt. diſp.* cl. Vaſquez *opuſcul. de teſtament. cap.* III. *dub.* 2. *num.* 17. Sanchez *Lib. III. cap.* XXII.

IV. Quæſt. I. *An iuramentum confirmet contractus invalidos?* Reſp. Celeberrima eſt controverſia iſthæc apud Iuriſtas, Canoniſtas, & Theologos. Pro clariore eiuſdem intelligentia notandum primo eſt, nullos contractus iure naturæ, aut divino, aut canonico prohibitos confirmari iuramento poſſe, ut omnes fatentur. Difficultas eſt de contractibus iure civili tum invalidis, tum inefficacibus. Contractus inefficaces vocantur illi qui vel ipſo civili iure validi ſunt, ſed infirmi, eo quod poſſint reſcindi, & fas ſit contra eoſdem reclamare. Huius generis ſunt contractus quos minor cum ſui curatoris auctoritate celebrat, & cum iudicis decreto, ſi de rebus immobilibus fiant. Contractus iſti validi ſunt; ſed inefficaces, & infirmi appellantur, eo quod minor læſus reclamare valeat, & reſciſſionem eorumdem petere. Contractus invalidi ſunt qui iure civili vetantur, ſuntque ſecundum iſtud ius poſt celebrationem nulli. Iſtius generis ſunt contractus quos minores celebrant alienando fundos dotales. His poſitis

V. Duæ ſunt ſuper hac controverſia extremæ ſententiæ. Prima ſuſtinet, nullum contractum, ſive invalidum, ſive inefficacem ita confirmari iuramento, ut vi iſtius conſurgat ius iuſtitiæ, nequeatque iurans, etiam relaxatione iuramenti impetrata, reclamare. E. g. uxor alienavit fundum dotalem : hic contractus eſt iure civili invalidus. Si iuramentum uxor addat, contractus non evadit validus in linea iuſtitiæ; ita ut emptor fundi dotalis ius acquirat adverſus iurantem : ſed ſo-

Digitized by Google

ſolum conſurgit obligatio religionis, vi cuius, niſi aliud obſit, propter reverentiam iuramenti uxor ſtare contractui debet. Paucis, iuramentum appoſitum præfato contractui addit debitum religionis, nullum vero iuſtitiæ ius; ſed, ad iuſtitiam quod attinet, relinquit illum in ſuo naturali ſtatu.

VI. Secunda ſententia e contrario docet, iuramentum confirmare contractus iure civili invalidos, aut inefficaces; ita ut in eiuſmodi contractibus iuramento firmatis duplex obligatio reperiatur, altera religionis, altera iuſtitiæ. Uxor alienavit fundum dotalem : iuramentum appoſuit ſe non revocaturam talem contractum : iſtius iuramenti relaxationem a ſuperiore eccleſiaſtico impetrat : adhuc ſtare contractui debet ex iuſtitia. Regulam quoque generalem hæc ſententia aſſignat dignoſcendi, quando iuramentum confirmet contractus, & quando non confirmet. Tunc iuramentum, inquiunt, confirmat contractum, quando illud ſervando nec iurans, nec exigens iuramentum peccat; ſecus vero, quoties aut iurans, aut qui iuramentum recipit, peccat; ut contingit in promiſſione iurata ſolvendi pecunias latroni, vel uſurario, qui exigendo, & recipiendo pecunias iuratas peccant, quamquam non peccet iurans.

VII. Hæc ſecunda communis valde eſt penes Canoniſtas, & Theologos. Prolixum catalogum Iuriſtarum, & Theologorum texit Sanchez *Lib. III. cap.* XII. *num.* 11. laudat namque Gloſſam, Bartolum, Iacobum de ſancto Gregorio, Iacobum Butrigarium, Baldum, Salycetum, Albericum, Corneum, Humbertum de Bonenco, Fulgoſum, Monachum, Archidiaconum, Dominicum, Ancharanum, Federicum, Paulum, Angelum, Cardinalem, Imolam, Alexandrum de Nevo, Alciatum, Gozadinum, Campeſium, Curtium Iuniorem, Aretinum, Marianum Socinum, Corſetum, Cottam, Guillelmum, Benedictum, Raynutium, Angelum in Summa, Sylveſtrum, Covarruviam, Gregorium Lopez, Antonium Gomez, Minchacam, Antonium de Petrubia, Riminaldum, Oroſium, Seraphinum, Peccium, Fachineum, Barboſam, Cephalum, Hondedeum, Hieronymum Gabrielem, Gutticrez, Peregrinum, Molinam, Rebellum, Emanuelem Sa, Canedum, Mandoſium; quorum opinionem & ipſe defendit. His addi poſſunt Suarez *Lib. II. cap.* XXIX. Azorius *Lib. XI. cap.* VII. Onnates *Tom. I. de contract. tract.* IV. *diſp.* XI. *ſect. 6. num.* 130. Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſp.* II. *punct. 9. §. 3. num.* 4. Laurentius *Lib. II. tit.* XXIV. *quæſt.* dcclxxxvii. Roncaglia *tract.* VIII. *cap.* III. *quæſt.* V. Laymanus *Lib. IV. tract.* III. *cap.* VIII.

VIII. Plures ex præfatis Auctoribus non abſolute dictam ſententiam defendunt; ſed diſtinctione utuntur. Inquiunt enim, iuramentum confirmare eos dumtaxat contractus quos leges civiles ob privatum tantummodo ſubditorum commodum, & utilitatem irritos, aut reſcindibiles declararunt; nullo vero modo confirmare contractus ob bonum commune irritos ab eiſdem legibus declaratos.

Digitized by Google

IX. Quæſt. II. *Quænam ex his duabus opinionibus probabilior ſit?* Reſp. Si auctoritatem extrinſecam, multitudinem videlicet Auctorum, ſpectes, ſecunda probabilior apparet. Si rationes, ſi textus legum conſideres, prior præferenda eſt. Nos ergo priorem ſententiam tamquam probabiliorem eligimus. Hanc valde probabilem appellat Suarez: in eamdem maxime propendebat Caſtropalaus: eamque defendit Tamburinus *Lib. III. cap.* 111. *§.6. num.*7. cui adhæret Sporer *tract.* 111. *in* 2. *præcep. cap.* 1. *ſec.* 2. *regul.* 3. *num.* 53. Rationes pro hac ſententia mihi validiſſimæ ſunt. Enimvero iuramentum ſuapte natura iuſtitiæ robur contractui conferre minime valet. Sunt quippe diverſi omnino generis: illud ad religionem, hic ad iuſtitiam attinet. Neque hanc propoſitionem in controverſiam vocant adverſarii, fatentibus omnibus iuramentum per ſe relinquere contractum in ſuo ſtatu, eique ſolum adiicere religionis vinculum. Videndum ergo ſupereſt, num ex iure poſitivo hanc habeat iuramentum efficaciam, confirmandi ſcilicet contractus etiam invalidos, eoſque validos, firmoſque in genere iuſtitiæ conſtituendi. Textus quos adverſarii producunt, ſunt ſequentes. *Cap.* Contingat *de iureiurando*, *cap.* Licet mulieres *eodem titul. in* VI. *& cap.* Quamvis pactum *de pactis eodem Lib. In authentica* Sacramenta puberum, *cod.* Si adverſus venditionem, *cap.* Debitores *de uſuris*. Atqui in his textibus nec verbum habetur, quo declaretur, contractum iure civili irritum per iuramentum validum evadere, & firmum. Quod ut evincatur, ipſorum textuum verba tranſcribenda ſunt. Innocentius III. in *cap.* Cum contingat *de iuram.* decrevit, *ne via periuriis aperiatur*, *tale iuramentum ſine vi, & dolo præſtitum ſervari debere*. Quod confirmatum eſt in *cap.* Licet mulieres *de iureiurando in* VI. *In authentica* hæc habentur. *Sacramenta puberum*, *ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis*, *inviolabiliter cuſtodiantur*. In *capite* Quamvis pactum *de pactis in* VI. hæc præcipit Pontifex. *Quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbet lex civilis; ſi tamen iuramento non vi, nec dolo præſtito firmatum fuerit, ab eadem omnino ſervari debet; cum non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum.* In recitatis textibus ſolum habetur, iuramentum ſervandum eſſe, uti omnes fatentur. Ceterum contractus præfatos, alienationis fundi dotalis, & renuntiationis legitimæ, improbatos a iure civili, validos vi iuramenti adiecti fieri, nullo modo aſſeritur. Si laudati textus dicerent, emptorem fundi dotalis, patrem acceptantem renuntiationem filiæ, aut filiorum ſuper legitima, ius acquirere vi talium contractuum ratione iuramenti; tunc evincerent intentum. Sed, quod iubeant iuramenta inviolabiliter ſervanda eſſe, non decernunt, diſpenſatione iuramenti impetrata, præfatos contractus reſcindi nequire; non decernunt diſpenſationem impertiri non poſſe, quia cederet in damnum tertii. Ergo ex adductis textibus non evincitur,

con-

contractus iure civili irritos in linea contractus, ſeu iuſtitiæ, vi iuramenti validos effici.

X. Alia ratione evincitur ſententia noſtra. Communiter tum Theologi, tum Canoniſtæ fatentur, magiſtratum, non ſolum eccleſiaſticum, ſed etiam civilem ſupremum, tali facultate pollere irritandi contractum, bonis moribus, & civili iuri adverſum, ut neque iuramenti acceſſione validus fiat. Quoniam Principatus ea inſtructus ſit poteſtate neceſſum eſt qua valeat abrogare ea omnia quæ bono communi repugnant. At, ſemel admiſſo quod contractus per leges civiles antiquati, validi fierent virtute iuramentorum, leges iſtæ civiles vanæ eſſent, & Principatus reipſa deſtitutus reperiretur poteſtate irritandi contractus bono communi infeſtos: quandoquidem ſubditi per iuramentum validum conſtituerent contractum quem Princeps nullum declaraſſet per legem; atque ita Principis poteſtas eluſa prorſus remaneret. Quid, quæſo, ſubditis nocerent prohibitiones talium contractuum, quando poſſent alia via, nempe adiecto iuramento, aſſequi quod directa via pacti, ſeu contractus obtinere nequeunt? Neque hinc infertur, Principes irritare directe iuramenta, quæ ſoli poteſtati ſpirituali ſubiacent; ſed tantum indirecte, taliter ſcilicet irritando contractus, ut neque accedente iuramento validi conſtituantur.

XI. Hinc reiicitur ſententia quam retulimus *num.* 7. nempe quæ ſtatuit, iuramentum confirmare contractus antiquatos per eas leges quæ ob privatum ſubditorum bonum latæ ſunt; ſecus contractus illos qui per leges ob bonum publicum rogatas irriti declarantur. Hanc enim diſtinctionem, ut alias fecimus, inanem reputamus: quoniam omnes leges quæ veræ leges ſunt, ob bonum commune conditæ ſunt; licet quandoque immediate bonum peculiare ſubditorum inſpiciant, ut ſupra probatum eſt.

XII. Obiicies in favorem contrariæ ſententiæ. Ideo contractus inefficaces, ſeu reſcindibiles poſſunt, licet validi ſint, reſcindi, quia lex ad reſciſſionem eorum actionem concedit. Sed, accedente iuramento, hanc actionem non concedunt: Ergo per iuramentum huiusmodi contractus confirmantur. Eadem ratione, quando contractus ſunt iure civili invalidi, ius canonicum decernit, eos validos ac firmos per iuramentum conſtitui. Id confirmatur ex eo quod promiſſiones iuratas, metu gravi extortas a latrone, leges decernant ſervandas eſſe, ſaltem momentanea ſolutione; contractus vero liberos, ut alienationem fundi dotalis, eædem leges ſtatuunt abſolute exequendos eſſe. Reſp. Prima conſequentia negatur: quoniam ideo lex actionem non concedit ad reſciſſionem contractus iurati, quia, quando alia non obſtant, vult illum contractum ob vinculum religionis ſervari; minime vero ob iuſtitiæ titulum, ut in probatione noſtræ ſententiæ dictum eſt. Ad confirmationem dico, leges decernere, contractus coactos ſervandos eſſe mo-

Digitized by Google

mentanea ſolutione : quia eo ipſo quod ſint coacti, ſecum deferunt cauſſam relaxationis, & diſpenſationis, iniuriam nempe, & metum : quæ ſicuti fuerunt cauſſa contractuum, ita ſunt manifeſta cauſſa relaxationis concedendæ. At, quando iuramenta ſpontanea ſunt, & libera ; nulla in ipſis apparet iniuria, nulla coactio, nulla iniuſtitia, & conſequenter nulla diſpenſationis cauſſa : ideoque abſolute vi religionis obſervanda ſunt, donec ex alio capite oſtendatur, eiuſmodi iuramenta relaxanda fore, & ſubinde ipſos contractus reſcindibiles, aut nullos eſſe. Nullum itaque iuramentum aliquam inducit obligationem iuſtitiæ, neque ius confert illi in cuius favorem factus eſt contractus, ut valeat aſtringere iurantem ad contractum ſervandum ; ſed tantum ſuapte natura vinculum religionis inducit, ex rationabili cauſſa a ſuperiore diſſolvendum.

CAPUT IX.

Utrum obligatio iuramenti ita iurantem afficiat, & in illo ſubſiſtat, ut nullo modo tranſeat ad heredes ; & an per procuratorem præſtari valeat ; & a quo impediri poſſit illius obligatio, antequam præſtetur.

I. Iuramentum aut in honorem ſolius Dei fieri poteſt, & ita cum voto coincidit, de quo libro ſuperiore ; aut in hominis favorem, & de hoc in præſentia ſermo eſt.

II. Quæſt. I. *An iuramentum factum in favorem hominis ita ſit perſonale, ut nullam pariat in ſucceſſoribus, ſeu heredibus obligationem ?* Reſp. D. Thomas 2. 2. quæſt. XCVIII. art. 2. ad 4. *Dicendum, quod quia iuramentum eſt actio perſonalis, ille qui de novo ſit civis alicuius civitatis, non obligatur quaſi iuramento ad obſervanda illa quæ civitas ſe ſervaturam iuravit ; tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur ut, ſicut ſit ſocius bonorum civitatis, ita etiam ſiat particeps onerum.* Duplex itaque in quacumque promiſſione iurata homini obligatio diſtinguenda eſt : altera iuſtitiæ, & fidelitatis ; altera religionis. Prima ad heredes tranſire poteſt ; ſecus ſecunda, quæ propria eſt iuramenti. Quare iuramentum ad heredes nullo modo tranſit. Ratio evidens eſt : quia iuramentum eſſe nequit abſque intentione & voluntate iurandi. Sed heredes iurantis hanc intentionem, & voluntatem iurandi non habuerunt. Ergo obligatio iuramenti vi iuramenti ad heredes nullo modo deſcendit, ſed tota ſiſtit in ipſo iurante. Obligatio vero promiſſionis, quæ ſubiacet iuramento, ad heredes extendi valet, non vi iuramenti, ſed ratione iuſtitiæ, ſeu iuris, quod pars in cuius favorem factum eſt iuramentum, acquiſivit. Ita omnes.

III.

Digitized by Google

III. Hinc colliges, ſi Petrus campum ſub iuramento Paulo acceptanti vendiderit, & ante traditionem mortuus fuerit, Franciſcus heres Petri tenetur exequi contractum, non vi iuramenti, quia ipſe non iuravit, ſed vi contractus venditionis. Pariter obligatio iuramenti promiſſorii tranſire ad heredes poteſt ratione alicuius ſtatuti, ſeu legis, quæ etiam ſine iuramento obligaret: e. g. ſi tu iuras ſolvere tributa Principi, aut civitati, te defuncto, non tenentur heredes tui ſolvere gabellas vi iuramenti tui, ſed vi ſtatuti, ſeu legis obligantis ad tributorum ſolutionem. Tandem obligatio iuſtitiæ firmata per iuramentum ad heredes tranſit: obligatio religionis, quæ ſola propria eſt iuramenti, ita afficit iurantem, ut ultra non progrediatur. Qua de cauſſa licet quis iuret pro ſe, & ſucceſſoribus; non propterea ſucceſſores tenentur vi iuramenti, ſed tantum vi pacti.

IV. Quæſt. II. ***An**, dum quis admittitur ad aliquem gradum, ſeu dignitatem, in cuius ſuſceptione iurare omnes ſolent, teneatur vinculo iuramenti, ſi ipſe non iuraverit?* Reſp. Reſponſio negativa eſt. Quare Doctores, Canonici, Epiſcopi, Reges, ceterique omnes qui non iurant ſervare ſtatuta quæ communiter ab omnibus ſolent iurari, vi iuramenti non tenentur ad ea ſervanda; tenentur tamen ſæpe vi pacti, ſeu legis, ut dicit D. Thomas de iis civibus qui, iurantibus aliis eiuſdem communitatis, iurare nolunt. Poſſunt tamen, iuſta occurrente cauſſa, ad iurandum cum ceteris obſtringi. Sed, quouſque non iuraverint, vi iuramenti non adſtringentur.

V. Quæſt. III. ***An**, ſi quis iuraverit Deo, ſe elargiturum pauperi ſtipem centum aureorum, eo defuncto, teneatur illius heres hoc iuramentum implere?* Reſp. Heres tenetur, non vi iuramenti defuncti, ſed vi iuſtitiæ: quia leges tum canonicæ, tum civiles præcipiunt ut heres nequeat adire hereditatem, niſi ſub conditione implendi iuramenta, & vota quæ realia nuncupantur, ipſius defuncti. *Argum. cap.* Licet *de voto*, *& cap.* Si heredes *de teſtam. & cap.* Ex parte *de cenſibus*, *& ex leg.* 2. *ff. de pollicitationibus*, ubi hæc habentur: *Qui decimam partem bonorum vovit, ſi deceſſerit ante ſolutionem, heredem illius hereditario nomine dicimus obſtrictum eſſe. Voti enim obligationem ad heredem tranſire conſtat.*

VI. Quæſt. IV. ***An** obligatio iuramenti promiſſorii tranſeat ad heredes illius cui iuratum eſt?* Reſp. Adfirmanter reſpondent communiter omnes: idque colligunt ex *cap.* Veritatis *de iureiurando*, *& ex leg.* Si pactum IX. *ff. de probationibus*, ubi ſtatuitur, iuramentum fidelitatis extendi ad ſucceſſores, quamquam nulla fuerit eorum facta mentio. Sic vaſſallus qui iuravit fidelitatem, aut obedientiam ſuo ſuperiori, hoc mortuo, ſine novo iuramento, eamdem præſtare debet illius ſucceſſoribus; licet eorum expreſſa recordatio non præceſſerit. Quod intelligitur, dum iuramentum factum fuit ſuperiori ut ſuperior eſt, ratione ſcilicet dignitatis, ſeu officii. Frequenter tamen, mortuo eo cui factum eſt iuramentum, ob maiorem

Digitized by Google

ſolemnitatem ſucceſſores præfatum iuramentum renovari volunt. Contra heres vaſſalli, cum inveſtitur, novum fidelitatis iuramentum obſtringitur dare: quia vi iuramenti præſtiti a deceſſoribus ſuis non obligatur. Quapropter dici ſolet, iuramentum ex parte eius cui iuratur, eſſe reale tranſiens ad heredes, ex parte vero iurantis eſſe perſonale.

VII. Quæſt. V. *An iuramentum per procuratorem præſtari poſſit?* Reſp. Reſponſio adfirmans communiſſima eſt. Hoc habetur in cap. ult. de iuram. calum. in VI. cap. unic. §. *Verum* de ſtatu Regul. in VI. *Nam poteſt quis per alium facere quod poteſt per ſe ipſum*. Reg. 68. in VI. Ad rationem iuramenti non aliud requiritur quam invocatio divini nominis in veritatis ſive præſentis, ſive præteritæ, ſive futuræ confirmationem. Atqui Deum invocare in teſtem quis poteſt ſive proprio ore, ſive ore alterius, ſcriptura aut propria, aut aliena manu exarata. Nec officit, iurationem actionem perſonalem eſſe: quia procurator reipſa refert perſonam ſui principalis, eiuſque nomine iurat; nec in iuramento præſtando aliam a iurante perſonam gerit. Et hac ratione matrimonium, quod non minus ac iuramentum, perſonale eſt, per procuratorem valide contrahitur. Hinc, ſi procurator falſum iurat; periurus potiſſimum eſt dominus, qui ore ſui procuratoris peierat: ſi procurator ſcienter, aut dubius falſum iurat, reus evadit periurii, eiuſque labe aſpergitur; ſecus, ſi bona fide iurat.

VIII. Quæſt. VI. *Quid requiritur ut procurator nomine alterius iuret?* Reſp. Procurator peculiare mandatum habere debet ad iurandum in tali vel tali definita materia; nec ſatis eſt mandatum generale ad iurandum in quacumque materia indefinita: quoniam iuramenti materia veritas eſt, ſive præſens, ut in aſſertorio, ſive futura, ut in promiſſorio. Hanc veritatem alterius nomine teſtari nequit procurator, niſi ſibi conſtet certo mandantem principalem eam adfirmare: eſtque communis opinio penes omnes. Licet enim aliqui docuerint, ſufficere procuratori ad iuramentum de calumnia præſtandum, ut habeat mandatum generale pro omnibus cauſſis, & ſpeciale ad iurandum de calumnia, tametſi cauſſa ſuper qua iurandum eſt, expreſſa non ſit; nihilominus communiter tum Canoniſtæ, tum Theologi id negant. Quare, ſi procurator vi ſolius mandati generalis, & non peculiaris, in hac vel illa cauſſa iuramentum præſtet, graviter peccat; neque huic iuramento obnoxius eſt dominus, cum non fuerit præſtitum ex eius conſenſu. Si vero conceſſerit facultatem univerſalem ad celebrandos quoſque contractus; his ſtare dominus tenebitur, ſi firmi ſint, & validi abſque iuramento.

IX. Quæſt. VII. *An obligatio iuramenti impediri poſſit, antequam præſtetur?* Reſp. Primo nulli dubium eſt, poteſtatem eccleſiaſticam poſſe impedire, ſeu prohibere ne iuramentum in tali aut tali materia præſtetur: quia reipſa Synodus Tridentina *ſeſſ.* XXV. *cap.* XXVI. *de Regul.* irritum eſſe decernit iuramentum quod adiiceret

No-

Novitius renuntiationi factæ ante bimeſtre antecedens profeſſionem. De ſola civili poteſtate difficultas eſſe poteſt. Sed ex his quæ diximus *cap.* VII. facile reſolvitur.

X. Quæ omnes concedunt, præmittenda ſunt. Iudex civilis poteſt cogere ſubditos ad remittendam obligationem iuratam metu, aut iniuria extortam, quando manifeſtum eſt tum promiſſionem, tum iuramentum fuiſſe per vim extortum. Secundo poteſtas civilis remittere valet iuramentum præſtitum homini in materia ſibi ſubiecta. Quare relaxare poteſt iuramentum factum a ſubdito non acceptandi talem magiſtratum, aut dignitatem. Iuramentum quoque in materia civilis fori quomodo intelligendum ſit, interpretari poteſt. Nullitatem quoque relaxati iuramenti per poteſtatem eccleſiaſticam recognoſcere poteſt, quando evidenter apparet relaxatio nulla, & iniqua, ut docet Sanchez *Lib. III. cap.* XXII. *num.* 4. ubi citat Felinum, & Ancharanum.

XI. Quæſtio ergo eſt, num poteſtas civilis valeat decernere, iuramentum tali aut tali contractui appoſitum nullam habere vim, ſeu obligationem. Negant aliqui. Sed communis ſententia ſuſtinet, Principem ſæcularem hac frui facultate: eo quod neceſſaria ſit hæc poteſtas ob boni publici conſervationem; neque præiudicii quidquam inferat eccleſiaſticæ iuriſdictioni. Nam, dum Princeps interdum decernit, talem contractum irritum eſſe, nulloque iuramento confirmari poſſe; nil aliud intendit, niſi impedire iniuſtitiam quam in tali contractu deprehendit, ut contrariam bono communi ſui ſtatus. Idque ut validius aſſequatur effectum, ſtatuit iuramentum quod ſubditi, ut legem civilem eluderent, adiicere poſſent, nullam habere vim confirmandi talem contractum.

XII. Sed hic difficultatem movent non pauci circa modum quo lex civilis impedire valeat ne iuramentum, antequam præſtetur, obligationem inducat. Nam aliqui volunt, Principem poſſe impedire ne contractus iuramento confirmetur. Ceterum ſubdunt, iuramentum ſervandum eſſe, donec relaxetur: quia iuramentum ſpirituale quippiam eſt, ſoli iuriſdictioni eccleſiaſticæ ſubiectum. Relaxandum ergo ab Epiſcopo docent. Alii ſuſtinent, Principis prohibitionem operari dumtaxat ne contractus iuramento firmatus in foro iuris civilis validus ſit. Ceterum habere volunt talem contractum firmitatem vi iuris gentium, & canonici. Alii tandem dicunt, legem civilem prohibentem iuramentum apponi contractui, obligare ſubditos ad culpam; ac proinde eos, dum iurant, peccare: qua culpa in iurando contracta, iuramentum nullum evadere inferunt. Hæc ratio nulla eſt: quia non raro contingit homines peccare in iurando, & nihilominus iuramentum obligare: quippe, ut quis teneatur iuramentum implere, ſatis eſt ut poſſit abſque peccato illud executioni mandare.

XIII. Sententia quæ mihi probabilior eſt, ſuſtinet, Principem ob finem boni com-

communis ſervandi poſſe legem condere qua declaretur irritum eſſe iuramentum appoſitum tali contractui a laico ſibi ſubdito; ſeu poſſe Principem impedire, antequam præſtetur, iuramentum, ne vim habeat, & obligationem inducat. Quandoquidem, ſicuti Eccleſia, licet nequeat directe matrimonium clandeſtinum, qua Sacramentum eſt, irritare; cum id ſolus Chriſtus ſacramentorum auctor præſtare valeat; poteſt tamen indirecte, quatenus declarare poteſt contractum humanum nullum, qui ſacramenti dignitate donandus erat; &, hoc contractu abrogato, ſacramentum ſine hoc fundamento conſiſtere nequit, ſed irritum remanet: ſimili modo Princeps ſupremus ſæcularis, quamquam facultatem minime habeat irritandi directe iuramentum, quod ſpirituale cum ſit, iuriſdictioni ſpirituali ſubiacet; valet nihilominus indirecte illud irritare, quatenus declarare valet nullum contractum, antequam ineatur: quo deſtructo, neceſſario conſequitur iuramentum ad effectum confirmandi talem contractum, irritum prorſus eſſe, ac nullum. Nec enim iuramentum confirmare poteſt quod non eſt; aut conſtituere contractum qui, lege civili inſpecta, nullus eſt; ſed ſolummodo iuramentum confirmare, & roborare valet contractum qui præſupponatur validus. Hanc ſententiam defendit Sanchez *Lib. III. cap.* XXII. *num.* 10. Molina *Tom. I. de iuſt. diſput.* CXLIX. Leſſius *Lib. II. cap.* XLII. *dub.* 12. *num.* 55. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* I. *punct.* 17. Guttierez in authentica *Sacramenta puberum*, Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſp.* II. *punct.* 13.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VII.

DE IIS QUI IURARE VALENT

Tam extra, quam intra iudicium : & quando licitum ſit iuramentum exigere : tandem de iurandi conſuetudine.

CAPUT I.

Omnes ratione præditi extra iudicium iurare licite poſſunt, etiam per procuratorem.

I. OMNES rationis compotes extra iudicium iurare poſſe, certiſſimum eſt : quod omnium perſonarum genera recenſendo, probatur. Atque primo Deus, rationis fons & origo, frequenter in Scriptura iuravit. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum* : Pſal. CIX. *Ecce ego iuravi in nomine meo magno*: Ierem. XLIV. verſ. 26. *Per memetipſum iuravi, dicit Dominus* : Gen. XXII. verſ. 16. Illud tamen ſciendum, eiuſmodi iuramenta, ſi preſſe accipiantur, non eſſe vera iuramenta. Iuramentum quippe religionis eſt actus, quo inferior alterum ſuperiorem reſpicit : cuius Deus omnium ſupremus auctor capax haud eſt. Neque eius dicta confirmatione aliqua indigent. Iuramenta ergo quæ Deus protulit, metaphorica appellantur : quæ idcirco adhibuit, ut attentionem noſtram magis excitaret, atque conſiliorum ſuorum immutabilitatem abundantius oſtenderet. Ita inquit Apoſtolus ad Hebræos VI. verſ. 17. *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis heredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit iusiurandum : ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem*. Quæri etiam ſolet, num Deus per execrationem, nedum per ſimplicem atteſtationem, iurare valeat. Sed eiuſmodi quæſita tamquam inutilia reiicimus. Nullibi ſiquidem in Scripturis reperitur Deum uſum fuiſſe formulis execratoriis, dum iuravit.

II. Chriſtus Dominus, qui, ut homo, Deo inferior erat, iurare proprie valebat : & aliquando ipſum iuraſſe, docent Origenes *in Matth.* XXXV. Innocentius *cap.* Etſi Chriſtus *de iureiurando* ; quod probabile iudicat Suarez *Lib. I. de iuram. cap.*

Digitized by Google

cap. XIV. *num.* 9. eo quod ſæpe adhibuit eiuſmodi phraſim, *Amen amen dico vobis.* Sed probabilius eſt, præfata verba non habere vim iuramenti; cum ſolum ſignificent *vere, & certe*. Neque credibile eſt futurum fuiſſe ut tam frequenter eiſdem verbis uteretur Chriſtus Dominus, ſi formulam iurandi continerent; cum adeo ſevere nobis prohibuerit frequentem iuramentorum uſum. Talem loquendi formulam adhibuit, ut palam faceret ſe ex certa ſcientia loqui.

III. Angelos non modo iurare poſſe, ſed reipſa iuraſſe hominibus loquentes; conſtat ex Apocalyp. cap. x. verſ. 6. *Et iuravit per viventem in ſæcula ſæculorum*. Secus dicendum, quando invicem ſe ſe alloquuntur: quia Angelorum quiſque certo ſcit, alium Angelum mentiri non poſſe. Superfluus ergo, & otioſus eſſet iurandi actus. Porro omne id quod otium, ac vitium ſapit, ſanctis Angelis repugnat. Angelos tamen malos ex pravo fine iurare poſſe, non videtur negandum. Ne tamen honorem litare Deo, eiuſdemque confirmatione indigere, ac illum ſuperiorem agnoſcere videantur, perraro eos iurare credendum eſt. Idem de hominibus beatis, & damnatis, ac de Angelis bonis, & malis dicere convenit.

IV. Ex hominibus viatoribus illi tantum vere iurant qui ratione inſtructi verum Deum cognoſcunt. Hinc pueri ante rationis uſum, amentes, furioſi, omnes denique ratione carentes iuramenti ſunt incapaces. Pagani, Athei, qui nullum Deum agnoſcunt, verum iuramentum emittere nequeunt: quia nullum habent, quem valeant invocare, Deum. Idem de Ethnicis dicendum, qui verum Deum non agnoſcunt; falſos tamen colunt deos, & per eoſdem iurant. Iſti ex conſcientia erronea adſtringuntur obſervare ſimilia iuramenta, quæ in ſe vana, & nulla ſunt; quæve, errore ſublato per veræ fidei ſuſceptionem, prorſus evaneſcerent, minimeque ſervanda forent. Iudæi, Turcæ, ceterique omnes qui verum Deum agnoſcunt, tametſi ſatis imperfecto modo, vinculo iuramenti tenentur: quia revera iſti invocant verum unicum Deum in teſtimonium veritatis; quamvis ipſi hunc verum Deum eo quo decet modo non percipiant.

C A P U T II.

Qui in iudicio iurare valeant, recenſentur.

I. IUre naturæ ſpectato omnes qui iurare valent extra iudicium, poſſunt itidem in iudicio. Sed, quia iure poſitivo non omnes qui abſolute iurare valent, ad iurandum in iudicio admittuntur; ideo quæ perſonæ a iuramento iudiciali excludantur, quæve recipiantur, hoc in capite explicandum eſt. Quod antequam præſto, temperare mihi non poſſum quin iſtorum temporum facilitatem iurandi deplorem. Tanta erat apud Ethnicos iuriſiurandi reverentia, ut ſolis ingenuis,

Digitized by Google

nuis, & nobilibus viris poteſtas fieret iurandi. Iſtis ſolis iuramentum loco atrocis tormenti erat ad veritatis promendam confeſſionem. Plutarchus inter problemata narrat, quod ſervis, & mancipiis numquam iuramentum deferebatur; ſed ad equuleum rapiebantur, & atroci quæſtione veritas ab illis extorquebatur. Liberis vero & nobilibus, quos torquere non licebat, deferebatur iuramentum: quod non mitior pœna illis erat quam ſervis tormentum. Neque Flamini Diali, neque aliis Sacerdotibus iurare licitum. Sola eorum aſſertio ſimplex pro iureiurando habebatur. Si cum tanta iuratoriæ religionis ſanctitate conferas noſtræ ætatis abuſum, lacrymas compeſcere haud poteris. Vel ipſa viliſſima gens ſine delectu, & cuiuſque ſortis homines, bubulci, agaſones, baiuli, Hebræi, & helluones iurare præſumunt. Sed ad rem accedamus.

II. Pueri, & puellæ ante annos pubertatis non admittuntur ad iuramentum iudiciale: *quia* (inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxix. art. 10.) *nondum habent perfectum uſum rationis, quo poſſint cum reverentia debita iuramentum præſtare*. Quid, ſi conſtaret in ipſis peculiari modo emicare rationis lumen, & ſponte ad iurandum ſe ſe offerrent? In hac poſitione ſatis probabile mihi videtur admittendos eſſe. Nec iura obſtant, quæ ſolum prohibent cogere, ut etiam advertit Angelicus *loc. cit.* pueros ad iurandum. Et clare habetur in *cap.* Pueri XXII. *quæſt.* V. Hanc opinionem defendit Soto *Lib. VIII. quæſt.* I. *art.* 10. Suarez *Lib. I. cap.* XIV. *num.* 5. Contraria plures habet Auctores, Sanchez, Palaum, Bonacinam, Valentiam, Azorium, Fagundez, Leandrum, & alios. Communis tamen opinio eſt, ſi admittantur ante pubertatem, ideſt annum quartumdecimum, ad iurandum in iudicio, eorum iuramentum non facere plenam probationem, ſed gravem tantum præſumptionem.

III. Eadem ætas quæ ſufficit in foro civili, non ſatis eſt in criminali: nam in illo ætas quatuordecim, in hoc viginti annorum requiritur, ut conſtat ex *leg.* Inviti *ff. de teſtibus l.* In teſtimonium *& C.* Si teſtes, *§.* Item in teſtimonium IV. *quæſt.* III. Et communis eſt inter Theologos, ac Iuriſtas ſententia. Rationem diſcriminis aſſignant: quia, cum maius in criminalibus quam in civilibus cauſſis præiudicium afferri ſoleat; idcirco magis etiam idonei teſtes ad probanda crimina quam ad teſtificanda facta civilia merito requiruntur. Excipiuntur tamen aliqua cauſſarum genera. Nam in læſæ maieſtatis crimine omnes admitti ſolent qui rationis ſunt participes; ut patet ex *leg. de minor.* X. *ff. de quæſt.* & docent communiter Iuriſtæ. Item ad detegendam veritatem occiſi domini omnes de familia etiam impuberes admittuntur. Farinacius in criminalibus Auctor gravis *de teſtibus quæſt.* LVIII. *num.* 29. & Decianus *Lib. IX. criminal. cap.* XIV. *num.* 7. referunt, duos pueros ad evincendum delictum uxoricidii ſatis fuiſſe. Ratio eſt, ne delicta enormia impunita remaneant. Et hac ratione crimina nefanda, quæ dif-

difficillimæ ſunt probationis, probari poſſunt per teſtes minores anno viceſimo.

IV. Mulieres, iure civili inſpecto, ad omnes cauſſas ſive criminales, ſive civiles, teſtamento excepto, admittuntur, ut teſtimonium iuratum dicere poſſint; quemadmodum patet *l.* Ex eo. *ff. de teſtibus:* & eſt communis ſententia. Ius tamen canonicum eaſdem repellit a teſtificando in cauſſis criminalibus propter fragilitatem ſexus, & ingenii mutabilitatem; ſolumque eas admittit in illis caſibus in quibus admittuntur perſonæ infames. A dicendo tamen teſtimonio in civili cauſſa, etiam adverſus Clericum, non repelluntur. *cap.* Quoniam, *cap.* Iam litis, *de teſtibus* &c.

V. Excluditur a iuramento iudiciali inimicus illius contra quem teſtimonium ferendum eſt: quia præſumitur inimicus cogitare malum de ſuo inimico, ut deciſum eſt in *cap.* Accuſatores, *in cap.* Omnes III. *quæſt.* V. *&* *l.* 3. *ff. de teſtibus.* Excipiuntur tamen crimina læſæ maieſtatis, hæreſis, & ſimoniæ. Porro non quæque inimicitia ſatis eſt ad conſtituendum inimicum teſtem ineptum; ſed iuxta communem ſententiam requiritur inimicitia gravis, ſeu capitalis. Quænam autem dicenda ſit inimicitia gravis & capitalis, nequit abſolute definiri. Ex eo facile cognoſci poterit, quod inter eos præceſſerit grave diffidium, lis magni momenti, iniuria enormis, & ex aliis circumſtantiis eam indicantibus. Ceterum talis deciſio Iudicis arbitrio relinquenda eſt.

VI. Periuri quoque omnes repelluntur, tamquam teſtes incapaces. Difficultas ſolummodo eſt, quinam periuri a iuramento iudiciali arceantur. Nam alii appellantur periuri noti *notorietate facti*, qui nempe facto ipſo ſe produnt tamquam periuros, quia communiter peierant. Alii dicuntur periuri noti *notorietate iuris*, ideſt iudicis ſententia declarati tales. Et in hoc diffident Theologi. Alii eos ſolos periuros a iuramento iudiciali excludunt qui ſunt per iudicis ſententiam rei periuriorum damnati; contra alii ſatis eſſe defendunt ut ſint facto ipſo agniti tamquam periuri. Utraque opinio ſua fruitur probabilitate. Hæc ſecunda mihi magis probatur. Nam, ut aliqua perſona poſſit appellari infamis, ſufficit ut eius infamia publice, ſeu reipſa communiter cognoſcatur, licet iudicis ſententia non præceſſerit. Hinc infames etiam tum infamia facti, tum infamia iuris, repelli a iuramento in iudicio ferendo ſolent.

VII. Criminum ſocii non admittuntur ad iurandum in iudicio: tum quod pronum ſit deſiderare ſocium in ſupplicio habere; tum quod ſperare poteſt ſocius ſe evaſurum pœnas, atque impunitatis privilegium aſſecuturum, dum alium accuſat *cap.* Veniens X. *de teſtibus* *&* *l. fin. cod. de accuſationibus*, eſtque communis. Plura tamen ſunt crimina excepta, ob quorum gravem malitiam, quia bono communi inſidias directe ſtruunt, probantur per teſtimonia iurata ipſorum criminis ſocio-

ciorum. Crimina iſthæc ſunt ſequentia, hæreſis, læſæ maieſtatis, adulterationis monetæ, ſodomiæ, maleficii, & cetera id genus, quæ in detrimentum boni communis vergunt. Socii teſtimonium ſemiplenam probationem facere plures volunt; ita ut, duobus ſociis crimen ſub iuramento teſtantibus, poſſit iudex reum damnare. Verum conſuetudo oppoſita communior eſt: proinde praxi tribunalium ſtandum. Niſi alia adminicula accedant, non videtur ſatis tutum in re graviſſima reum damnare ob ſolam, & nudam ſociorum atteſtationem. Ceterum, quando plures ſunt ſocii, facillime alia occurrunt adminicula, vi quorum iudex valeat reum damnare.

VIII. Perſonæ viles, & inopes, quas pecunia corrumpi facile poſſe, ſuſpicari licet, a iuramento iudiciali excluduntur. Quando tamen perſona inops honeſta ſit, & ſpectatæ virtutis, de qua prudens ſuſpicio haberi non poſſit, habilis eſt ad ferendum iuratum teſtimonium in iudicio, ut communiter ſentiunt Auctores.

IX. Laici non admittuntur ad iurandum contra Clericos in iudicio, quando proceſſus eſt criminalis, ut decernitur *cap.* De cetero *de teſtibus*, & *cap.* Ipſi Apoſtoli, & *cap.* Teſtes 11. *quæſt.* VII. ubi ii omnes qui Sacerdotes nequeunt fieri, a ferendo teſtimonio adverſus Sacerdotes repelluntur. Contra, ſi proceſſus civilis ſit, admittuntur, ut traditur *cap.* Quoniam *de teſtibus*. Admittuntur quoque in exceptis criminibus, quæ ſupra recenſuimus.

X. Sacerdotes in iudicio iurare non debent, niſi ob gravem neceſſitatem: quia eorum dignitas tanta eſt, ut non permittat facilem dubitationem de iis quæ aſſerunt. Ea autem ſolum confirmari iuramento poſtulant quorum veritas in dubium venit, ut optime docet D. Thomas 2. 2. quæſt. LXXXIX. art. 10. *Non enim indiget dictum hominis confirmatione, niſi quia de eo dubitatur. Hoc autem derogat dignitati perſonæ ut dubitetur de veritate eorum quæ dicit. Et ideo perſonis magnæ dignitatis non convenit iurare. Propter quod dicitur* 11. *quæſt.* IV. *cap.* Si quis Preſbyter, *quod Sacerdotes ex levi cauſa iurare non debent. Tamen pro aliqua neceſſitate, vel magna utilitate licitum eſt eis iurare, & præcipue pro ſpiritualibus negotiis, pro quibus etiam iuramenta competit præſtare ſolemnibus diebus, quibus eſt ſpiritualibus rebus vacandum. Non autem tunc iuramenta præſtanda pro rebus temporalibus, niſi forte ex magna neceſſitate.* Cauſſæ autem pro quibus potiſſimum Sacerdotes iurare valent, ſunt in his verſibus, quos refert Gloſſa *verſ.* Neceſſitate *cap.* 1. *de feriis*, contentæ.

Pax, & fama, fides, reverentia, cautio damni,
Defectus veri ſibi poſcunt magna caveri.

Hæc iuramenta præſtare valent Clerici abſque Prælatorum ſuorum licentia, ut conſtat ex *cap.* Ex reſcripto, & Pervenit, *de iureiur.* Tres tamen excipiuntur caſus in quibus nequeunt Clerici in manu laici iurare abſque Epiſcopi, & Epiſcopus abſ-

abſque Papæ licentia. Primus eſt, quando iurant Clerici coram laico, tamquam ſuperiore a quo coguntur, ut habetur *cap.* Nullus XXII. *quæſt.* V. Quando autem iurant coram laico qui ſuperioris vices non præfert, licentia iurandi non indigent. Secundus eſt, quando iurant de calumnia: quia hoc iuramentum præſtare nequeunt, niſi is ad cuius tribunal litem peragunt, ſit ſuperior. *cap.* Nos XXII. *quæſt.* VII. Ultimus eſt, quando iurant in actu iuſtificandi: tunc enim nequeunt iurare in manu laici, niſi de licentia Epiſcopi. Dum Sacerdotes iurant, ſatis eſt ipſis tangere proprium pectus. *cap.* Si quis Presbyter, II. *quæſt.* V. Aliquæ tamen graves cauſſæ reperiuntur, in quibus ſtatutum eſt, Epiſcopos, & Sacerdotes ſacra tangere, dum iurant.

XI. Conſanguinei aſcendentes, & deſcendentes illius in cuius favorem teſtimonium iuratum dicendum eſt, repelluntur a tribunali: quia ſic decernitur *leg. 3. ff. de teſtibus*, & *cap.* Similiter 3. *quæſt.* V. *cap.* Abſens 3. *quæſt.* IX. Conſanguinei quoque collaterales, & affines uſque ad quartum gradum *incluſive*, repelluntur a iuramento iudiciali; ut ex citatis capitibus colligitur. Si tamen libere ſe ſe offerant, admittuntur. In criminibus admittitur frater contra fratrem, ſi ſeparate vivant; ſecus, ſi ſub patria poteſtate ſint abſque diviſione legitimæ, & hereditatis. In hoc caſu nequit unus pro altero teſtificari, neque mulier pro marito, aut contra. In fœdere vero matrimonii admitti ſolent parentes in teſtes; niſi forte propter filiorum commodum videantur de veracitate ſuſpecti, ut habetur in *cap.* Super eo *de teſtibus*, ubi mater teſtimonium ferre parata in favorem filiæ, quæ iactabat promiſſionem ſibi factam a viro ſe nobiliore, divitiiſque copioſiore, repulſa eſt propter ſuſpicionem de veritate prodenda in filiæ favorem. Domeſtici quoque, tum in criminali, tum in civili cauſſa expelluntur a iuramento iudiciali. Domeſticorum porro nomine veniunt uxor, filii, ſervi, & liberti, famuli conductitii, aliique familiares. Singuli tamen alicuius Collegii, & Univerſitatis teſtes eſſe poſſunt in cauſſis quæ non ad ſingulos, ſed ad Univerſitatem ſpectant, aut Collegium; ut communiter omnes docent.

XII. Pagani, Iudæi, omneſque fidei catholicæ hoſtes reiiciuntur a ferendo teſtimonio adverſus Chriſtianum, & Catholicum, ut decretum eſt in *cap.* Ipſa pietas XXIII. *quæſt.* IV. ubi hæc habentur ex D. Auguſtino accepta: *Qui divina teſtimonia non ſequuntur, pondus humani teſtimonii perdiderunt*. Præterquamquod ob diverſitatem religionis tam inveterato odio ardere adverſus veræ religionis profeſſores ſolent, ut facillime periurium in eorum proferre poſſint detrimentum, ut habetur *cap.* Cum Iudæi, *cap.* Licet *de teſtibus*. Excipiuntur tamen crimina læſæ maieſtatis tum divinæ, tum humanæ, dummodo homines iſti ſint, & habeantur inter ipſos Paganos, & Ethnicos ut probi & honeſti, ac integræ famæ.

XIII. Iurantes in iudicio vi plurium legum debent eſſe ieiuni. *Cap.* Honeſtum

XXII.

Digitized by Google

xxii. *quæſt.* v. & *cap.* Placuit iv. *quæſt.* iii. Verum leges iſtæ iam pridem obſoleverunt, ſi præcepti rationem ſpectemus. De conſilio in iurisiurandi reverentiam optimum erit hanc conditionem ſervare, quoties in iudicio teſtimonium iuratum ferendum erit. Tempora quoque excipiuntur quibus iuramenta iudicialia vetantur; ut a Septuageſima uſque ad octavam Paſchæ; ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniæ octavam. Item in quatuor anni temporibus, in diebus dominicis, Litaniis maioribus, in diebus Rogationum iurare, niſi de concordia & pacificatione, prohibitum eſt, ut conſtat ex *cap.* Decrevit xxii. *quæſt.* v. Quæ omnia conſuetudine contraria prævalente abrogata ſunt. Hinc tamen colligas velim, quam ſancte olim colebantur tempora Domino ſacra, & in quibus redemptionis myſteria potiſſimum celebrabantur.

C A P U T III.

Utrum inducere quis poſſit alium ad iurandum, quem exiſtimat peieraturum, aut per falſos deos iuraturum.

I. SAEpius dictum eſt, iuramentum non eſſe eorum quæ abſolute appetuntur, ſed eorum quæ propter neceſſitatem tantum deſideranda ſunt. Quare qui iurat, aut qui ad iurandum alium inducit falſum, ſemper peccat mortaliter. Ut tamen quæſtio propoſita clarius reſolvatur, certa ab incertis ſecernenda ſunt. I. Certum eſt, ſemper peccatum eſſe inducere alium ad falſo iurandum, aut iurandum per falſos deos: quoniam actus iſti ſunt mali intrinſecus, & nulla poſſunt ratione honeſtari. II. Nulla culpa eſt, iuſta occurrente cauſſa, exigere iuramentum ab illis quos tibi non certo, nec probabiliter conſtat eſſe peieraturos. Si dubitas, dubium deponere debes: quia in dubio nemo præſumendus eſt malus. III. Certum eſt, peccatum eſſe mortale exigere iuramentum a peieraturo, aut iuraturo per falſos deos, nulla exiſtente cauſſa; ſive paratus, ſive non paratus ille ſit iurare. IV. Quando iuramento deficit ſolum iudicium, & iuſtitia, tunc exigens iuramentum peccatum idem perpetrat ac iurans; ſive iſte paratus ſit, ſive ſecus: quia in eiuſmodi iuramentis nulla occurrere iuſta cauſſa poteſt, quæ excuſet a malitia. Aliquando iurans tantum excuſari, raro tamen, poteſt; ut cum ſibi ſæpius adfirmanti veritatem, fides ab altero non adhibetur, & ſua intereſſe prudenter indicat iuramento, alioquin abſolute non neceſſario, firmare veritatem; tunc iurando non peccat: at exigens, quia citra rationabilem neceſſitatem poſtulat, peccat.

II. Tota ergo difficultas eſt, quando iuramento deficit veritas, & rationabilis

cauſſa urget, an ſcilicet tunc licitum ſit exigere, vel ſuſcipere iuramentum a peieraturo, vel iuraturo per falſos deos. Qui exigit iuramentum, aut eſt perſona privata extra iudicium; aut publica, ut iudex, vel actor in iudicio. De ſingulis ſermo erit.

III. Caſuiſtæ recentiores plures, & implexe ſatis, & adverſus expreſſam Sanctorum ſententiam, hanc quæſtionem reſolvunt. Obiter hic animadvertas velim, Caſuiſtas non paucos frequenter obſtrepere, Patres non tractaſſe hodiernas quæſtiones: quas ſi verſaviſſent, inquiunt, in recentiorum ſententias conceſſiſſent. Contra, cum Patres conceptis verbis quæſtiones tractant, & reſolvunt, religioni minime ſibi vertunt ab illorum doctrina recedere. Quod quam verum ſit, ex dicendis conſtabit.

IV. Quæſt. I. *An perſona privata exigere iuramentum licite poſſit ab eo quem certo vel probabiliter ſcit eſſe peieraturum, etiam gravi urgente cauſſa?* Reſp. Concluſionem negantem apertiſſime docent Patres. Auguſtinus ſerm. clxxx. alias xxviii. de verbis Apoſtol. cap. x. *Et ipſe qui exigit iuramentum, multum intereſt, ſi neſcit illum falſum iuraturum, an ſcit. Si enim neſcit, & ideo dicit, Iura mihi, ut fides ei fiat, non audeo dicere non eſſe peccatum; tamen humana tentatio eſt. Si autem ſcit eum feciſſe, novit feciſſe, vidit feciſſe, & cogit iurare, homicida eſt. Ille enim ſuo periurio ſe perimit; ſed iſte manum interficientis & expreſſit, & preſſit.*

V. Fuſius hoc ipſum confirmat Auguſtinus *ſerm.* cccviii. *alias* xi. qui eſt ſecundus in decollatione S. Ioannis Baptiſtæ ex additis a Pariſienſibus in ultima editione, ubi hiſtoriam narrat ſuis auditoribus cuiuſdam civis Hipponenſis ob exactionem iuramenti a peieraturo a divina iuſtitia ſeveriſſime flagellati. Inquit ergo: *Scribite in cordibus veſtris quod dico. Ille qui hominem provocavit ad iurationem, & ſcit eum falſum eſſe iuraturum, vincit homicidam. Quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam; immo duas animas, & eius quem iurare provocavit, & ſuam. Scis verum eſſe quod dicis, & falſum eſſe quod ille dicit, & iurare compellis? Ecce iurat, ecce peierat, ecce perit: tu quid inveniſti? Immo & tu periiſti, qui de illius morte te ſatiare voluiſti. Fuit hic homo quidam ſimplex, innocens, bene fidelis, a multis veſtris, ideſt Hipponenſibus, immo ab omnibus cognitus, Tutuſlymeni vocatus. Tutumlymeni quis veſtrum non novit, qui cives eſtis? Ab illo audivi quod dico. Neſcio quis negavit ei vel quod commodaverat, vel quod ei debebatur; & hominis fidei ſe commiſit. Commotus provocavit eum ad iuſiurandum. Iuravit ille, iſte perdidit: ſed iſto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iſte Tutuſlymeni homo gravis, & fidelis, ipſa nocte exhibitum ſe fuiſſe ad iudicem, & cum magno impetu, atque terrore ſe perveniſſe ad Præſidentem excelſum quemdam, & admirabilem virum, cui parebat officium ſimiliter excelſorum, iuſſum fuiſſe perturbatum retro revocari, & interrogatum fuiſſe his verbis: Quare provocaſti hominem ad iurationem, quem ſciebas*

fal-

falſum eſſe iuraturum? Reſpondit ille: Negavit mihi rem meam. Reſponſum eſt illi: Et nonne melius erat ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis iſtius falſa iuratione perimeres? Proſtratus iuſſus eſt cædi. Cæſus eſt tam graviter, ut in dorſo evigilantis veſtigia plagarum apparerent. Sed dictum eſt illi, poſtquam emendatus eſt: Parcitur innocentiæ tuæ: de cetero cave ne facias. Fecit quidem ille grave peccatum, & emendatus eſt; ſed multo gravius peccatum faciet qui poſt iſtum meum ſermonem, & iſtam meam admonitionem, & exhortationem tale aliquid fecerit.

VI. S. Raymundus in Sum. Lib. I. tit. de iuram. & periur. pag. 89. *Quid de illo qui provocat ad iurandum eum quem ſcit falſum iuraturum, vel exigit, vel recipit ab eo iuramentum veritati contrarium, & ſcienter? Reſp. ſecundum Gelaſium, & Auguſtinum, quod talis vincit homicidam: quia homicida corpus occidit, & iſte animam, immo duas animas, & eius quem iurare provocavit, & ſuam. 22. quæſt. v. Si quis provocaverit, & tribus capitulis ſeqq. Quod autem dictum eſt, quod vincit homicidam, intelligas in damno dato: quia maius damnum eſt in amiſſione unius animæ quam infinitorum corporum. 24. quæſt. III. Si habes. Alias gravius peccat homicida 13. diſt. Duo iſta mala.*

VII. D. Thomas 2.2.quæſt.xcviii. art.4. *Et ſi quidem aliquis pro ſe ipſo exigit iuramentum tamquam perſona privata, diſtinguendum videtur, ut Auguſtinus dicit in ſermone de periuriis. Si enim neſcit eum iuraturum falſum, & ideo dicit, Iura mihi, ut fides ei fiat, non eſt peccatum; tamen eſt humana tentatio, quia ſcilicet procedit ex quadam infirmitate, qua homo dubitat alium eſſe verum dicturum. Et hoc eſt illud iuramentum de quo Dominus dicit Matth.* v. Quod amplius eſt, a malo eſt. *Si autem ſcit eum feciſſe, ſcilicet contrarium eius quod iurat, & cogit eum iurare, homicida eſt. Ille enim ſuo periurio ſe interimit; ſed iſte manus interficientis impreſſit.* D. Antoninus huic Auguſtini, Raymundi, & Thomæ ſententiæ accedit II. Part. tit. x. cap. vii. §. 3. *Si privata*, inquit, *perſona exigit, hoc faciens, quia dubitat de veritate loquentis; & ideo, ut ſit magis certus, exigat, non peccat; ſed humana tentatio eſt. Si autem ſcit, vel credit probabiliter illum falſum iuraturum, peccat mortaliter, quia dat illi occaſionem ruinæ in hoc caſu*. Hæc eadem veritas eruitur ex Concilio Matiſconenſi anno 581. in quo hæc habentur. *Item pari convenientia placuit, quia in univerſo populo multi peccatis involuti eſſe dicuntur, qui ambitionis inſtinctu ſunt periuriis irretiti, ut ſi quis convictus fuerit, alios ad falſum teſtimonium, vel periurium traxiſſe, aut quacumque corruptione ſollicitaſſe, ipſe quidem uſque ad exitum non communicet; hi vero qui ei in periurio conſenſiſſe probantur, poſt ab omni ſunt teſtimonio prohibendi, & ſecundum legem infamia notabuntur.*

VIII. Præter laudatos Patres, hanc ſententiam, quæ de inducente ad iurandum hominem peieraturum, ſeu de exigente ab eodem iuramentum ſic ſtatuit, docent Alenſis *III. Part. quæſt.* xxxi. *memb.* 2. *art.* 6. D. Bonaventura *in III. diſt.* xxxix.

in expoſit. litt. dub. 5. *&* *art.* 2. *quæſt.* 3. Richardus *ibi art.* 3. *quæſt.* 3. Paludanus *ibi quæſt.* 11. Maior *quæſt.* 111. *concluſ.* 2. Gabriel *quæſt.* 11. *art.* 3. *dub.* 10. Archidiaconus *cap.* Ille *num.* 2. 22. *quæſt.* v. Turrecremata *num. unico*, *& cap.* Quamvis 22. *quæſt.* 1. *num.* 2. Abulenſis *cap.* v. *Matth. quæſt.* ccxcviii. Sylveſter *verb.* Iuram. 2. *§.* 9. qui refert Cardinalem in *Clement. unic. de iureiurand.* & Panormitanus in *cap. Clericus*, Armilla *num.* 33. Angel. *verb.* Iuram. 3. *num.* 11. Tabiena *verb.* Iuram. *quæſt.* xxxiii. *num.* 34. Sotus *Lib. VIII. de iuſtit. quæſt.* 11. *artic.* 4. *concluſ.* 3. Navarrus *cap.* xii. *num.* 20. Covarruvias *de pactis I. Part. §.* 6. *num.* 2. Toletus *Lib. IV. cap.* 11. *num.* 10. Sayro *in clav. Reg. Lib. V. cap.* v. Petrus de Ledeſma *II. Tom. Sum. tract.* xi. *cap.* v. Azorius *Lib. XI. cap.* xi. *quæſt.* 11. Graffis *II. Part. deciſ. Lib. II. cap.* iv. *num.* 5. Leſſius *Lib. II. cap.* iv. *dub.* 10. *num.* 49. Sylvius *in* 2. 2. *quæſt.* xcviii. *art.* 4. Paulus a Lugduno *tract.* iv. *diſs.* 11. *artic.* 3. *quæſit.* 8. Lucionenſis *in Collat. cap.* x. *propoſ.* 2. Antoine *tract. de virtut. cap.* iv. *quæſt.* x. VVigandt *tract.* x. *exam.* 4. *num.* 54. Felix Poteſtas *Tom. I. part.* 11. *in* 2. *Decal. præc. cap.* 11. *num.* 1576. Genettus *tract.* 111. *cap.* 11. *quæſt.* xi. Natalis Alexander *Lib. IV. cap.* iv. *art.* 2. *reg.* 21.

IX. Contrariam ſententiam defendunt Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* viii. *numer.* 7. P. Sporer, qui obtrudit, hanc P. Sanchez opinionem communem eſſe, &, quod feſtivius eſt, pro ea laudat D. Thomam 2. 2. *quæſt.* xcviii. *art.* 4. ubi, ut ex textu a nobis ſupra relato conſtat, conceptis verbis oppoſitum docet. Lege Sporer *tract.* 111. *in* 2. *præcep. Decal. cap.* 1. *sect.* 4. *pag.* 224. *num.* 158. ubi de hac opinione inquit: *Communis Doctorum cum S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* xcviii. *art.* 4. *Suar. Sanch. Laym. Tamb.* Erravit P. Sporer deceptus a P. Tamburino, qui reipſa *Lib. II. in Decal. cap.* 1. *§.* 6. *num.* 1. pro hac opinione laudat D. Thomam. Præter citatos tenent hanc opinionem Trullenchus *Lib. II. cap.* 1. *dub.* 13. Fagundez *Lib. II. Decal.* Caſtropalaus *tract.* xiv. *diſp.* 1. *punct.* 10. Antonius a Spiritu ſancto, & Reginaldus *Lib. XVIII. num.* 76. Bonacina *diſp.* iv. *quæſt.* 1. *punct.* 11. pariter citans D. Thomam, qui, ut dictum eſt, oppoſitum docet; ſolumque publicæ perſonæ exactionem concedit iuramenti, de quo infra. Confer nunc cum Patribus, Theologis & Canoniſtis, quos ſupra dedimus, hos paucos recentiores Caſuiſtas, quorum aliqui ſunt meri compilatores; & collige neceſſitatem ſæpe admonendi lectores, ne faciles ſint in fide adhibenda ſimilibus Caſuiſtis, maxime in Auctorum citationibus, & in ſtatu controverſiæ definiendo.

X. Pro hac ſecunda ſententia laudatur tamquam principalis patronus Suarez, qui fuſe controverſiam verſat *Lib. III. cap.* xiv. &, ut eſt Auctor inter recentes graviſſimus, ſincere fatetur, contrariam ſententiam communem eſſe, eamque ab Auguſtino, Thoma, Bonaventura, Antonino, aliiſque a nobis citatis graviſſimis Theologis doceri. Illam aperte non impugnat; ſed quibuſdam limitationibus emol-

Digitized by Google

emollire ſtudet. In primis *num.* 14 ſtatuit tamquam certum, *ut non determinate petatur ab aliquo ut iuret id quod falſum eſſe ſcitur, nam hoc eſſet determinate inducere ad periurium . . . Qui ergo ſcit aliquem accepiſſe talem pecuniam, & determinate petit ab illo ut iuret non accepiſſe, graviſſime peccat, & periurus eſt; quia directa cauſa periurii eſt . . . . Unde neque in iudicio hoc modo petitur iuramentum; ſed indifferenter, Iura an hoc feceris*, vel *an hoc ſcias*.

XI. Hæc diſtinctio, cui potiſſimum fidit, minus ſolida mihi videtur; & ad id quod ille intendit, nihil conducit. Quandoquidem diſcrimen illud quod aſſignat inter formulam ſecundam exigendi iuramentum in iudicio, *Iura an hoc feceris*, vel *an hoc ſcias*, & primam, *Iura te non accepiſſe pecunias*, prorſus verbale eſt. Nam tum in prima, tum in ſecunda *indifferenter* a iurante petitur iuramentum. V. g. Paulus pecunias mutuo credidit Franciſco. Hic negat ſe accepiſſe pecunias. Dum Paulus dicit, *Iura te non accepiſſe pecunias*, non intendit illum inducere ad negandam cum iuramento acceptionem; multo minus ad eam cogit, immo poſitive intendit ne iuret: quia omiſſio iurandi confirmat veritatem petitionis Pauli, qui invitat Franciſcum ad iurandum, non ut iuret, ſed ut oblatione iuramenti perterrefactus obmuteſcat, & ſilentio, aut trepidatione ſaltem ſe accepiſſe pecuniam fateatur. Hæc eſt intentio Pauli. Quia tamen agnoſcit iniquitatem Franciſci, certo, vel probabiliter prævidet illum peieraturum. Sive ergo dicat Paulus, *Iura te non accepiſſe pecunias*, ſive *iura an acceperis*, perinde eſt. Et, ſi per P. Suarez peccat in primo, peccat quoque in ſecundo caſu: quia æque in primo ac in ſecundo indifferenter petit iuramentum, ſeu indifferentem relinquit Franciſcum ad iurandum, & non iurandum. Nec Theologorum aliquis diſputat, num peccaret Paulus, ſi induceret Franciſcum ad iurandum determinate ſe non accepiſſe pecunias quas accepit, ſeu ſi induceret ad peierandum. Nulla de hoc eſt, vel fuit umquam inter Theologos diſputatio. Vana ergo & inutilis hæc prima conditio, quam P. Suarez præmittit, ut fundamentum præcipuum ſuæ concluſionis. Iſtius vero conditionis nec verbum faciunt recentiores Caſuiſtæ citantes P. Suarez in patrocinium propriæ opinionis. Altera conditio eſt rationabilis neceſſitas, ſeu cauſſa, quam omnes prærequirunt.

XII. Verum, miſſa opinione P. Suarez, & paucorum Caſuiſtarum, ſola ſententia ſanctorum Patrum, & tum antiquorum, tum recentiorum Theologorum amplectenda eſt, utpote ſola probabilis, & tuta. Contraria namque in conſpectu primæ neque ab auctoritate, neque a ratione probabilis eſt. Ratio quam ſancti Auguſtinus, & Thomas pro noſtra ſententia afferunt, brevis, & evidens eſt. Finis præcipuus ac ferme unicus iuramenti eſt confirmatio veritatis. Iuramentum falſum, ſeu periurium non modo non confirmat, ſed pervertit veritatem. Ergo numquam licitum eſt petere iuramentum a peieraturo. Quia qua cognitione pe-

Digitized by Google

tens iuramentum prævidet periurium, videt ſimul finem iuramenti non adeſſe: & conſequenter iniqua eſt illius petitio.

XIII. Quæſt. II. *Homo privatus recipere ne a pěieraturo parato iuramentum licite poteſt?* Reſp. Negantem ſententiam defendo, quæ æque ac prima docetur ab Auguſtino, ut manifeſte colligitur tum ex ſancto Raymundo citato *num. 6.* ubi clariſſime eam tradit, tum ex eiuſdem Auguſtini textu, & ex ratione aſſignata a D. Thoma. Eam quoque propugnant communiter Auctores citati *num.* 8. quamquam eorum aliqui oppoſitum teneant, ut Sylveſter, Armilla, Sotus. Sed, ut dixi, communior ſententia eſt, licitum non eſſe neque a parato recipere periurium. Quoniam, ſive exigatur, ſive recipiatur iuramentum, ſemper ratio aſſignata a D. Thoma æque urget, ſcilicet non conſiſtere iuramenti finem, qui eſt confirmatio veritatis, quæ nullo modo habetur per periurium. Præterquamquod, ut peroptime notat Sylvius *loc. cit.* licet videantur homines ad iurandum parati, reipſa tamen voluntatem iurandi non habent; ſed ſacrilegam deliberationem concipiunt, dum ad iurandum urgentur, ſeu dum via illis aperitur evadendi diſcrimen medio iuramento. Et admiſſo quod parati eſſent, recipiens iuramentum cauſſa ſemper eſt ut internum periurium opere externo compleatur, Deique nomen polluatur.

XIV. Quæſt. III. *Perſonæ publicæ, ut iudici, licitum ne eſt ſecundum ordinem iuris exigere iuramentum ab eo quem novit, vel ſuſpicatur peieraturum?* Reſp. Adfirmat ſanctus Thomas *loc. cit.* & communiter omnes cum eodem. *Si aliquis* (inquit Angelicus) *exigat iuramentum tamquam perſona publica, ſecundum quod exigit ordo iuris, ad petitionem alterius, non videtur eſſe in culpa, ſi ipſe iuramentum exigat, ſive ſciat eum falſum iurare, ſive verum: quia non videtur ille exigere, ſed ille ad cuius inſtantiam exigit.* Ut tamen etiam in iudice eiuſmodi iuramenti petitio a peieraturo licita ſit, plures conditiones requiruntur. In primis pro virili admonere iuraturum debet ſanctitatem & religionem iuramenti. Deinde actorem urgere ut iuramentum remittat. Explorare inſuper tenetur, an bona, vel mala fide actor iuramentum petat. Quod ſi actor præſciret, alterum fore peieraturum, & iudex hanc actoris iniquitatem deprehenderet; tunc iudici non liceret petere iuramentum a peieraturo: quoniam non poteſt iudex iniquam actoris poſtulationem exaudire, neque iuris ordo præcipit ut iudex id concedat petenti quod evidenter iniuſtum, & divinæ maieſtati iniurioſum cognoſcit. Tunc ergo iudex exigere iuramentum licite ab eo quem novit peieraturum, poteſt, quando actor, qui bona fide credit adverſarium non fore peieraturum, inſtat, & urget iudicem ut cogat partem adverſam iurare. In his circumſtantiis iudex tenetur adminiſtrare iuſtitiam ſecundum ordinem iuris; atque adeo habet iuſtam cauſſam, ſeu neceſſitatem non impediendi periurium. Neque iudex in hoc caſu iu-

iuramentum petit, ſed pars, quæ de periurio non ſuſpicatur. Quod ſi actor ipſe cognoſcat, aut probabiliter timeat adverſarium ſuum fore peieraturum; peccat, utpote perſona privata, de qua dictum eſt in prima concluſione.

XV. Quæ dicta ſunt, ad cauſſas criminales non extenduntur: in quibus, ſi accuſator deficeret in probationibus, velletque iudicem exigere a reo iuramentum, iudex, ſive credat, ſive non credat reum peieraturum, non poteſt ab eodem iuramentum exigere. Similiter, quando iudex deprehendit teſtes ad falſum teſtimonium ferendum contra reum paratos, vi officii ſui tenetur omni via eos repellere, etiamſi reus taceat; ut colligitur ex *can.* Quærendum *cauſa* XI. *quæſt.* VIII. Denique, quæcumque cauſſa agatur, ſive civilis, ſive criminalis, iudex ab utraque parte non poteſt iuramentum exigere, ut patet ex Concilio Valentino III. anno 455. *can.* XI. ubi hæc habentur. *Quia impia, & Deo inimica, & chriſtianæ religioni nimis contraria, ex iniquiſſima, ac deteſtabili conſtitutione quarumdem ſæcularium legum conſuetudo invaluit ut in forenſi iudicio litigantes ex utraque parte contendentium æqualiter iuramentum dare cogantur, ubi ſine dubio duobus contra ſe iurantibus unus periurus efficitur: tanti ſceleris immanitatem, & animarum perditionem dolentes, ſtatuimus ut quicumque uno iuramento legitime dato, quod ſecundum legem divinam omnis humanæ controverſiæ finis eſſe debet, alterum e contrario iuramentum opponere præſumpſerit, ab ipſis liminibus Eccleſiæ, quæ ſua impietate profanavit, excluſus, omnium Chriſtianorum conſortio, atque convivio reddatur extraneus; niſi ſe continuo admonitus ad agendam pœnitentiam tanti reatus humili ſatisfactione inclinaverit.*

XVI. Quæſt. IV. *Licitum ne eſt Chriſtiano petere iuramentum, iuſta occurrente cauſſa, ab eo quem ſcit iuraturum per falſos deos?* Reſp. Affirmantem ſententiam cum Auguſtino, & Thoma docent omnes Theologi, & Summiſtæ. Advertas tamen velim, aliud eſſe inducere ad iurandum per falſos deos, quod numquam licet, ut docet Angelicus; aliud eſſe petere iuramentum ab eo quem prævides iuraturum per falſos deos, quod iuſta interveniente cauſſa licitum eſt. Audiatur Auguſtinus epiſt. CLIV. ad Publicolam. *Alia ergo quæſtio eſt, utrum non peccet qui per falſos deos ſibi iurari fecit, quia ille qui ei iurat, deos falſos colit. Cui quæſtioni poſſunt illa teſtimonia ſuffragari quæ ipſe commemoraſti de Laban, & Abimelech; ſi tamen Abimelech per deos ſuos iuravit, ſicut Laban per Deum Iacob. Hæc, ut dixi, alia quæſtio eſt, quæ me merito fortaſſis moveret, niſi illa exempla occurriſſent de Iſaac, & Iacob, & ſi quæ alia poſſunt inveniri. Si tamen illud non adhuc movet quod in novo teſtamento dictum eſt, ne omnino iuremus: quod quidem mihi propterea dictum videtur, non quia verum iurare peccatum eſt; ſed quia peierare immane peccatum eſt: a quo nos longe eſſe voluit qui omnino ne iuremus admonuit . . . . Proinde, ſicut non iuras, ita nec alium, ſi hoc*

placet, iurare compellas. Quamvis dictum ſit, ne iuremus; nuſquam autem in Scripturis ſanctis legi meminerim, ne ab alio iurationem accipiamus. Alia vero quæſtio eſt, utrum ea pace debeamus uti quæ inter alios invicem iurantes facta eſt. Quod ſi noluerimus, ubi vivamus in terris, neſcio utrum invenire poſſimus. Neque enim tantummodo limiti, ſed univerſis provinciis pax conciliatur iuratione barbarica.

XVII. Hanc Auguſtini doctrinam paucis, & clare more ſuo Angelicus exponit 2. 2. quæſt. XCVIII. artic. 4. ad 4. *Dicendum, quod licet malo uti propter bonum, ſicut & Deus utitur; non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet eius qui per falſos deos iurare paratus eſt, iuramentum recipere; non tamen licet eum inducere ad hoc quod per falſos deos iuret.* Igitur, dum Chriſtianus ab Ethnico petit ut iuret; rem licitam, cuiuſmodi eſt iuramentum, petit. Quod autem Ethnicus iuret, non per verum Deum, ſicuti poſſet, ſed per falſos deos; ex eius mera malitia id evenit. Poſſet hoc ſacræ Scripturæ exemplis confirmari, videlicet iuramentis inter Abimelech & Iſaac, & inter Laban & Iacob. Sed hæc non valde urgent; cum certo non conſtet, Abimelech, & Laban per falſos eorum deos iuraſſe: de quo & ipſe Auguſtinus dubitat. Verum concluſio non eget confirmatione; cum omnes Theologi unanimi conſenſu eam doceant. Aliqui tamen limitant eam, ſolumque licere volunt dictam petitionem, quando infidelis paratus ſit ad iurandum. Ceterum communiter Theologi ſuſtinent, licitum quoque eſſe, gravi urgente cauſſa, ut eſt confirmatio publicæ pacis, petere, & adigere infidelem ad iurandum; quamvis prævideatur iuraturus per falſos deos. Neque verbale diſcrimen eſt, dum dicimus, non eſſe licitum inducere ad iurandum per falſos deos, licere vero petitionem cum præviſione certa iuramenti per falſos deos faciendi. Quoniam, etſi mihi conſtet, infidelem nonniſi per falſos deos iuraturum; attamen, dum ego peto iuramentum, quod abſolute per Deum verum proferre valet, honeſtam rem ego peto; & nullo modo in illius conſentio malitiam, qua per deos falſos iurat; ſed illam tantum permitto. At, ſi determinate inducerem ad iurandum per falſos deos, ad id quod eſt poſitive malum, impellerem, & conſequenter a culpa immunis minime eſſem.

XVIII. Obiicies I. Qui exigit, vel recipit iuramentum per falſos deos, eiuſmodi deos veneratur: quoniam iuramentum eſt cultus divinitatis. Sed deos falſos colere peccatum eſt. Ergo & recipere iuramentum per eoſdem factum. Reſp. Qui exigit, vel recipit iuramentum per falſos deos factum, deorum venerationi nullo modo aſſentitur; ſed ſolum confirmationi veritatis. *Qui* (ait D. Bonaventura III. Sent. diſt. XXXIX. art. 2. quæſt. III.) *recipit iuramentum per idolum factum, non conſentit idoli venerationi; ſed veritatis confirmationi, ut firmum ſit verbum, & ſolidum maneat pactum. Quantum ad hoc non eſt ibi peccatum: quia recipit quod ſuum eſt;*

Digitized by Google

eſt; quod vero ibi malum eſt, deteſtatur. Neque exigens, aut recipiens iuramentum dat occaſionem peccandi; ſed utitur iure ſuo, tuendi ſcilicet ius ſuum aut in publico fœdere, aut in privato ſummi momenti contractu, aut in ſimili urgente neceſſitate. Quemadmodum occaſionem peccandi non exhibet uſurario qui, ut propriæ ſuccurrat neceſſitati, mutuum ab eodem petit cum onere ſolvendi fenus.

XIX. Obiicies 2. Non licet petere ab eo qui prævidetur ſacrificaturus idolis; ut ſacrificet; neque a mago, qui prævidetur curaturus infirmum per magiam, ſeu præſtigia, licitum eſt petere ut curet eumdem ægrotum. Reſp. Negatur conſequentia. Ratio diſcriminis patet. Sacrificare idolis, curare præſtigiis infirmos, actus ſunt intrinſecus, & ſuapte natura mali; nulloque modo pro humano conſortio ſive neceſſarii, ſive utiles. Iuramentum genere ſuo actus religionis eſt: idque ſolum Chriſtianus ab Ethnico poſtulat. Quod poſtea, non per verum Deum, ſed per idola, infidelis iuramentum iſtud exequatur, id ex eiuſdem iniquitate ortum ducit.

XX. Obiicies 3. Non eſt licitum petere iuramentum ab homine chriſtiano peieraturo: ergo neque ab infideli per falſos deos iuraturo. Reſp. Negatur conſequentia. Diſparitas manifeſta eſt. Dum petitur iuramentum ab infideli iuraturo per idola, haberi poteſt bonum fidei, ſeu fidelitatis, & præcipuus finis iuramenti, nempe confirmatio veritatis. Quare, habito hoc fine, iuſta occurrente cauſſa, permitti poteſt infidelis malitia confirmandi veritatem per falſos deos, ut optime Auguſtinus laudata epiſtola ad Publicolam prope initium: *Qui utitur fide illius quem conſtat iuraſſe per deos falſos, & utitur non ad malam rem, ſed ad licitam & bonam, non peccato eius ſe ſociat, quo per dæmonia iuravit, ſed bono pacto eius quo fidem ſervavit.* Quam reſponſionem exhibet etiam D. Thomas loc. cit. ad 4. *Alia tamen ratio videtur eſſe in eo qui per verum Deum falſum iurat: quia in tali iuramento deeſt bonum fidei, qua utitur aliquis in iuramento illius qui verum per falſos deos iurat, ut Auguſtinus dicit ad Publicolam. Unde in iuramento eius qui falſum per verum Deum iurat, non videtur eſſe aliquod bonum, quo uti liceat.*

XXI. Obiicies 4. Contra primam concluſionem. Qui exigit iuramentum a peieraturo, non periurium, ſed iuramentum petit, quod vere præſtare poteſt; & id petens intendit. Quare nullus eſt in periurium conſenſus; ſed tantum permiſſio illius, cauſſa neceſſitatis urgente. Immo addit P. Sanchez *loc. cit. num.* 7. non requiri *neceſſitatem*; ſed ſatis eſſe *quamlibet notabilem utilitatem:* quod exemplo illius qui uſuras petit ab uſurario parato, confirmat.

XXII. Leonardus Vanroi *tract.* IV. *cap.* V. *quæſt.* IV. *num.* 4. licet communi noſtræ ſententiæ accedat; caſum tamen obiicit, in quo a peieraturo licitum eſſe contendit iuramenti petitionem; ut, cum tutor cauſſam tuetur pupilli ex officio,

quam

quam nonniſi iuramenti exactione defendere valet. Ne igitur iactura litis ſibi imputetur, & ad damna pupilli reſarcienda compellatur, adverſam partem ad iuramentum urget; quamvis eam peieraturam certo ſciat, additque in his circumſtantiis hanc iuramenti exactionem ab omnibus putari licitam.

XXIII. Reſp. Mirum eſt, Auctorem hunc, qui in ſui Libri fronte ſibi honori vertit ex irrefragabili claritatis, & veritatis Doctore M. P. Auguſtino ſuam Theologiam tradere, non ſibi poſtea religioni ducere ſententiam apertiſſime Auguſtino, eiuſque diſcipulis contrariam propugnare. Ad obiectionem ergo reſpondetur, commentitiam eſſe præciſionem illam petendi iuramentum, & non periurium; dum petens prævidet certo, aut probabiliter iurantem peieraturum. Eiuſmodi præciſio ſubſiſtit, dum quis petit iuramentum per falſos deos: quia in hoc iuramento reipſa habetur finis iuramenti, qui eſt confirmatio veritatis. Similiter, dum quis ab uſurario petit mutuum, cum onere ſolvendi uſuras, finis mutui, qui eſt ſublevatio indigentis, conſiſtit. Idcirco optime dicitur, quod petens hunc finem intendat, & idololatriæ, ac uſuræ peccata permittat. At, cum petens prævidet certo, aut probabiliter iurantem peieraturum, nil boni, ſeu nihil illius quod ad finem iuramenti pertinet, ſperare, vel intendere poteſt: non bonum veritatis confirmandæ, non bonum fidelitatis, non divinæ maieſtatis exaltationem, nihil denique, niſi & divinæ maieſtatis læſionem, & veritatis deſtructionem. Satis minime eſt ut exigens iuramentum intendat abſtractione quadam metaphyſica aliquid boni; ſed requiritur ut actio præſtanda ab eo a quo petitur, aliquid boni contineat bonæ intentioni petentis reſpondens; quemadmodum in mutuo uſurarii, & iuramento per falſos deos patet, ubi & iurans veritatem firmat, & mutuator ſublevat indigentem: quæ bona ad talium actuum naturam pertinent. At in periurio nihil omnino, ſub quocumque aſpectu accipiatur, boni elucet, quod naturam deceat iuramenti: non veritatis, non bonæ fidei confirmatio, non divinæ maieſtatis cultus.

XXIV. Reponunt, bonum relucere ipſius petentis, videlicet reparationem bonorum, quorum iacturæ obnoxius tutor foret, niſi in defendenda pupilli cauſſa iuramentum a peieraturo exigeret. Sed hoc effugium inane eſt. Hoc enim poſito, nulla tam execrabilis actio foret quæ licite fieri nequiret. Hac ratione quis poſſet ob tuendam ſalutem fornicari, & a præſtigiatoribus, ac magis præſtigia petere, quibus multa abigeret incommoda, & plurima bona ſibi compararet. Quare valde experrectus & cautus ſit lector oportet in eiuſmodi argumentis ab unius actionis ad alteram paritate petitis. Sæpe enim diſſimilitudo non eſt valde aperta, & obvia, ut patet in præſenti comparatione iuramenti per falſos deos cum iuramento falſo per verum Deum. Eſt tamen reipſa diſcrimen: quia revera iuratio per falſos deos confirmat veritatem, licet ſecum deferat malitiam idololatriæ, quam, urgente cauſſa, petens iuramentum permittit: quæ confirmatio finis proprius

prius eſt ipſius iurationis. Iuratio falſa per verum Deum non firmat, ſed pervertit veritatem. At ego, inquis, non periurium, ſed iuramentum peto. Tu petis iuramentum, non utcumque, & abſtracte, ſed in confirmationem veritatis. Sed, cum prævides illum peieraturum; unde ſperare vales veritatis confirmationem, quæ eſt iuramenti finis? Tua intentio, quamvis bona, nequit actionem reipſa pravam honeſtare; ſed exigitur quod ipſa actio quam petis, comparate ad finem in quem ſuapte natura tendit, bona ſit, ut eſt iuratio per falſos deos, quæ per ſe confirmat veritatem, & collatio mutui, quæ ſublevat penuriam mutuatarii. At periurium undequaque malum eſt. Et hoc diſcrimen eſt præ oculis ſemper habendum. Denique in ſimilibus controverſiis non debes multum indulgere humano ratiocinio: nam, ſi acumine præſtat homo, facile eſt ipſi ſubtilitates & commenta excogitare, potiſſimum in iis quæ favent ſuæ libertati. Sed auctoritati Sanctorum adhærendum eſt. Porro Sancti, & communiſſime Theologi damnant petitionem iuramenti a peieraturo, concedunt vero exactionem iuramenti a iuraturo per falſos deos. Diſcrimen vero quod ego fuſe explicui, brevi D. Thomas aſſignat loc. cit. ad 4. *In iuramento falſo (etiamſi per verum Deum) deeſt bonum fidei, qua utitur aliquis in iuramento illius qui verum per falſos deos iurat. Unde in iuramento eius qui falſum per verum Deum iurat, non videtur eſſe aliquod bonum, quo uti liceat.* Eamdem diſparitatem exhibent Auguſtinus, Bonaventura, aliique tum ſancti Patres, tum Theologi. Quid itaque urgere pergis inanes præciſiones iampridem labefactatas?

XXV. Ad confirmationem autem Vanroi, aliorumque qui honeſtare volunt præfatam petitionem ob bonum ipſius petentis, reſpondeo, hanc eamdem rationem allegaſſe Tutumlymeni, iacturam ſcilicet ſuorum bonorum, quæ ne perderet, iuramentum ab iniuſto poſſeſſore petiit. Hanc ille excuſationem adduxit excelſo Præſidenti, illum interroganti his verbis ſupra *num.* 5. ex Auguſtino relatis: *Quare provocaſti hominem ad iurationem, quem ſciebas falſum eſſe iuraturum? Reſpondit ille: Negavit mihi rem meam. Reſponſum eſt illi: Et nonne melius erat ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis iſtius falſa iuratione perimeres? Proſtratus iuſſus eſt cædi. Cæſus eſt tam graviter, ut in dorſo evigilantis veſtigia plagarum apparerent. Sed dictum eſt illi: Parcitur innocentiæ tuæ. De cetero cave ne facias. Fecit ille quidem grave peccatum, & emendatus eſt; ſed multo gravius peccatum faciet qui poſt iſtum ſermonem, & iſtam meam admonitionem, & exhortationem tale aliquid fecerit.* Audiat Vanroi, audiantque recentiores Caſuiſtæ illi qu populum chriſtianum docent, poſſe ad vitandam *quamcumque notabilem bonorum temporalium iacturam* iuramentum peti a peieraturo: audiant, inquam, Auguſtinum dicentem, parcitum fuiſſe innocentiæ hominis rudis, & ſimplicis, tale iuramentum petentis; ſimulque ſubdentem, nequaquam parcendum fore illis qui poſt ſuum

uum ſermonem, admonitionemque tale quidpiam fecerint, aut docuerint. Colligant, an ſola corporis flagellatione eluturi ſint crimen quod perpetrant, dum poſt Auguſtini *ſermonem*, *& iſtam admonitionem* docent, Chriſtianos poſſe a peieraturis iuramentum petere ob quamcumque bonorum notabilem iacturam vitandam.

XXVI. Pulſat adhuc P. Suarez *loc. cit. num.* 13. Non peccat iudex in iudicio iuramentum exigens : quia utitur iure ſuo, & utitur malo alterius, ut ſatisfaciat muneri ſuo, & parti petenti, & Reipublicæ, quia debet procedere ſecundum publicam ſcientiam, & præſumptionem : alioqui multa maiora mala in Republica contingerent. Hinc etiam patet non peccare actorem, etiamſi perſona privata ſit, petendo ius ſuum per iudicem, & per eum exigendo iuramentum a debitore, vel reo, quamvis utrumque peieraturum ſciat : quia non ſine bono uſu, & utilitate hoc fit. Accedit reum non debere ex ſua malitia commodum reportare. Magnum autem commodum illius eſſet, ſi non poſſet actor inſtare apud iudicem ut ab eo iuramentum exigeret. Denique numquam poteſt eſſe tanta certitudo de futuro periurio, quin dubitari poſſit, an permovendus ſit reus ad dicendum verum timore vel pœnarum, vel infamiæ periurii. Item in iuramento pure aſſertorio poteſt eſſe utilitas vel obtinendi veritatem, vel, ſi ille falſum dicat, habendi occaſionem poſtea convincendi illum. Hæc ſunt argumenta P. Suarez totidem fere verbis propoſita, quæ illum vacillare, & fere recedere a communiſſima & Patrum, & Theologorum ſententia coegerunt.

XXVII. Reſp. Mirum eſt talibus argumentis permotum fuiſſe doctiſſimum virum, ut a communi recederet ſententia. Iſtorum namque fallacia manifeſta videtur. Quid? Iudex poteſt ut perſona publica : ergo & homo privatus? Iudex imperare poteſt homicidium : ergo & vir privatus? Quot ſunt actionum genera quæ licent iudici, & Principi; ſecus privatis hominibus? Hæc tamen gratis dicta ſunt. P. Suarez ſupponit tamquam certum, poſſe actorem per iudicem adigere ad iurandum eum quem præſcit peieraturum. Sed hoc tamquam manifeſte falſum ab omnibus Patribus reiicitur. Nam, dum S. Thomas cum aliis ait, ad actoris petitionem iudicem poſſe exigere a peieraturo iuramentum, non intelligitur id iudici licitum eſſe, dum ipſi conſtat, actorem ſcire ſuum adverſarium fore peieraturum. In hoc caſu tum iudex, tum actor peccarent, ut iam ſupra dictum eſt. Sed tum dumtaxat abſque culpa poteſt, quin adſtringitur iudex exigere iuramentum ab eo quem privata ſcientia præſcit peieraturum, cum urgetur ab actore innocente, & bona fide ſupponente ſuum adverſarium non fore iuraturum falſum : qua in poſitione iudex, tamquam miniſter publicus, innocentem petitionem actoris ſuo imperio executioni demandat. Privata ſcientia iudicis tunc quid omnino ſeiunctum eſt ab officio perſonæ publicæ, quam iudex ſuſtinet in iuramenti exactione. Immo, quatenus iudex, induit bonam fidem actoris petentis inno-

nocenter iuramentum; ac proinde, ut iudex, ſecundum allegata, & probata ignorat reum fore peieraturum. Corruit ergo uſquequaque argumentum P. Suarez ſuppoſito, ut dicitur, falſo innixum. Peccant utique tum iudex, tum actor, quando præſcientes periurium, adigunt reum ad iurandum. At iudex privata ſolummodo ſcientia prævidens periurium, excuſatur, ſi ad inſtantiam actoris, qui credit adverſam partem non fore iuraturam niſi veritatem, iuramentum exigit. Alia quæ adiiciuntur, nullius ſunt momenti. Colligat nec ne reus commodum ex ſua malitia; mediis illicitis cogi non poteſt ad veritatis confeſſionem. Dum præcedit ſemiplena probatio, non tenetur iudici interroganti reſpondere. Quid inde? Præſtigiator adigi nequit ad curandum infirmum alio præſtigio. Ergo ex ſua iniquitate commodum colligit? Numquam poteſt eſſe tanta certitudo de periurio futuro, quin ſperari veritatis confeſſio poſſit. Quid hinc infertur? Perperam id obiicitur. Ad actionem bonam, aut malam ſufficit vel moralis, vel valde probabilis certitudo. Dubitationes illæ abſtractæ de poſſibili veritatis confeſſione non ſunt regulæ actionum humanarum. Ad id quod poſtremo loco additur, iam ex dictis reſponſio patet. Utilitas quæ ex actione aliqua conſurgit, perperam obtruditur ad evincendam eiuſdem actionis honeſtatem. Hoc namque non modo evangelicæ, ſed ethnicæ quoque Philoſophiæ repugnat.

XXVIII. Quæſt. V. *An qui inducit alium ad iurandum falſum, quod iurans bona fide putat eſſe verum, ipſe vero qui inducit, ſcit eſſe falſum, peccet?* Reſp. Communiſſima Doctorum, etiam recentiorum, ſententia adfirmanter reſpondet. Rem exemplo declarat Tamburinus. Sunt quædam officia quæ in pluribus civitatibus nonniſi earumdem civibus impertiuntur. Titius a pluribus civis, a pluribus incola reputatur. Iſtis neglectis, illos qui civem ipſum exiſtimant, ad iurandum inducit in ſuum favorem, quamvis ipſe certo ſciat ſe eſſe incolam. Titium periurii reum damnat abſolute & ipſe Tamburinus *Lib. II. cap. 1. ſ. 6. num. 5.* Et ratio obvia eſt. Nam iurans ideo excuſatur, quia invincibiliter putat eſſe verum quod iurat; at inducens nulla laborat ignorantia. Nec eſt quod opponas, Titium non iurare. Nam tametſi non propria, aliena tamen lingua peierat. An qui aliena manu furatur, non peccat? An qui ebrium ad blaſphemandum, aut infantem ad conculcandas imagines inſtigat, immunis a culpa eſt?

XXIX. Pater Tamburinus *loc. cit. num. 7.* ingenue fatetur, ſe poſt aliquot menſes profundæ meditationis reperiſſe diſcrimen inter allata exempla & propoſitum caſum. Sunt, inquit, actiones furandi, blaſphemandi, & conculcandi imagines ſuo genere etiam materialiter pravæ; nullumque in illis reperitur bonum *formale*; reperiri vero ſubdit hoc bonum *formale* in iuramento materialiter falſo. *Subtilis alicui*, concludit, *videbitur; ſed certe vera diſtinctio; ut, ſi penetretur, cenſenda ſit in poſterum probabilis Hurtadi hoc modo explicata ſententia*. Ego ſane hanc diſtinctio-

ctionem non penetro ; & propterea non ſubtilis , ſed inanis , & fallax mihi eſt. Quoniam periurium genere ſuo non minus ac blaſphemia , furtum, & ceteræ actiones ſimiles, malum eſt. Quod autem quis propria, aut alterius lingua periurium perpetret, res omnino materialis eſt. Licet reſpectu iurantis bonum formale, nempe actus religionis, in iuratione præfata reperiatur; reſpectu tamen inducentis periurium eſt. Quid, quæſo, intereſt quod quis ſuo, aut alterius ore utatur ad falſum iurandum ? Bonum formale iurantis non valet honeſtare iniquam voluntatem , ac vafram malitiam illius qui , ut falſum ſuaderet , alieno inſtrumento uſus fuit. Sagacitas iſthæc non minuit, ſed auget malitiam. Idcirco, tamquam laxa, opinio hæc reiicienda eſt. Patritius Sporer *tract.* III. *cap.*I. *ſec.*4. *num.* 161. *pag.* 225. inquit : *Ego perſiſto in communi ſententia ſimpliciter non licere ; etſi in caſu difficili aliquando conniverim.* Viden'? In negotiis perviis communem , in difficilibus, in quibus conſulendum ſit commodis, conſervationi bonorum, divitiarum &c. laxam, unius aut alterius Caſuiſtæ præſidio nixam, opinionem ſe ſequi aiunt. Næ mirifica Theologia hæc.

XXX. Sententiam igitur noſtram defendunt graviſſimi Theologi , Suarez, Vaſquez, Sanchez, Lugo, Pontius, Martinez de Prado. Contrariam propugnant Hurtado; Quintanadvennas, Diana , & Tamburinus probabilem reputant . P. Moya ad *tract.* II. *de Relig. append. diſp.* I. *Miſc. quæſt.* VII. ultra probabilitatem adiicit ſecuritatem. Argumenta quæ adduximus, ſolvit, Tamburini reſponſiones exhibendo. Inquit ergo primum, Deum non adduci in teſtem falſitatis : quia iurans verum, ut eſt in mente ſua, iurat. Hoc quidem evincit, iurantem non peccare; ſecus inducentem, qui licet expreſſe non intendat ut iuret falſum, id tamen reipſa intendit. Nam, ut exemplo adducto a Tamburino utamur , Titius evidenter falſum eſſe agnoſcit quod iurans reputat eſſe verum : & reipſa falſum eſt. Dum itaque iurans adfirmat ſub iuramento verum id eſſe , periurium materiale perpetrat.

XXXI. Reſpondet P. Moya , in hoc caſu non committi periurium materiale. Cur? Quia, inquit num. 3. *qui ſub iuramento affirmat quod certum putat, non iurat falſo; nec hoc iuramentum eſt materialiter malum , quia materialiter eſſe malum non ſortitur iuramentum ab obiecto aliter ſe habente ; ſed a iurando contra mentem.* Hæc doctrina aperte falſa eſt : quia, dum quis contra mentem iurat , committit periurium formale, non materiale. Quemadmodum ergo qui induceret Arſenium ad concumbendum cum Berta, quam ipſe putat per errorem eſſe ſuam uxorem, committeret adulterium formale, quod materiale eſſet reſpectu Arſenii; ita omnino dicendum de inducente iuratorem ad affirmandum id quod is verum, ille falſum reputat. Speculationes P. Moyæ nimis exiles ſunt; ideo negligendæ. Auctor iſte paſſim laxas opiniones docet : aliorum Theologorum ſententias minus ſincere re-

Digitized by Google

refert : idcirco damnatus eſt ab Eccleſia . Et tamen ſunt qui frequenter eiuſdem laxas opiniones laudant tamquam probabiles.

CAPUT IV.

De conſuetudine iurandi . Scripturæ ſacræ , Patres ſancti , & Concilia iurandi frequentiam execrantur .

I. SI Scripturarum , Patrum , & Conciliorum minas , ſeveraſque pœnas ſerio reputamus animo quas adverſus facilitatem , nedum conſuetudinem iurandi vibrant ; maximo configimur timore , & ad cohibendam linguam , ne in iuramenta erumpat , magnopere incitamur. Contra , ſi metaphyſicas ſubtilitates , ſi innumeras diſtinctiones attendimus quas recentiores Caſuiſtæ non pauci invexerunt ; timor & reverentia iuramenti evaneſcit , iurandi conſuetudo parum , aut nihil horroris incutit , ideoque familiaris evadit. Ut ego pro modulo meo divini nominis reverentiam in humanis cordibus excitem , ut linguam a facilitate iurandi coerceam , hoc in capite Scripturarum , Patrum , & Conciliorum doctrinam in medium adducam ; in ſequenti Caſuiſtarum opiniones recenſebo.

II. Si , miſſis humanæ ratiocinationis inventis , ſola præ oculis haberentur oracula Scripturarum , ea ſatis ſuperque forent ad exterminandam deteſtabilem illam iuramentorum aſſuetudinem quæ ubique gentium obtinet . Audi itaque quæ Deus præſcribit Eccleſiaſtici XXIII. verſ. 9. & ſeq. *Iurationi non aſſueſcat os tuum , multi enim caſus in illa .* verſ. 10. *Nominatio vero Dei non ſit aſſidua in ore tuo , & nominibus Sanctorum non admiſcearis : quoniam non eris immunis ab eis . Sicut enim ſervus interrogatus aſſidue , a livore non minuitur ; ſic omnis iurans , & nominans , in toto a peccato non purgabitur .* verſ. 12. *Vir multum iurans implebitur iniquitate , & non diſcedet a domo illius plaga .* verſ. 14. *Et , ſi in vacuum iuraverit , non iuſtificabitur : replebitur enim retributione domus illius .* Item cap. XXVII. verſ. 15. *Loquela multum iurans horripilationem capiti ſtatuet : & irreverentia ipſius obturatio aurium .*

III. D. Ioannes Chryſoſtomus in Matth. cap. V. *Nemo eſt qui frequenter iuret , qui aliquando non periuret : ſic qui conſuevit multa loqui , aliquando loquitur importuna .* D. Ambroſius de exhort. Virg. cap. XI. *Quid nos Scriptura admoneat , conſideremus . Non iurandum facile , quia plerumque multi caſus accidunt , ut non poſſimus implere quod iuraverimus . Qui autem non iurat , utique non peierat ; qui autem iurat , aliquando neceſſe eſt incidat in periurium : quia omnis homo mendax . Noli ergo iurare , ne incipias peierare .*

IV.

Digitized by Google

IV. D. Auguſtinus de ſerm. Domini in monte Lib. I. cap. xxx. *Ergo intelligitur præcepiſſe Dominum ne iuretur, ne quiſquam ſicut bonum appetat iuſiurandum, & aſſiduitate iurandi ad periurium per conſuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, ſed in neceſſariis iurationem habendam, refrenet ſe, quantum poteſt, ut non ea utatur, niſi neceſſitate, cum videt pigros eſſe homines ad credendum quod eis utile eſt credere, niſi iuratione firmetur. Ad hoc itaque pertinet quod dicitur* (Matth. v.) Sit autem ſermo veſter, Eſt eſt, non non. *Hoc bonum eſt, & appetendum; quod autem amplius eſt, a malo eſt: ideſt, ſi iurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades. Quæ infirmitas utique malum eſt: unde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus:* Libera nos a malo. *Itaque non dixit, Quod autem amplius eſt, malum eſt. Tu enim non malum facis, qui bene uteris iuratione, quæ, etſi non bona, tamen neceſſaria eſt, ut alteri perſuadeas quod utiliter perſuades: ſed a malo eſt illius cuius infirmitate iurare cogeris. Sed nemo novit, niſi qui expertus eſt, quam ſit difficile & conſuetudinem iurandi extinguere, & numquam temere facere quod nonnumquam facere neceſſitas cogit.*

V. Fuſius hoc argumentum verſat Auguſtinus explicans illa verba Apoſtoli Iacobi cap. v. *Ante omnia nolite iurare*: ubi præiacto hoc principio, *Falſa iuratio exitioſa eſt; vera iuratio periculoſa eſt; nulla iuratio ſecura eſt*, poſt medium ſermonis, qui eſt clxxx. al. xxviii. de verbis Apoſtoli hæc habet. *Quare ergo* ante omnia? *Iſto verbo quod ait*, Ante omnia, *cautos nos fecit adverſus linguam noſtram.* Ante omnia, *ait, ut attendatis præ ceteris, ut vigiletis, ne ſurrepat vobis conſuetudo iurandi. Tamquam in ſpecula ita poſuit te contra te*, Ante omnia, *levavit te ſuper cetera, unde te attendas.... Nolles ut diceret tibi.* Ante omnia, *ut te adverſus conſuetudinem intentiſſimum redderet, ut omnia tua inſpiceres, omnes motus linguæ tuæ diligentiſſime cuſtodires, eſſes cuſtos malæ conſuetudinis tuæ? Ad eam conſtringendam, audi*, Ante omnia. *Dormiebas, pungo.* Ante omnia, *ſpinas admoveo. Quid eſt*, ante omnia? *Ante omnia vigila, ante omnia intentus eſto. Iuravimus & nos paſſim, habuimus iſtam teterrimam conſuetudinem, & mortiferam. Dico caritati veſtræ, ex quo Deo ſervire cœpimus, & quantum malum ſit in periurio vidimus, timuimus vehementer, & veternoſiſſimam conſuetudinem timore frenavimus. Frenata reſtringitur, reſtricta langueſcit, langueſcens emoritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit.... Sed aliud habet humana peſſima conſuetudo. Et cum tibi creditur, iuras, & cum nemo exigit, iuras, & horrentibus hominibus iuras, non taces iurando, vix es ſanus non periurando.... Iſtam ergo conſuetudinem, quotidianam, crebram, ſine cauſa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante, iurandi, avertite a vobis, amputate a linguis veſtris, circumcidite ab ore veſtro. Sed conſuetudo eſt, ſolet dici. Solet dici, quando non dico: Hoc eſt* ante omnia. *Quid eſt*, ante omnia? *Præ ceteris cautus eſto, plus ad hoc intentus eſto quam ad alia. Maior conſuetudo maiorem intenſionem flagitat*

Digitized by Google

tat, non rei levis conſuetudo. Si de manu aliquid faceres, facilius manui tuæ imperares ne faceret. Si pedibus aliquo eundum eſſet, pigritia retardante, excitares te, ut ſurgeres, & ires. Lingua facilitatem habet motus: in udo poſita eſt, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius, & facilius movetur, tanto tu adverſus illam fixus eſto. Domabis, ſi vigilabis; vigilabis, ſi timebis; timebis, ſi Chriſtianum te eſſe cogitaveris.

VI. Innumeros Conciliorum canones adſerre iſthuc poſſem; ſed unum, aut alterum tranſcribam. Innocentius III. cap. *Etſi Chriſtus* extr. de iur. iurand. inquit: *Quædam prohibentur, quia per ſe mala ſunt, ut furtum, adulterium, & huiuſmodi, quæ non ſunt aliquatenus facienda. Quædam vero prohibentur ex cauſſa, non quia per ſe mala ſunt; ſed quia, ſi fiant frequenter, & multum, ex his mala ſequuntur: ut vinum per ſe malum non eſt, & tamen prohibet Apoſtolus dicens:* Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*: quoniam ex frequenti, & immoderata vini potatione luxuria generatur. Sic & iuramentum per ſe quidem malum non eſt, cum ſit confirmatio veritatis; ſed tamen prohibetur ex cauſſa, quoniam ex frequenti, & incauta iuratione periurium ſæpe contingit.*

VII. D. Thomas doctrinam Scripturarum, Auguſtini, & ceterorum Patrum paucis comprehendit 2. 2. quæſt. lxxxix. art. 2. ad 1. *Dico vobis, non iurare omnino; ne ſcilicet iurando ad facilitatem iurandi perveniatur, & ex facilitate iurandi ad conſuetudinem, & a conſuetudine in periurium decidatur. Et ideo non invenitur iuraſſe* (Apoſtolus) *niſi ſcribens, ubi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem.*

VIII. Catechiſmus Concilii Tridentini *Part. III. de 2. præcep. cap. III. ſect. 13.* hæc habet. *Itaque iuraturus primum quidem conſideret, utrum neceſſitate cogatur nec ne; remque totam accurate expendat, an eiuſmodi ſit, ut iureiurando indigere videatur: tempus præterea ſpectet, locum attendat, aliaque permulta, quæ rebus adiuncta ſunt, circumſpiciat: non odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impellatur; ſed ipſius rei vi, & neceſſitate. Etenim, niſi hæc conſideratio, & diligens animadverſio anteceſſerit, ſane iusiurandum præceps, & temerarium erit: cuiuſmodi eſt illorum irreligioſa affirmatio qui in re leviſſima, & inani, nulla ratione, aut conſilio, ſed prava quadam conſuetudine iurant. Id vero paſſim quotidie a venditoribus, & emptoribus fieri videmus. Nam illi ut quam plurimo vendant, hi rurſus, ut quam minimo emant res venales, vel laudare, vel vituperare iureiurando non dubitant.* Item ſect. 19. *Sed tamen iurandi neceſſitas excuſationem habet. Et quidem, dum inquit Salvator:* Sit ſermo veſter, Eſt eſt, non non, *hac loquendi formula ſatis declarat, ſe iurandi conſuetudinem in colloquiis familiarium, & levium rerum prohibere. Quamobrem illud præcipue a Domino admonemur, ne faciles nimium, & propenſi ad iurandum ſimus; idque ſedulo docendum erit, & fidelium auribus inculcandum: infinita*

enim fere mala ex iurandi nimia conſuetudine emanare, & ſacrarum litterarum auctoritate, & ſanctiſſimorum Patrum teſtimoniis comprobatur.

IX. Ex his duo patent: alterum, conſuetudinem iurandi malam eſſe, & plurium flagitiorum originem; alterum, facilitatem iurandi ad periurium viam aperire, & reipſa hominem qui facile iurat, in periurium prolabi. Adeo familiaris eſt humanæ linguæ lapſus, adeo imbecilla humanæ mentis ratio, ut fieri nequeat aliquem ſæpe iurare, quin in periurium prolabatur. Idcirco ſacra Scriptura, & Patres omnes non tam periurium, quam cauſſam periurii, quæ eſt frequentia, & aſſuetudo iurandi, improbant, & damnant; ſolumque neceſſarium permittunt iuramentum. Hæc eſt Scripturarum, & Patrum doctrina.

CAPUT V.

Plurium recentiorum Caſuiſtarum de iurandi, quin de blaſphemandi conſuetudine doctrina; quæ Scripturæ, & Patribus adverſatur.

I. UT quiſque iudicium ferre valeat, utrum doctrina plurium recentiorum pugnet cum doctrina Scripturæ, & Patrum, non aliud præſtabo, quam illorum regulas, diſtinctiones, & opiniones recenſere. Et primo illorum nemo conſuetudinem iurandi approbat; illam tamen ſub tot aſpectibus repræſentant, ut, ſin minus innocentem, ſaltem parum noxiam propugnent. Paucis, quæ docent illi, perſtringam.

II. Conſuetudo quædam animi habitudo eſt, ſeu facilitas ex frequentatis actibus producta, quæ per modum quaſi ponderis voluntatem ad eiuſdem rationis actus impellit. Hæc conſuetudo habitus quoque, ex alicuius actus vitioſi frequentia conſurgens, & permanens in anima, appellatur. Differt conſuetudo ab occaſione proxima, quod hæc extrinſeca ſit, illa intrinſeca.

III. Hanc conſuetudinem quadruplicem eſſe inquiunt. Prima eſt paſſim iurandi, cum debita tamen advertentia iurandi verum; ſive adſit in iurante conſuetudo mentiendi, ſive non. Secunda eſt iurandi falſum advertenter. Tertia, dum quis advertit ſe iurare; ſecus an verum, vel falſum iuret. Quarta, dum quis nec ad iuramentum, nec ad veritatem advertit.

IV. Statum quoque peccati mortalis triplicem diſtinguunt. Primus eſt, dum quis actualiter peccat, & dicitur eſſe in ſtatu peccati actualis. Secundus, dum quis poſt peccati commiſſionem permanet in eodem peccato, ſeu in macula poſt peccatum relicta, quatenus eiuſdem peccati pœnitentiam negligit. Tertius eſt, dum quis in proxima occaſione, aut periculo mortaliter peccandi verſatur. De hoc ter-

Digitized by Google

tertio ſtatu in præſentia ſermo eſt. Duo enim priores improprie, prout ad præſens pertinent inſtitutum, appellantur ſtatus. Tertius iſte ſtatus eſt fere continuum peccatum. Quare homo in eo conſtitutus tenetur ſub mortali ab eodem recedere; & toties novum diſtinctum peccatum mortale committit, quoties advertit ſe in tali ſtatu reperiri, & omittit ab eodem recedere; ſicut qui tenetur ad reſtitutionem, toties peccat, quoties ad id advertit, &, cum poſſit reſtituere, deliberate recuſat. Hæc omnia certa ſunt penes recentiores Caſuiſtas omnes. Iuxta diverſas conſuetudinis notiones *num.* 3. delineatas, varias quoque ipſi ſtatuunt concluſiones, quarum aliquæ, ut ego quidem arbitror, Scripturæ ſanctæ, & Patribus omnibus repugnant. Illas ego ſincere referam, ut quiſque ſuum ferat iudicium.

V. Prima opinio. Omnes ſtatuunt, ipſam conſuetudinem abſolute, & per ſe ſumptam non eſſe peccatum diſtinctum ab ipſis actibus iurandi, ex quibus coaleſcit. Nam vel conſuetudo accipitur, ut inquiunt, *effective*; & ſunt ipſi actus præteriti efficientes, ſeu inducentes conſuetudinem: vel ſumitur *formaliter* pro ipſo termino, ſeu effectu relicto ex eorumdem actuum frequentia. Si in primo ſenſu accipiatur, patet conſuetudinem non eſſe diſtinctum peccatum, quia hoc modo nil aliud eſt niſi ipſi actus frequentati. Si in poſteriore ſenſu conſideretur, eſt ipſemet habitus, ſeu inclinatio ad iurandum: quæ, licet vitioſa ſit, & ad malum impellens, peccatum tamen non eſt. Concedunt tamen, omiſſionem actus extirpandi eiuſmodi conſuetudinem poſſe quandoque eſſe peccatum, ut clarius infra.

VI. Recenſita opinio communis eſt penes recentiores, nec de ea longius diſputare lubet. Sit nec ne peccatum ipſa conſuetudo in ſe accepta, parum refert ad inſtitutum noſtrum: ſiquidem non tam de ipſa conſuetudinis natura, & eſſentia, quam de debito illam extirpandi nobis ſermo eſt. Quare concedimus & nos, conſuetudinem ipſam internam, ſeu habitudinem iurandi, abſolute & præciſe acceptam, non eſſe peccatum mortale diſtinctum ab ipſis actibus. Si enim nec ipſæ phyſicæ res abſque neceſſitate multiplicandæ ſunt; multo minus peccata. De præfata ergo opinione nullum diſſidium.

VII. Secunda opinio. *Conſuetudo culpabiliter retenta iurandi falſum deliberate, ſeu indifferenter verum, & falſum, probabilius non eſt peccatum diſtinctum aperiendum in confeſſione ab ipſo peccato actuali periurii; ſed ſufficit confiteri ipſum actum periurii.* Hanc concluſionem totidem verbis tradit Sporer *tract.* 111. *in* 2. *præcep. Decal. cap.* 1. *ſect.* 4. *num.* 151. *pag.* 224. eamque exſcripſit ex ſuo P. Tamburino fere iiſdem verbis. Pro eadem quoque laudat Vaſquez, & Ioannem Sanchez. Ratio quam promit, hæc eſt. Obligatio extirpandi conſuetudinem eſt imbibita in ipſa obligatione non peierandi, & cum illa moraliter confunditur. Neque, inquit P.

 Spo-

Sporer, in moralibus nimis *ſubtilizandum eſt*. Tamburinus loco citato clarius dicit, non eſſe in moralibus nimia ſubtilitate agendum. Addit, peccatum ex conſuetudine commiſſum non addere circumſtantiam mutantem ſpeciem: quin minus, inquit, peccat qui ex conſuetudine quam qui recens peierat.

VIII. Hæc concluſio laxa, & falſa eſt, Scripturarum, & Patrum doctrinæ adverſa, & horrorem incutit. Nonne feſtivi ſunt Auctores iſti? Improbant in morum quæſtionibus nimiam ſubtilitatem, hoc eſt evidentem illam rerum diſtinctionem qua actiones vitioſæ repræſentantur. Deinde, ut vitia fuco obducant, nil niſi inventa metaphyſica in medium proferunt. Sed preſſius expendamus præfatam concluſionem. *Conſuetudo culpabiliter retenta*. Peccat igitur fidelis eam conſuetudinem retinendo, etiam dum actu non peierat: alioquin non eſſet *culpabiliter retenta*. Si peccat, ergo peccatum iſtud in confeſſione aperiendum eſt. Qui peccat ex conſuetudine, minus peccat quam qui ſine conſuetudine? Si non excuſat, minuit ergo conſuetudo periurium? Quid in tota Theologia abſurdius? Concupiſcentia vehemens, quæ nobis libera non eſt, utique voluntarium minuit, & conſequenter peccatum. At conſuetudo libere contracta, conſuetudo deliberate, & *culpabiliter* retenta minuit peccatum? Qui ex illa peccat, minus peccat? Qui ergo ex habitu fornicantur, adulterantur, furantur, minus peccant quam qui ſemel, vel bis, recenter, ſpontanee, ac *deliberate?* Vide Epiſtolas noſtras *Theologico-Morales*, nempe ſecundam, ubi fuſo calamo iſtius doctrinæ falſitatem profligavimus.

IX. Obiicit ſibi Sporer. Qui habet occaſionem proximam peccandi, tenetur illam tollere ſub diſtincto peccato. Atqui conſuetudo peierandi eſt occaſio proxima. Ergo tenetur illam tollere ſub diſtincto peccato ab ipſo actuali periurio. Audi reſponſionem. *Nego*, inquit, *minorem rotunde*. Quoniam illa eſt quid extrinſecum; hæc quid intrinſecum homini. Si tanta oris rotunditate negant ea quæ ſunt evidenter vera tum lumine naturæ, tum Theologorum, Patrum, & Scripturarum auctoritate; qua libertate dubia pro probabilibus, & probabilia pro evidenter veris obtrudent? Sed tanta confidentia loquitur Sporer, quia ex P. Tamburino illam reſponſionem exſcripſit. Alioqui ſtrictiori ore in re tam gravi locutus ipſe fuiſſet.

X. Verum utique eſt occaſionem aliam eſſe internam, aliam externam. Sed quid inde? Adeſt præceptum diſtinctum evitandi occaſionem externam; non adeſt vero præceptum diſtinctum extirpandi occaſionem internam, ſeu periculum, ſive habitum interiorem? Quis hoc aſſeruerit, cum vel ipſe P. Sporer numero proximo 154 hoc præceptum, ſibi contradicens, adſtruat? Facilius utique eſt removere occaſionem exteriorem, puta abigere concubinam, quam vincere habitum interiorem; ſed non hinc infertur, Chriſtianum non teneri ad victoriam vitioſi habi-

bi-

Digitized by Google

bitus pro virili aſſequendam. Quin, quo eſt validior conſuetudo, eo maior eſt obligatio illam evellendi. *Plus* (inquit Auguſtinus cit. ſer. XXVIII. de verb. Apoſt.) *ad hoc intentus eſto quam ad alia. Maior conſuetudo maiorem intenſionem flagitat.*

XI. Sed penitius hanc Sporerianam doctrinam enucleemus. Peccat qui hanc conſuetudinem retinet: eſt enim conſuetudo culpabiliter retenta. Si peccat libere retinendo: ergo peccat eam non expellendo. Si peccat eam non expellendo: ergo adeſt præceptum eam extirpandi, diſtinctum a præcepto non peierandi. Nam peccatum retinendi conſuetudinem eſt peccatum diſtinctum a peccato periurii. Concluſio etenim P. Sporer non dicit periurium culpabiliter retentum, ſed *conſuetudo culpabiliter retenta*. Si eſt peccatum diſtinctum, ergo obligatio diſtincta ab eo ſe liberandi. Ergo adeſt obligatio aperiendi in confeſſione eiuſmodi peccatum, ſeu culpabilem retentionem conſuetudinis. Dicit P. Sporer, adeſſe utique obligationem extirpandi conſuetudinem; & eum qui negligit hanc expulſionem, eſſe in ſtatu peccati mortalis omiſſionis, concedit. Dein tamen ſubdit, hanc obligationem eſſe imbibitam in ipſa obligatione non peierandi. Hinc concludit; non eſſe obligationem aperiendi eam in confeſſione. Sed hæc ſunt inaudita commenta. Omiſſio extirpandi conſuetudinem pravam conſtituit iuratorem in ſtatu peccati mortalis: & poſtea omiſſio iſta non eſt confitenda? Cur? Quia in moralibus non eſt *ſubtilizandum*.

XII. Reſpondet P. Sporer *num.* 154. ſuam doctrinam intelligendam eſſe, dummodo iurator *actu poſitivo illam pravam conſuetudinem non acceptet, vel approbet; ſed, ſolum negative ſe habens, eam vincere negligat, vel deſperet: quod ſane non rarum, & valde notandum Confeſſario, ne nimium vexet conſcientias afflictas*. Hac explicatione linire ſuam doctrinam P. Sporer ſtudet. Sed ego iterum urgeo. Conſuetudo illa eſt culpabiliter retenta: ergo omiſſio illam expellendi eſt culpabilis. Eadem ſiquidem ratione qua retentio conſuetudinis culpabilis dicitur, eadem quoque omiſſio illam expellendi crimínoſa dicenda eſt. Sed, quod plus in hac P. Sporer doctrina diſplicet, eſt quod nolit iuratorem peccare, ſi conſuetudinem *vincere negligat, vel deſperet; quod ſane non rarum eſſe*, aſſerit. At ego ſubdo, ſæpe contingere ut frequentia peccandi conſuetudinem, & conſuetudo, ſeu habitus deſperationem illum vincendi, & expellendi gignat. Sed quod hæc deſperatio evellendi habitum ſit excuſabilis, & quod præceptum non detur præfatum habitum, ſeu conſuetudinem evellendi, eſt doctrina aperte falſa, & Scripturæ, Patribuſque contraria. Videtur etiam quidquam Ianſeniſmi olere. Sæpe recentiores Caſuiſtæ errori de impoſſibili obſervantia præceptorum accedere videntur. Si enim iurator iuxta P. Patritium Sporer deſperet de victoria habitus iurandi, & ob id non ſit a Confeſſario vexandus, ideſt urgendus ad evellendam conſuetudinem; conſequitur non habere iuratorem facultatem ad illam ſuperandam.

Digitized by Google

Quæ conſecutio profecto erronea eſt. Sed nolo amplius in doctrinæ manifeſto falſæ confutatione immorari. Quandoquidem, quocumque modo accipiatur, noxia eſt. Nam etiam admiſſo præceptum extirpandi conſuetudinem pravam non eſſe diſtinctum a præcepto vitandi periurii, adhuc non infertur, non eſſe in confeſſione aperiendam conſuetudinem *culpabiliter retentam*. Si enim iurator peccat retinendo conſuetudinem, contra aliquod præceptum peccat. Sive ergo peccatum iſtud ſit adverſus idem præceptum non peierandi, ſive adverſus præceptum ab eodem diſtinctum, ſive adverſus obligationem imbibitam cum obligatione non peierandi; ſemper verum erit, peccatum iſtud, ſeu culpabilem retentionem conſuetudinis eſſe in confeſſione manifeſtandam. Denique ipſi communi ſenſui, & naturali lumini citata opinio repugnat. Quis dixerit, ægrotum habitualiter infirmum non teneri medico ſuam inveteratam infirmitatem manifeſtare? Sed de hoc plura vide citata *epiſtola* 11.

XIII. Tertia ſententia. *Conſuetudo iurandi advertenter verum, adiuncta conſuetudini mentiendi abſque iuramento, non conſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis; nec tenetur iurator ſub culpa gravi illam extirpare*. Hanc ſententiam docent Sanchez *Lib. III. cap.* v. *num.* 10. Caſtropalaus *diſput.* 1. *punct.* 9. *num.* 3. Trullenchus *Lib. II. cap.* 1. *dub.* 26. *num.* 5. Fagundez *Lib. II. cap.* XXVIII. *num.* 7. Leander *tract.* 1. *diſp.* VIII. *quæſt.* IV. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cap.* 11. *punct.* 9. *§.* 1. *num.* 154. Prado *cap.* XXXII. *quæſt.* VIII. *§.* 2. *num.* 19. Laudari ſolet etiam Suarez *Lib. III. cap.* VI. *num.* 2. ſed ibi hanc quæſtionem non verſat; ſolum ait, conſuetudinem iurandi advertenter parum referre ad ſuum inſtitutum, quod coniuncta ſit cum conſuetudine mentiendi. Ob hæc verba recentiores Caſuiſtæ pro ſe abſolute allegant hunc Auctorem, ac ſi ex profeſſo controverſiam tractaret.

XIV. Hæc ſententia directe contraria eſt Scripturæ, & Patribus, ac etiam non paucis recentioribus Theologis. Revoca in mentem quæ Scripturæ, & Patres docent. Eccli. XXIII. *Vir multum iurans replebitur iniquitate. Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa*. Chryſoſtomus *hom.* XIV. *ad populum* dicit, *ab omnibus eſſe conceſſum, & manifeſtum, multum iurantem periurum eſſe neceſſe eſſe*. Iſidorus Lib. II. Synonim. cap. x. *Aſſiduitas iurandi periurium facit*: & *Lib. II. de ſum. bon. cap.* XXXI. idem dicit. Bernardus Lib. de modo bene vivendi ſer. XXXI. *Uſus iurandi ducit hominem ad periurium*. Vide quæ dicta ſunt *cap.* IV. In opinionem adeo laxam, adeo divini nominis reverentiæ infeſtam invehitur vel ipſe Calvinus Lib. II. Inſtitut. cap. VIII. *§.* 25. *Vile, & vulgare redditur Dei nomen, quum veris quidem, ſed ſupervacuis iuramentis adhibetur: ſiquidem accipitur hic quoque in vanum. Quare non ſatis fuerit a periurio abſtinere, niſi ſimul meminerimus, iusiurandum non libidinis, aut voluptatis, ſed neceſſitatis cauſa permiſſum, & in-*

& inſtitutum; ideoque extra licitum illius uſum egredi qui rebus non neceſſariis accommodat. Porro non alia prætendi neceſſitas poteſt, quam ubi vel religioni, vel caritati eſt ſerviendum. Qua in re nimis licentioſe hodie delinquitur; eoque intolerabilius, quod aſſuetudo ipſa pro delicto imputari deſiit: quod certe apud Dei tribunal non parvo æſtimatur. Paſſim enim promiſcue temeratur Dei nomen in nugacibus colloquiis; nec male fieri putatur, quod in tantæ improbitatis poſſeſſionem longa, & impunita audacia ventum eſt. Manet tamen ratum Dei mandatum: manet firma ſanctio, & effectum ſuum olim obtinebit, qua peculiaris quædam vindicta in eos edicitur qui fruſtra nomen ipſius uſurpaverint. Hactenus Calvinus, cuius, ad hoc quod attinet, vera ſenſa pudorem debent offendere, ne dicam ignominiam, Caſuiſtis illis qui iurandi conſuetudinem a gravi divini nominis profanatione purgant.

XV. Novi Caſuiſtæ recenſitam opinionem non docuiſſent, ſi præ oculis Scripturas, & Patres habuiſſent. Conſtat namque hanc illorum opinionem Patribus, & Scripturis eſſe contrariam. Quandoquidem tum Scripturæ, tum Patres docent, ſolam aſſiduitatem iurandi ad periurium viam aperire. Clamant, urgentque homines ut caveant a frequentia iurandi, ſi vitare cupiunt periuria, & iniquitatem, & plagas multas, multaque mala. Si damnant iurandi frequentiam, quanto magis conſuetudinem? Si conſuetudinem iurandi abſolute execrantur, quanto magis conſuetudinem iurandi iunctam conſuetudini mentiendi? Cur damnant aſſuetudinem iurandi? Quia ea eſt hominis in uſu linguæ imbecillitas, ut fieri reipſa nequeat quin homo multum iurans repleatur iniquitate. Recentiores Caſuiſtæ rationem promunt in confirmationem propriæ ſententiæ, quæ directe Scripturæ, & Patribus contraria eſt. Aiunt quippe, conſuetudinem iurandi cum debita conſideratione ad veritatem ſolummodo eſſe cauſſam peccatorum venialium. Iurationes namque veræ, quibus ſolum iudicium, ſeu neceſſitas deficit, ſunt dumtaxat peccata venialia: &, cum conſuetudo, ſeu habitus malitiæ ſpeciem ab actibus ſuis capiat; hinc eſt quod conſuetudo hæc iuratorem in ſtatu peccati venialis, non mortalis, conſtituat. Altera quoque conſuetudo mentiendi abſque iuramento eſt ſolummodo venialis. Ergo, licet ſimul iungantur hæ duæ conſuetudines, non collocant hominem iurantem in ſtatu peccati mortalis; neque ſub mortali tenetur has conſuetudines pro viribus extirpare. Hæc ſophiſmata ſunt a Scriptura, & Patribus improbata. Quoniam, ſi Scriptura & Patres teſtantur, ſolam frequentiam iurandi inducere ad periurium; quo principio ſtatuitur, hanc conſuetudinem eſſe tantum cauſſam peccatorum venialium? Adeo labida eſt humana lingua; tanta eſt in frequenti colloquio facilitas falſum pro vero, & verum pro falſo affirmandi, ut Scripturæ, & Patres admoneant, iubeantque cavere a iuratione ſuperflua, ut vitetur periurium. Quid, ſi huic nativæ imbecillitati, & facilitati errandi ad-

Digitized by Google

datur habitus acquiſitus mentiendi? Iſti duo habitus iurandi, & mentiendi in eodem homine, in eadem lingua coniuncti, quorum unus alterum roborat, ad periurium viam non aperiunt? Nonne in ſolo habitu mentiendi includitur mendacii gravis periculum? Qui enim abſolute aſſuetus eſt mentiri, æque in re gravi, ac levi mentiri ſolet. Nonne in ſolo habitu iurandi includitur periculum periurii? Quamvis ergo actus iurandi ſine neceſſitate verum, & actus mentiendi forent etiam ſolummodo veniales culpæ; nihilominus in morali acceptione, & iuxta prudentum exiſtimationem, ac ſecundum Scripturas, & Patres replent hominem iniquitate, ob intima mentiendi graviter, falſoque iurandi pericula. Et, ſi qui præfatos habitus, potiſſimum ſimul iunctos, evellere non conentur; quis tales a ſtatu peccati mortalis eximere audebit? Quoniam ſub mortali cavere tenentur periculum proximum peccandi mortaliter. Quod vero reponunt Caſuiſtæ, hoc periculum eſſe remotum; & periurium, ſi contingat, per accidens evenire; eſt effugium iam ſupra a Patribus exploſum. Qui enim contendit ſimul copulare attentionem iurandi ſemper verum cum frequenti iuratione, & cum habitu mentiendi, chimæram, & hircocervum componere ſtudet. Caſuiſtæ nunc fragilitatem humanam exaggerant, nunc eam attenuant, prout ipſis arridet: nunc aiunt, tantam eſſe vim conſuetudinis iurandi, ut homo deſperet eam vincere; nunc obtrudunt, tantam eſſe humanæ mentis, & cordis etiam mendacis penetrationem, atque vigilantiam, ut & mentiri ſemper ſine iuramento, & iurare ſemper ſine mendacio valeat. Atque adeo ſtatuunt, homines non teneri gravi obligatione letalis culpæ ad iſtorum habituum expulſiones; ſed poſſe cum ſola veniali culpa in præfatis habitibus perſeverare. Sit ne hæc doctrina antievangelica, ceteri iudicent. Hanc Caſuiſtarum ſententiam impugnant etiam Valentia 2. 2. *diſput.* VI. *quæſt.* VII. *punct.* 3. Petrus Ledeſma *tract.* XI. *cap.* V. *dub.* 5. *dicto* 2. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* I. *punct.* 13. *num.* 5.

XVI. Quarta ſententia. *Conſuetudo iurandi deliberate, & indiſcriminatim ſive verum, ſive falſum, conſtituit iurantem in ſtatu peccati mortalis: unde tenetur ſub culpa mortali eamdem evellere.* Hæc eſt communis ſententia, quam docent fere omnes recentiores. Suarez *Lib. III. cap.* V. *num.* 6. & 8. Petrus Ledeſma *tract.* XI. *cap.* V. *dub.* 4. Valentia 2. 2. *diſput.* VI. *quæſt.* VII. *punct.* 3. Vega *Tom. II. Summ. cap.* XVI. *caſu* 14. Sanchez *Lib. III. cap.* V. *num.* 11. Caſtropalaus, Fagundez, Trullench, Salmanticenſes, Leander, & communiter alii. Ratio evidens eſt. Eiuſmodi conſuetudo cauſſa eſt proxima frequentiſſime peierandi. Ergo iurator toties peccat, quoties advertit ſe tali teneri prava conſuetudine, & non curat eam expellere. Quærunt, num in tali conſuetudine conſtitutus peccet, etiam dum verum iurat. Diſtinctione opus eſt. Si deliberate, & advertenter verum iurat; non peccat. Si inadvertenter, ſeu inconſiderate iurat, etiamſi per accidens verum iuret;

Digitized by Google

ret; peccat: quia in hoc ſecundo caſu iurat vi pravæ conſuetudinis, quæ ſuapte natura æque ad periurium ac ad iuramentum impellit.

XVII. Quinta ſententia. *Conſuetudo iurandi inconſiderate, ſeu inadvertenter circa rei iuratæ veritatem conſtituit iuratorem in ſtatu peccati mortalis; & ſub mortali culpa tenetur illam extirpare.* Communiter omnes. Quoniam præfata conſuetudo exponit iurantem proximo periculo peierandi: cum enim negligat advertere, verum ne, an falſum ſit quod iurat, frequenter falſum iurabit. Quod ſi contingat verum iurare, id per accidens eſt, quia dicta iurandi conſuetudo æque falſitati, ac veritati expoſita eſt. Idem prorſus dicendum de conſuetudine illa iurandi ſine conſideratione, an iuretur, vel non iuretur. Eadem quippe ratio utriuſque eſt: nam etiam inconſideratio, an iuretur, vel non iuretur, expoſita veritati, & falſitati eſt; ideoque proxima periurii occaſio.

XVIII. Sexta ſententia. *Conſuetudo paſſim iurandi cum debita conſideratione, ut non iuretur niſi verum, non conſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis; nec eam homo ſub letali culpa vitare tenetur.* Hanc ſententiam communiter docent recentiores. Suarez *Lib. III. cap.* VI. *num.* 4. Sanchez *Lib. III. cap.* V. *num.* 9. Bonacina *diſput.* IV. *quæſt.* 1. *punct.* 13. *num.* 2. Leander *tract.* 1. *quæſt.* 111. Prado *Tom. II. cap.* XXXII. *quæſt.* VIII. *num.* 17. Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſp.* 1. *punct.* 9. *num.* 2. Trullenchus *Lib. II. cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 4. Salmanticenſes *tractat.* XVII. *cap.* 11. *punct.* 9. *§.* 1. *num.* 153. Siquidem, inquiunt, conſuetudo iſthæc malitiam capit ab actibus; ſed actus iurandi ſunt ſolummodo peccata venialia: ergo conſuetudo pariter venialis erit, ſeu conſtituet hominem paſſim iurantem in ſtatu peccati venialis, ſecus in ſtatu peccati mortalis. Additque Sanchez, quod, licet præſata conſuetudo aliquando præcipitet in aliquod iuramentum incautum, & abſque conſideratione debita veritatis, immo & ipſius iuramenti; nihilominus talis inconſideratio, ſeu inadvertentia non eſt cenſenda voluntaria in cauſſa. *Tandem quia, etſi aliquando pertrahat in periurium mortale, non dicitur proximum, & morale peierandi periculum*: concludit benignus Theologus.

XIX. Hæc ſententia, ſi Probabiliſtarum auctoritas ſpectetur, non modo probabilis, ſed communis videtur. Ceterum, ſi iſtorum auctoritas cum Scripturarum & Patrum auctoritate conferatur, falſa omnino eſt. Ut ex *cap.* IV. conſtat, frequentia iurandi conſuetudinem, conſuetudo periurium inducit. Conſuetudo iurandi, & debita attentio, ſtudiumque veritatis confirmandæ ſimul componi nequeunt. Deus ipſe, qui humanæ naturæ vires comprehendit, Patres experientia edocti teſtantur, aſſuetudinem iurandi periurium parere; hominemque frequenter iurantem plenum eſſe iniquitate. Hæc teſtimonia evincunt, ipſam conſuetudinem malam eſſe, & periuriorum cauſſam. Si vigilantia, ſi attentio, & ſtudium veritatis confirmandæ ſatis forent ad periuria cavenda; non aſſuetudinem, ſed inconſiderantiam

tiam iurationis Deus vetaret. Adeo autem inculcat, & tam ſevere prohibet ne homo aſſueſcat iurationi, quia tanta eſt humanæ linguæ facilitas errandi, tanta humanæ mentis imbecillitas, ut nulla cura, nullum ſtudium ſufficiat ad evitandum periurium, ſi adſit iurandi conſuetudo. Quapropter Scripturæ, Patres, & Concilia facilitatem, & frequentiam iurandi vetant.

XX. Accedit ſcandalum quod hæc iurandi conſuetudo producit. Patres Salmanticenſes *loc. cit.* inquiunt: *Quare non eſt maior obligatio extirpandi hanc conſuetudinem, præciſo ſcandalo, & aliis extrinſecis circumſtantiis, quam vitandi actus ex quibus procedit*. Eiuſmodi ratiocinandi methodus, præterquamquod evidenter Scripturæ ſanctæ adverſatur, infinitorum malorum cauſſa eſt: quia hinc frequentiſſimas errandi occaſiones lectores accipiunt. Paſſim ſtatuuntur hypotheſes metaphyſicæ, quæ in praxi chimæricæ ſunt. Laudati Patres ſeparare a conſuetudine iurandi ſcandalum neſciverunt. Conſuetudo iurandi publica eſt: neque enim homines iurant ſoli, privatim, in cubiculis; ſed in communibus humanis colloquiis, coram filiis, iuvenibus, & cuiuſque ſtatus, atque ætatis perſonis. Quare inſeparabile & indivulſum a iurandi conſuetudine ſcandalum eſt. Cedo. Cur in compitis, officinis, in foro, in domibus, ac in omnium fere ore iuramenta reſonant? Unde tanta divini nominis profanatio? Non ſane aliunde quam a conſuetudine iurandi. A ſenibus iuvenes, a parentibus filii iuramenta audiunt, & vel nolentes perdiſcunt. Tu paſſim iurans ad veritatem mentem intendis. Hæc attentio interna eſt. Qui te audit, eam non videt; & malam de te opinionem concipit. A te malum diſcit; bonum non diſcit. Tu ad iurandum alios tua externa iurandi conſuetudine provocas. Ipſi ſine debita conſideratione iurabunt. Ergo hæc conſuetudo tum ratione periculi prolabendi in periurium, tum ratione ſcandali, quod ab eadem ſeiungi nequit, iuratorem conſtituit in ſtatu peccati mortalis: atque ad eam pro virili evellendam ſub gravi culpa tenetur iurator.

XXI. Commentitia itaque eſt hypotheſis illa qua a ſcandalo ſeiungunt laudati Auctores conſuetudinem iurandi. Quoniam nunc ſermo eſt de eo quod in praxi contingit. Caſuiſtæ id ſibi gloriæ vertunt, quod doctrinam practicam, & caſus obvios pertractent. Deinde, ut opiniones nimium laxas propugnent, ad metaphyſicas præciſiones confugiunt, & metaphyſicas notiones ſcrutantur. Iſthuc pertinet ratio quam pro eorum ſententia adferunt. Licet enim concedamus, habitum ſpeciem ſuam ab actibus capere, attamen in præſentia ratio iſthæc vana eſt. Nam conſuetudo iurandi malitiam accipit a periurio, cui perpetrando, teſte Scriptura ſancta, viam aperit. Quamquam ergo habitus metaphyſice conſideratus ſuam notionem ab actibus mutuetur; in genere tamen moris, & in executione, prout nunc accipitur, non modo ab actibus, ſed etiam, ac potiſſimum, a periculo iterandi periuria ſuam ſuſcipit pravitatem.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Hanc noſtram ſententiam, ſcilicet conſuetudinem iurandi voluntarie retentam conſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis, atque ſub gravi culpa ad eam extirpandam illum teneri, docet expreſſe Sotus *Lib. de cavendo iuramentorum abuſu cap.*XII. Sed, ut ſupra dixi, evidenter eruitur ex Scriptura, & Patribus. Neminem enim futurum exiſtimo qui, ſi ſerio animo expenderit Scripturarum, Patrum, Conciliorumque canones adverſus iurandi conſuetudinem, audeat aſſerere, abſolvendum eſſe pœnitentem, nolentem talem conſuetudinem pro viribus expellere. Quare, tametſi rationes ſatis validæ non forent ad evincendum iuratorem, conſuetudine iurandi obſtrictum, eſſe in ſtatu peccati mortalis, atque peccatum mortale diſtinctum committere; nihilominus ob graviſſimum periurii periculum, Scripturarum, Patrum, & quotidianæ experientiæ auctoritate confirmatum, Theologi omnes, & Confeſſarii deberent non modo ſuadere, quod omnes præſtare credo, ſed aſtringere eiuſmodi iuratores ad evellendam omni conatu conſuetudinem, ſcandali, aliorumque malorum plenam.

XXIII. Quæres, *an iuramenta quæ ex prava iurandi conſuetudine proveniunt, abſque plena tamen deliberatione emiſſa, ſint peccata mortalia?* Magna contentione, & fuſo calamo hanc quæſtionem verſant Salmanticenſes, Sanchez, & alii Probabiliſtæ. Primum omnium ſtatuunt, ſermonem nunc eſſe de iuramentis indeliberatis, quæ vi ipſius pravæ conſuetudinis iurandi verum, & falſum indiſcriminatim emittuntur. Si enim, inquiunt Salmanticenſes *num.* 157. habens iurandi conſuetudinem iuraret, non vi cônſuetudinis, ſed ex repentinæ iræ impetu, aut ex immoderata affectione ad aliquam rem, ut contingere ſolet in non aſſuetis iurationi; tunc conſuetudo non accuſabit, nec excuſabit, ait Sanchez *num.* 22. quia tunc conſuetudo non eſt cauſſa inadvertentiæ. Hæc poſitio, quam veluti certam ſtatuunt, ut minus, dubia eſt. Nam perraro contingit eos in repentinis iurare qui iurationibus non ſunt aſſueti: & hoc quiſque in ſe ipſo experitur. Hinc ortum duxit illud axioma: *In repentinis operamur ex habitu*. Deinde quis hoc diſcernere poterit, videlicet conſuetudini addictum hominem modo ex conſuetudine, modo ex ira, aut ex nimia affectione ad aliquam rem iurare? Quare mihi probabilius videtur, eum qui conſuetudine iurat, ſemper peccare dum abſque deliberatione & advertentia ad veritatem, & falſitatem iurat. Quia aſſueti iurare deliberate verum, & falſum, æque fortaſſis peierarent, ſi adverterent, ac dum non advertunt. Sic namque præſumendi ratio adeſt. Quare in iſtis non inadvertentia, & inconſideratio eſt cauſſa iurandi; ſed conſuetudo culpabiliter retenta, quam comitatur quandoque inadvertentia. Ita docet Caietanus 2. 2. *quæſt.*XCVIII. *art.* 3. *in fine*. Navarrus *cap.*XII. *num.*6. Medina *Lib.I. cap.*XIV. *§.*4. Valentia *diſp.* VI. *quæſt.* VII. *punct.* 5. Sayrus *in Clav. Reg. Lib.V. cap.*V. *num.* 10. Sylvius 2. 2. *quæſt.*XCVIII. *art.* 3. *concl.*6. ubi & alios laudat. Quæ Salmanticenſes ibi ex Auguſtino producunt, ad

rem

Digitized by Google

rem non faciunt: alibi enim locum habent, de quibus longior erit ſermo. Concedunt tamen vel ipſi Salmanticenſes, in aſſuetis iurare verum, & falſum, eiuſmodi iuramenta indeliberata, in dubio ſaltem, præſumenda eſſe a conſuetudine oriri, tamquam a cauſſa.

XXIV. Secundo ut certum ponunt, conſuetudinem non eſſe per actum contrarium interruptam. Nam, ſi conſuetudo per efficacem dolorem fuerit abolita, hæc iuramenta indeliberata, ſeu ſine advertentia emiſſa, voluntaria non ſunt nec in ſe, nec in cauſſa, ſeu conſuetudine iam interrupta. Et de hoc nulla eſt difficultas.

XXV. His poſitis, prima ſententia docet, iuramenta indeliberata, quæ emittit iurator prava conſuetudine devinctus iurandi ſive verum, ſive falſum, & culpabiliter retenta, non eſſe peccata mortalia in ſe, ſed ſolum in cauſſa. Hanc defendunt Vaſquez 1. 2. *quæſt.* XCIV. *cap.* 11. *&* 3. Curiel 1. 2. *quæſt.* LXXV. *dub.* 2. *§.* 2. *concl.* 3. Sanchez *Lib. III. cap.* V. *num.* 27. ubi pro hac ſententia laudat D. Thomam, Durandum, Richardum, Paludanum, Bonaventuram, Scotum, Antoninum, & alios. Sed falſo: nam D. Thomas, Antoninus, Paludanus, Richardus docent, inadvertentiam ſeu inconſiderationem excuſare eum qui abſolute ex lapſu linguæ falſum iurat; ſed nec advertit ſe iurare, nec an iuret verum vel falſum: quod nemo negaverit. Neceſſaria eſt enim libertas ad peccandum aut directa, aut indirecta.

XXVI. Secunda ſententia propugnat, eiuſmodi iuramenta non modo in cauſſa; ſed in ſeipſis peccata eſſe mortalia in confeſſione neceſſario exprimenda. Hanc docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXIX. *art.* 3. *ad* 3. *&* *quæſt.* CL. *art.* 4. *&* 1. 2. *quæſt.* LXXVI. *art.* 3. *ad* 3. *&* *quæſt.* LXXVII. *art.* 7. *&* *de mal. quæſt.* 11. *ad* 11. & alibi. D. Thomam ſequuntur communiter Thomiſtæ, & etiam extranei. Ratio clara eſt. Nam eiuſmodi iuramenta, licet voluntaria, & libera non ſint directe, ſunt tamen voluntaria, & libera indirecte, ſeu in cauſſa, nempe in conſuetudine libere, & culpabiliter retenta. Porro hoc ſufficit ad peccandum. Nec enim ſemper eſt neceſſaria libertas directa. Hinc qui prævidet ſe in ebrietate fornicaturum, ſeu aliquid mali facturum, vel omiſſurum aliquod præceptum, peccat, nedum cum cauſſam, nempe ebrietatem, ponit, ſed etiam, dum reipſa contra legem operatur. Iuramenta autem, de quibus ſermo eſt, ex ſe ſunt peccata mortalia; ſolumque excuſari poſſent ob defectum libertatis: ſed libertas adeſt, eo ipſo quod ſint libera in conſuetudine: ergo in ſeipſis peccata ſunt.

XXVII. Salmanticenſes *tract.* XVII. *cit. cap.* 11. *§.* 2. *num.* 161. inter has duas extremas ſententias mediam viam ingredi contendunt hac diſtinctione. Homo, dum iurat, vel ita abſorptus, & diſtractus eſt, ut non advertat nec ad iuramentum, nec ad veritatem rei iuratæ; vel ita tantum diſtractus, ut licet advertat ſe iura-

re,

Digitized by Google

re, non tamen advertat ad malitiam iuramenti, nec ad veritatem indagandam. Si hoc ſecundo modo iuramentum accidat; docent, iuramenta eiuſmodi indeliberata, non modo in cauſſa, ſed & in ſeipſis peccata eſſe. Verum, ſi primo modo homo iuret; talia iuramenta nec in ſe, nec in ſua cauſſa ſunt peccata.

XXVIII. Hæc diſtinctio vana eſt, & omnino futilis. Nam iuxta communem ſententiam æque culpabilis eſt inconſideratio circa rei iuratæ veritatem, ac circa ipſum iuramentum; ſeu æque peccat qui omittit inveſtigare veritatem confirmandam iuramento, ac qui omittit advertere, an iuret nec ne. Quare ipſe Sanchez *Lib. III. cit. cap.* v. *num.* 14. docet, tam conſuetudinem iurandi inadvertenter circa rei iuratæ veritatem, quam conſuetudinem iurandi inadvertenter, an iuretur nec ne, conſtituere hominem ſub peccati mortalis ſtatu; atque ſub mortali culpa teneri iuratorem ad eam extirpandam. Si ergo iuxta Salmanticenſes inadvertentia circa rei iuratæ veritatem, profluens a prava voluntaria conſuetudine, conſtituit iuramenta præfata criminoſa tum in ſe, tum in cauſſa; eadem ratione inadvertentia, an iuretur nec ne, dimanans ab eadem prava conſuetudine, conſtituet iuramenta præfata peccata tum in ſe, tum in cauſſa: *quod* (ait Sanchez loc. cit. num. 14.) *nihil diſcriminis ſit inter inadvertentiam ad iuramentum, & ad ipſius veritatem, cum utraque ſit æque voluntaria in ſua cauſa, nempe in conſuetudine iurandi inadvertenter, & utraque æquali periculo incidendi in periuria exponat, & utrique caſu accidat veritas rei iuratæ*. Hæc opinio, ut dixi ſupra *num.* 17. communis eſt; licet Azorius *Lib. XI. cap.* III. *quæſt.* III. oppoſitum docere videatur.

XXIX. Verum PP. Salmanticenſes hanc diſtinctionem invexerunt, ut doctrinam lectoribus inſtillarent quam exſcripſere ex aliis ſuis Salmanticenſibus Auctoribus Curſus theologici ſpeculativi, ubi *Tom. IV. de peccat tract.* XIII. *diſput.* v. *dub.* 6. *num.* 107. docent, facta criminoſa, ut adulteria, homicidia, & ſimilia, perpetrata in ebrietate libere volita, & in eadem prævisa, eſſe reipſa peccata tum in ſe, tum in cauſſa; ſecus vero, ſi hæc peccata ſint verbalia, ſeu conſiſtant in verbis ut periuria, & blaſphemiæ: quia, inquiunt, eiuſmodi blaſphemiæ, & periuria, ſunt ſonus tantum materialis, & dum ab ebrio proferuntur, conſiderantur, ac ſi prolata eſſent a pſittaco. Hæc doctrina mihi non probatur. Eadem quippe libertas, & voluntas quæ ſufficit ad conſtituenda crimina quæ factis conſtant, ſatis quoque eſt ad conſtituenda criminoſa periuria, & blaſphemias, quæ verbis perpetrantur. Ceterum hanc doctrinam ad iuſtam criticen exigam in *tract. de peccatis*. In præſentia ſatis ſit dicere, PP. Salmanticenſes, qui morum ſcientiam docent, non plene aſſecutos fuiſſe mentem ſuorum Salmanticenſium Auctorum Curſus theologici. Etenim iſti aſſerere videntur, blaſphemias, & periuria ab ebrio, aut dormiente prolata, non eſſe peccata; ſecus, ſi proferantur ab homine aſſueto iurationi, ſui compote, ſed diſtracto. Hæc ſunt verba Salmanticenſium laudato *Tom. IV. tract.* XIII. *diſp.*

Digitized by Google

diſput. v. *dub.* 6. *§.* 4. *num.* 110. *pag.* 78. „ Si ille qui ex prava conſuetudine profert „ periuria, actu dum ea profert, non eſt plene ſui compos; non peccat mortali- „ ter.... Si vero qui periuria profert, actu eſt plene ſui compos, alio tamen diſ- „ tractus; talia periuria ſunt obiective mortaliter peccaminoſa : *quia ſola diſtra-* „ *ctio non tollit ab eis quod ſint formaliter verba humana, & periuria ſimpliciter.* „ *Unde ſuppoſito quod ex conſuetudine, tamquam ex cauſſa ſimpliciter voluntaria,* „ *procedant, imputari debent in ſeipſis, ut ſimpliciter periuria, & ut peccata mor-* „ *talia formaliter.*„

XXX. Conferat nunc lector hanc doctrinam cum doctrina Salmanticenſium Moralium; & continuo colliget, Patres iſtos falſo in ſui ſubſidium afferre auctoritatem antiquorum Salmanticenſium. Siquidem Salmanticenſes Morales loquuntur de homine non ebrio, non dormiente, non mentecapto, ſed ſui compote, alio tamen abſtracto, & ita abſorpto, ut non advertat, an iuret nec ne; aut, ſi advertat ad iuramentum, non tamen advertat ad illius malitiam, vel veritatem. Deinde contendunt, ſolam inadvertentiam efficere ut conſuetudo in tali homine non ſit cauſſa periurii. Priores vero Salmanticenſes rotunde decernunt, *ſolam diſtractionem non tollere* quod præſata iuramenta ſint periuria formaliter. Et hæc in præſentia ſufficiant : fuſius quippe *in tractatu de peccatis* utrorumque Salmanticenſium hac de re opinionem expendam.

CAPUT VI.

Quomodo pœnitens in confeſſione pravæ conſuetudinis iurandi, & Confeſſarius in illius abſolutione ſe gerere debeant.

I. Paucis hoc caput expediam. Audiſti multitudinem diſtinctionum quibus involuta eſt conſuetudo illa iurandi quam abſolute, & ſine ulla diſtinctione Scripturæ, & Patres damnant. Non abſimili verborum involucro circumſcribere non pauci ſolent obligationem eiuſmodi conſuetudinis manifeſtandæ in confeſſione.

II. Prima ſententia docet, eum qui periurat, qui fornicatur, qui blaſphemat ex conſuetudine, non teneri manifeſtare Confeſſario circumſtantiam conſuetudinis, eo quod neque peccatum diſtinctum, neque alterius generis circumſtantia ſit. Quam ſententiam, tamquam laxam, ex Tamburino, & Sporer capite ſuperiore exploſimus. Quid enim laxius hac Tamburini propoſitione Lib. II. method. cap. 111. *§.* 3. num. 21. *Qui ex inveterata conſuetudine advertenter iurat falſo, ſatis ne eſt dicere, Semel iuravi falſum; an potius neceſſe erit etiam addere, id fuiſſe ex mala conſuetudine?*

Digitized by Google

dine? Reſpondetur non eſſe neceſſe... Idem dic, ut ſemel hac occaſione dicam, de inveterata conſuetudine fornicandi, blaſphemandi, & ceterorum ſimilium: par enim eſt ratio. Non eſt huius loci eiuſmodi de conſuetudine laxas opiniones refellere. Alibi hoc pro dignitate præſtabitur. In præſentia ſufficiat illas lectoribus indicaſſe. Nec enim fieri poteſt quin commoveantur, dum audiunt, non debere ægrotum ſpiritualem propriæ infirmitatis ſtatum, & diuturnitatem Medico Dei vice defungenti manifeſtare. Nonne Chriſtus ipſe patrem pro filio infirmo rogantem ſanitatem, interrogavit: *Quantum temporis eſt ex quo hoc illi accidit? Ab infantia,* reſpondit Pater.

III. Secunda ſententia adfirmat, eiuſmodi conſuetudinem, ſeu habitum manifeſtandum eſſe. Patres Salmanticenſes *loc. cit. §. 3. num. 163.* utramque ſententiam conciliare contendunt. Si enim, inquiunt, conſideretur actus periurii, ut affectus circumſtantia conſuetudinis; tunc non erit confitenda conſuetudo iuxta primam ſententiam. At, ſi ſenſus ſit, eum qui periurium, aut pollutionem committit ex conſuetudine, debere, præter peccatum quod modo fecit, exprimere culpam quam perpetravit vel dum conſuetudinem admiſit, vel dum eamdem adultam retinuit, omittendo illius expulſionem; ſub hac conſideratione tenetur manifeſtare conſuetudinem; licet, dum primo ſe in periculum peccati coniecit, non commiſerit peccatum ab ipſo peccati periculo diſtinctum, ſi moraliter coniungantur. Omnis enim qui peccat, prius ſe coniicit in periculum, ſeu occaſionem peccati; ut qui fornicatur, prius fornicandi occaſionem inquirit. At, ſi occaſio, ſive conſuetudo ſeiungatur ab ipſo actu peccati, & conſideretur ut cauſſa proxima, & impellens ad peccandum, & ut voluntarie retenta; tunc in omnium ſententia eſt peccatum diſtinctum ab ipſis actibus, & conſequenter in confeſſione detegendum.

IV. Hanc doctrinam abſolute non improbo. Ex una parte vera eſt, quatenus ſtatuit occaſionem confitendam eſſe, quia cauſſa proxima peccandi eſt; & peccatorem qui eam negligit evellere, in ſtatu peccati mortalis conſtituit. Nec alio in ſenſu quis umquam obligationem confitendæ conſuetudinis defendit. At ex illa parte qua primæ ſententiæ veritatis fucum prætendere conatur, falſa eſt. Quid refert quod ſub aliqua metaphyſica, vel arbitraria acceptione non ſit manifeſtanda in confeſſione peccandi conſuetudo; quando reipſa, & abſolute confitenda eſt? Quid refert quod prior opinio ſub tali acceptione vera ſit; quando abſolute, & reipſa falſa, noxia, & ſcandali plena eſt? Siquidem abſolute docet, occaſionem non eſſe confitendam.

V. Hæ in hac materia ſunt regulæ certæ quæ a nemine negari poſſunt, maxime poſt propoſitionem damnatam ab Innocentio XI. de qua ſuo loco. *Prima regula.* Qui in prava conſuetudine verſatur peierandi, tenetur eiuſmodi conſuetudinem Confeſſario manifeſtare. Idem dicendum de eo qui aſſuetus eſt paſſim iurare

ſive

Digitized by Google

ſive verum, ſive falſum, aut ſine neceſſaria conſideratione. Neque de hoc eſt, aut eſſe debet penes Auctores diſſidium. Omnes enim opiniones quæ huic regulæ repugnaut, tamquam improbabiles & laxæ, reiiciendæ ſunt.

VI. *Secunda regula*. Qui conſuetudine iurat, licet cum debita vigilantia (quoniam in noſtra ſententia, ſi voluntarie & deliberate in eadem perſiſtit, peccat, & conſuetudo illa prava evadit) tenetur eamdem exponere Confeſſario. Me haud latet, oppoſitum ſentire communiter recentiores. Sed hanc ſententiam iam ſuperiori capite Scripturæ, & Patribus conſentaneam demonſtravi.

VII. *Tertia regula* pro Confeſſariis. Prolixos tractatus iam ediderunt Theologi de abſolutione aut neganda, aut impertienda pœnitentibus qui conſuetudine, ſeu habitu peccandi tenentur. Suo loco pro dignitate argumentum ſummi momenti tractabo: quod paucis, ut mea præfert opinio, præſtari non poteſt. In præſentia pauca prælibabo. Et primo certum eſt, Confeſſarium non debere, nec licite poſſe abſolvere iuratores quos in prima regula deſcripſi, niſi ſpondeant conſuetudinis expulſionem. Cum iſtis ergo ſic ſe gerat Confeſſarius. Audita iurandi conſuetudine, pœnitentem interroget, num alias confeſſus fuerit hanc conſuetudinem, quæ remedia præſcripta illi fuerint, & qua diligentia ea executioni demandaverit. Si, ſpretis remediis, nullo ſtudio emendationem curavit; abſolutionem differat, eique ſalubria remedia præſcribat. Quid, ſi prima fuerit conſuetudinis confeſſio? Negandam abſolutionem contendunt iſti; impertiendam clamant illi. Regula certa pro neutra parte præſcribi poteſt, ſi interna ſit conſuetudo. Nam de externa Eccleſia iam decrevit, quod occaſionis dimiſſio abſolutionem ſacramentalem præcedere debeat. De interna occaſione, ſeu periculo, & habitu nulla, ut dixi, & ſuo loco evincam, regula certa pro omni eventu ſtatui poteſt. Abſolute, & communiter abſolutio ſuſpendenda, & differenda eſt. Ceterum talia in pœnitente indicia apparere poſſunt, ut prima ſaltem vice Confeſſatius prudens iudicium formare poſſit, quo ſtatuat expedire ſaluti pœnitentis beneficium præſens abſolutionis. Si ſecunda vice profectum, conatum, & diligentiam in evellendo habitu pravo deprehenderit, iterum medicinam abſolutionis applicet. Si nullum profectum, nullam diligentiam in remediorum executione perſpexerit, medicinæ applicationem ſuſpendat, & differat. Si anceps fuerit, potius ad clementiam quam ad ſeveritatem declinet. Si comprehenderit, facilitatem abſolutionis vulnus fovere, confeſtim eam interrumpat. Si viderit profectum parere, eam iteret. His paucis verbis tota fere exhauſta eſt controverſia illa quæ ob variarum partium affectiones, magis quam ob ſuam nativam difficultatem impedita, atque contentioſa nimium evaſit.

VIII. *Quarta regula*. Iuratores, quorum in ſecunda regula mentio facta eſt, prima vice Confeſſarius admoneat. Eos ſanctiſſimum Dei nomen profanaſſe in pri-

Digitized by Google

primis oſtendat, quamvis verum iuraverint. Doceat illos, ſine neceſſitate gravi uſurpandum iuramentum non eſſe. Deinde ob oculos ponat, pravam ſemper eſſe conſuetudinem iurandi. Rurſus advertendum illis exhibeat, diminuere utique malitiam ſtudium, & diligentiam verum iurandi; non tamen conſuetudinem excuſare ob periculum prolabendi in periurium, & ob ſcandalum quod fideles, ubique iuramenta reſonare audientes, accipiunt. Tandem poſt efficacem adhortationem, ſi deprehendat pœnitentem diſpoſitum, ita ut proponat impoſterum linguam ſuam a iuratione ſe cohibiturum; eum prima vice abſolvat. Si ſecunda, & tertia vice profectus appareat, proſequatur eum abſolvere. Si contra, nullum profectum, nullam diligentiam, nullumque emendationis ſtudium cognoverit; hortetur, arguat, obſecret, increpet, & abſolutionem ſuſpendat, differatque plus minuſve, prout expediens viſum fuerit. Si enim ſic ſe gerat Confeſſarius; electi pœnitentes certiſſime corrigentur, reprobati obſurdeſcent. Iſtis autem margaritæ ſubtrahendæ, illis impertiendæ ſunt. Quomodo optime contritum, & diſpoſitum credere Confeſſarius poteſt eum pœnitentem qui, licet admonitus, in vana divini nominis invocatione, in pravo habitu peccatorum venialium, in periculo prolabendi in periuria perſiſtit?

IX. *Quinta regula*. Ultimo loco advertant ſacramentorum miniſtri, ex Confeſſariorum oſcitantia, & negligentia in corripiendis iuratoribus, & dimittendis abſque abſolutione, dum corrigi refugiunt, periuria, & blaſphemias potiſſimum in cuiuſque ætatis, & ſtatus hominum ora inundare. Meminerint Confeſſarii negligentes in iuratorum correctione, quas pœnas luere debebunt; ſi vel ipſis fidelibus qui audientes vocem iurantium, non curaverint illorum emendationem, ſupplicia minatur Deus Levit. v. verſ. 1. *Si peccaverit anima, & audierit vocem iurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam*: ubi Anguſtinus ait, debere fidelem, dum audit iurantem, aut corrigere, aut Deum pro eo orare, aut denuntiare iis qui periuro prodeſſe valent. Reiice ergo recentiorum plurium Caſuiſtarum effata, qui cum Ioanne Sanctio, Tamburino, Sporer, & aliis pro regula ſtatuunt: *Igitur impertienda eſt pœnitenti abſolutio, volenti, & proponenti ceſſationem peccati, & nullam externam habenti occaſionem, quantumcumque conſuetudini peccati addicto*. Aures occlude illis qui aiunt, non eſſe vexandum iuratorem qui deſperat emendationem. Has opiniones, tamquam laxas, & ſcandali plenas, devita. Quoniam omnia poſſibilia ſunt volenti: hæreſimque ſapit aſſerere, relinquendum eſſe in ſua iurandi prava conſuetudine Chriſtianum qui deſperat emendationem; ac ſi innocenter eam deſperare ceu impoſſibilem poſſet.

X. His itaque miſſis, ceu ab evangelicis regulis nimium exorbitantibus, opinionibus Probabiliſtarum, conſule Scripturas, conſule Patres. Audi Auguſtinum in-

ſtruentem, & exhortantem iuratorem ad linguæ ſuæ cuſtodiam, ſerm. xxvi. de verb. Apoſt. ſub. fin. *Præ ceteris cautus eſto. Plus ad hoc intentus eſto quam ad alia. Maior conſuetudo maiorem intenſionem flagitat.* Non ait Auguſtinus, Ne eum vexes, ſi deſperet emendationem; ſed ſubdit: *Domabis, ſi vigilabis; vigilabis, ſi timebis; timebis, ſi Chriſtianum te eſſe cogitaveris. Nam tantum mali habet iuratio, ut qui lapides colunt, timeant falſum iurare per lapides. Tu non times Deum præſentem, Deum viventem, Deum ſcientem, Deum manentem, Deum in contemptores vindicantem.... Ante omnia ergo, fratres mei, obſecro vos, ne ſine cauſa me Deus hæc loqui compulerit... Quaſi vero parvus ſit fructus ſudoris mei, ſi omnes qui mihi acclamaverunt, clament & contra ſe, ne falſum iurent adverſum ſe; ſi tot homines qui me attentiſſime audierunt, attenti ſint adverſus conſuetudinem ſuam, & admoneant ſe hodie, cum ad domos ſuas venerint, cum conſuetudinem ſuam lapſu linguæ repetiverint; admoneat proximus proximum: Hoc eſt quod hodie audivimus, hoc eſt quod obſtricti ſumus.* Audi rationem, ſeu modum, quem præſcribere debes, ut facilius ſe emendent, ut non animos deſpondeant, ſed correctionem conentur. *Non fiat hodie* (perſequitur Auguſtinus) *certe cum recens ſermo eſt. Expertus loquor: non fiat hodie, pigrius ſit cras. Si & cras factum non fuerit, minus laborat qui cuſtodit: adiuvatur enim conſuetudine ſuperioris Dei. Triduo moritur peſtis, de qua laboramus; & gaudebimus de fructu veſtro: quia magno bono abundabitis, ſi tam magno malo carebitis.*

XI. Confeſſarius nullam negligat induſtriam, nullumque remedium omittat, quo ad emendationem conſuetudinis iurandi ſuos inducat pœnitentes. S. Carolus Borromæus *IV. Part. Act.* præſcribit ut Confeſſarii ſuis pœnitentibus, huic vitio aſſuetis, imponant aliquam pœnitentiam illico poſt iuramentum prolatum peragendam. Itaque iuxta varietatem & perſonarum, & circumſtantiarum inſtrue iuratores qui emendari cupiunt (qui enim nolunt corrigi, reiiciendi ſunt) ut, quoties in iurationem inciderint, quid eleemoſynæ pauperibus erogent, ut linguam mordeant, ut terram oſculentur, crucemque lingua efforment, ut notent ſingulis diebus quoties prolapſi fuerint, ut *Pater*, & *Ave* recitent, ut a vino in prandio abſtineant. Hæc, & ſimilia remedia præſcribe. Si aſſuetus iurare ex corde aliquo eorum uſus fuerit, cito ſe ſe emendatum experietur.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

DE PERIURIO, INTERPRETATIONE, ET DISPENSATIONE IURAMENTI.

CAPUT I.

Quid ſit periurium, an ſemper ſit peccatum mortale, & quanta ſit eius gravitas.

I. VERA periurii notio eſt in hoc ſita, quod aliquis iuret id quod ſcit; vel putat eſſe falſum. Quare inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. XCVIII. art. 1. *Periurium definitur eſſe mendacium iuramento firmatum . . . & propter hoc a falſitate præcipue ſpecificatur perverſitas iuramenti quæ periurium dicitur: & ideo falſitas eſt de ratione periurii*. Quod de periurio preſſe accepto intelligendum eſt. Triplex namque diſtingui ſolet periurium. Primum eſt, cui deficit veritas. Secundum, cui deficit iuſtitia, dum quis rem illicitam, vel prohibitam iurat. Tertium, cui deficit iudicium, dum quis temere ſine iuſta cauſſa iurat. Hæc duo poſteriora improprie, & lato modo periuria nuncupantur, de quibus dictum eſt *differt*. 1. In præſentia de ſolo periurio primo modo accepto, ſeu proprie tali, cui veritas deficit, ſermo nobis eſt.

II. Circa iniquitatem periurii non defuerunt hæretici qui licitum illud aſſeruerint, ut de Apoſtolicis refert Prateolus verb. *Apoſtolici*; cuius hæreſis meminit quoque Bernardus *ſerm.* LXV. *in Cant.* & Auguſtinus *Lib. cont. mendac. cap.* 1. & II. & XVIII. & XIX. refert Priſcillianiſtas, defendentes licitum mendacium, & conſequenter etiam periurium: quibus familiare illud erat: *Iura, periura, ſecretum prodere noli*. Quo in luto hæſiſſe Flagellantes hæreticos, refert laudatus Prateolus.

III. De fide eſt, periurium illicitum eſſe, ut ex Scripturæ textibus quos ſupra dedimus, & communi Eccleſiæ catholicæ, & omnium catholicorum Doctorum ſenſu conſtat. Si enim omne mendacium ſuapte natura malum eſt; quanto magis periurium, quod mendacium confirmat? *Et ideo* (inquit D. Thomas loc. cit. art. 2.) *periurium manifeſte eſt peccatum religioni contrarium, cuius eſt Deo reverentiam exhibere*.

Digitized by Google

IV. Certum quoque de fide eſt, periurium genere ſuo peccatum mortale eſſe, & valde grave: eſt enim contra ſecundum præceptum primæ tabulæ, & conſequenter contra religionis virtutem in materia pertinente ad divinum honorem. Nam ſicut iuramentum eſt actus religionis, ita periurium eſt vitium illi oppoſitum. Porro inquit Angelicus loc. cit. art. 3. *Quidquid de ſui ratione pertinet ad contemptum Dei, eſt peccatum mortale. Periurium autem de ſui ratione importat contemptum Dei. Unde periurium ex ſui ratione eſt peccatum mortale.*

V. Poſito quod periurium ſit peccatum mortale, quærunt Theologi, quanta ſit illius malitia; quam eſſe graviſſimam omnes fatentur. Quare 2. 2. quæſt. 1. *grande ſcelus* appellatur; & poſt blaſphemiam, ac idololatriam eſt gravius omnibus peccatis quæ committi poſſunt contra religionem: quia propius Dei honorem lædit. Difficultas eſt, an periurium ſit gravius omnibus peccatis quæ committi poſſunt contra proximum; & potiſſimum comparatio illius fieri ſolet cum homicidio. Plures ſuſtinent, homicidium gravius eſſe periurio. Durandus in *III. diſ.* XXXIX. *quæſt.* V. Richardus *ibid. quæſt.* IV. Gabriel *ibidem quæſt.* II. *art.* 3. *dub.* 2. Maior *quæſt.* V. Angelus verb. *Periurium:* quia periurium eſt contra religionem; homicidium vero contra caritatem. Verum hæc ratiocinatio vana eſt: quia homicidium eſt contra iuſtitiam naturalem, quæ virtus inferior eſt ipſa religione.

VI. Dicendum eſt igitur, periurium gravius eſſe ipſo homicidio. Ita expreſſe docet D. Thomas *quodlib.* I. *art.* 18. Gerſon *I. Part. Alphabet.* XIII. *lit. V.* Sylveſter verb. *Periurium.* Sotus *Lib. VIII. de iuſtit. quæſt.* II. *art.* 3. Turrecremata in *cap.* Prædicandum 2. 2. *quæſt.* 1. Covarruvias, Guillelmus Peraldus in *Summ. virt. Part. II. cap.* IV. ubi duodecim argumentis hanc ſententiam nititur perſuadere. Ipſum conſule. Sylvius 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *art.* 3. *concl.* 7. duabus rationibus ſuam evincit concluſionem. Prima fundatur in illo D. Pauli ad Hebr. VI. *Finis omnium controverſiarum eſt iuramentum*; ideſt, iuramentum adhibetur etiam in cauſſa homicidii, & ad inquirendam veritatem in tali cauſſa. Signum ergo eſt, gravius eſſe ipſo homicidio. Non hinc tamen infertur, periurium gravius peccatum eſſe ipſa hæreſi, aut blaſphemia, in quarum cauſſa etiam iuramentum adhibetur; ſed ſolum infertur, periurium eſſe graviſſimum peccatum, etiam in hominum exiſtimatione; cum in litibus finiendis contendentes ad iuramentum confugiant, ceu ad ſupremum iudicem; licet aliquando quædam poſſint eſſe peccata contra præcepta pariter primæ tabulæ, ut hæreſis, & blaſphemia, ipſo periurio graviora. Secundo quia iuramentum eſt contra præceptum primæ tabulæ, directe & proxime contra Deum, & contra virtutem religionis; homicidium autem eſt contra præceptum ſecundæ tabulæ, & contra humanam iuſtitiam, quæ virtus inferior eſt.

Digitized by Google

VII. Adverſus præfatam doctrinam multa opponi ſolent, quæ cum ſint præter inſtitutum mores formandi, prætereo. Omnia tamen ſolvi poſſunt, ſi doctrina D. Thomæ intelligatur de malitia eſſentiali, quæ ſumitur ex obiecto, aut honeſtate quam tollit. Periurium ſuapte natura aufert certitudinem divini teſtimonii, & deſtruit primum illud principium confirmandi fœdera, & pacta, ac denique extremam irrogat Deo iniuriam. Quæ omnia maximam iſtius vitii perverſitatem oſtendunt. Negari tamen non poteſt, ut optime advertit Suarez *Lib. III. cap.* III. homicidium ratione circumſtantiarum periurium in gravitate excedere: Quod ex eo etiam conſtat, quia magis humanæ naturæ repugnare videtur. Quare ego veroſimilius arbitror, ex una parte periurium gravius eſſe homicidio; ex altera homicidium ſuperare periurium. Solet etiam homicidium gravius puniri apud homines. An itidem gravius puniendum a Deo ſit, incertum eſt. D. Antoninus *II. Part. tit.* x. *cap.* VII. ex quatuor principiis periurii gravitatem repetit: Primo quia Deus eodem contemnitur: ſecundo quia omni lege vetatur: tertio quia eo proximus læditur: quarto quia multitudine pœnarum plectitur. *Peccata*, inquit, *quæ ſunt directe contra Deum, ſunt ſecundum ſe graviora quam ea quæ ſunt contra proximum: quia Deus ſine comparatione maior eſt proximo. Sed tranſgreſſiones præceptorum primæ tabulæ ſunt directe contra Deum . . . Ergo ex ordine ipſorum præceptorum poteſt eſſe gravius periurium quam homicidium ſecundum B. Thomam in quodlib. . . . Sed, o miſeri homines! cum ita horreant homicidium, quod horrendum eſt; periurium, quod gravius eſt, pro nihilo quotidie incurrunt. Verum tamen eſt quod conſiderando gravitatem peccati ſecundum nocumentum quod inde ſequitur communiter, homicidium gravius eſt: quia gravius nocumentum proximis infertur. Et ideo in iudicio humano gravius homicidium quam periurium punitur.*

CAPUT II.

De pœnis periurio impoſitis.

I. QUemadmodum graviſſimum eſt periurii crimen, tum quia nomen Dei polluit, ut Deus ipſe teſtatur Lev. XIX. verſ. 12. *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus*: tum quia humanæ ſocietati pernicioſiſſimum eſt: ita ſeveriſſimas pœnas, & ſupplicia periuris Deus minatur. Zachar. cap. v. verſ. 3. *Hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur; & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur*. Et verſ. 4. *Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur*

in medio domus eius, & conſumet eam, & ligna eius, & lapides eius. Verum quis abſque ſummo terrore tremendum illud flagellum recogitare poteſt quo Deus Iſraelitas punivit ob violatum iuramentum? Inducta ſuper omnem terram eorum ſterilitate, fame tribus annis illos afflixit. Saulis iuramenti, quo Ioſue promiſſionem factam parcendi Gabaonitis, violatoris ſtirpem exterminavit, illiuſque deſcendentes, excepto Miphiboſeth, crucifigendos deceptis Gabaonitis tradidit. Supplicium narratur II. Reg. XXI. verſ. 1. & ſeq. *Facta eſt quoque fames in diebus David tribus annis iugiter: & conſuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum eius ſanguinum, quia occidit Gabaonitas . . . Filii quippe Iſrael iuraverant eis, & voluit Saul percutere eos . . . Dixit ergo David ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? . . . Qui dixerunt Regi: Virum qui attrivit nos, & oppreſſit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem reſiduus ſit de ſtirpe eius in cunctis finibus Iſrael. Dentur nobis ſeptem viri de filiis eius, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul . . . Et dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos.* Captivitas quoque Sedeciæ Regis Iuda, ac Hieroſolymorum ruina pœna fuit violati iuramenti facti Nabuchodonoſori.

II. Nationes quoque omnes ſeveriſſimis pœnis puniendos periuros ſtatuerunt ſemper. AEgyptiorum ſtatuta periuros capite mulctari præcipiunt, ut refert Diodorus Siculus *cap.* 11. *Lib. II.* Carolus Magnus adverſus periuros tulit hoc decretum, capitul. XXIII. *Propter periurium quod commiſit, dextera manus amputetur.*

III. Leges tum civiles, tum canonicæ periuria plectenda ſtatuunt. De legibus civilibus non una eſt Doctorum ſententia. Quæ communia ſunt, indicabo: quia res tanti non eſt, ut longius diſputetur. Sermo autem eſt de pœnis contra periurium in iudicio, vel extra impoſitis ipſo iure, vel imponendis. Advertendum etiam, periuria alia eſſe contra Deum tantum, alia quæ fœdus humanum violant.

IV. Periurus qui humana pacta, & fœdera infringit, poſt latam in illius crimen ſententiam, infamiam incurrit, ſecus ante ſententiam. Infamia eſt læſæ dignitatis qualitas, vita & moribus reprobata, ut eam definit Sylveſter verb. *Infam. ſ.* 1. Triplex eſt, facti, iuris civilis, & canonici. Canonica eſt quæ per ſe non inducit impedimentum canonicum indelebile, ſeu quod tolli non poſſit abſque diſpenſatione; ſed per vitæ mutationem cum mutatione opinionis apud homines auferri poteſt. Civilis vero infamia dicitur indelebilis, quia ſine diſpenſatione ſuperioris auferri nequit. Quibus poſitis, prima aſſertionis pars manifeſta eſt. Quoniam infames a iure ii dicuntur qui a legibus tales declarantur. At leges civiles ſolum declarant infames violatores iuramenti promiſſorii confirmantis pacta, ut conſtat ex *leg.* Si quis maior. *cod. de tranſact.* ubi hæc infamia infligitur

Digitized by Google

tur ſolummodo ob violationem pacti iuramento firmati. Nullibi vero fertur pro iuramentis falſis in aſſertionibus de præterito, vel de præſenti, ut docent Suarez *Lib. III. cap.* xx. *num.* 15. Caſtropalaus *diſp.* 1. *punct.* 11. Leſſius *Lib. II. cap.* xlii. *dub.* 14. *num.* 74. Quod vero hæc infamia non contrahatur, niſi poſt ſententiam, patet ex eadem leg. *Si quis maior.* Hinc infertur, ob periurium aſſertorium non incurri infamiam ipſo iure, ut colligitur ex leg. *Iulius Titius*, ff. *de his qui notantur infamia*, ubi ſermo eſt de teſtimonio in iudicio. Et quamquam *ult. cap. de tempor. ordinationum* expellatur ab ordine notorius infamis; non intelligitur ipſo iure expulſus, ſed declaratur expellendus.

V. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* xcviii. *art.* 3. *ad* 3. docet, quod non ſolum qui peerat iuramento promiſſorio, ſed etiam qui reus eſt periurii aſſertorii, per iudicis ſententiam declaratur infamis. Cuius ſenſus eſt, non quod lex civilis reipſa hanc pœnam ſtatuerit adverſus periurium aſſertorium; ſed quod iudicis arbitrio etiam talis periurus declarari poſſit infamis. Concludit vero Angelicus. *Ideo autem magis reputatur infamis ipſo iure qui frangit iuramentum promiſſorium ſolemniter factum, quia in eius poteſtate remanet, poſtquam iuravit, ut det ſuo iuramento veritatem; quod non contingit in iuramento aſſertorio.* Dicit *ipſo iure*; ideſt, a iure pœna lata eſt. Ut autem quis reipſa eam ſubeat, neceſſaria eſt iudicis ſententia, quemadmodum mihi videtur.

VI. Nullus periurus privatur ipſo iure beneficiis acquiſitis ante iudicis ſententiam; privatur tamen beneficiis acquirendis periurus infamis infamia iuris. Prima pars communis eſt, ut teſtatur Suarez *loc. cit. num.* 6. Et ratio eſt, quia nulla lex afferri poteſt quæ talem infligat privationem. Secunda quoque pars, nempe periurum per iudicis ſententiam declarari infamem, & privari beneficiis obtinendis, communis eſt; ita ut, ſi ei collatio fiat, nulla ſit. Immo addit Covarruvias apud Caſtropalaum *loc. cit.* nullam inſuper eſſe collationem factam virtute litterarum apoſtolicarum periuro infami infamia facti: quia Pontifex non intendit conferre ſua beneficia eiuſmodi perſonis. Non deſunt tamen qui contendant, non eſſe ipſo iure periurum privatum beneficiis obtinendis. Sed prior opinio probabilior eſt, & in foro externo ſola vera.

VII. Teſtis qui falſum teſtimonium ſemel dixit in iudicio, vel veritatem negavit, falſi reus efficitur. Si Clericus ſit, deponi debet, & in monaſterium includi, ut ibi in pœnitentia vitam agat. Id colligitur ex *cap.* Si Epiſcopus 50. *diſtinct.* & *cap.* Presbyter 81. *diſtinct.* Si iurator falſus laicus fuerit, pœna deportationis ſeu exilii puniri debet, eiuſque bona publicari. Si ſervus, morti tradendus eſt. S, quis adverſus reum in cauſſa capitali peieraverit; eadem qua puniretur reus pœna plectendus eſt, ut docent Barboſa *de poteſt. Epiſ. alleg.* 51. Farinacius in *praxi II. P. quæſt.* lxvii. *num.* 220. Addit vero Covarruvias de *pactis I. P. §.* 8. *num.* 6.

teſti falſum dicenti extrahendam eſſe quintam dentium partem ; quam pœnam executioni mandatam fuiſſe teſtatur. Qui vero teſtem ad iurandum falſum induxerit, eadem qua teſtis periurus pœna plectendus eſt, ut ſtatuitur *leg. 1. tit. de falſitat. & leg.* 1. *Regia tit.* 7. *p.* 7. effectu tamen ſubſecuto, hoc eſt ſi falſum iuraverit. Quæ omnia communia ſunt apud Iuriſtas, & Canoniſtas, & etiam Theologos, quos inter conſule Suarez *Lib. III. cap.* xx.

VIII. Potiſſima falſi teſtis pœna eſt, quod numquam amplius in teſtem admittendus ſit, ut ſtatuitur *cap.* Quicumque VI. *quæſt.* 1. & *cap.* Parvuli XXII. *quæſt.* v. ubi decernitur, quod qui ſemel peieravit eſt, nec teſtis ſit, nec ad ſacramentum accedat, & neque in ſua, nec in alterius cauſſa iurator exiſtat. Debet tamen iudicis ſententia repelli.

IX. Quæri ſolet, quodnam periurium requiratur, ut periurus puniri iure valeat, & a teſtimonio in iudicio ferendo repelli. Duplex reperitur ſententia. Sylveſter *verb.* Iuram. 2. *quæſt.* III. Azorius *Lib. II. cap.* XI. *quæſt.* 6. Valentia 2. 2. *diſp.* VI. *quæſt.* VII. *punct.* 3. *diſt.* 3. ſuſtinent, ſufficere periurium notorium notorietate facti, quando ſcilicet notum evidenter eſt, aliquem verba iuriſiurandi falſo cum vera deliberatione, & cognitione dixiſſe. P. Sanchez cum aliis *Lib. III. cap.* III. propugnat, non ſufficere quodcumque periurium ad repellendum periurum a ferendo in iudicio teſtimonio; ſed neceſſe eſſe periurum de illo periurio convinci, & damnari in iudicio : additque, periurium non debere eſſe iniuria, vel metu extortum; aut a reo de propria cauſſa in iudicio commiſſum.

X. Opinio quæ probabilior mihi videtur, docet, ſufficere periurium abſque iniuria extortum, vel in iudicio, vel in ſolemni pacto, & promiſſione, vel publicam infamiam, quod talis homo ſoleat peierare quocumque modo. Hanc opinionem docet Suarez *Lib. III. cap.* xx. *num.* 20. & ab ea non diſtat Sylveſter. Quoniam, licet ad infamiam iuris requiratur ſententia iudicis, qua periurus declaretur talis ; ad infamiam tamen facti ſufficit publica opinio, qua talis habeatur pro periuro.

XI. Verum hæc omnia foro externo deſerviunt. Pauca dicamus pro foro interiori, e quibus Confeſſarius regulas aliquas imponendæ periuris pœnitentiæ eruere poſſit. Sciat ergo, ſacros canones eaſdem ferme pro periurio ac pro adulterio, & homicidio pœnas imponere. Et merito : nam, ſi periurium gravius eſt ipſo adulterio, & homicidio; congruum eſt ut pari, ſin maiori, ſupplicio plectatur. D. Baſilius in *canon.* 64. *epiſt. ad Amphilochium* undecim annorum pœnitentiam cum abſtinentia a communione periuris imponit. *Periurus undecim annis non erit communionis particeps, duobus annis deflens, tribus audiens, quatuor ſubſtractus; anno unico conſiſtens; & tum communione dignus habebitur.* Ceteri canones minus quidem ſevere agunt, ſed tamen comparate ad noſtrorum temporum benignitatem ſatis

Digitized by Google

ſatis ſevere, ut colligere licet ex cap. *Quicumque* VI. quæſt. I. *Quicumque ſciens peieraverit, quadraginta dies in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos pœniteat, & numquam ſit ſine pœnitentia, & numquam in teſtimonium recipiatur. Communionem tamen poſt hæc percipiat.* Si ad illa verba, *& numquam ſit ſine pœnitentia*, animus intendatur, compertum erit quanto in horrore habebatur tunc periurium, & quanta ſeveritate illud puniri conſueverat. D. Carolus Borromæus in quarto Concilio Mediolanenſi inhabiles declarat omnes periuros ad ſacros ordines. Et in quarta parte Actuum Eccleſiæ Mediolanenſis, ubi miniſtris ſacramenti pœnitentiæ pœnarum imponendarum regulas præſcribit, allatum canonem frequenter repetit; atque eadem pœna non ſolum periuros, ſed etiam eos qui ad peierandum inducunt, affligendos eſſe declarat his verbis: *Qui compellit alium, ut falſum iuret, quadraginta dies in pane, & aqua, & ſeptem annos in pœnitentia erit.*

C A P U T III.

De interpretatione iuramenti.

I. PAucis regulis argumentum de interpretatione iuramenti exponemus: tum quia plura iuramenta quæ hic explicari ſolent, iam inter diſputandum reſoluta ſunt; tum quia in tractatu de voto idem argumentum diſcuſſum fuit.

II. *Prima regula* ſit illa quam tradit S. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxix. art. 7. ad 4. *Iurans ſine dolo obligatur ſecundum intentionem iurantis; iurans vero cum dolo, ſecundum ſanum intellectum eius cui iuratur.* Item in III. diſt. xxxix. quæſt. I. art. 3. quæſt. 3. *Iurans ſine dolo in foro conſcientiæ non obligatur, niſi ſecundum ſuam intentionem; ſed in foro contentioſo, ubi intentio ignoratur, obligatur ſecundum quod verba communiter accipi ſolent.* Itaque iuramentum promiſſorium, in quo potiſſimum interpretatio locum habet, ſemper accipiendum eſt ſecundum intentionem iurantis, quando iurans bona fide agit. Si doloſe locutus eſt, iuramentum interpretandum eſt iuxta rectam, prudentemque intelligentiam illius cui ſit iuramentum.

III. *Secunda regula.* Quando de intentione conſtat, iuramentum nulla indiget interpretatione; quando intentio adeo comperta non eſt, communis ſententia docet interpretandum eſſe iuramentum in ſavorem iurantis; maxime ſi dolus abſit, ſervata ſemper proprietate verborum. Iuramentum enim onus grave eſt, & odioſum; atque adeo, quoad fieri poteſt, reſtringendum.

IV. *Tertia regula.* Multæ conditiones ſubintelliguntur in iuramento promiſſorio, etiamſi non exprimantur. I. *Si ſuperiori placuerit.* II. *Si res in eodem ſtatu permanſerit*, ſeu ſi non fuerit inſigniter mutata. Si enim promiſiſti nuptias cum iuramento puellæ diviti, bonæ famæ, ſanæ &c. ſi hæc pauper, malæ famæ, infirma

ma evadat, eam ducere non teneris. Idem dic, ſi fornicaria extiterit. III. *Si mihi ſervetur promiſſum*, iuxta reg. 75. in 6. *Fruſtra ſibi quis fidem poſtulat ab eo ſervari cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat*. IV. *Si potero*: quia ad impoſſibile nemo tenetur. V. *Si licite implere fas erit*: quoniam iuramentum non eſt vinculum iniquitatis.

V. *Quarta regula*. I. In donatione, *ſi alter ingratus non exiſtat*. II. In fideiuſſione, *ſi principalis excutiatur*. Hinc qui fideiuſſit, non tenetur ſolvere, niſi prius principalis debitor non excutiatur, ſeu urgeatur ad ſolutionem. III. *Si is cui facta promiſſio eſt, eam acceptaverit*, aut tacite non remiſerit. IV. Si iuravi dare tibi centum uſque ad certum tempus, ſubintelligitur, *niſi iudex interdixerit*. V. Si iuro tibi reddere granum, intelligitur eiuſdem bonitatis. VI. Quando iuro tibi fidelitatem, vel quod non ero tibi contrarius, ſubintelligitur, niſi ius meum, vel meorum petendo, & defendendo. VII. Niſi ille cui iuravero, me abſolverit. VIII. Speciales conditiones in iuramento non ſubintelliguntur, niſi exprimantur; ſed tantum generales, & communes, ut ſunt illæ quas indicavimus.

VI. *Quinta regula*. Iuramentum perſonale eſt, nec tranſit ad heredes; etiamſi non ſolum pro ſe quis iuraverit, ſed etiam pro aliis. Obligatio tamen contractus iurati ad heredes tranſit. Quare, ſi iurans ſolum ratione iuramenti obligatur, héres ad nihil tenetur. Sed de hoc iam dictum eſt ſupra.

VII. *Sexta regula*. Iusiurandum quod fit alicui in dignitate conſtituto, tranſit ad illius ſucceſſores, quando nomen exprimitur dignitatis; ſecus, ſi tantummodo nomen perſonæ exprimeretur: tunc enim ſucceſſori in dignitate renovandum eſſet iuramentum. E contrario, cum dignitatis nomen exprimitur, licet ſucceſſoris nulla facta ſit mentio, ſucceſſoribus quoque factum eſſe intelligitur, ut communior tenet ſententia.

VIII. *Septima regula*. Qui iurant ſtare ſententiæ compromiſſæ in arbitros, ut certa die illam definiant, ſi dies definitus prorogetur, prorogatur ne iuramentum? Adfirmant Suarez *Lib. II. cap.* XXXVI. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* 1. *punct.* 16. *num.* 8. Quia, prorogato termino compromiſſi, non initur novum pactum; ſed pactum iam factum ad novum diem protenditur. Hinc iurans ſolutionem debiti infra talem terminum, ſi a creditore terminus prorogetur, iuramentum perſiſtit. Oppoſitum docent Sanchez *Lib. III. cap.* XVII. *num.* 23. Azorius *Lib. XI. cap.* VIII. *quæſt.* XII. Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſp.* 11. *punct.* 14. *num.* 3. Covarruvias *de pactis* 1. *p. initio num.* 6. Hæc opinio probabilior videtur: quia compromittentes diem ſignant compromiſſionis, iurantque ſtare ſententiæ infra eumdem diem latæ. Ergo, tranſacto die, iuramentum ceſſat. Nam, tranſacto die, iuriſdictio arbitri deſinit; niſi compromittentes illam prorogent. Ergo, dum dies finitus prorogatur, fit nova conventio: ergo novum iuramentum neceſſarium eſt. Aliter dicendum eſſet, ſi compro-

promittentes iudici arbitro facultatem impartirent diem deſignandi, & prorogandi: tunc etenim iuramentum quoque prorogaretur: quia tunc ex prorogatione termini novum compromiſſum non eſſet; & conſequenter nec novum iuramentum foret neceſſarium.

IX. Nec officit, debitorem iurantem debiti ſolutionem intra definitum terminum iuramento aſtringi, etiam prorogato a creditore termino. Nam ratio diſcriminis evidens eſt: quia prorogatio termini non extinguit obligationem ſolvendi debitum, ſed terminum adiicit ad ſollicitandam ſolutionem; at prorogatio termini in compromiſſo obligationem finit, & aufert a iudice arbitro iuriſdictionem, ut dictum eſt.

X. Qui iurat ſtare ſententiæ ſub certa pœna, non obligatur utrumque præſtare; ſed, ſoluta pœna, ſententiam appellare valet, ut aliqui ſentiunt. At probabilius eſt eum ad utrumque teneri: quia pœna ad maiorem additur confirmationem.

XI. Qui iurat non expellere conductorem ſive domus, ſive agri, poſſet illum expellere, ſi iſte integrum biennium penſionem non ſolveret: quia in præfato iuramento ſubintelligitur hæc conditio, ſi conductor ſolverit penſionem.

XII. Iurans ſolvere pecuniam ſibi mutuatam, poterit intra biennium exceptionem opponere non numeratæ pecuniæ: quia ſub ea conditione iuraſſe præſumitur, nempe ſi pecunia ſibi numerata fuerit. Contra, ſi iuraverit & pecuniam ſe accepiſſe, & eiuſdem ſolutionem ſe facturum, non poterit exceptionem opponere.

XIII. Qui aliquid abſenti ſub iuramento promiſit, non tenetur, donec ipſe, vel aliquis loco illius acceptaverit: quia promiſſio ſuapte natura revocabilis eſt, uſquedum firmata per acceptationem fuerit. Naturam autem conditionis iuramentum appoſitum ſequitur. Si autem iuraſſet ſe non revocaturum promiſſionem, non adeo facile permitterem revocationem abſque diſpenſatione: quidquid dicat Caſtropalaus.

XIV. Quando urbanitatis gratia iuraſti, non ingredi primum, non occupare primum locum, ſubintelligitur, quantum in te eſt. Quare, ſi ſocius roget, & inſtet, ad vitandam moleſtiam, & faſtidium poteris primam tenere ſedem, quin ſis periurus. Sed ab eiuſmodi iuramentis abſtinendum eſt.

XV. *Octava regula*. Iuramentum numquam cedere debet in damnum tertii; & relate ad hoc principium ſemper interpretandum eſt. Ratio eſt: quia iuramentum quod alteri damnum infert, illicitum eſt. Hinc, ſi iuraſti ſervare alicui ſecretum, quod alteri nocet, non teneris ſervare; ſed illis revelare poteris qui prodeſſe, & non obeſſe poſſunt, ut communiter Auctores ſentiunt. Item, ſi iuraſti creditori te non receſſurum a loco, niſi prius debitum illi ſolveris; vocatus a ſupe-

Digitized by Google

periore, quando ſolvere non vales, ad ſuperiorem accedere debes : quia iuramentum tuum iuriſdictioni ſuperioris præiudicare non poteſt. Quod ita intelligendum venit, quando abſque illius conſenſu tacito, vel expreſso iuramentum præſtitiſti, eo quod in tali loco reſideres abſque eius licentia. Secus dicendum, ſi ex illius conſenſu ibidem permaneres : quia tum ſuperior iuramento præſumitur conſenſiſse.

XVI. *Nona regula.* Iuramentum dubium, pro lege, non pro libertate interpretandum eſt, ut de voto diximus; licet Probabiliſtæ ſentiant oppoſitum. Latius in tractatibus de conſcientia, & probabilitate hoc diſpicietur. Azorius *Lib. II. cap.* VIII. *quæſt.* I. pro noſtra opinione laudat Sylveſtrum, Roſellam, Abbatem, Archidiaconum, & ipſe non diſſentit. Sed Sylveſter ambigue loquitur loco laudato ab Azorio : ibi namque non tam de iuramento dubio, quam de dubio animo ſe ſe obligandi ſermonem habet. Ceterum alibi Sylveſter, nempe ver. *Dubium*, ubi tutiorem in dubiis ſententiam eligendam eſse docet, hanc opinionem conſequenter defendit. Eam conceptis verbis docet D. Thomas in IV. diſt. XXXVIII. quæſt. I. art. 3. quæſtiunc. I. ad 6. *Si autem dubitet, quomodo ſe in vovendo habuerit, debet tutiorem partem eligere, ne ſe diſcrimini committat.*

XVII. Dubium ſuper iuramento multiplex eſse poteſt. Primum dubitare potes an iuramentum emiſeris : deinde an habueris intentionem iurandi : tertio an cadat ſuper materiam aptam : quarto an fuerit executioni mandatum. Si primo modo dubites, ut iam dixi, Probabiliſtæ omnes te ab obligatione iuramenti abſolvunt : quia, inquiunt illi, in dubiis poſseſſio libertatis prævalet. Si qua eſt in univerſa Theologia Morali opinio falſa, hæc falſiſſima eſt, iuri naturali, divino, & humano repugnans. Diſtingue tamen dubium probabile a dubio ſcrupuloſo, quod ad viri docti & probi iudicium deponendum eſt. In aliis autem dubiis, de intentione iurandi, de animo te obligandi, vel de præſtita nec ne executione, etiam ipſi Probabiliſtæ te obnoxium iuramento aſserunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De iuriſiurandi ceſſatione. Quot modis iuramentum ceſſet. Quæ iuramenta Deo facta irritari, relaxari, vel commutari poſſint.

I. Quatuor modis iuramentum, quod alioquin validum eſt, ceſſat. Primo ſuperioris abſolutione, ſecundo commutatione, tertio remiſſione creditoris, quarto relaxatione iudicis. Explicantur vocabula. Iuramentum relaxari, ſeu, ut Canoniſtæ, & Theologi loquuntur, diſpenſari dicitur, cum eiuſdem vinculum diſſolvitur; ſeu, cum iurator vinculo iuramenti eximitur auctoritate ſuperioris, qui eſt aut Romanus Pontifex, aut Epiſcopus, aut alius eccleſiaſticus Præfectus. Commutatur, cum materia ſuper quam iuratum eſt, tollitur, & alia ſub eodem iuramenti vinculo, eidem ſubſtituitur. Remittitur iuramentum, quando is in cuius gratiam iuratum eſt, obligationem tollit; ut ſi Paulus, cui ſub iuramento promiſiſti centum aureos, tibi omnem obligationem remittat. Reſcinditur tandem, & etiam relaxatur, ac inane redditur, ſeu irritatur, cum illius vinculum ſolvit is ſub cuius poteſtate eſt qui iuravit; ut ſi ſervus, filius, uxor quidquam iure iurando promittant alteri in iis quorum mariti, domini, genitores dominium habent, ſeu in iis in quibus ſubſunt marito, domino, patri.

II. Iuramenta Deo facta votorum naturam imitantur. Quare qui facultate potiuntur irritandi vota, valent quoque iuramenta irritare, ut inquit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 9. *ad* 3. ubi patri, & marito eamdem poteſtatem tribuit in iuramenta, ac in vota filiorum, & uxorum reſpective. Ratio eſt manifeſta. Quia poteſtas irritans in dominio fundatur ſuper iuratorem, aut materiam iuratam. Qui autem habet poteſtatem & dominium ſive in perſonam, ſive in materiam, ius habet ne perſona, aut materia eiuſmodi alteri obligetur quocumque vinculo ſive iuramenti, ſive voti. Quinam autem ſint ii qui irritare valent, fuſius dictum eſt in tractatu de voto.

III. Similiter qui habent poteſtatem ordinariam diſpenſandi vota, vel commutandi, poſſunt itidem iuramenta Deo facta commutare, & diſpenſare. Idque convenit inter Theologos. Diſſentiunt autem, cum de poteſtate delegata ſermo eſt. Caſtropalaus *tract.* xiv. *diſp.* iii. *punct.* i. *num.* 5. ſuſtinet, delegatum privilegium diſpenſandi in votis extendi quoque ad iuramenta. Idem ſentit Suarez *Lib. VI cap.* xiv. *num.* 19. & Leſſius *Lib. II. cap.* xlii. *dub.* ii. *num.* 60. quia, inquiunt, vota, & iuramenta maximam habent affinitatem, & in communi hominum exiſtimatione fere eadem reputantur. Alii dicunt, iuramenta quæ ſunt acceſſoria voto, eodem

eodem privilegio diſpenſari; ſecus autem iuramenta quæ abſoluta ſunt, bonumque propoſitum firmant.

IV. Sententia quam probabiliorem reputamus, docet, neminem delegatum cui facultas committitur diſpenſandi, aut commutandi vota, poſſe eodem privilegio diſpenſare, aut commutare iuramenta. Ratio clara eſt: quoniam iuramenta, & vota duo vincula ſunt diverſi generis; & unum ab alio minime pendet. Nec obſtat quod, ſublata materia iuramenti, corruat iuramentum; dum autem iuramentum voto adiicitur, commutato voto, tollatur iuramenti materia, & conſequenter iuramentum ipſum ceſſare debeat. Hæc in rebus phyſicis valent, non ſemper in morum regulis. Votum metu factum nullum eſt: ſi autem iureiurando firmatum fuerit, ſubſiſtit iuramentum. Quare, cum obligationes iuramenti, & voti duo ſint vincula, eo modo diſtincta quo ſunt votum, & iuramentum; privilegium diſpenſandi a voto non includit facultatem diſpenſandi a iuramento, ut optime aſſerit Azorius *Lib.XI. cap.x. quæſt.* III. falſumque eſt quod ait P. Caſtropalaus *tract.* XIV. *diſp.* III. *punct.* I. *num.6.* in communi hominum exiſtimatione pro eodem haberi votum, & iuramentum: quin homines votum, & iuramentum duo reputant vincula. Confeſſarius ergo privilegium impetraturus diſpenſandi in voto, quod ſit iuramento firmatum, exponat iuramenti conditionem, ut facultatem ab utroque vinculo diſpenſandi obtineat.

V. Pontifex irritare poteſt iuramenta de alienandis bonis Eccleſiæ iuriſdictioni ſubiectis, de renuntiando beneficio, de non augendo Canonicorum numero. Nec iſtius irritationis cauſſa exigitur iuxta plures; ſed ſatis eſt quod nolit ſuperior uſum concedere materiæ ſibi ſubiectæ. Verum nota, aliud eſſe ſuperiorem poſſe remittere, & irritare iuramentum in materia ſibi ſubiecta ſine cauſſa; aliud vero abſolvere, & diſpenſare aliquem a vinculo iuramenti: quod iuxta omnes ſine iuſta cauſſa fieri nequit. Ego probabilius iudico, nullum iuramentum ſine rationabili cauſſa nec irritari, nec diſpenſari ab eo poſſe.

VI. Epiſcopus in ſua diœceſi poteſt irritare iuramenta in materia ſibi ſubiecta; ut ſi quis iuraret non acceptare præbendam, aut ſervire Eccleſiæ. Prælatus regularis iuramenta Religioſorum, maritus iuramenta uxoris, dominus iuramenta ſervorum, parentes filiorum, tutores impuberum iuramenta irritare valent, dum facta ſunt in materia ſibi ſubiecta. Pariter remiſſione, ſeu donatione creditoris iuramenti obligatio ceſſat.

VII. Quid, ſi iuramentum factum ſit principaliter in honorem Dei, cuius tamen obligatio in favorem creditoris cedit? E. g. pietatis intuitu ſub iuramento promiſiſti pauperi eleemoſynam; poterit ne pauper obligationem remittere? Si nullum pauperem determinaſti, certum eſt iuramentum remitti tunc non poſſe: quia nullus pauper, ſeu creditor eſt qui obligationem remittere queat. Si pauperem de-

Digitized by Google

determinaſti, tunc pauper creditor remittere iuramentum valet, nolendo iuramentum acceptare. In qualibet enim promiſſione, etiam iurata, ſubintelligitur conditio acceptationis. Quis enim intendit invitum cogere ad recipiendum beneficium?

VIII. Pontifex nequit iuramenta homini facta relaxare, niſi adſit iuſta cauſſa relaxationis; immo nec commutare ſine iuſta cauſſa valet. Iuſta porro cauſſa duplex. Altera bonum commune, altera pœnam creditoris reſpicit. Tunc maxime diſpenſatio bonum commune ſpectat, cum iuramenti obſervatio bono communi adverſatur; ut ſi iuraſſes non denuntiare, non accuſare &c. Quamquam hæc & ſimilia iuramenta potius ſuapte natura nulla ſunt: & idcirco ab habente auctoritatem quaſi epiſcopalem relaxari poſſunt. Quæ ludo vetito perdidiſti, ac iuramento promiſiſti ſolvere, relaxationi ſubiecta ſunt. Immo, cum leges prohibeant tum eiuſmodi ludos, tum ſolutionem pecuniarum; iuramentum nullum eſt, utpote de re turpi.

IX. Altera cauſſa ob quam iuramentum relaxari poteſt, eſt indignitas, ſeu turpitudo illius in cuius favorem præſtitum iuramentum fuit: vel quia delictum commiſit, vel quia inique iuramentum extorſit. Quod aliquando delictum privet aliquem iure acquiſito, res evidens eſt: poteſt namque aliquis ob delictum puniri, & bonis propriis ſpoliari. Potiori ergo titulo privari poterit iure ſuper promiſſione iurata acquiſito. Hanc relaxationem concedere poſſunt Pontifex, Epiſcopus, aut qui quaſi epiſcopalem habet auctoritatem. Idemque dicendum de iuramento inique extorto. Si tamen metus quo extortum eſt iuramentum, levis fuerit; aliqui volunt iuramentum relaxandum non eſſe in foro externo; concedunt vero in foro interno. Alii in utroque foro relaxandum eſſe docent. Si metus revera levis fuerit, & cauſſæ alioquin iuſtæ ſubſiſtant pro iuramenti obſervantia, non videtur relaxandum: quia levis metus pro nihilo reputatur.

X. Diſputari ſolet, utrum eiuſmodi iuramenta relaxari poſſint poſt perpetratum periurium. Diſſident tum Theologi, tum Canoniſtæ. Sanctus Antoninus *II. Part. tit.* X. *cap.* VI. *caſ.* 9. plures diſtinctiones ex canoniſtis Doctoribus refert. Sed breviter dico, ſi adſint veræ cauſſæ diſpenſationis, periurium commiſſum non tollere facultatem in diſpenſante. Quare, ſi rationabilis relaxationis ratio occurrat, non video cur in utroque foro tum interno, tum externo non debeat iuramentum relaxari.

XI. Iuramenta appoſita contractibus in quibus dolus incidit, relaxari ab Epiſcopo poſſunt; ut iuramenta quæ fiunt ab impuberibus, licet doli capacibus: quamvis probabilius ſit eiuſmodi iuramenta nulla eſſe, eo quod cadant ſupra contractus a iure vetitos. Si autem eiuſmodi iuramenta a puberibus facta fuerint, non poterunt ab Epiſcopo relaxari, niſi læſio occurrat enormis. Læſio enormis dicitur

quæ

quæ eſt ultra dimidium iuſti pretii: quia, licet puberes iurent ſe non reſciſſuros contractum ratione minoris ætatis, non idcirco tamen renuntiant beneficio diſpenſationis, poſita læſione. Quod ſi minores iuraverint ſe non receſſuros a contractu nec ratione ætatis, nec ratione enormis læſionis; abſolvi nequeunt a iuramento ob enormem læſionem, ſed ſolum ob enormiſſimam. Læſio enormiſſima appellatur quæ quadruplum, aut triplum excedit iuſtum pretium. Hæc autem læſio, ſive enormis, ſive enormiſſima locum ſolummodo habet in contractibus reciprocis, ſeu, ut aiunt, oneroſis, in quibus occurrit, *Do ut des*; *facio ut facias*. De hoc conſule D. Antoninum *loc. cit. caſ.* 8. Aliqui contendunt, contractum reſcindi non poſſe, ſi iuramento præſtito geminatus fuerit contractus, ſeu obligatio. Quæ opinio minime mihi probatur: quandoquidem geminata obligatio non tollit, ſed auget ius petendi relaxationem iuramenti, & reſciſſionem contractus, quando enormiſſima læſio contingat; niſi tamen deceptor ſupplere velit læſionem, iuſtum rei pretium æquando.

XII. Diffident adhuc Auctores, an neceſſaria ſit iuramenti relaxatio, ut quis poſſit agere, & tentare reſciſſionem contractus ob enormiſſimam læſionem. Prima ſententia ſuſtinet, læſum haudquaquam indigere relaxatione: quia in iuramento ſemper includitur tacita conditio, Servabo fidem contractus, niſi enormiter, vel enormiſſime læſus fuero; conſequenter non cenſetur iuramentum extendi ad caſus enormiſſimæ læſionis. Quæ ratio, ſi de foro interno ſermo ſit, videtur ſatis manifeſta, & valida. Secunda opinio aſſerit, neceſſariam eſſe relaxationem, ut quis ad contractus reſciſſionem procedere valeat ob enormem læſionem, ſi ſit minor; aut ob læſionem enormiſſimam, ſi ſit maior: quod in foro exteriori locum habet, ubi iuramentum non ceſſat, niſi conſtet de enormi læſione. Ut autem in hoc tribunali pateat enormis læſio, probari debet.

XIII. Ut iudex relaxare iuramentum licite valeat, non ſufficit dubia cognitio; ſed requiritur ſaltem probabilis notitia de iniuſtitia contractus: quoniam in caſu dubio non præſumitur iniuſtitia. Quando iniuſtitia evidens eſt, contractus reipſa eſt nullus. Itaque, ut Epiſcopus relaxare iuramentum valeat, ſatis eſt eum habere notitiam probabilem, quæ per ſummariam informationem haberi poteſt; etiamſi unicus tantum teſtis deponat. Requiritur tamen citatio partis, in cuius favorem iuramentum præſtitum eſt, quando relaxatio foret in integrum, ſeu quando relaxatio extingueret omnem obligationem, & contractum reſcinderet, atque iurator liber ab omni obligatione declararetur. Secus dicendum, ſi relaxatio iuramenti concederetur dumtaxat ad effectum agendi. Tunc enim nulla iniuſtitia ſit parti contrariæ; cum ſolum relaxatio iuramenti viam aperiat ad oſtendendam in tribunali contractus iniuſtitiam: in cuius probatione ſi iurator defecerit, expenſas ſolvet, & tamquam calumniator punietur. Atque hæc opinio probabilior apparet.

XIV

Digitized by Google

XIV. Cum dicimus, ſuperiorem remittere iuramentum, & relaxare poſſe, advertendum eſt, ſuperiorem ſæcularem non poſſe proprie relaxationem iuramenti impertiri. Actus namque iſtius relaxationis ſpiritualis eſt, quia iuramentum vinculum religionis eſt. Iuriſdictionis autem ſpiritualis Princeps ſæcularis capacitatem non habet. Valet tamen partis nomine obligationem remittere: quia Princeps cogere ſubditum poteſt ut iuramenti obligationem remittat: quo nolente, ipſemet Princeps conſenſum ſupplere poterit. In hoc tamen caſu requiritur ut prius probetur turpitudo ex parte eius qui recepit iuramentum; & oſtendatur rem promiſſam ad iudicium ſæculare pertinere. Si enim dubitatio ſit, an turpitudo intervenerit, aut res promiſſa ad tribunal laicale ſpectet; tunc poteſtas ſæcularis nequit iuramentum remittere. Adverte tamen, quod, ſi Clericus iurator ſit, ſolus ſuperior eccleſiaſticus remittere, aut relaxare iuramentum valet. Si iurator laicus eſt, tam ſæcularis, quam eccleſiaſticus iudex iuramentum remittere poteſt, quia cauſſa eſt mixti fori. Porro, ſive iudex ſæcularis ſit, ſive eccleſiaſticus, ad abſolutam remiſſionem, aut condonationem iuramenti ſemper neceſſaria eſt citatio partis: quia abſoluta remiſſio contractum diſſolvit. Si autem remiſſio iuramenti ſit ſolum ad effectum agendi neceſſaria, partis citatio neceſſaria non eſt. Tandem iudex ſæcularis, & civilis auctoritate potitur interpretandi iuramenta adiecta materiæ fori civilis: quoniam legislator civilis ius habet interpretandi humanas diſpoſitiones ſuorum ſubditorum, in quos leges ferre, & rogare valet. Quare qua ratione interpretari teſtamenta, contractus, & alia promiſſa valet, eadem quoque interpretari iuramenta his diſpoſitionibus appoſita poteſt. Quin non pauci addunt, iudicem ſæcularem poſſe cognoſcere nullitatem relaxationis iuramenti ab eccleſiaſtico iudice conceſſæ. Si nullitas, vel iniquitas relaxationis evidens fuerit, & manifeſta, ac probatione non egens; admitti hæc opinio poteſt; ſecus, ſi nullitas dubia foret.

XV. Si de ſuperiore eccleſiaſtico ſermo ſit, legitimi iudices ſunt Epiſcopus, Capitulum Sede vacante, & quilibet Prælatus iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habens, atque adeo etiam Vicarius generalis ipſius Epiſcopi, qui cauſſarum cognitionem habet: quæ cognitio eſſe nequit abſque facultate præfatæ relaxationis; dummodo tamen legitimus iudex ſit contractus iurati, & relaxatio pro foro externo petatur. Si enim iudex legitimus non ſit, contractus iurati relaxationem concedere nequit.

XVI. Quæri etiam ſolet, quinam Prælatus, aut iurantis, aut loci, aut illius cui iuramentum factum eſt, relaxare iuramentum valeat. Communiter Auctores docent, iudicem eccleſiaſticum loci in quo contractus initus eſt, poſſe relaxationem concedere, ſi pro foro externo petatur: quia contrahentes talis loci forum ſortiuntur ratione contractus: ſecus vero, ſi pro foro conſcientiæ relaxatio poſtu-

letur : tunc enim ſolus Prælatus iurantis pro ſoro conſcientiæ, vel ad effectum agendi, relaxationem concedere debet. Quoniam diſpenſatio fit nomine ipſius Dei; & conſequenter diſpenſans ſuperior ſit oportet illius cum quo diſpenſat, in quem iuriſdictionem exercere debeat. Si vero relaxatio fuerit, non pro foro conſcientiæ, & ad effectum agendi tantum, ſed abſolute ad reſciſſionem contractus, & ad eximendum iurantem ab omni obligatione; ille ſolus iudex, & diſpenſator eſſe poterit cuius erit reum citare : quia ad hanc abſolutam diſpenſationem partis citatio neceſſaria eſt. Quare Epiſcopus iurantis non poterit iuramentum relaxare, ſi pars citanda ſit extra diœceſim ; poterit vero, ſi pars fuerit illius ſubditus, & intra territorium : quoniam ultra territorium citatio fieri nequit abſque conſenſu Superioris eiuſdem loci. Quæ hucuſque perſtrinxi, communia ſunt apud Auctores ; ideo brevitati ſtudens locorum citationes neglexi, quia pretium operæ non iudicavi.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO IX.

DE

ADIURATIONE.

IUramento affinis adiuratio eſt, & a D. Thoma poſt iuramentum inter externos religionis actus recenſetur. Tanti Doctoris veſtigia prementes, de eadem diſputationem inſtituimus. Illam paucis expediemus, eo quod plura diſcuſſa iam ſunt in diſſertatione de ſuperſtitione: quæ, ne actum agamus, hic prætermittenda cenſemus. In præſentia ergo explicabo quid, & quotuplex ſit adiuratio: deinde quæ res adiurari poſſint: tum quid ſuperſtitionis immiſceri adiurationi contingat.

CAPUT I.

Vera adiurationis notio, & eiuſdem diviſio. Sit ne religionis actus; & quæ ſint pro illius licito uſu conditiones.

I. ADiurare quandoque idem ſonat ac aliquem ad iurandum inducere, ut colligitur ex Gen. xxiv. *Pone manum tuam ſubter femur meum, ut adiurem te*: ubi verſ. 9. ſequitur: *Poſuit ergo ſervus manum ſub femore Abraham domini ſui, & iuravit illi ſuper ſermone hoc*. Idemque habetur *cap.* xlvii. & Ioſue ii. & v. Et ſub hac acceptione a iuramento non differt; ſolumque præpoſitio *ad* quamdam vehementiam, & firmitatem iuramento addit, ſeu exprimit.

II. Veram adiurationis, de qua nunc nobis ſermo eſt, notionem colligimus ex Angelico Doctore 2. 2. *quæſt.* xc. *art.* i. Itaque *adiuratio eſt obteſtatio divini nominis, ſeu rei ſacræ, qua quis urgetur vel imperio, vel obſecratione ad aliquid faciendum, vel omittendum*. Adiurare ſic explicatum idem valet apud Latinos, ac apud Græcos exorcizare, & exorciſmus eſt adiuratio, & adiurator exorciſta dicitur. Neceſſum haud eſt ut divinum nomen expreſſe conteſtemur; ſed ſatis eſt, ſi homines ſanctos, vel ſacras res interponamus. Quemadmodum enim iuramento Deum veluti præſentem vel in ſe, vel in ſuis creaturis, in quibus peculiari modo fulget, adducimus ad confirmandam veritatem; ſic in adiuratione eumdem conteſtamur, ut illius amore, aut timore quiſpiam moveatur ad id quod petimus præſtandum.

Digitized by Google

III. Hæc adiuratio alia eſt deprecativa, alia imperativa; alia inſuper privata, alia ſolemnis; alia tandem propria, alia impropria. Deprecativa eſt, cum aliquid petimus ab ipſo Deo, illius miſericordiam, aut merita Ieſu Chriſti, vel Sanctorum conteſtantes: qua adiuratione ſæpe utitur Eccleſia: & D. Paulus eadem uſus eſt ad Rom. XII. *Obſecro itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem ſanctam, Deo placentem.* Imperativa eſt, dum per divini nominis conteſtationem ſubditis quidquam præcipitur; uti fecit Paulus I. ad Theſs. V. *Adiuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus.* Adiuratione deprecante uti licet erga ſuperiores, æquales, & inferiores. Adiurationem vero imperantem dumtaxat erga inferiores, in quos poteſtatem habemus, adhibere licite poſſumus. Solemnis adiuratio eſt quæ peragitur ſecundum præſcriptum Eccleſiæ per miniſtros peculiariter deſignatos; privata vero hac ſolemnitate caret, & a quocumque fieri poteſt. Tandem propria dicitur quæ Deum invocat, aut Sanctos, quatenus relationem ad Deum exprimunt; impropria vero ea eſt quæ Sanctos invocat ſecundum propriam illorum excellentiam, merita, & dignitatem.

IV. Adiuratio preſſe accepta actus eſt religionis, ab aliis eiuſdem religionis actibus diſtinctus. Et in primis quod pertineat ad religionis virtutem, patet: quia per adiurationem ſummum Deo exhibemus honorem, dum illius auctoritatem interponimus, tamquam omnipotentem apud homines, ad poſtulata conſequenda. Hoc autem officium eſt religionis. Quod autem ab aliis actibus diſtinguatur, etiam oſtenditur. Nam ab oratione ſecernitur per hoc quod oratione quidquam a Deo poſtulamus; per adiurationem non a Deo aliquid petimus, ſed propter Deum quidquam poſcimus; quod longe diverſum eſt. Quin non ſemper petimus, ſed ſæpe Dei virtute imperamus: quod quam diſtet ab actu orandi, nemo non videt. Cum iuramento utique affinitatem quamdam habet: quia ſicuti iuramentum adhibetur ad tribuendam aſſertioni firmitatem, ita adiuratio fit ad dandam efficacitatem iuſſioni, aut poſtulationi. Ceterum ab eodem differt: quia in iuramento Deus adducitur ut teſtis veritatis; in adiuratione autem ut obiectum amoris, aut terroris illi quem adiuramus, ut permoveatur ad id agendum quod poſtulamus. Et quamquam iſtius actus præceptum, ſive naturale, ſive divinum, non detur; ratione tamen officii contingere poteſt ut miniſter Eccleſiæ teneatur adiurationes adhibere, præſertim ad dæmones ab humanis corporibus expellendos.

V. Eaſdem conditiones requirit adiuratio, ut licite fiat, ac iuramentum, nempe veritatem, iuſtitiam, & iudicium. Adiurator ergo per verum Deum, ſecus per falſos, adiurare debet, ſinceroque animo aliquid impetrandi. Requiritur quoque ut res impetranda licita ſit. Et tandem opus eſt ut fiat neceſſitate urgente

te; & cum debita reverentia. Si deſit prima conditio, ideſt ſi adiuratio fiat per falſos deos, non per verum Numen, peccatum grave eſt. Defectus aliarum conditionum levem culpam inferunt.

VI. Quid dicendum de paupere ficto, qui, conteſtato Chriſti nomine, divitem impellit ad ſibi erogandam eleemoſynam? In primis certum eſt, non ſolum adiuratorem debere animo ſincero Deum conteſtari; ſed inſuper oportere ut cauſſa iſtius conteſtationis vera ſit. Quapropter P. Suarez *Lib. IV. cap.* IV. *num.* 7. ſuſtinet, præfatum pauperem peccare mortaliter, dum fingit neceſſitatem, & nomen Dei aſſumit, ut ſuæ fictioni pondus credibilitatis adiiciat; ſeu ut facilius, quod ficte quærit, aſſequatur. Addit tamen, culpam gravem tunc ſolum perpetrari; cum fictio gravis eſt, ſeu dum in re gravi fictio adhibetur, ſecus in re levi: Quin probabile ſubdit eſſe eiuſmodi circumſtantiam adiurationis non addere malitiam gravem, ſpecie diſtinctam ab ipſa fictionis iniuſtitia. Manifeſtum namque eſt, iniuſtitiam committere hominem qui nulla indigentia preſſus fingit ſe pauperem, ut proximum inducat ad erogandam ſibi eleemoſynam: quod ut facilius aſſequatur, adiurationem ſuæ petitioni adiicit. Quare falſo Leander *tract.* IX. *diſput.* V. *quæſt.* V. & Caſtropalaus *tract.* XV. *diſp.* IV. *punct.* I. *num.* 5. citant P. Suarez tamquam abſolute docentem, eiuſmodi pauperem peccare mortaliter contra religionem; cum ſolummodo dubitanter, & in utramque partem probabiliter diſputet. Citatus vero Caſtropalaus abſolute contendit, pauperem hunc peccare mortaliter. Sanchez *Lib. II. cap.* XLII. ſolam culpam venialem eſſe propugnat. Idem docet Leander *loc. cit.* & alii. Quod mihi probabilius videtur, eſt, eum qui ex profeſſo ſe ſe pauperem fingit, ut abundantes eleemoſynas conquirat, & in hunc finem ex animi ſententia Deum obteſtatur, & continuis adiurationibus proximum urget ad eleemoſynas, ultra peccatum iniuſtitiæ, committere peccatum adverſus religionem. Divinam namque maieſtatem, & auctoritatem graviter contemnit; eaque ceu inſtrumento abutitur ad iniuſtiſſimas ſuas petitiones executioni mandandas. Nec obſtat ratio P. Sanchez, quod eleemoſyna, ut a divite procedit, bona ſit: quoniam adiuratio adhibetur ad firmandam, ſeu roborandam petitionem iniquam.

CAPUT II.

Qui adiuratores, quive adiurati eſſe poſſint.

I. DEus, Angeli, & creaturæ rationales omnes adiurare valent, ſi de adiuratione privata ſermo ſit. Et primo Deus per ſui amoris conteſtationem creaturas ad agendum allicere poteſt. Angeli quoque, ſive boni, ſive mali, &

homines poſſunt Dei nomen obteſtari, vel Sanctorum merita proponere, ut amore, vel timore illorum ad poſtulata exequenda quempiam inducant. Adiurare ergo valent, cum in hac obteſtatione adiuratio ſita ſit.

II. Adiurare ſolemniter, ſecundum præſcriptas ab Eccleſia formulas, ſolis miniſtris ab Eccleſia conſecratis convenit, quales ſunt inſigniti gradu Exorciſtæ. Alii enim fideles valent dæmones adiurare privatim, non publice, & ſolemniter. Hanc poteſtatem conceſſiſſe Deum fidelibus ſuis, clare colligitur ex Marc. XVI. verſ. 17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient* &c. Idque Chriſti diſcipuli experti reipſa fuere, dum dixerunt: *Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* Quibus ipſemet Chriſtus reſpondit Luc. x. verſ. 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Hinc infertur, Chriſtum fidelibus ſuis privilegium impartiiſſe expellendi in fide nominis ſui dæmonia ab energumenis. Ex his vero fidelibus Eccleſia quoſdam conſecrat, & deſtinat ad publice, & ſolemniter hanc adiurationem exercendam, qui ideo Exorciſtæ nuncupantur.

III. Quæſt. *An hæc poteſtas ſit in omnibus æqualis?* Reſp. Poteſtas quæ vi ordinis Exorciſtatus habetur, æqualis in omnibus eſt, quemadmodum poteſtas conſecrandi, quæ habetur vi Presbyteratus, in omnibus æqualis eſt. Poteſtas vero quæ inter gratias gratis datas recenſetur, inæqualis eſt, ut experientia conſtat; eamque Spiritus ſanctus, prout vult, & cui vult, diſtribuit. Hinc oculis conſpicimus Exorciſtarum alios efficacius, alios inefficacius, alios tardius, alios celerius energumenos liberare. Neque hæc excellentia a maiore conſcientiæ puritate abſolute pendet: nam ſcimus graviſſimos peccatores prophetaſſe, ut Cayphas, & futura revelaſſe, ut Balaam. Quapropter dicitur Matth. VII. verſ. 22. *Multi dicent in die illa: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: diſcedite a me qui operamini iniquitatem.* Idque ex pluribus aliis Scripturæ ſacræ locis colligitur. Quamquam vero hoc abſolute verum ſit, communiter tamen vitæ ſanctitas plurimum ad arcendos dæmones valet; & potiſſimum virtutum theologicarum excellentia ad hanc confert expulſionem, fides nempe viva, & firma, ſpes conſtans, caritas ardens. Qua de cauſſa hæretici poteſtate pellendi dæmones deſtituti ſunt: & licet Lutherus, Calvinus, eorumque gregales id ſæpius tentaverint, numquam tamen ſunt aſſecuti. Patratio namque miraculorum in veritatis confirmationem tendit. Hæretici autem hoſtes ſunt veritatis. Quare communiter Doctores in Exorciſtis plures requiri prærogativas docent. Præcipuæ autem ſunt conſcientiæ puritas, quam Exorciſta ſacramento pœnitentiæ comparare ſibi debet, antequam adiurationis munus obeat,

Digitized by Google

obeat, orationis ferventis aſſiduitas, ſenſuum, & carnis caſtigatio ieiuniis, aliiſque laborioſis operibus, profunda animi demiſſio, firma ſpes victoriæ a ſolo Dei auxilio expectandæ. His præſidiis munitus poterit Exorciſta manus cum hoſte conſerere.

IV. Omnis, & ſola creatura intellectualis adiurari poteſt. Item Deus ipſe poteſt adiurari & per ſeipſum, & per Sanctos ſuos. Quamvis enim Deus a ſemetipſo diſtinctus non ſit, nihil tamen impedit quominus a repræſentatione ſuæ bonitatis validius moveri poſſit. Quod vero a nobis adiurari, adiuratione quidem deprecativa, valeat, res certiſſima eſt, ut cum D. Thoma communiter docent Theologi: & Eccleſia quotidie, propoſitis Chriſti meritis, atque ipſius Dei infinita clementia, ipſum ad poſtulata concedenda movere intendit.

V. Quod vero omnes, & ſolæ creaturæ intellectuales adiurari poſſint, certum pariter eſt. Et in primis de Angelis bonis, & hominibus per ſe patet: quia omnes homines, ſanctique Angeli Dei conteſtatione permoveri poſſunt ad aſſentiendum poſtulatis, eaque implenda. Adiurari ergo poſſunt adiuratione deprecativa. Dæmones vero adiurari poſſunt non deprecativa, ſed imperativa adiuratione. Licet enim ratione naturæ ſuperiores nobis ſint; ratione tamen obſtinatæ illorum rebellionis erga Deum ſubduntur nobis, non abſolute, ſed ob auxilium divinum, per Chriſti merita nobis collatum ad arcendos hos immundos ſpiritus, ne nobis noceant, ut docet Angelicus 2. 2. quæſt. xc. art. 2. *Poſſumus ergo dæmones adiurando per virtutem divini nominis, tamquam inimicos repellere, ne nobis noceant ſpiritualiter, vel corporaliter ſecundum poteſtatem divinam datam a Chriſto, ſecundum illud Luc.* x. *Ecce dedi vobis* &c. Non licet tamen eos adiurare adiuratione deprecativa, vel ad aliquid perdiſcendum, aut obtinendum ab eis, vel eorum miniſterio. Omnis quippe adiuratio quæ aliquam ſocietatem, ſeu commercium cum illis præfert, illicita eſt, ut ſubdit idem Angelicus ibidem: *Non tamen licitum eſt eos adiurare ad aliquid ab eis addiſcendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum: quia hoc pertineret ad aliquam ſocietatem cum ipſis habendam: niſi forte ex ſpeciali inſtinctu, vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione utantur; ſicuti legitur de beato Iacobo, quod per dæmones fecit Hermogenem ad ſe adduci.*

VI. Quod autem ſolæ creaturæ intellectuales adiurari valeant, non indiget probatione: quia illæ ſolæ creaturæ adiurari poſſunt quæ verba percipiant adiurationis. Porro ſolæ creaturæ ratione præditæ valent adiurationis verba percipere. Nec obeſt quod Eccleſia exorciſmos adhibeat contra bruchum, locuſtas, grandines, aliaque bruta ratione deſtituta: quia falſum eſt eiuſmodi animalia, ſeu irrationales creaturas directe adiurari; ſed ſpiritus inviſibiles, ſeu dæmones, qui eiuſmodi creaturas movere ſolent ad hominum nocumentum, adiurantur. Hæc

Digitized by Google

omnia tradit Angelicus 2. 2. quæſt. IX. art. 3. *Adiuratio qua quis utitur ad irrationalem creaturam, poteſt intelligi dupliciter. Uno modo ut adiuratio referatur ad ipſam irrationalem creaturam ſecundum ſe; & ſic vanum eſſet irrationalem creaturam adiurare . . . Alio modo per modum compulſionis, quæ refertur ad diabolum, qui in nocumentum noſtrum utitur irrationabilibus creaturis; & talis eſt modus adiurandi in Eccleſiæ exorciſmis, per quos dæmonum poteſtas excluditur ab irrationabilibus creaturis.*

CAPUT III.

Exorciſmorum uſus ſemper fuit in Eccleſia. Eorumdem efficacitas ad expellendos dæmones: & num res inanimes virtute polleant in eoſdem dæmones.

I. Quóniam frequens eſt in Eccleſia exorciſmorum uſus, lubet ea omnia breviter perſtringere quæ neceſſaria ſunt ad Exorciſtæ officium peragendum. Quamvis enim fuſo calamo plures materiam hanc tractaverint, non propterea ſupervacaneum erit quæ præcipua ſunt explanare.

II. Antiquiſſimus eſt in Eccleſia exorciſmorum uſus. Vario tamen ritu pro temporum diverſitate Exorciſtæ dæmones pellebant. Nam in veteri lege, teſte ſancto Epiphanio *cap.* III. contra Ebionæos, nomine invocato TETRAGRAMMATON dæmones adiurabant Iudæi. Eos ſiquidem exorciſmos ad expellendos dæmones adhibuiſſe, colligitur ex ipſo Chriſto Domino, qui Iudæis ſibi improperantibus, in Beelzebub dæmonia eiicere, reſpondit Luc. XI. *Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filii veſtri in quo eiiciunt?* De Salomone quoque Ioſephus *Lib. IV. Antiquit. cap.* IV. refert, exorciſmos contra dæmones illum exercuiſſe: quod D. Thomas *quæſt.* VI. *de pot. artic.* 10. *ad* 3. ſupponit, dum ait: *Si Salomon exorciſmos ſuos eo tempore fecit quando erat in ſtatu ſalutis, potuit eſſe in illis exorciſmis vis cogendi dæmones ex virtute divina.* Et, ut breviter dicamus, quemadmodum in quocumque ſtatu dæmones hoſtes ſemper fuerunt humani generis, ſic in quocumque ſtatu homines poteſtate abigendi dæmones donati fuere; quamquam, ut dixi, variis formulis, & ritibus eamdem exercuerint. Chriſtus ipſe modo unam, modo alteram formam ſervavit in dæmonum expulſione. Nam aliquando digitos immiſit in aures ſurdi, & muti, ut illum ſanaret. Marc. VII. verſ. 32. *Adducunt ei ſurdum, & mutum . . . & apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius . . . & ait illi, EPHPHETA, quod eſt adaperire: & ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius.* In expulſione aliorum dæmonum ſola locutione uſus eſt. Apoſtoli nomen Chriſti

Ieſu

Ieſu invocabant. Act. xvi. verſ. 18. *Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea: & exiit eadem hora*. Eccleſia Chriſti Ieſu invocationi alias preces adiecit; quæ in ritualibus libris habentur.

III. De exorciſmorum efficacitate fuſe diſputant Theologi. Alii ex *opere operato*, alii dumtaxat *ſignificative* effectum operari contendunt. Ut inanes ſubtilitates vitemus, dicimus cum D. Thoma, exorciſmum reipſa per modum impetrationis; ſeu moraliter, effectum expulſionis dæmonum operari. Ita docet Angelicus III. Part. quæſt. lxxi. art. 3. *Dicendum, quod quidam dixerunt, ea quæ in exorciſmo aguntur, nihil efficere, ſed ſolum ſignificare. Sed hoc patet eſſe falſum per hoc quod Eccleſia in exorciſmis imperativis verbis utitur ad expellendam dæmonis poteſtatem: puta cum dicit: Ergo maledicte diabole, exi ab eo &c. Et ideo dicendum eſt, quod aliquem effectum habent, differenter tamen ab ipſo baptiſmo*. Quemadmodum vero in baptiſmo, ſic etiam extra, exorciſmus ſuum producit effectum.

IV. Quæres, *an exorciſmi ſemper, & infallibiliter ſuum producant effectum?* Reſp. Affirmant non pauci, & potiſſimum Salmanticenſes *tract.* xxii. *cap. unic. punct.* 3. *num.* 22. Quoniam eo ipſo quod exorciſmi ex *opere operato* ſuum effectum operentur, inferunt illum ſemper, & infallibiliter producere. Et ad oppoſitam, manifeſtamque experientiam reponunt, quandoque totum, quandoque partem effectus exorciſmos parere, ſeu vel expulſionem totalem, vel, ut ipſi aiunt, *vialem*: & hac diſtinctione conciliare utramque ſententiam contendunt. Sed clarius reſpondetur, exorciſmos non ſemper ſuum producere effectum, nempe expulſionem dæmonum, ut experientia manifeſta conſtat vel in ipſis Apoſtolis, qui puerum dæmoniacum liberare, adhibitis exorciſmis, nequiverunt, *Matth.* vii. & quotidie videmus exorciſmos, per miniſtros Eccleſiæ adhibitos, ſuos non parere effectus. Nec urget quod opponunt Salmanticenſes, videlicet exorciſmos producere effectum ex opere operato, atque adeo debere ſemper effectum parere; quemadmodum ſacramenta, quæ ſemper, ſublato obice, effectum producunt, quia ex opere operato agunt. Non, inquam, hæc urgent: quoniam, quicumque ſit ſignificatus horum verborum ex *opere operato*, omnes concedent efficacitatem exorciſmorum inferiorem eſſe efficacitate ſacramentorum: atque adeo paritas corruit. Dicamus ergo, exorciſmos divina virtute ſuos parere effectus, quando, & quo modo divinæ placuerit voluntati. Deus enim quandoque ob ſua inſcrutabilia iudicia, occultaſque cauſſas effectum ſuſpendit exorciſmorum. Deinde frequenter peccata ipſius Exorciſtæ effectum impediunt: licet enim, ut dictum eſt, ſanctitas miniſtri neceſſaria abſolute non ſit; attamen in praxi, & ſæpe conducit ad finem, & ſæpe illius defectus eumdem finem remoratur. Peccata quoque obſeſſorum frequentiſſime in cauſſa ſunt cur exorciſmi dæmones non expellant. Quod autem exorciſmi, his im-

impedimentis non obſtantibus, producant expulſionem illam *vialem*, quam aſſignant Salmanticenſes, ut ſalvent exorciſmos producere effectum ex *opere operato*; res arbitraria eſt, nullo nixa fundamento. Nec res tanti eſt, ut plura facienda ſint verba.

V. Neque ſemper neceſſum eſt ipſos exorciſmos ſecundum formulas ab Eccleſia præſcriptas adhiberi, ut dæmones e corporibus pellantur; ſed hæc expulſio fieri poteſt aliarum rerum uſu. Primo poſſunt dæmones abigi ſola *nominis IESU invocatione*: ut habetur Marc. XVI. *In nomine meo dæmonia eiicient*: & Luc. IX. *Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum*. Secundo *crux Chriſti* inſtrumentum præcipuum eſt quo homines uti ſolent ad expellendos dæmones, qui ad ſignum crucis in fronte impreſſum tremunt, & horrent. Quoniam in eo conſpiciunt ſuæ cladis, & Chriſti victoriæ ſplendidiſſimum monumentum. Tertio *reliquiarum* uſus plurimum ad abigendos dæmones valet, ut ex ipſis Apoſtolorum Actibus cap. XIX. verſ. 11. & 12. colligitur. *Virtuteſque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur*. Tandem res ſacræ, ſeu benedictæ, ut ſunt *agni cerei*, & *aqua luſtralis*: quorum in fugandis dæmonibus virtus pluribus exemplis probari poſſet. Ipſa Eccleſia, dum ſolemni ritu præfatam aquam benedicit, teſtatur eam potiſſimum ad fugandos dæmones, & pellendos morbos deſtinatam eſſe. Inquit enim in ſuis precibus: *Creatura tua, myſteriis tuis ſerviens, ad abigendos dæmones, morboſque pellendos, divinæ gratiæ ſumat effectum*.

VI. Quod ſpectat ad res inanimes, plura opponi ſolent documenta, quæ earumdem virtutem ad expellendos dæmones prodere videntur. Nam *I. Reg. cap.* XVI. David citharæ ſonitu a corpore Saul malos ſpiritus abegit. *Tobiæ* VI. narratur iecoris piſcis fumum efficacem fuiſſe ad extricandum omne genus dæmoniorum. Ioſephus *Lib. IV. Antiquit. cap.* XX. refert ſe vidiſſe quemdam Iudæum Eleazarum, ſanantem, præſente Veſpaſiano, energumenos, eorum naribus radicem a Salomone indicatam, ac intra annulum incluſam applicando. Plinius quoque *Lib. XXVIII. hiſt. natur.* aſſerit, urinam equi mixtam aqua ferrata dæmones expellere. Denique nonnulli eamdem virtutem adſcribunt pluribus herbis, nempe *ſalviæ, rutæ, barbæ Iovis, foliis ſambuci, polegio*, aliiſque. Idemque teſtantur de fumigationibus quibuſdam, v. g. *cornu caprini, galbani, aſſæ fœtidæ*.

VII. Verum hæc omnia nugæ ſunt: nulla namque corporea res in ſpiritum agere quidquam ſuapte natura valet. Ut ad exempla adducta congruam exhibeamus reſponſionem, ſcias velim, dæmones duobus potiſſimum modis vexare energumenos. Primo mediis qualitatibus naturalibus, activa applicando paſſivis, quibus corpora movent. Secundo per ſe ipſos cor, viſcera, fauces, linguam, ceteraque

que corporis membra coarctando, dilatando, torquendo plus minuſve, prout Deus permittit. Si hoc ſecundo modo dæmones energumenos agitent, nulla res ſenſibilis quidquam virtutis habet ad eorum expulſionem. Si primo modo dæmones humana corpora vexent; evenire poteſt ut quis adhibendo aliquod ex recenſitis, ſive herbarum, ſive aliarum ſimilium rerum naturalium, mediis, humores corporis humani temperare, qualitates, quibus utuntur dæmones, expellere, & conſequenter indirecte dæmones abigere valeat. Hinc eſt quod *Tobiæ* VI. dicitur, fumum iecoris illius piſcis habuiſſe efficacitatem extricandi dæmonia, quatenus minuebat impotentis libidinis ardorem, quam accendendo Aſmodæus ſeptem priores Saræ viros occiderat. Qua ratione ergo ſuffitus illius iecoris venereos ignes extinguebat, & ad caſtitatem corpus aptabat, dicebatur dæmones extricare. David quoque dum harmonico citharæ ſonitu minuebat Saulis melancholiam, qua utebatur dæmon ad vexandum Saulem, dicebatur pellere ſpiritum nequam. Si plura cupis, conſule Abulenſem *I. Reg. quæſt.* XLV. *cap.* XVI. Quod ſpectat Salomonem, lege D. Thomam *quæſt.* X. *de potent. art.* 10. ubi dicit, illum, quando erat Deo fidelis, virtute divina dæmonia abigere potuiſſe. Poſtquam vero a Deo receſſit, ſi dæmones expulit, magica & ſuperſtitioſa arte id peregit. Idcirco ſuperſtitioſa ſunt quæ narrat Ioſephus de ſuo Iudæo Eleazaro. Ad alia exempla reſponſio patet ex dictis: nam vel ſuperſtitione laborant facta illa, vel naturales morbi naturali medicamine curati fuere. Hæc omnia obvia ſunt apud omnes Auctores.

CAPUT IV.

Quomodo in energumenis dæmones inhabitent, quove in numero, & qua poteſtate dominentur in eos; & an peccata quæ dæmonum impulſu perpetrant energumeni, illis imputentur.

I. VEritas fidei eſt dæmones aliquando in hominum corpora intrare, & ibi inhabitare: nam *Matth.* XVII. *Luc.* VIII. IX. *Marc.* V. VII. & pluribus aliis in locis legitur, Chriſtum Dominum ab obſeſſis corporibus dæmones expuliſſe. Experientia pariter compertum eſt, energumenos peregrinis linguis loqui, quædam mirabilia operari, quæ, cum humana virtute fieri nequeant, dæmonum viribus effici conſequens eſt.

II. Porro ut dæmones dicantur inhabitare in homine, & homo arreptitius, ſeu dæmoniacus dicatur, tria requiruntur. Primo quod dæmon invadat, & ingrediatur corpus obſeſſi. Exterior namque aſſiſtentia haud eſt ſatis ut energumenus quis dicatur. Idque conſtat ex Evangelio: nam *Marc.* V. dicitur: *Exeuntes ſpiritus*

Digitized by Google

tus immundi introierunt in porcos. Secundo requiritur ut ingreſſus iſte ſit immediatus, ſeu ut dæmon, non media aliqua re naturali pernicioſa vexet obſeſſum; morbos, & infirmitates inducendo; alioquin maleficiati dicerentur obſeſſi, quod falſum eſt; ſed ipſe dæmon per ſeipſum debet obſeſſum vexare, ut dæmoniacum illum conſtituat. Tertio requiritur ut dæmon habeat poteſtatem manendi in corpore obſeſſo tamquam in domicilio, illudque torquendi tum interius, tum exterius: quam poteſtatem cum non habuerit dæmon qui intravit in Iudam, hic dæmoniacus non fuit. Hæc omnia communia ſunt, & obvia.

III. Diſputant Theologi, per quam corporis partem dæmones in corpora intrent. Cum dæmones puri ſint ſpiritus, per quamcumque partem ingredi in corpus valent: quia omnia corpora, & quaſcumque corporis partes penetrare poſſunt. Qua de cauſſa nihil quod corporeum eſt, reſiſtere ſpiritui poteſt. Verum tamen eſt quod communiter dicitur, nempe dæmones intrare in corpora per os, & nares. Hinc orta eſt illa conſuetudo qua homines oſcitantes ſigno crucis osmuniunt, ut ingreſſum dæmonis impediant.

IV. In qua hominis obſeſſi parte dæmones reſideant, non una eſt Doctorum ſententia. At, cum quamlibet corporis partem pervadere valeant ſpiritus immundi, conſequitur in qualibet corporis parte, ſive in capite, ſive in brachiis, ſive in digitis, ſive in tibiis, reſidere eos poſse. Definire autem quam præciſe partem occupent, difficile eſt. Ex effectibus quandoque id colligi poteſt. Si enim alicui membro, puta linguæ, brachio, pedi, peculiarem moleſtiam inferant; ibi eos reſidere veroſimile, non tamen certum eſt. Penes cor, quod eſt principium humanarum actionum, dæmones in energumenis habitantes reſidere, communior opinio eſt. Hic animadvertas velim, diverſo modo dæmones in energumenis, ac animas in corporibus reſidere. Anima namque, quoniam totum corpus vivificat, tota eſt in toto corpore, & tota in qualibet parte, & omnibus partibus coniuncta eſse debet. Secus dæmones, quia ſunt in corpore tamquam motores in loco: hinc pro libito valent vel in qualibet parte, vel in toto corpore latitare. Differt quoque reſidentia dæmonum in energumenis ab aſſiſtentia Angelorum cuſtodum: quia iſti cuſtodiunt corpora noſtra, removendo exteriora impedimenta, & bonas aperiendo vias; illi vero intra ipſius corporis quantitatem operantur.

V. In controverſiam revocari ſolet, cuius ordinis ſint dæmones qui homines, ſeu energumenos vexant. Nam, ſicut plures Angelorum bonorum, ita etiam malorum ordines ſunt, eo quod ſinguli ſpecie differant: idque ex Scriptura colligitur: dicitur enim Matth. xxv. *Qui paratus eſt diabolo, & angelis eius*. Volunt itaque aliqui, ex infimo tantum ordine eſſe dæmones intrantes in corpora humana. Ceterum communis ſententia docet, cuiuſcumque ordinis, infimi, medii, & ſuperioris, dæmones corpora ingredi humana. Et hoc ex Scriptura deducitur: ſiquidem

dem Apoſtolus Paulus inquit ad Epheſios VI. *Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ*. Principes autem, & poteſtates ordinis ſunt ſuperioris. Quo autem difficilior eſt eorum expulſio, eo illos eſſe altioris ordinis volunt. Hinc dæmones illos de quibus Chriſtus *Matth.* XVII. dixit: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur niſi per orationem, & ieiunium*, ſuperioris fuiſſe ordinis creditur. Verum coniecturis innituntur opiniones iſtæ.

VI. Non unus, ſed plures ſpiritus mali in uno eodemque homine inhabitare poſſunt, ut conſtat ex Luc. VIII. verſ. 30. *Intraverant dæmonia multa in eum*: & cap. XI. verſ. 24. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem . . . tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi*. Idem colligitur ex *Marc.* XVI. Neque alicuius momenti ſunt tricæ illæ ex Philoſophia petitæ; nempe non poſſe in eodem loco plures ſpiritus reperiri; cum ſint ibi per operationem: nam vel operantur circa diverſas corporis partes, vel partiario agunt, vel eorum actiones ſpecie differunt. Hinc ſequitur plus torqueri, & pati energumenum pluribus dæmonibus obſeſſum, quam ſi uno ſolo teneretur captivus. Verum quia nihil agere valent, niſi iuxta modum præſcriptum ab infinita Dei ſapientia; idcirco poteſt contingere quod Deus uni dæmoni poteſtatem concedat ut ſe ſolo plus torqueat energumenum quam ſi plures in eodem habitarent. Communiter loquendo, quando plures in obſeſſo dæmones ſunt, quilibet ſuum munus exercet ab altero diſtinctum; ita ut unus in uno, alter in alio ordine torqueat: quare, uno expulſo, ceteri reſtant; novaque in eorum expulſione difficultas eſt ſuperanda.

VII. Signa ex quibus arreptitii, ſeu energumeni, & dæmoniaci cognoſci valent, plura ſunt. Primum, ſi peregrinis linguis loquantur, ſi ſcientias quas numquam didicere, calleant. Secundum, ſi occulta revelent, & ſecreta quæ humana virtute ſciri nequeunt, aut aliud quid faciant quod naturalem hominis facultatem excedit. Tertium eſt ſtupor omnium membrorum: quod tamen certum non eſt. Quartum, quod pariter certitudine caret, eſt terribilis & truculentus vultus. Quintum, quod itidem incertum eſt, ſunt ingentes vires, quæ humanas excedere videntur. Sextum, ſi voce inuſitata energumenus loquatur: coniecturam tamen non excedit. Septimum, dum renuit nomen *IESU* proferre, Sanctos invocare, res ſacras venerari. Octavum, cum energumeni conturbantur, & agitantur, dum miniſtri adiurationes, ſeu exorciſmos peragunt. Nam alii ſub manu Sacerdotis tangentis caput energumeni, extremum patiuntur frigus, quod per humeros, reneſque, ceu ventus, percurrere ſolet. Alii cerebrum conſtringi, alii inflammari caput ſentiunt. Alii inteſtinis doloribus torquentur, alii faucibus ſuffocari ſibi videntur, alii ſtomachi convulſionibus, alii ventus inflatione laborant: quæ omnia gra-

graviſſima ſunt indicia obſeſſionis. Duo tamen prima ſigna, ſi vera ſint, certa quoque ſunt argumenta, homines tales vere eſſe dæmoniacos. Cetera omnia urgentia utique, ut diximus, indicia; ſecus certa argumenta ſunt, corpora a dæmonibus obſideri. Quod autem energumenorum tormenta ſpectat, plus aut minus ſuam dæmones in eorum corpora exercent tyrannidem, & ſævitiam, nunc ea ad terram allidendo, nunc in ignem præcipitando, nunc ſpeciem hominis immutando, nunc membra contrahendo, prout magis aut minus Deus ipſe permittit. Quæ omnia quandoque ſe ipſis efficiunt, aliquando mediis inſtrumentis quibuſdam. Neque enim fabularum loco habenda ſunt quæ de quibuſdam energumenis narrantur, videlicet feminas arreptitias, non ſemel exorciſmorum vi, modo per pudenda emiſiſſe e corpore ſerras denticulatas, & in fragmenta diviſas, clavos ferreos unius fere palmi longitudinis, triangulares, & aduncos; modo per os acus, fubulas, vermes fœtidos, bufones horribiles evomiſſe. Viri ſiquidem fide digni narrant, ſe propriis oculis hæc conſpexiſſe portenta; & alicubì ipſa inſtrumenta viſenda ſervantur. Deus tamen, qui omnia ſuaviter diſponit, ita temperat dæmonum ſævitiam, ut ſupra vires energumenorum eos torquere non ſinat. Si enim liberi forent dæmones; omnes ad unum necarent, ac univerſum humanum genus de medio tollerent. Sed Deus ob ſua inſcrutabilia iudicia permittit utique dæmones in homines ſævire; terminos tamen definit ultra quos progredi nequeunt.

VIII. De peccatis obſeſſorum animadvertendum eſt, quod, licet dæmones omnes ſenſus tum externos, tum internos hominum commovere, & agitare poſſint, nullam tamen in hominum voluntatem, aut intellectum poteſtatem habent. Quando ergo dæmones per violentiam compellunt linguam energumeni blaſphemare, obſcena verba proferre, vel inducunt eoſdem ad alia mala perpetranda ſenſibus externis; eiuſmodi peccata energumenis non imputantur, quia deeſt eiſdem libertas. Item, quando dæmones ita perturbant phantaſiam, & ſenſus internos, ut arreptitii malum pro bono apprehendant; tunc etiam peccata non imputantur energumenis, quia non ſunt ab illis libere volita, quemadmodum neque ſtultis actiones pravæ adſcribuntur. Quod ſi dæmones dumtaxat ſuaſionibus, ac ſuggeſtionibus, tametſi vehementibus, alliciant voluntatem, quin internos ſenſus pervertant; tunc peccata energumenis ipſis imputantur, quia libere volita ſunt. Sic peccavit Saul, dum tentavit lancea David configere: quia ſolum ex ſuggeſtione dæmonis; & alioquin ex deliberato, invidoque animo illum occidere molitus eſt.

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

Ratio quam in adiurandis energumenis debent ſervare Exorciſtæ: quæ præcipere, quæve interrogare, & quam fidem adhibere dæmoni debeant.

I. FUſe de hac propoſita materia diſputare Theologi ſolent: opus namque ita arduum eſt, ut vix explicari valeat. Apoſtoli *Luc.* x. *verſ.* 17. exultantes dicebant: *Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* Ut autem rationem, modumque exhibeam ab eccleſiaſtico miniſtro ſervandum in dæmonum expulſione, primum omnium explorare ſumma diligentia, & cautione debet Exorciſta, num in corpore hominis dæmon inhabitet. Quod ſi obſideri a dæmone hominem ſibi conſtiterit, antequam conflictum aggrediatur, arma induat ſpiritualia, quæ porrigit Apoſtolus Paulus Epheſ. VI. verſ. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* verſ. 14. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ.* verſ. 16. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia.* Quod paucioribus verbis Chriſtus Dominus indicaverat Marc. IX. verſ. 28. *Hoc genus in nullo poteſt exire niſi in oratione, & ieiunio.*

II. Primum omnium ergo vivæ fidei ſcuto ſe ſe miniſter muniat, deinde armaturam ſpei aſſumat, & poſtea ſacramentali pœnitentia deterſis conſcientiæ ſordibus, caritatis ignem accendat, iugi oratione divinum imploret auxilium, atque ſevero ieiunio carnem comprimat, ceteraſque ſubigat ſpiritui appetitiones. His eiſdem armis energumenum munire ſtudeat: in actibus fidei, & ſpei continenter eum exerceat, atque ſacramentis tum pœnitentiæ, tum euchariſtiæ eumdem roboret. His præſidiis fultus manus conſerat, & adverſus ſpiritus nequiſſimos bellum intrepide aggrediatur. In hoc conflictu animus omnino impavidus, & audens, omni abiecto timore, plurimum conducit ad victoriam.

III. Secundo præcipere miniſter dæmoni debet ut a torquendo deſiſtat: deinde interrogare ea omnia quæ ad illius expulſionem conducere ſibi viſa fuerint. Si enim Deus poteſtatem miniſtris ſuis concedit dæmones expellendi, conſequenter illis concedit facultatem utendi iis omnibus quæ ad talem expulſionis finem viam ſternunt. Caveat tamen ne quicquam quod neceſſarium non ſit ad finem expulſionis interroget. Si enim aliqua expoſceret quæ curioſitatem ſaperent, vel ſuperflua forent, commercium cum dæmone habere præſumeretur; quod ſuperſtitionem redo-

redolet. Tamquam ergo immaniſſimum tum Dei, tum humani generis hoſtem in omni verbo eum tractare debet. Nihil deprecando, ſed omnia in Dei virtute imperando, ab eo exigere debet. Divus enim Paulus *I. ad Corinth.* x. omnem cum dæmonibus ſocietatem vetat: *Nolo vos fieri ſocios dæmoniorum*. Præterquamquod, cum dæmon mendaciorum, & falſitatis pater ſit, nulla ei fides adhibenda: & ſi veritatem quandoque profert, id ſemper ob aliquem pravum finem præſtat, vel ad infamandum, vel ad peccata inducenda. Hinc eſt quod Chriſtus Dominus, audiens dæmones æternam illam veritatem proferentes, *Quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, iuſſit illos ſilere, inquit D. Antoninus II. Part. tit. XII. cap. 1. §. 5. *Ut doceret nos non inquirere veritatem a diabolo, nec multum curare, quando ipſe de ſe enuntiat; præcipue cum habeamus teſtimonium Scripturarum, cui magis credendum eſt. A diabolo captivi tenentur qui, relicto Creatore, diaboli auxilia quærunt.* XXXVI. quæſt. V. Epiſcopi. *Sciendum tamen, quod aliud eſt invocare dæmonem ad aliquid ſciendum, vel agendum ab eo; quod numquam licet: aliud eſt ab ipſo non invocato occurrente aliquid inquirere propter utilitatem aliorum, & maxime quando virtute divina poteſt cogi ad dicendum aliqua vera, ſicut aliquando fecerunt Sancti.* Caveat ergo Exorciſta a quacumque vana, inepta, & curioſa interrogatione. Et quamquam non omnis interrogatio incauta, & imprudens, culpa gravis ſit, propter vel imperfectam deliberationem actus, aut materiæ parvitatem; nihilominus, quia res eſt periculi plena ob hoſtis perfidiam, qui vel ipſas bonas interrogationes in malum detorquere conatur; ſumma vigilantia, & cautione, quoties cum illo bellum gerit Exorciſta, utatur oportet. Caietanus 2. 2. *quæſt.* XC. *art.* 1. optime paucis verbis rem omnem conficit. Dicit enim, nos ſemper debere tractare dæmonem tamquam hoſtem, vel *expulſive*, ideſt, eum ab arreptitiis expellendo; vel *compulſive*, videlicet illum compellendo ad aliquid dicendum, vel faciendum, non tamquam ſpontaneum, ſed ut captivum ſub vinculo ſervitutis detentum. Concludit tandem Caietanus: *Cum his omnibus ſtat quod per accidens licitum eſſe poteſt ab occurrente dæmone inquirere, & cum eo loqui propter aliorum utilitatem, ut Auctor in allegata auctoritate dicit, ſi caſus accidat, quaſi teſtimonium ab hoſte oblato exigens: & tunc tamquam cum hoſte hæc agenda ſunt.* Textus autem D. Thomæ, quem indicat Caietanus habetur *quæſt.* XCV. *art.* 4. *ad* 1. eſtque eiuſmodi: *Inquirere aliquid a dæmone ſponte occurrente.... quandoque licet propter utilitatem aliorum, maxime quando divina virtute poteſt compelli ad vera dicenda.* Itaque qui longos vanoſque ſermones cum dæmone texeret, qui addiſcere mediis his interrogationibus aliquid a dæmone contenderet, ſi periculum foret quod dæmon reſpondendo aliena crimina proderet; dubio procul graviter peccaret. Si vero coactive illum, tamquam hoſtem, adigeret ad aliquam reſponſionem inutilem, & vanam; non excederet culpam venialem.

IV

IV. Ex his conſtat licitum non eſſe præcipere dæmoni ſuperiori ut inferiores expellat. Quod tamen diſtinguendum venit. Si Exorciſta peteret a dæmone hoc beneficium, expellendi ſcilicet dæmones inferiores; illicitum ſane foret, & graviſſimum peccatum; ſicut peccaret, ſi a dæmone opem peteret ad grandines propulſandas, aliaque incommoda amovenda. Si vero Exorciſta dæmoni ſupremo præciperet, tamquam hoſti, ut ipſe totam ſuam legionem foras duceret, atque cum omnibus ſuis ſociis e corpore exiret; nullum peccatum, ſed actum licitum exerceret, Præceptum enim Exorciſtæ, tum in ſuperiores, tum in inferiores dæmones virtute pollet, omneſque tamquam hoſtes ſubigit. Superfluum ergo foret præceptum illud quo dæmonem ſuperiorem iuberet inferiores expellere.

V. Tertio Exorciſta compellere licite poteſt, & ſæpe debet dæmonem ad manifeſtandum proprium nomen: quod & feciſſe Chriſtum Dominum legimus Luc. VIII. *Quod tibi nomen eſt?* & dicit ei, *Legio*. Deinde cauſſam illius ingreſſus percontari debet, ut cauſſa cognita removeatur, & expulſio facilior evadat. Tum quærat, num unus ſit, vel plures in corpore obſeſſi inhabitent, ut perſpectum adiurator habeat numerum hoſtium quibuſcum pugnare debet.

VI. Quæres, *an licitum ſit petere a dæmone ſignum egreſſus ſui e corpore, puta ut lucernam extinguat, ut vitrum frangat, aliudve ſimile?* Reſp. Dominicus Soto *Lib. VIII. de iuſt. quæſt.* III. *art.* 2. *in reſp. ad* 1. *arg.* videtur negare id licere his verbis. *Superſtitioſiſſimum puto, neque ullo modo ferendum, petere a dæmone ſignum in teſtimonium loci unde venit, aut quod numquam in hominem a quo expellitur, revertatur. Eſt enim mendax, & pater mendacii: & ideo neque illi, neque ſuis ſignis, & teſtimoniis ulla eſt adhibenda fides.* Ambigua ſunt illa verba, *in teſtimonium loci unde venit*. Nam, ſi locum indicant a quo dæmon profectus eſt, antequam corpus energumeni ingrederetur; opinio *Soti* vera eſſet: quoniam nihil ad expulſionem confert notitia loci unde diabolus diſceſſit, ut corpus invaderet hominis. Contra, ſi indicant locum, ideſt corpus, e quo dæmon adiuratus recedit; opinio *Soti* falſa eſt, mirumque videtur virum doctiſſimum ac diligentiſſimum potuiſſe in re tam aperta aberrare. Quandoquidem Rituale Romanum hanc petitionem præſcribit, illaque ad expulſionem conducit, quatenus tali ſigno certus redditur de expulſione miniſter. Utique mendaciorum pater dæmon eſt. Nil tamen impedit quominus cogatur vi exorciſmorum veritatem vel invitum fateri. Alioquin, ſi ratio *Soti* quidquam evinceret, nihil a dæmone Exorciſta petere deberet.

VII. Quarto Exorciſta permittere minime debet ut plura quam neceſſaria ſint, dæmon loquatur; quemadmodum ſupra exemplo Chriſti dæmonem increpantis dictum eſt; & docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* XCV. *art.* 4. Quanto magis ergo iocos, & nugacia verba impedire aſtringitur? Ea ergo tantum quæ neceſſaria ſunt ad dæmonis expulſionem, interrogare debet. Nec tamen illicitum eſt quærere aliquid

Digitized by Google

coactive quod ad gloriam Dei, & proximi utilitatem pertineat, ut ſupra ex D. Thoma *loc. cit. ad* 1. iam innuimus. Oportet tamen ut proximi utilitas, Deique gloria comperta ſit. Sine enim urgenti cauſſa ſimiles interrogationes, quæ neceſſariæ non ſunt ad expulſionem, omitti prorſus debent; niſi aliquis peculiaris inſtinctus oppoſitum ſuadeat, inquit Angelicus 2. 2. quæſt. xc. art. 2. *Niſi forte ex ſpeciali inſtinctu, vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione utantur; ſicut legitur de beato Iacobo, quod per dæmones fecit Hermogenem ad ſe adduci.* Ratio autem clara eſt. Quando enim cum dæmone hoſtiliter agitur, nulla contrahitur ſocietas, nullumque fœdus.

VIII. De fide dæmonis reſponſionibus adhibenda gravis occurrit difficultas, an ſcilicet, ſi dæmon teſtaretur vi exorciſmorum, cauſſam ſui ingreſſus fuiſſe quod obſeſſus invalide baptizatus fuerit, fides ei foret adhibenda. Fuſo calamo hanc quæſtionem pertractant Salmanticenſes *tract.* xx1. *cap. unic. punct.* 6. §. 2. Referunt utriuſque partis tum negantis, tum aientis argumenta. Non cenſeo opere pretium omnia ad examen revocare; ſed quæ ſentio, paucis exponere ſatius duco. Dico igitur, quando ex conſuetis documentis, nempe cenſu baptizatorum, Sacerdotis baptizantis, patrinorumque conſtaret, energumenum fuiſſe baptizatum; nulla prorſus fides dæmoni adhibenda eſſet. Nonne dæmon ſemper perniciem, ruinamque hominum intendit? Si hominem invalide baptizatum revelaret, eiuſdem ſalutem procuraret: quod a dæmone expectandum non eſt. Quid quod eiuſmodi revelatio illum baptiſmi miniſtrum infamaret? Ponimus namque energumenum reapſe baptizatum fuiſſe externo ritu, ſolumque defectu intentionis miniſtri baptizatum non fuiſſe: cuius intentionis carentia, niſi evidentibus ſignis evincatur, præſumi nullo modo debet. Quis ergo dæmoni, mendaciorum patri, fidem adhibebit in hoc caſu, in quo tot argumenta oppoſitum ſuadent? Nec enim talis revelatio vel levem, nedum probabilem, dubitationem inducere poteſt. Utique vi exorciſmorum cogitur quandoque ad veritatem confitendam; ſed, quemadmodum non ſemper dæmon paret Exorciſtæ, non ſemper egreditur e corpore energumeni, licet omni ſtudio Exorciſta illum ad egreſſum compellat; ſic non ſemper veritatem interrogatus fatetur. Quando ergo aderit fundamentum adhibendi ei fidem in reſponſis datis interrogationibus Exorciſtæ? Cum ea quæ revelat, indifferentia ſunt, nec infamant proximum, nec eorum executio ullum involvit periculum. Iteratio baptiſmi periculi plena eſt: quia & ſacramentum profanationi, & miniſtrum baptizantem infamiæ exponit. Nulla ergo fides dæmoni in hac, aut ſimili reſponſione, quæ in dedecus proximi cedit, quæve rem ſuggerit cuius executio periculo gravi obnoxia eſt. His circumſtantiis ſublatis, poterit ei fides adhiberi; ut quando res omnino innocuas, & indifferentes referat. Et per hæc ad argumenta contrariæ ſententiæ reſponſio patet. Nec res tanti eſt, ut prolixiorem expoſcat orationem.

IX.

Digitized by Google

IX. Quid dicendum de alapis, flagellis, ſputis, quibus Exorciſtæ quandoque uti ſolent in adiurandis energumenis? Delrius, Simancas, Abulenſis, & alii eiuſmodi ſuperſtitionem ſapere docent. Sanchez, Palaus, Trullenchus, Torre, atque Salmanticenſes *tract.* XXII. *cap. unic. punct.* 7. *§.* 3. *num.* 76. docent, ſi præfata media adhibeantur ut vim habentia ad dæmonum expulſionem, ſuperſtitione laborare ſecus, ſi in contemptionem eorumdem dæmonum exerceantur. Nam, inquiunt D. Bernardus pede conculcavit energumenum, D. Benedictus, & S. Hubertus obſeſſos liberarunt alapis. Multa Sancti peregerunt quæ admiratione potius quam imitatione digna ſunt. Præterquamquod multæ tunc occurrere potuerunt circumſtantiæ ſic agendi, quæ ſilentur; quibuſque ſublatis, ratio, & cauſſa ſic agendi ſubtrahitur. Verum, quidquid de hac re ſit, quod ego ſentio, eſt, plura alia ſuppetere quibus dæmones contemni poſſunt abſque periculo imprudentiæ, & deriſionis ipſius Exorciſtæ. Alapas ergo, ſputa, flagella, & id genus ſimilia prudens Exorciſta numquam adhibeat; ſed tamquam media gravitati, prudentiæque adverſa negligat: verborumque potius ſeveritate, ac orationis, & imperii gravitate dæmonia, tamquam viliſſima mancipia, tractet. Similiter nobis minime arrident nonnulla alia quorum meminerunt Bonacina, Palaus, Salmanticenſes, & alii, nempe nomen dæmonis in papyro inſcribere, deinde illud comburere in contumeliæ ſignum. Puerilia hæc, & miniſterii dignitati incongrua nobis videntur. Radere vero pilos dæmoniaci ad illius liberationem ſuperſtitionem ſapit. Uſus herbarum medicinalium ad ſanandos energumeni morbos licitus eſt; dummodo abſit periculum credendi, eiuſmodi medicinas vim habere expellendi dæmones.

X. Locus in quo ſacer miniſter munus ſuum exercere debet, communiter Eccleſia deſignatur, in qua ſunt Sanctorum reliquiæ, cruces, imagines, & auguſtiſſimum Sacramentum: hæc etenim, & ipſius loci ſanctitas ad dæmonum expulſionem conducunt, atque miniſterio maieſtatem conciliant. Quod quandoque ianuis apertis fieri poteſt, tum ad roborandam fidelium fidem, tum quia adſtantium precibus dæmonum vires extenuantur, tum quia miniſterium ipſum publicum eſt, tum denique quia impii interdum his occaſionibus convertuntur. Id inſuper boni habet iſtius loci ſanctitas, & publica actio, ut ad maiorem vigilantiam, cautionem, & ſerietatem miniſtrum excitet. Quare ſummopere conari debet miniſter ne dæmoniaci curioſa, falſa, & vana loquantur, neve adſtantium crimina revelent. Frequentius tamen ianuis clauſis adiurandi ſunt energumeni: curabitque miniſter ne pueri, adoleſcentes, & maxime mulieres adſint; ſed ſolum viri graves, & religioſi admittantur. Hæc ſunt quæ communiter Exorciſta ſervare debet. Ceterum quandoque & in locis privatis quibuſque, & publicitus in Eccleſia neceſſitas exorcizandi occurrere poteſt.

XI. De Moniali energumena longe diſputant & Theologi, & Canoniſtæ, debeat-

N ij ne

ne extra ſepta monaſterii educi, ut adiuretur. Quidam aiunt; communiter negant ceteri. Nos breviter dicimus certum omnino eſſe, debere illam in monaſterio ad crates adiurari. Neque enim adiuratio ex immediato contactu Exorciſtæ pendet. Hæc reſolutio ex Tridentino eruitur. Siquidem *ſeſſ.* xxv. *cap.* v. hæc habentur: *Nemini autem ſanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire e monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſſa ab Epiſcopo probata, indultis quibuſcumque, & privilegiis non obſtantibus.*

C A P U T VI.

De egreſſu dæmonum e corporibus obſeſſorum; quæve iſtius egreſſus ſigna. De ſpectris, & larvis, quæ loca, hominesque infeſtant, & terrent.

I. Ultimo loco de dæmonum egreſſu e corporibus pauca dicere oportet. Sunt qui quærunt, an dæmones lætentur, dum humana corpora invadunt. Et hanc quæſtionem verſant Salmanticenſes *tract.* xxii. *cap. unic. punct.* 7. ubi docent, dæmones lætitiam aliquam experiri, dum in hominum corpora ingrediuntur. Sed argumentum hoc nimis exile nobis videtur. Quamvis enim videantur dæmones lætari, dum hominum perniciem exequuntur, dum illos torquent, & vexant; attamen lætitia iſthæc, cum ardentis invidiæ, ac implacabilis odii partus ſit, in eorumdem maiorem recidit damnationem, & pœnam. Et ob hanc invidiam, & odium adeo difficulter exeunt e corporibus, & ea qua valent maiore vi reluctantur huic egreſſui.

II. Omnes dæmones exorciſmis adnituntur reſiſtere. Sunt tamen aliqui qui difficilius, ſic Deo ob ſua impervia arcana permittente, expelluntur, ut eruitur ex illo Marc. ix. *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio.* Neque hæc maior difficultas inde oritur quod dæmones expellendi ſint ordinis ſuperioris; ſed unica iſtius difficilioris expulſionis cauſſa eſt ipſa Dei voluntas, quæ maiorem in obſeſſos poteſtatem dæmonibus concedit; quemadmodum ex Dei voluntate pendet quod oratio, & ieiunium peculiari virtute polleant ad eoſdem abigendos.

III. Signa egreſſus dæmonum e corporibus obſeſſis varia ſunt; nullum tamen certum eſt & infallibile. Signa autem hæc non aliunde petere, communi viæ inhærendo, poſſumus, niſi ab ipſo dæmone obediente imperio Exorciſtæ. At, cum dæmon mendaciorum, illuſionumque parens ſit, plura ſigna ſui egreſſus nobis exhibere poteſt, & nihilominus in eiſdem corporibus latenter manere. Signum quod veriſimilius, probabiliuſque reputatur, eſt, ſi obſeſſus multos dies, & longum tempus

Digitized by Google

pus, nempe menſes, & annos, nihil omnino patiatur incommodi. Poſſunt utique dæmones in corpore latitare; ſed eos diu ibi eſſe, quin aliqua moleſtia aſficiant corpora obſeſſa, contingere vix poteſt. Alia ſigna ſunt ſequentia: aſpectus hominis nigri, canis, hirci, muſcæ, formicæ, aliorumque animalium; ingens vomitus, vel halitus fœtidus; magni eiulatus, clamores reſonantes; tumor inuſitatus; in terram colliſio, ac deiectio energumeni; ut habetur Marc. IX. *Exclamans, & multum diſcerpens eum, exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus*. Hæc ſigna aliqualem ingerunt egreſſus probabilitatem; fallere tamen poſſunt. Dæmones plerumque egreſſus ſui e corporibus ſigna aliqua produnt; exire tamen etiam ſine ſignis nonnumquam ſolent. Parum ergo ſignis fidendum; ſed potius diuturna ſanitas obſeſſi ſpectanda: ſi diu ab omni moleſtia liber obſeſſus fuerit, probabile quoque erit dæmonem diſceſſiſſe.

IV. Dum Exorciſtæ ſigna egreſſus petunt, caveant ne quidquam petant quod nocere energumeno poſſit. Extinctio candelæ, fractio vitri, vaſis, vel quid ſimile ſolita ſunt indicia quæ petuntur. Cum vero dæmones petunt aliqua ſibi concedi, antequam egrediantur e corpore, puta ne relegentur in infernum, neve ſeverioribus cruciatibus afficiantur; nec ſemper eorum petitionibus indulgendum, nec ſemper reſiſtendum. Nam, ſi quæ petunt, in dedecus Dei, aut proximi damnum quocumque modo cedunt; numquam annuendum eſt. Si autem quidquam quod nec Deo iniurioſum eſſet, nec hominibus ullo modo noxium, peterent; indulgeri eorum petitioni poſſet. Sed magna ſemper cautione opus eſt, eo quod cum hoſte vafro, ac mendaci agendum ſit.

V. Uno dæmone expulſo, omnes ſimul expelluntur, ſi vis exorciſmorum conſideretur. Quoniam Exorciſta omnium dæmonum ſupremum in corpore reſidentem adiurat, ut iſtum abire cogat, ceterique ſuum ducem ſequantur. Verum, cum efficacitas exorciſmorum a divina temperetur voluntate, contingere poteſt ut quandoque, præter conſuetum ordinem, uno pulſo, alii remaneant. Hæc omnia a divina voluntate pendent; ideo potius veneratione ſuſpicienda quam ratione inveſtiganda ſunt.

VI. De ſpectris, ſeu ſpiritibus malis, qui non modo homines obſident, ſed loca, & domos infeſtant, pauca dicenda ſunt. Et in primis experientia, ac teſtibus fide digniſſimis compertum eſt, dæmones, ſeu malos genios, domos, & animalia ipſa infeſtare, domorumque habitatores vexare, & terrefacere. Plures reputant vana eſſe commenta quæ de locis, & domibus ſpectris infeſtatis circumferuntur. Plurimi alii nimia credulitate atque facilitate eiuſmodi loca ſpectris, ſeu larvis obſeſſa multiplicant. Porro, ut quiſque extrema cavere poſſit, id primum pro certo habeat, dæmones non modo poſſe, ſed reipſa quandoque in domibus inhabitare, homineſque habitatores vexare. Innumeris omiſſis teſtibus, unum

unum Auguſtinum producam, qui inter miracula quæ, ut mundus crederet, facta ſunt, recenſet dæmonum tum e corporibus, tum e domibus expulſionem *Lib. XXII. de Civit. Dei cap.* VIII. Unam, aut alteram expulſionem ab ipſo narratam referam. *Vir Tribunitius Heſperius* (inquit Auguſtinus) *qui apud nos eſt, habet in Territorio Fuſſalenſi fundum Cubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & ſervorum ſuorum demum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogavit noſtros, me abſente, Presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans, quantum potuit, ut ceſſaret illa vexatio. Deo protinus miſerante ceſſavit. Acceperat autem ab amico ſuo terram ſanctam de Hieroſolymis allatam, ubi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit; eamque ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At, ubi domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutius in cubiculo ſuo reverentiæ cauſa habere nolebat &c.* Et paullo infra. *Sanati ſunt illic & alii, de quibus dicere longum eſſet. Hipponenſem quamdam virginem ſcio, cum ſe oleo perunxiſſet, cui pro illa orans Presbyter inſtillaverat lacrymas ſuas, mox a dæmonio fuiſſe ſanatam.*

VII. Non eſt ergo ambigendum de facto. Solum diffident Doctores, cuiuſnam naturæ ſint ſpiritus illi qui nocturno tempore ſtrepitus magnos edunt, catinos commovent abſque ulla læſione, chartis ludunt, atque ſcenicas repræſentationes peragunt. Itali iſtiuſmodi ſpiritus *follettos* vocant, Latini *lemures*, & *larvas*, Hiſpani *traſgos*, Galli *luops*, & *garous*. Igitur aliqui contendunt, eiuſmodi ſpectra eſſe animalia quædam irrationalia, & corporea, ex aere corrupto in tenebricoſis locis genita: quæ opinio attribuitur P. Fuente la penna Capuccino. Sed hoc commentum communiter exploditur, tamquam vanum, & omni fundamento deſtitutum. Illud impugnant Salmanticenſes *tract.* XXII. *cap. unic. punct.* 9. Verum adeo futile eſt, ut ſuperfluum ſit tempus terere in eiuſdem confutatione. Sunt ergo eiuſmodi larvæ, ſeu ſpectra veri dæmones, ſeu ſpiritus nequiſſimi, qui omnia peragunt ad hominum perniciem. Et hæc ſententia certa apud Catholicos. Quare relata opinio P. Antonii de Fuente la penna cenſura plectenda eſt.

VIII. Cur eiuſmodi larvæ quædam loca præ aliis infeſtent, nulla certa ratio afferri poteſt, præter divinam voluntatem ſic diſponentem. Frequentius commorantur in locis deſertis, paludoſis, ſpecubus, cavernis, altis arcibus, & ubi homicidia perpetrata fuerunt. Quare aliqui dicunt, ideo in præfatis locis frequentius commorari, quia de peccatis atque plurimis ſceleribus ibidem commiſſis lætantur. Aliquando loca ſacra infeſtant dæmones, ut impediant, aut interturbent opera pia, & ſancta. Frequentius tamen infeſtant improbos, homicidas, hæreti-

Digitized by Google

cos, pauperum oppreſſores, ſimileſque. Noctu potius quam interdiu loca infeſtant: quia tenebræ aptiores ipſis videntur ad terrefaciendos homines, & ad ſua opera exercenda. Appellantur enim ab Apoſtolo Epheſ. VI. verſ. 12. *Mundi rectores tenebrarum barum.*

IX. Eodem modo adiurantur dæmones domos & ſimilia loca infeſtantes; ac dæmones vexantes, & obſidentes corpora. Uſus quoque reliquiarum, crucis ſanctæ ſignum, dulciſſimi nominis *IESU*, & *Mariæ* invocatio, ieiunia, preces, & alia pia opera plurimum conducunt ad dæmones ex eiuſmodi locis pellendos. Quare tamquam ſuperſtitioſa reiicienda ſunt remedia illa quæ, corporea cum ſint, in ſpiritus agere nullo modo valent. Ethnici fabis nigris utebantur ad pellendos lemures, ſeu larvas. Hanc ſuperſtitionem narrat Alexander ab Alexandro *Lib. III. genialium dierum cap.* XII. & Ovidius *Lib. V. Faſt.* Superſtitionem pariter ſapit, & ſtultitiam uſus armorum ad eiuſmodi expulſionem adhibitus, vel effuſio ſanguinis innocentum puerorum; quemadmodum peregiſſe Hebræos, legitur *Pſalm.* CV.

Digitized by Google

LIBER SEXTUS
IN DECALOGUM,
QUARTUM PRAECEPTUM TRACTANS:

Honora patrem tuum, & matrem tuam:
Exod. cap. xx. verſ. 12.

DISSERTATIO UNICA.
PROOEMIUM.

TErtium Decalogi mandatum explicabimus in Libro de quinque Eccleſiæ præceptis. Quartum in præſens interpretari aggredimur. Tria prima Decalogi mandata Dei cultum ſpectant, & ad primam tabulam pertinent, hominesque imbuunt, qua ratione Deum colere, adorare, revereri, precari debeant. Septem ſequentia mutua hominum officia præſcribunt, & moderantur: quæ peragenda ſunt, præcipiunt; vetantque cavenda. Quoniam vero inter proximos primum locum parentes a quibus geniti ſumus, tenent; ideo primum ſecundæ tabulæ mandatum parentum in filios, filiorumque in parentes officia imperat. Parentum nomine non modo carnales genitores, ſed & parentes ſpirituales, ut Paſtores, & ceteri ſuperiores, ut Principes, Magiſtri, Domini, Tutores, Curatores, hiſque ſimiles veniunt. Materia facilis eſt, quam paucis perſtringemus.

CAPUT I.

Propoſitiones damnatæ, & laxæ adverſus quartum præceptum.

I. SUperioribus Libris incredibilia vidimus commenta a quibuſdam Probabiliſtis excogitata, ut primæ tabulæ ſacra mandata humanis appetitionibus accommodarent. Bellum nunc meditandum occurrit quod primo ſecundæ tabulæ mandato intentarunt, ut ſequentes declarabunt propoſitiones.

Pro-

Propoſitiones damnatæ.

II. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hereditas.* XIV. Innocentii XI.

III. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ex hereditate conſecutas.* XV. Innocentii XI.

Propoſitiones laxæ.

I. „ Filius, ut eligat matrimonii ſtatum, etſi conſulere parentes teneatur, niſi „ cauſa iuſta illum excuſet; non tamen tenetur eorum acquieſcere conſilio, etiam ſine illa. " Torrecilla *Tom. I. Sum. tract.* III. *diſp.* II. *ſec.* I. *num.* 29. *fol.* 348. Diana, & alii.

II. „ Etſi parentes teneantur corrigere, & diligere filios, & domini ſervos; non „ ita famulos ſuos. " Torrecilla *Tom. I. Sum. tract.* V. *part.* II. *cap.* XIII. *num.* 41. *fol.* 699. Sanchez, & alii.

III. „ Alii contra affirmant, immunem eſſe tunc a culpa gravi illum qui parentibus ſuis exoptat mortem ob bonum aliquod temporale ipſi inde ſecuturum, nempe ut quamprimum in hereditatem ſuccedat, vel ut liberetur a dura eorum cuſtodia. Quia huiuſmodi deſiderium de morte parentum tunc non tam eſt deſiderium de malo illorum quam de bono inde ſecuturo: ergo non habet malitiam peccati, cum illam habere non poſſit, niſi finis illius malus ſit; cum tota ſpecies actus inefficacis ex fine deſumatur. " Leander a SS. Sacramento *tract.* I. *diſp.* II. *quæſt.* IV. Caſtropalaus, & alii.

IV. „ Licet matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam non poſſit eas iuxta ſuum deſiderium nuptui tradere. Et idem eſſe dicunt, ſi ob illarum cauſam male tractaretur a marito, poſſet illarum mortem optare, ut ab illo damno liberaretur. " Caſtropalaus *Tom. I. tract.* VI. *diſp.* IV. *punct.* I. *num.* II.

V. „ An cum indignis poſſint filii licite contrahere, patre, vel genitrice diſſentiente? . . . Fateor probabile eſſe ac tutum quod poſſint. " Tamburinus *Lib. V. in Decal. cap.* II. *§.* 3. *num.* 5.

Digitized by Google

CAPUT II.

De pietate filiorum in parentes.

I. PRimum omnium ob oculos exponendus honor eſt quo vi præcepti filii colere parentes adſtringuntur. Eſt autem eiuſmodi. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Exod. xx. Qui nos genuerunt, primi omnium, ſecundum Deum, patris nomen ſibi vendicant. Poſt Paſtores, & Sacerdotes, qui ſacramentorum adminiſtratione ad vitam ſpiritualem, æternamque nos regenerant, ut inquit Apoſtolus Paulus I. ad Cor. IV. *Nam in Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui.* Tum ii ſucces cedunt qui civile regimen moderantur, & mutuum commercium, ac ſocietatem dirigunt, ut Principes, & Magiſtratus Reipublicæ adminiſtratores. Quarto loco Tutores, & Curatores, quorum procurationi, & regimini res noſtræ ſubiectæ ſunt, & a quibus noſmetipſi moderamur, patris prærogativam iure obtinent. Poſtremum ſeniores, qui non tam annorum multitudine, quam virtutis, & ſapientiæ ſplendore fulgent; ut dicitur Sap. IV. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Hæc omnia totidem fere verbis tradit Catechiſmus Concilii Tridentini *part.* III. *num.* 8.

II. Peculiaris porro virtus qua parentes honoramus, pietas eſt, quæ cuiuſcumque ſtatus perſonas, ordine ſervato, veneratur, iuxta diverſam excellentiam ipſarum. Lubet exſcribere doctrinam D. Thomæ, qui de more principia prodit quibus hoc divinum mandatum nititur, 2. 2. quæſt. CI. art. I. *Homo efficitur diverſimode aliis debitor, ſecundum eorum diverſam excellentiam, & diverſa beneficia ab eis ſuſcepta. In utroque autem Deus ſummum obtinet locum, qui & excellentiſſimus eſt, & eſt nobis eſſendi, & gubernandi primum principium. Secundario vero noſtri eſſe, & gubernationis principia ſunt parentes, & patria, a quibus, & in qua nati, & nutriti ſumus. Et ideo poſt Deum eſt homo maxime debitor parentibus, & patriæ. Unde ſicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere; ita ſecundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus, & patriæ. In cultu autem parentum includitur cultus omnium conſanguineorum: quia etiam conſanguinei ex hoc dicuntur, quod ex eiſdem parentibus proceſſerunt, ut patet per Philoſophum in* VIII. *Ethic. In cultu autem patriæ intelligitur cultus omnium concivium, & omnium patriæ amicorum. Et ideo ad hos pietas principaliter ſe extendit.*

III. Officia autem quæ debentur parentibus, plura ſunt. Primum, ut ſincero, ſum-

Digitized by Google

ſummopere poſt Deum amore eos proſequamur. Imaginem huius amoris nobis refert Ioſeph AEgypti Prorex, qui ſuo patri Iacob advenienti in AEgyptum obviam ivit. *Iuncto Ioſeph curru ſuo, aſcendit obviam patri ſuo ad eumdem locum: videnſque eum irruit ſuper collum eius, & inter amplexus flevit*. Gen. XLVI. Secundum officium honorem exhibet, cuius imaginem prodit Salomon, qui pariter advenienti matri aſſurrexit, eamque in ſolio ad dexteram ſuam ſedere fecit. *Surrexit Rex in occurſum eius, adoravitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſituſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius*. III. Reg. cap. II. Tertium officium eſt obedientia, qua illorum mandatis parere obſtringimur, ut explicat D. Paulus ad Epheſ. VI. *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim iuſtum eſt. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione, ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram*. Item ad Coloſs. III. *Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino*. Et quamvis inſita nobis a natura ſit hæc in parentes reverentia; nihiloſecius voluit Redemptor noſter, quemadmodum aliarum, ita & iſtius virtutis exemplum præbere: quippe non ſolum æterno Patri *obediens uſque ad mortem* fuit, verum & hic in terris ſanctiſſimorum parentum Mariæ, & Ioſeph mandatis obtemperavit. *Erat ſubditus illis*. Rationum momenta quibus filiorum in parentes obſequia excitari valent, recenſet D. Ambroſius Lib. II. in Lucam. *Matri* (inquit) *debes pudoris iniuriam, virginitatis diſpendium, partus periculum, matri longa faſtidia, matri longa diſcrimina, cui miſeræ in ipſis votorum fructibus maius periculum eſt: & cum ediderit quod optavit, partu abſolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicatos alienis uſibus cenſus, iactaque agricolæ ſemina poſterorum ætatibus profutura? Nonne pro his obſequia ſaltem oportet rependi?* Quartum officium filiorum erga parentes preces ſpectat quas offerre Deo pro illorum incolumitate, & ſalute debent, ut tranquillam illis Deus vitam impertiat, utque bonis tum cæleſtibus, tum terrenis eoſdem cumulet, ac in maxima gratia ſint, & honore apud homines; ut tandem Deo, ac Sanctis, qui in cælis ſunt, commendatiſſimi fiant, inquit Catechiſmus Tridentini Concilii. Eorumdem virtutum imitatio eſt etiam ſingulare honoris ornamentum. Quintum officium in eo ſitum eſt, ut filii parentum conſilia, præſertim in gravioribus negotiis, exquirant, puta in matrimonio ineundo, vitæque ſtatu deligendo &c.

IV. Potiſſimum denique honoris filiorum erga parentes argumentum eſt ſuppetias illis ferre cum in ſpiritualibus, tum in temporalibus neceſſitatibus. Igitur, ſi in iis quæ ad ſalutem ſpectant, ignorantes ſint, inſtruendi ſunt: ſi peccatis obnoxii, ſi pravæ conſuetudinis ligamine aſtricti fuerint; ſumma reverentia, & dexteritate curandum eſt ut reſipiſcant, ut ſacramenta frequentent, ut ad meliorem

ſe

Digitized by Google

ſe ſe recipiant frugem : ſi vero penuria, & rerum temporalium egeſtate laboraverint; ſublevandi, & pro viribus adiuvandi ſunt : dum ægrotant, illis inſerviendum eſt, ac incumbendum potiſſimum ut cæleſtibus ſubſidiis iuventur, ut divinis reficiantur ſacramentis, atque ut Religioſorum exhortationibus, & conſiliis in ſpem erigantur, & ad luctam invicto animo ſuſtinendam confirmentur. Plurima hoc de argumento ſcribunt Patres. Pauca iſthuc tranſcribam ex D. Ambroſio *Lib. V. Hexameron cap.* XVI. ubi exemplo ciconiarum filiorum languidam erga parentes pietatem redarguit. *Quam vero rationabilium non excedat pietatem ac prudentiam avis huius clementia, conſiderandum; quam nec poſt exemplum quidem irrationabilium quiſquam noſtrum imitari potuerit. Nam depoſiti patris artus per longævum ſenectutis plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos circumſtans ſoboles pennis propriis fovet. Et quid dicam? collatitio cibo paſcit, quando etiam ipſa reparat naturæ diſpendia, ut hinc atque inde ſublevantes ſenem fulcro alarum ſuarum ad volandum exerceant, & in priſtinos uſus deſueta iam revocent pii patris membra. Quis noſtrum levare ægrum non faſtidiat patrem? Quis feſſum ſenem ſuis humeris imponat, quod in ipſa hiſtoria vix credibile habetur? Quis, ut pius ſit, non hoc ſervulis mandet obſequium? At vero avibus non eſt grave quod pietatis eſt plenum; non eſt oneroſum quod ſolvitur naturæ debito. Non recuſant aves paſcere patrem, quod etiam præſcripta neceſſitate ſub terrore pœnarum plerique hominum recuſarunt. Aves non ſcripta, ſed nata lex ſtringit. Aves ad hoc munus nulla præcepta conveniunt, ſed gratiæ naturalis officia. Aves non erubeſcunt reverendi ſenis membra portare : eſt enim vectura pietatis : quod euſque frequenti teſtificatione percrebuit, ut congruæ mercedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum uſu pia avis vocatur. Et quod vix uni Imperatori Conſulto-Senatus delatum dicitur, hoc iſtæ aves in commune meruerunt.*

CAPUT III.

De natura præcepti tum adfirmantis honorandi, tum negantis non odio habendi parentes. Laxiores quorumdam Caſuiſtarum opiniones refelluntur.

I. HOC præceptum iuris naturalis eſt, & divini : omnia quippe præcepta Decalogi ad ius naturæ, & divinum pertinent. Diximus, ad virtutem pietatis mandatum iſtud pertinere : quod tamen hoc in ſenſu intelligendum eſt, dum nempe honoramus parentes, qui nos genuerunt, conſanguineos, patriam, amicoſque. Quando vero nomine parentum veniunt Paſtores Eccleſiæ, tunc honor-

nor eſt virtutis obſervantiæ, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CII. *art.* I. Si vero ſint ſuperiores, præceptum ſpectat ad virtutem obedientiæ. Et ſi ſint benefactores, mandatum exequimur virtute gratitudinis.

§ II. Hoc præceptum præſcribit dilectionem tum internam, tum externam, prohibetque odium. Adeo comperta ſunt rationum momenta quæ iſtius amoris debitum evincunt, ut ſupervacaneum reputem illa proponere.

§ III. Quæſt. I. *Contra præceptum non habendi odio parentes peccant ne filii, ſi grave damnum ex odio parentibus deſiderent?* Reſp. Convenit penes omnes, peccare mortaliter filios qui parentibus ex odio mortem cupiunt, vel infamiam, bonorum direptionem, aliudve grave damnum. Si enim letale crimen eſt eiuſmodi mala cuique extraneorum exoptare; quanto gravius ſcelus erit, eadem parentibus a filiis, tot beneficiorum vinculis eiſdem obſtrictis, deſiderari? Impia hæc deſideria naturam ipſam penitus confodiunt, & ſacratiora ſocietatis vincula infringunt.

IV. Quæſt. II. *Peccant ne filii, ſi ob finem quempiam utilem, adeundi nempe hereditatem, mortem parentibus exoptent?* Reſp. Negant Probabiliſtarum plures. Eiuſmodi impia deſideria abſolute pugnare cum primis naturæ principiis fatentur omnes; at unius particulæ additione recentiores aliqui Caſuiſtæ iniquitatem omnem adimunt vel manifeſtis flagitiis. Et ne ego ipſis invidiam, odiumque conflare pro libito videar, illorum verba tranſcribam. Leander a SS. Sacramento *tract.* I. *diſp.* 2. *quæſt.* IV. poſt relatam ſententiam communem Theologorum adverſus tantam impietatem, hæc ſcribit. „ Alii contra affirmant, immunem eſſe tunc a cul-
„ pa gravi illum qui parentibus ſuis exoptat mortem, ob bonum aliquod tempo-
„ rale ipſi inde ſecuturum, nempe ut quamprimum in hereditatem ſuccedat,
„ vel *ut liberetur a dura eorum cuſtodia*: quia huiuſmodi deſiderium de morte pa-
„ rentum tunc non tam eſt deſiderium de malo illorum, quam de bono inde ſe-
„ cuturo: ergo non habet malitiam peccati, cum illam habere non poſſit, niſi
„ finis illius malus ſit; cum tota ſpecies actus inefficacis ex fine deſumatur." Sic tenet Caſtropalaus *Tom. I. tract.* VI. *diſp.* IV. *de car. punct.* I. *num.* II. qui citat pro ſe Emmanuelem Sa *verb.* Car. *num.* 8. Azorium *I. P. Lib. III. cap.* XII. *quæſt.* II. Bonacinam *diſp.* III. *quæſt.* IV. *punct. ult.* & Ioannem Sanchez *diſp.* II. *num.* 9.

V. Expoſitis his duabus oppoſitis ſententiis, ſic concludit P. Leander. „ Sed ego
„ reſpondeo dicendum, quod ex his duabus ſententiis prima ſit valde probabilis.
„ *Secunda vero non minus, & quia favorabilior eſt pœnitentibus, illa in caſu occur-*
„ *renti, ne in peccatum ex fragilitate irruant, eſt eis* CONSULENDA. Ideo-
„ que dico, quod ſi quis ABSOLUTE deſideret in hunc modum: Exopto, &
„ cupio mortem patris mei, non ut malum patris mei eſt, ſed ut bonum meum,
„ ſeu ex cauſſa mei boni, nimirum quia ex illius morte ego eius hereditatem
„ adibo: tunc ſic exoptans minime peccet mortaliter: quia tale deſiderium eſt

„ de

„ de bono fine, non de malo. Sic ſentit Thomas Tamburinus, ſecutus Palaum „ *Lib. V. in Decal. cap. 1. ſ. 3. art. 31.* & alii Doctores.

VI. Hæc ſunt monſtra & portenta omnium horrendiſſima, quorum in univerſa Ethnicorum morali Philoſophia nec leve veſtigium occurrit. En Probabiliſmi abortivos fetus, en inauditæ laxitatis commenta. Audiamus Auguſtinum erroneam ſententiam explodentem. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult etiam ipſe bona multo amplius, multoque certius voluntate: nam illius mala voluntas eſſe numquam poteſt. Tamquam ſi bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rurſus fieri poteſt ut hoc velit homo mala voluntate quod Deus vult bona; velut ſi malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus; iſte vero id vult quod vult & Deus. Et tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potius conſonat, quamvis aliud volentis, quam huius idem volentis impietas. Tantum intereſt quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem, ut aut probetur, aut improbetur.* Enchirid. cap. ci. Iure itaque ac merito illam diris devovit Innocentius XI. in ſequenti damnata propoſitione. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eſt pinguis hereditas.* Deteſtabilior inſuper eſt Leandri, aliorumque doctrina, qua aſſerunt, licitum eſſe cupere parentis mortem, non modo adeundæ pinguis hereditatis ergo, verum etiam vitandæ patris duræ cuſtodiæ, ſeu ſeverioris educationis, & diſciplinæ cauſſa. Quod quam ſit ſceleſtum, quam inhumanum, quam monſtroſum, nemo rationis compos non videt. Quorſum, inquies, tam acris declamatio? Ut hinc colligas, quanta ſit his, atque ſimilibus Theologis fides adhibenda. Qui enim præfatas opiniones in publicum obtrudere audent, qui eaſdem *conſulendas* pœnitentibus adfirmant, digni ne ſunt ut magiſtrorum loco in animarum regimine habeantur? Si enim vel ipſa prima naturæ principia evellere, ſi vel inſita naturæ lumina tanta tenebrarum caligine obducere pertentarunt; inſeras velim, quæ in obſcurioribus controverſiis dicturi ſint. Iſti ne ſunt illi *docti iuniores*, qui ſua auctoritate probabiles efficiunt ſimiles opiniones? Non ergo eo ſpectat oratio mea, ut iſtorum Theologorum integritati, illorumque pio propoſito evangelicæ viæ aſperitatem, rigoremque deliniendi, atque humanæ infirmitati ſuccurrendi, præiudicium inferam; ſed ut lectorem errandi, & pereundi diſcrimini ſubducam. Eo pertinent verba hæc mea, ut te admoneam, ne in rebus dubiis ullam his Auctoribus fidem adhibeas, nec quidquam eorumdem auctoritati tribuas. Si enim in tanto naturæ lumine cæcutiunt, & paradoxa adeo immania cudere non erubeſcunt; numquid in difficillimis quæſtionibus veritatem tibi pandent? Aut ergo ab his libris legendis abſtine: vel, ſi interdum eos legere contigerit, nihil ſine examine, nihil abſque ſeveriore critice ab illis ſuſcipias velim, ſi

tua

Digitized by Google

tua tibi ſalus æterna cordi eſt. Hæc illis dumtaxat diſplicebunt qui partium ſtudio præoccupati non tam communi profectui quam vanæ exiſtimationi ſtudent. Ceterum arridebunt omnibus æquis rerum arbitris, qui æternam animarum ſalutem privatorum hominum quorumdam iudicio, & famæ præferendam ſciunt. Sed hæc hactenus: plura namque dicturi ſumus, dum de ſexto precepto ſermo erit, ubi ſimilia Caſuiſtarum commenta profligabimus.

VII. Non minus impia eſt altera recentiorum Probabiliſtarum ſententia, quæ licitum defendit gaudium de parricidio patris in ebrietate patrato: quam etiam ſententiam improbavit Innocentius XI. in hac damnata propoſitione: *Licitum eſt filio gaudere de parricidio patris a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate conſecutas.*

VIII. Quæſt. III. *Peccant ne letaliter filii qui torvis oculis aſpiciunt parentes, quique exterius nullum ipſis amoris ſignum exhibent?* Reſp. Qui deliberato animo torvis oculis parentes frequenter, & quaſi continenter ſpectant, dubio procul peccant mortaliter, ut communis tenet ſententia. Idemque dicendum, quando eos aſpere ſemper alloquuntur: quoniam præceptum honorandi parentes non modo interiorem, verum etiam exteriorem benevolentiam iubet. Hæc autem blando oculorum aſpectu, ſuavi eloquio, geſtu ſubmiſſo oſtenditur. Violant ergo præceptum filii, dum hæc exterioris amoris officia præbere parentibus recuſant. Si vero ſemel aut iterum ex fortuito caſu minus amantes, obſequentes, & ſubmiſſos parentibus ſe filii exhibeant, non propterea cenſendi continuo ſunt gravioris culpæ rei. Antequam culpæ damnentur, eorumdem cum parentibus vitæ ratio, morum conſuetudo, ac modus agendi ſpectanda ſunt; ut ex his omnibus colligi culpæ gravitas, aut levitas poſſit.

IX. Qui parentes leviter percutiunt, graviter delinquunt: quia, licet percuſſio levis natura ſua ſit, inflicta tamen parentibus enormis evadit, ac impia: iniuriæ enim gravitatem omnes ex perſonæ dignitate metiuntur. Porro nulla apud filios perſona, poſt Deum, paterna dignior. Quin ad letalem culpam ſatis eſſe poteſt minax brachii elatio: quoniam & hæc gravem contemptionem prodit, & iniuriam parentibus irrogat. Temperare ergo filii ſibi debent ab aſpera locutione, ab oculorum ſeveriore aſpectu, & a quolibet geſtu minus ſubmiſſo, ſi velint præceptum honorandi parentes implere.

X. Licitum eſt filiis, a parentibus iniuſte percuſſis, cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe ſe defendere. Si in ipſa defenſione filii parentes percutiant, non peccant; niſi modum iuſtæ defenſionis excedant. A peccato quoque Theologi communiter excuſant filios qui parentes armatos in patriam percutiunt, occiduntve: quia amor in patriam præferendus eſt privato bono patris. Scelus vero perpetrarent filii qui parentes pœna capitali a Principe proſcriptos occiderent, niſi eſſent patriæ noxii.

XI.

Digitized by Google

XI. Peccant graviter filii qui parentibus deliberato animo maledicunt : quod ex Scriptura colligitur : dicitur enim Lev. xx. *Qui maledixerit patri ſuo , aut matri, morte moriatur*. Porro pœna mortis non infligitur niſi ob culpam gravem. Si vero non ex animo, ſed oretenus, & abſque ſcandalo filii parentibus maledicant, venialem culpam perpetrant. Si ſcandalum autem occurrat, culpa erit mortalis. Ex defectu quoque plenæ advertentiæ venialiter tantum peccare valent. Peccant vero letaliter filii qui verbis contumelioſis parentes contemnunt, aut ad iracundiam graviter provocant : quod accidere poteſt, tametſi verba non ſint ſuapte natura graviter contumelioſa, quando nempe filii experientia ſciunt, talibus verbis vehementer ad iracundiam parentes provocari. Graviter quoque peccant filii, ſi parentes ex contemptu recognoſcere nolint ; ſecus, ſi id facerent ob aliquam honeſtam rationem, ob incommodum vitandum, ob erubeſcentiam fugiendam, aliudve tale momentum.

XII. Filii nequeunt licite accuſare parentes de aliquo crimine apud iudices, quia id omni lege vetitum eſt. Excipienda tamen ſunt crimina hæreſeos, potiſſimum publica : de his enim non modo poteſt, verum etiam tenetur filius patrem accuſare. Et colligitur ex ipſa Scriptura, in qua *Deut.* xxi. hæc habentur : *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat patris, aut matris imperium, & coercitus obedire contempſerit; apprehendent eum, & ducent ad ſeniores civitatis illius, & ad portam iudicii, dicentque ad eos : Filius noſter iſte protervus, & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, & luxuriæ; atque conviviis. Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur*. Si pater licite accuſare apud iudices filium valet, eodem iure videtur licere filio accuſare patrem de criminibus ſaltem quæ religioni, & fidei adverſantur. Bonum enim divinum, & univerſale prævalere bono particulari debet. Et hæc eſt Doctorum communis opinio. Quid, ſi hæreſis occulta ſit? Etiam tunc accuſandus eſt pater : quia præceptum honorandi Patrem cæleſtem præſtat præcepto honorandi patrem carnalem. Nec eſt quod opponas, rationem hanc evincere, accuſandum fore patrem etiam de quolibet peccato mortali : quoniam cetera peccata directe non ſpectant deſtructionem religionis, neque natura ſua alios inficiunt, ut flagitium hæreſis. Idque confirmari ex eo valet quod Eccleſia præcipit denuntiationem hæreticorum, ſecus aliorum delinquentium. Si tamen certo filiis conſtet, ab aliis accuſandos eſſe parentes hæreticos, abſtinere ab accuſatione poterunt. Idem dicendum de criminibus in patriam, in Principem, ob eamdem rationem. Princeps, & patria loco parentum, ut vidimus, habentur : & hæc univerſalis paternitas præferenda paternitati particulari eſt. Quæſtionem hanc proponit Marcus Tullius *Lib. III. offic. cap.* IX. his verbis. *Quid, ſi pater fana expilet, cuniculos agat in ærarium? Indicet ne magiſtratibus filius? Nefas id quidem eſt : quin etiam defendat patrem, ſi arguatur.*

Non

Non igitur patria præſtabit omnibus officiis? Immo vero. Sed ipſi patriæ conducit pios habere filios in parentes. Quid, ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? Silebit ne filius? Immo vero obſecrabit patrem ne id faciat. Si nihil proficiet, accuſabit, minabitur etiam. Ad extremum, ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris. En quam enucleate Ethnici naturæ, divinæque legis mandatum explicant. Non illico ergo vel de his criminibus accuſandus eſt pater; ſed admonendus primum, exorandusque. Si inutilis fuerit admonitio & deprecatio, tum ſolvendum ſilentium.

CAPUT IV.

De obedientia filiorum parentibus debita.

I. QUæſt. I. *Tenentur ne filii obedire parentibus?* Reſp. Nemo eſt qui id in controverſiam vocet. Dubitatur ſolummodo, teneantur ne ſemper ſub mortali. Cui quæſito communis etiam ſententia reſpondet, hoc præceptum, quemadmodum cetera, non ſemper obligare ſub gravi culpa. Spectandæ ſunt enim & gravitas materiæ, & voluntas imperantis. Requiritur autem quod materia ſit gravis, quod ſubſit patris imperio, & quod pater matura deliberatione præcipiat. Quare licet non peccare graviter videatur filius, non obediens patri admonenti, & conſulenti aliquod bonum opus, aut morum reformationem, præciſo contemptu; letaliter vero peccant filii minime obtemperantes patri præcipienti morum emendationem, aut quodvis aliud opus grave quod ad mores, educationem honeſtam, domeſticumque regimen pertineat. Et quamvis negent aliqui, peccare graviter filium tranſgredientem mandatum patris in domus civili regimine; communior tamen, mihique vera, opinio eſt, peccare letaliter filium etiam in hoc caſu. Siquidem in civili domus procuratione filii iure naturæ ſubſunt paternæ poteſtati. Quæ ergo ratio excuſare eos a letali culpa valet, ſi in re gravi obedire parentibus recuſaverint? Quare hanc ſententiam defendunt vel ipſi benigniores Probabiliſtæ, Leander *tract.* I. *diſp.* III. *quæſt.* V. Sanchez *Lib. IV. cap.* XV. *num.* 22. Bonacina *diſp.* VI. Tamburinus *Lib. V. cap.* II. *§.* 2. *num.* 18. Leſſius *Lib. II. cap.* XL. *dub.* 8. *num.* 45. & alii plures.

II. Quæſt. II. *Quæ ſint præcipua munia quæ præcipere filiis parentes valeant; & in quibus filii parentibus obedire teneantur?* Reſp. Potiſſima ſunt, ut a peccatis generatim abſtineant, ut ludos ſortis, & noxios evitent, ut prava conſortia, & mala fugiant, ut a luxu, vanis pompis, a meretricibus, mulierumque frequenti, & familiari converſatione longius abſint, ut noctu domo non exeant, ut artem, profeſſionemque exerceant, ut de bonis paternis abſque licentia non diſponant.

Hæc ſunt generatim quæ præcipere parentes filiis ſolent. Ceterum, ut iam diximus, & pater præcipere, & filius obedire patri tenetur in iis omnibus quæ aut animi cultum, aut civile regimen ſpectant. Antequam tamen damnetur filius letalis culpæ, ſpectanda ſunt plura, & materiæ gravitas, & patris deliberatum mandatum, & plura alia.

III. In rebus pravis filii obedire parentibus nec debent, nec poſſunt. Inquit enim S. Lucas Act. v. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*: & D. Matthæus cap. x. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*. Iure ergo filius reſiſtere patri poteſt, & debet, ſi præciperet furtum, homicidium, violationem præceptorum Eccleſiæ. Item matri, ſuadenti iuvenum converſationem, acceſſum ad comœdias, ludos, ſaltationes, reſiſtere debent filiæ, illarumque mandata ſpernere, congrua ſemper ſervata modeſtia.

IV. Quæſt. III. *Tenetur ne filius obedire patri vetanti ne aſſumat religioſum ſtatum?* Reſp. D. Thomas reſpondet 2. 2. *quæſt.* CI. *art.* 4. his verbis. *Ad pietatem pertinet officium, & cultum parentibus exhibere ſecundum debitum modum. Non autem eſt debitus modus ut plus homo tendat ad colendum patrem quam ad colendum Deum; ſed, ſicut Ambroſius dicit ſup. Luc. neceſſitudini generis divinæ religionis pietas anteſertur. Si ergo cultus parentum abſtrabat nos a cultu Dei, iam non eſt pietatis parentum inſiſtere cultui contra Deum. Unde Hieronymus dicit in epiſtola ad Heliodorum: Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis evola: ſummum genus pietatis eſt in hac re fuiſſe crudelem. Et ideo in tali caſu dimittenda ſunt officia pietatis in parentes propter divinum religionis cultum. Si vero exhibendo debita officia parentibus, non abſtrahamur a divino cultu, hoc iam pertinebit ad pietatem: & ſic non oportebit propter pietatem religionem deſerere.*

V. Quæſt. IV. *Tenentur ne filii obedire parentibus præcipientibus religionis ingreſſum?* Reſp. Communis ſententia cum D. Thoma docet, filios minime ſubdi parentum mandatis in electione ſtatus. Quin, ſi vel ipſi parentes votum edidiſſent offerendi filios in Religione aliqua, non propterea aſtringerentur filii Religionem ingredi. Igitur ad electionem ſtatus quod attinet, filii liberi omnino ſunt, pubertatem egreſſi. Licite poſſunt, invitis etiam patentibus, Religionis ſtatum ſuſcipere, aut omittere, prout divinus ſpiritus ipſos permoverit. Excipe tamen caſum, quo parentes, extrema egeſtate preſſi, filiorum ope, auxilioque indigerent. Sic docet D. Thomas 2. 2. quæſt. clxxxix. art. 6. *Dicendum eſt, quod parentibus in neceſſitate exiſtentibus, ita quod eis commode aliter quam per obſequium filiorum ſubveniri non poſſit, non licet filiis, prætermiſſo parentum obſequio, Religionem intrare. Si vero non ſint in tali neceſſitate, ut filiorum obſequio multum indigeant, poſſunt, prætermiſſo parentum obſequio, filii Religionem intrare etiam contra præceptum parentum: quia poſt annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea quæ pertinent ad diſpoſi-* tio-

tionem ſui ſtatus, præſertim in iis quæ ſunt divini obſequii: & magis eſt obtemperandum Patri ſpirituum, ut vivamus, quam parentibus carnis, ut Apoſtolus dicit ad Hebr. XII. *Unde Dominus, ut legitur Matth.* VIII. *& Lucæ* IX. *reprehendit diſcipulum qui nolebat eum ſtatim ſequi intuitu paternæ ſepulturæ: erant enim alii per quos illud opus impleri poterat, ut Chryſoſtomus dicit.*

VI. Quæſt. V. *Poſſunt ne filii licite, invitis parentibus, matrimonia inire?* Reſp. Iſtius quæſtionis reſolutio a pluribus pendet circumſtantiis. Abſolute filii in electione ſtatus matrimonialis liberi ſunt, quemadmodum in electione ſtatus religioſi, vel clericalis. Verum quia ab executione matrimonii plurimum pendet familiarum regimen, & conſervatio; ideo filii tenentur conſulere parentes, antequam promiſſione aliqua fidem ſuam oppignorent ſponſæ ducendæ, & contra. Diſſidium inter Theologos eſt, teneantur ne filii ſub letali culpa, an ſub veniali, a parentibus conſilium in hoc negotio poſcere. Si ſermo ſit de ſponſis eiuſdem conditionis ac dignitatis, contendunt Salmanticenſes *tract.* XXIV. *cap.* I. *punct.* I. *num.* 8. peccare filios venialiter tantum; ſecus mortaliter, ſi invitis parentibus, & inconſultis, matrimonium ineant. Quod latius docuerunt *Tom. II. tract.* IX. *cap.* VI. *punct.* 2. Hanc opinionem defendunt alii plures. Ego eam, ut laxam, reiicio. Liberi ſunt filii in matrimonio contrahendo; at liberi haud ſunt a præcepto colendi parentes. Matrimonium eſt maximum familiæ negotium: & in tanto negotio, inconſulto patre, poterit filius, quicquid ſibi libuerit, eligere? Aliud eſt quod filius ſit liber in matrimonio contrahendo; aliud longe diverſum, quod exemptus ſit ab honore, & cultu patri debito. Dico itaque, peccare mortaliter filios, abſolute loquendo, contra præceptum honorandi parentes, ſi his inconſultis matrimonium contrahant: quia parentes contemnunt in re graviſſima. At, inquis, liberi ſunt in matrimonio contrahendo. Audio. Ideo ne immunes ab honore parentibus exhibendo? Ideo dicuntur filii liberi in matrimonio contrahendo, quia parentes nequeunt interdicere, neque eorum nuptias impedire. At non propterea amittunt ius obſequium ſubmiſſionemque exigendi a filiis. Peccarent parentes, ſi ab honeſtis nuptiis retraherent filios, quia poteſtatis paternæ limites tranſilirent. Filii vero qui in his negotiis negligunt parentum conſultationem, lædunt non poteſtatem, ſed dignitatem paternam, quam revereri, & obſequio colere debent. Poſſunt utique reiicere patris conſilium, ſi minus conſonum ſit eorum honeſtæ deliberationi: quia, ad hoc quod attinet, paternæ poteſtati non ſubduntur. Subiecti tamen ſunt eorum maieſtati, ſi ita loqui fas eſt; ſubiecti ſunt legi honorandi parentes ſuos: qui honor potiſſimum elucet in manifeſtatione tanti negotii. Quid quod in re tanti momenti contemnere ſapientum conſilia peccatum grave eſt? Quis inficias iverit, contractum matrimonialem negotium eſſe maximum omnium quæ homo peragere valet? Niſi vero evidenter conſtet de patris ſtupiditate, levitate, aut

Digitized by Google

imprudentia, quis illo ſapientior reſpectu filii æſtimari debet? Quis domeſtici regiminis peritior? Quis aut inſtructiones meliores, aut conſilia prudentiora tum ad optimam familiæ gubernationem, tum ad eiuſdem filii commodum exhibere poteſt? Peccant ergo filii, quod in re tanti momenti non bene conſulant rebus ſuis, & parentum conſilia negligant. Peccant, quod præceptum honorandi parentes in re maxima violent. Peccant, non adverſus obedientiam, a qua præſtanda in hoc negotio exempti ſunt; ſed adverſus virtutem pietatis, quæ debitum honorem, & reverentiam parentibus offert. Quid quod vel ipſi adverſarii docent, peccare filios venialiter, ſi inconſultis parentibus, matrimonia ineant? Cur autem venialis tantum erit eorum culpa, ſi materia graviſſima ſit, & præceptum honorem exhibendi parentibus primum inter ſecundæ tabulæ mandata locum teneat? Si vero parentes iuſtam habeant diſſuadendi matrimonii cauſſam, graviter filii peccant, qui, hac iuſta diſſuaſione contempta, matrimonium contrahunt.

VII. Quid, ſi filii indignam ſponſam in matrimonium, inconſultis parentibus ducant? Nec tunc eos peccare mortaliter, contendit P. Thomas Tamburinus *Lib. V. in Decal. cap.* II. *ſ.* 3. *num.* 5. & 6. Verum laxiſſimam Theologi iſtius opinionem improbant communiter alii Theologi. Plures laudat, & ſequitur vel ipſe Leander *tract.* I. *diſp.* III. *quæſt.* XII. Res ſuapte natura clara eſt. Tenentur enim filii parere genitoribus præcipientibus ne rem inhoneſtam, & proprio ſtatui indecoram peragant. Dedecet autem magnopere indignam ducere ſponſam: & eiuſmodi matrimonia plura conſequi ſcandala ſolent, iurgia, rixæ, diſſidia, familiarumque graviſſima incommoda. Verum plura de his in tractatu de matrimonio.

CAPUT V.

De ſubſidio a filiis parentibus exhibendo, ſpectatis tum animæ, tum corporis neceſſitatibus.

I. Filialis dilectionis fructus præcipuus eſt ſubſidium ſpirituale parentibus præſtandum, dum neceſſitate laborant. Filiorum itaque eſt curare ut genitores ſacramenta frequentent, ut vitam chriſtiano homine dignam traducant, ut peccandi pericula caveant; ſi viderint parentes his ſuppetiis indigere. Et quamvis ſemper ſpirituali parentum egeſtati ſuccurrere filii debeant, tamen infirmitatis tempore maiorem adhibere ſollicitudinem debent, ut ægrotantes parentes ſanctiſſimis Eccleſiæ ſacramentis reficiantur, ut piis adhortationibus excitentur, & inflammentur ad ferventiores actus contritionis, & amoris divini.

II. Quæſt. I. *Peccant ne filii qui parentes abducunt, ne teſtamentum condant, &* *elec-*

Digitized by Google

eleemoſynas largiantur? Reſp. Adfirmant communiter Theologi omnes. Quare letalis culpæ rei ſunt filii qui avertere parentes ſtudent, ne de bonis propria induſtria partis teſtentur, ne pia legata pauperibus relinquant; excepto tamen caſu quo parentes excederent, & ultra quam illorum patrimonium permittit, legata deſignarent. Sicuti enim parentes peccarent, ſi nullo habito filiorum reſpectu, extraneis patrimonia ſua diſtribuerent; ita delinquerent filii, ſi impedirent quo minus parentes congrua legata, & eleemoſynas diſtribuerent. Neque amplioris, aut minoris diſtributionis iudices eſſe poſſunt filii: ſiquidem non raro accidit parentes debitis incertis obſtrictos eſſe, ac multa debere, quæ reſtituere nequiverint veris dominis. Ideo, mortis periculo inſtante, ut meliori qua valent via proſpiciant ſuæ conſcientiæ, & onera iuſtitiæ neceſſaria, non libera caritatis officia impleant, plura bona ſua pauperibus, aut piis locis legant. Id ad ſummum curare filii debent, ut parentes in teſtamentis condendis viros conſulant prudentes, doctrina, & pietate inſtructos, atque ab omni cupiditatis ſpecie, partiumque ſtudio alienos.

III. Gravius peccarent filii, ſi impedirent ne parentes bona male parta reſtituerent, aut debita ſolverent; item ſi debita ſolvenda ſibi impoſita negligerent, aut eorum differrent ſolutionem. Peccarent denique filii, ſi iuſta mortuis parentibus non perſolverent. Tenentur enim filii parentum cadavera congrua ſepultura donare; funera, ut Chriſtianorum more celebrentur, & ſacrificiorum oblationes fiant, curare debent.

IV. Quæſt. II. *Quid in neceſſitate corporali parentibus præſtare filii debeant?* Reſp. Primum filii alimenta exhibere parentibus gravi neceſſitate preſſis adſtringuntur: ad hoc enim naturæ lege tenentur. Et quamvis aliqui Iuriſconſulti iure dumtaxat gentium velint obligatos filios ad hoc officium peragendum; communis tamen tum Theologorum, tum Iuriſtarum ſententia docet, iure naturæ devinctos filios eſſe ad hoc onus implendum. Fortiori quippe vinculo filii iunguntur parentibus, a quibus totum quod habent, accepere, quam parentes filiis. Porro, ſi parentes omnium ſententia alere naturæ lege filios debent; potiori iure parentes indigentes ſuſtentandi a filiis ſunt. Quod confirmari belluarum exemplo poteſt. Ius ſiquidem naturæ illud dicitur cuius veſtigium in belluis elucet. Porro bruta ipſa parentes ſuos alunt in neceſſitate conſtitutos, ut de ciconia ex D. Ambroſio dictum eſt ſupra. Idque verum habet, etiamſi parentes diſparis religionis ſint, videlicet ſive pagani ſint, ſive hæretici. Quid, ſi parentes damnati a iudice ſint ut fame conficiantur! Hoc etiam in caſu alere parentes, quatenus eis licet, debent filii. Neque enim iudicis ſententia eximit filios a naturæ lege. Potiori iure alere eos debent exilio proſcriptos. Secus, ſi ſint proditores patriæ. Diximus utique alendos eſſe hæreticos parentes, ſed hac conditione ſervata, quod hæreſeos venenum

Digitized by Google

effundere in catholicam religionem, & ſeducere alios Catholicos non pertententent.

V. Quæſt. III. *Tenentur ne filii e Religione egredi, ut parentes gravi neceſſitate preſſos alant?* Reſp. Triplex eſt Theologorum ſententia. Prima docet, debere filios, petita, & non obtenta licentia, e Religione egredi ad alendos parentes gravi neceſſitate preſſos; ſive neceſſitas hæc præceſſerit, ſive conſecuta ſit Religionis ingreſſum. Secunda diſtinguit: affirmat, ſi neceſſitas profeſſionem Religionis præceſſerit; negat, ſi fuerit ſubſecuta. Tertia abſolute negat.

VI. Antequam ſententiam meam prodo, adverto, penes omnes convenire, poſſe filium e clauſtro egredi ad ſublevandam evidentem extremam parentum, immo proximorum quorumcumque miſeriam. Si enim videas domum vicini ardere, aut proximum quemque animam agere; omni lege adſtringeris, etiamſi Clauſtralis ſis, opem ferre. Quin, ſi neceſſitas urgeat, poteris, non petita licentia, officia caritatis implere. Petere vero licentiam debes, neceſſitate non urgente. Si negetur, non deſiſtere propterea ab officio debes. Si ambigua ſit hæc extrema neceſſitas, Prælati iudicio ſtandum. Quibus poſitis

VII. Dico, haud licitum eſſe Religioſo clauſtra deſerere, ut parentibus, gravi dumtaxat neceſſitate laborantibus, ſuccurrat. Hæc ſententia eſt D. Thomæ, qui paucis verbis univerſam quæſtionem perſtringit, ſive ſermo ſit de neceſſitate præcedente, ſive de conſequente profeſſionem. Hæc itaque habet 2. 2. quæſt. 101. art. 4. ad 4. *Aliud dicendum eſt de eo qui eſt adhuc in ſæculo conſtitutus, & aliud de eo qui iam eſt in Religione profeſſus. Ille enim qui eſt in ſæculo conſtitutus, ſi habet parentes qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non debet eis relictis Religionem intrare: quia tranſgrederetur præceptum de honoratione parentum: quamvis quidam dicant, quod etiam in hoc caſu licite poſſet eos deſerere, eorum curam Deo committens. Sed ſi quis recte conſideret, hoc eſſet tentare Deum, cum habens ex humano conſilio quid ageret, periculo parentes exponeret ſub ſpe divini auxilii. Si vero ſine eo parentes vitam tranſigere poſſent, licitum eſſet ei deſertis parentibus Religionem intrare: quia filii non tenentur ad ſuſtentationem parentum, niſi cauſa neceſſitatis, ut dictum eſt. Ille vero qui iam eſt in Religione profeſſus, reputatur iam quaſi mortuus mundo. Unde non debet occaſione ſuſtentationis parentum exire clauſtrum, in quo Chriſto conſepelitur, & ſe iterum ſæcularibus negotiis implicare. Tenetur tamen, ſalva ſui Prælati obedientia, & ſuæ Religionis ſtatu, pium ſtudium adhibere, qualiter eius parentibus ſubveniatur.* Hanc ſuam ſententiam confirmat Angelicus hac ratione. Si filius mortuus eſſet, parentibus ſuccurrere minime poſſet. Atqui vi religioſæ profeſſionis mortuus ſæculo eſt. Ergo eis ſubvenire minime adſtringitur Religionem deſerendo. Sic enim ſcribit quodlib. III. quæſt. VI. art. 2. *Poſtquam aliquis eſt iam in Religione profeſſus, eſt mortuus mundo: unde per ſpiritualem mortem deobligatur a cura impendenda pa-*

parentibus, ſicut etiam deobligaretur per mortem corporalem : & ideo non peccat, nec contra præceptum Dei agit, ſi in clauſtro remaneat ſub præcepto Prælati ſui, parentum miniſtratione prætermiſſa. Eſt enim factus impotens ad reddendum debitum miniſterium abſque propria culpa. Debet tamen, quantum poteſt, ſalva Ordinis obedientia, ſatagere ut per ſe, vel per alium ſuis parentibus ſubveniatur, ſi in neceſſitate fuerint conſtituti. Idem docet *quodlib.* x. *quæſt.* v. *art.* 1. Præceptum ergo ſubveniendi parentibus adſtringit filios, quatenus illud implere valent. Certe furari non tenentur, nec poſſunt, ut parentes iuvent in gravi neceſſitate. Porro per profeſſionem ſeipſos tradiderunt Deo, ſeu Religioni propter Deum. Quemadmodum ergo, ſi matrimonii ligamine devincti eſſent filii, uxorem deſerere non deberent, ut ad paternam domum accederent, Scriptura ipſa docente : *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ* : Gen. II. ita, & potiori iure non debent ſpiritualem ſponſam, Religionem nempe, derelinquere, ut ad lares regrediantur paternos. Tenentur tamen induſtriam curamque adhibere, ut, ſalva Ordinis obedientia, & ex Prælati licentia, auxilium, ac ſuppetiæ parentibus, quoad fieri poteſt, conferantur. Hanc D. Thomæ ſententiam ſequuntur D. Antoninus *III. Par. tit.* XVI. *cap.* II. *ſ.* I. Caietanus 2. 2. *quæſt.* CLXXXI. *artic.* 4. *ad* 4. Salmanticenſes *tractat.* XXIV. *cap. unic. num.* 14. & plures alii ab iſtis laudati.

VIII. Duplicis contrariæ ſententiæ argumenta nullius ſunt roboris. Quare tempus terendum non eſt in iis referendis, & diſſolvendis. Solummodo animadvertendum occurrit, Prælatos cautos admodum ac ſolertes eſſe debere in facultate facienda ſubditis exeundi extra clauſtra ad parentes iuvandos. Quamvis enim interdum præfatam licentiam licite impertiri valeant; tamen rara eſt tanta neceſſitas, qua adſtringatur Clauſtralis e Religione egredi, ut parentibus ſuppetias ferat. Quin addo, numquam debere Prælatos licentiam ſubditis concedere exeundi extra clauſtra, cauſſa ſuccurrendi parentum inopiæ; ſed alia via, vel ex bonis Ordinis, vel ex piorum fidelium eleemoſynis Religioſorum parentibus ſuccurrere gravi neceſſitate premente debent. Quandoquidem egreſſum Religioſorum e clauſtro innumera conſequuntur mala, & quandoque ſcandala; cum Clauſtrales interdum libertate obtenta flagitioſe abutantur. Quodnam, quæſo, eſt illud cœnobium quod non alat in dies duos & plures pauperes? Id ergo ſuppeditet Religioſorum parentibus, qui ſunt pauperes, & potiori iure iuvandi. Si æqua lance res expendatur, vix umquam occurret iuſta exeundi ratio. Forte vero non infrequens eſt ut Religioſi prætextum pietatis alendi parentes obtrudant, quo liberæ extra clauſtrum evagationi indulgeant, ſuiſque cupiditatibus faciant ſatis. Quare caveant Prælati a facilitate permittendi eiuſmodi egreſſus; ſed potius caritate ſumma curent ut Religioſorum parentum inopiam alia via, quam filiorum e

cœnobiis egreſſu, ſublevent. Illud etiam animadvertendum eſt, debitum iſtud pietatis patrem, & matrem dumtaxat ſpectare; ſecus fratres, ſorores, ceteroſque conſanguineos, quos aliqui imperiti nomine parentum comprehendi credunt. Porro cauſſa ſublevandæ iſtorum inopiæ haud turbari Religioſus debet; neque ullo modo ſuæ Religionis munia deſerere, ut ſuas curas intendat in illorum levamen.

IX. Addo inſuper, cœnobia teneri ad alendos parentes Religioſorum qui bona ſua Religioni, antequam eidem nomen darent, erogarunt. Siquidem cum eiſdem bonis, ad quoſcumque illa pervenerint, tranſit onus alendi parentes. Qui enim ſentit commodum, eum & onus ſentire æquum eſt. Et hac ratione, ſi parentes monaſterio dono gratuito bona ſua largiti ſunt, filios alere monaſterium debet.

X. Quæſt. IV. *Filius habens liberos, & parentes in æquali conſtitutos neceſſitate, quibus ſuccurrere prius debet?* Reſp. Salmanticenſes *tractat.* XXIV. *cap. unic. numer.* 21. reſpondent, præferendos in ſubſidio parentibus eſſe filios: idque evincere contendunt D. Thomæ auctoritate. Ut id quod ſentio, ſincere ediſſeram, doctrina D. Thomæ non adeo manifeſte favet huic ſententiæ, ut ipſum abſolute ab eadem ſtare, dicere valeamus. Quin addo, S. Thomam in contrariam potius conceſſiſſe opinionem. Textum D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* XXVI. *art.* 9. exſcribam, ut lector ipſe ſententiæ probabilioris arbiter ſedeat. *Gradus dilectionis ex duobus penſari poteſt. Uno modo ex parte obiecti; & ſecundum hoc id quod habet maiorem rationem boni, eſt magis diligendum, & quod eſt Deo ſimilius: & ſic pater eſt magis diligendus quam filius, quia ſcilicet patrem diligimus ſub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo ſimilioris. Alio modo computatur gradus dilectionis ex parte ipſius diligentis: & ſic magis diligitur quod eſt coniunctius: & ſecundum hoc filius eſt magis diligendus quam pater, ut Philoſ. dicit in VIII. Ethic. Primo quidem quia parentes diligunt filios ut aliquid ſui exiſtentes; pater autem non eſt aliquid filii: & ideo dilectio ſecundum quam pater diligit filium, ſimilior eſt dilectioni qua quis diligit ſe ipſum. Secundo quia parentes magis ſciunt aliquos eſſe ſuos filios quam e converſo. Tertio quia filius eſt magis propinquus parenti, utpote pars exiſtens, quam pater filio, ad quem habet habitudinem principii. Quarto quia parentes diutius amaverunt. Nam pater ſtatim incipit diligere filium; filius autem tempore procedente incipit diligere patrem. Dilectio autem, quanto eſt diuturnior, tanto eſt fortior, ſecundum illud Eccleſ.* IX. *Non derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit ſimilis illi.* Hactenus Angelicus. Diverſa ergo ratione habita, parentes filiis, & filii parentibus præferendi ſunt. Si honor, reverentia, & obſequium ſpectentur, parentes præferre propriis liberis filii debent. Quantum vero ad benevolentiam, & amorem teneriorem, filiorum amor

amor antecellit. Hinc abſolute infert Angelicus ad 1. quod *propter hoc parentibus a filiis magis debetur honor*; *filiis autem magis debetur cura proviſionis*. Hæc abſolute extra difficultatis aleam ſunt poſita. At quæſtionis propoſitæ cardo in eo vertitur, cui iſtorum in æquali neceſſitate potius ſit providendum. Et in hoc caſu videtur D. Thomas præferre filiis parentes. Sic enim ad 3. reſpondet: *Quia pater comparatur ad nos in habitudine principii, ſicut Deus, ad patrem proprie pertinet ut ei a filiis honor impendatur; ad filium autem ut eius utilitati a parentibus provideatur: quamvis in articulo neceſſitatis filius obligatus ſit ex beneficiis ſuſceptis ut parentibus maxime provideat*. Summa doctrinæ angelicæ hæc eſſe videtur. Proprium eſt filiorum honorare, revereri, & colere parentes; parentum vero providere filiis, eoſque alere: ita ut abſolute, nulla poſitione facta, parentum proprium ſit alimenta filiis præbere; at, urgente neceſſitate, *maxime parentibus providendum eſt*. Cur? quia parentes ſunt priores veluti creditores. Prius filius debitum erga patrem quam erga filium contraxit. Poſterius debitum primum non infringit. Beneficia quæ a patre filius recepit, antecedunt debitum quod in generatione filii contraxit. Prioris ergo debiti ſolutio poſterioris debiti ſolutionem antecedat oportet. Hæc mihi videtur & doctrinæ D. Thomæ, & rationi conformior opinio. Verum quia perraro hoc accidit, ideo a ſeveriori diſcuſſione abſtineo. Eorum hæc ſunt in quibus quiſque abundare in ſenſu ſuo valet, cum pro neutra parte evidens militet ratio.

XI. Quæſt. V. *Si creditores, & parentes ſint in extrema neceſſitate, quibus providendum prius erit?* Reſp. Præferendos creditores docent Navarrus in *Manual. cap.* XVIII. *num.* 60. Armilla *verb.* Reſt. *num.* 27. Medina *de reſt. quæſt.* 111. & alii. Ratio iſtius ſententiæ eſt, quia creditori res debetur duplici titulo, & iuſtitiæ, cum illius res ſit, & caritatis, cum extrema neceſſitate laboret. Oppoſita ſententia eſt probabilior, quam defendunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 25. Ratio clara eſt. In extrema neceſſitate omnia ſunt communia. Falſum ergo eſt quod titulo iuſtitiæ in hac poſitione res creditori debeatur. Ex alia parte melior eſt conditio poſſidentis. Ergo filius tunc prius ſibi, & parentibus quam creditori ſubvenire debet. Pro hac ſententia ſtant Sotus *Lib. IV. de iuſt. quæſt.* VII. *art.* 1. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lXII. *art.* 5. *ad* 3. Azorius *Lib. XII. cap.* VIII. *quæſt.* V. Paludanus *in IV. diſt.* XV. *quæſt.* II. *art.* 1. & alii.

XII. Obligatio alendi parentes non modo adſtringit filium legitimum, verum etiam naturalem, & ſpurium; cum utrique iure naturæ iuncti parentibus ſint, & eadem pietatis ratio ambos urgeat. Alere filii debent non modo parentes, ſed etiam avos, & proavos, qui nomine parentum reſpectu deſcendentium venire ſolent. Cauſſæ, cur filii denegare alimenta parentibus poſſunt, eædem ferme ſunt ac illæ ob quas exheredare filios parentes valent: videlicet prima, ſi parentes ve-

Digitized by Google

venena præberi filiis curaverint: ſecunda, ſi pater agnoverit uxorem filii; aut mater cum marito filiæ rem habuerit: tertia, ſi a condendo teſtamento pater filium abduxerit: quarta, ſi amentes filios curare pater neglexerit: quinta, ſi veneno in amentiam labi filios aliquo modo tentaverit: ſexta, ſi captivitati ſubducere filios parentes omiſerint: ſeptima, ſi parentes fuerint hæretici, & filii Catholici. Alimenta tamen neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem numquam ſunt neganda parentibus, etiam hæreticis, niſi dum licitum eſt in eoſdem arma ſtringere; ut dum prodere patriam pertentant, aut hæreſi religionem pervertere, & Catholicos inficere.

CAPUT VI.

De officiis parentum in filios.

I. QUemadmodum mandatum quartum Decalogi præcipit filiis ut parentes honorent, diligant, venerentur; ita adſtringit parentes ut alant, educent, cuſtodiantque filios, ne quidquam illis mali accidat. Peccant ſiquidem parentes, ſi ob eorum negligentiam parvuli filii claudi, infirmi, ſive in corpore, ſive in anima, evaſerint. Laborare pro filiis parentes debent, ut congrua patrimonia illis parent, ſicut Apoſtolus docet II. ad Cor. XII. *Non enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis.* Huic debito ſatisfaciunt parentes aut patrimonium filiis acquirendo, aut filios aliquam artem vel profeſſionem docendo. Et hoc ſecundo modo forte ſecurius illis providetur. Pecuniam enim, & annuos reditus, amplaque patrimonia ludis, & meretricibus prodigere cito valent; artem, vel ſcientiam dilapidare nequeunt. Quæ tamen valeant, circumſtantiis & ſtatus dignitate ſervatis.

II. Catechiſmus Concilii Tridentini potiſſima parentum in filios officia explicat his verbis Par. III. de 4. præcep. num. 21. *Et quemadmodum divina lege ſancitum eſt ut parentibus filii honorem habeant, ut pareant, ut obſequantur; ſic parentum propria officia ſunt, atque munera ut ſanctiſſimis diſciplinis, ac moribus filios imbuant, iiſque optima dent vivendi præcepta; ut ad religionem inſtructi, & parati, Deum ſancte, inviolateque venerentur; quod a parentibus Suſannæ factum legimus. Itaque Sacerdos parentes commoneat ut ſe liberis magiſtros præbeant virtutis, æquitatis, continentiæ, modeſtiæ, & ſanctitatis: triaque præſertim declinent, in quibus offendere ſæpe conſueverunt. Primum, ne quid acerbius in filios aut loquantur, aut ſtatuant: quod Apoſtolus in epiſtola ad Coloſſenſes ita præcipit:* Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant. *Nam periculum eſt ne fracto, abiectoque animo ſint, dum omnia timent. Quare illud*

Digitized by Google

illud præcipiat ut nimiam ſeveritatem effugiant, malintque liberos corrigere quam ulciſci. Sæpius tamen, ut idem Catechiſmus ſtatim ſubdit, nimia lenitate delinquunt parentes quam auſteritate in filiorum educatione. Illi vero qui ſeverius filios tractant, ultores potius quam correctores ſunt. Fere ſemper iracundia perciti, & furore abrepti in filios excandeſcunt, & frequentiſſime duplex peccatum peccant, ſcilicet quod ira abripiantur, & quod filios non modo non corripiant, ſed illis potius ſcandalo ſint, ſuoque pravo exemplo eos iracundos, agreſtes, vitioſoſque reddant. Difficillima ars eſt filiorum recta educatio.

III. Plura documenta exhibet divina Scriptura quibus docentur parentes artem educandi filios. Primum in divinæ legis cognitione eos inſtruant, inquit Moyſes Deuter. cap. XI. *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. Docete filios veſtros, ut illa meditentur. Quando ſederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque ſurrexeris* &c. Hoc officio perfuncti ſunt parentes Suſannæ, ut teſtatur Daniel cap. XIII. *Parentes illius, cum eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi*. Lubet exſcribere documentum, quantumvis prolixum, Eccleſiaſtici cap. XXX. *Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium ſuum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe*. Quæ ſubdit idem Eccleſiaſticus, ſunt maxima animadverſione digna. Quippe non ſolum verbis docendos filios iubet; ſed & verberibus plectendos inculcat; atque ne domeſtici regiminis poteſtas illis conferatur, admonet. *Lacta filium, & parentem te faciet .... Non corrideas illi ne doleas, & in noviſſimo obſtupeſcent dentes tui. Non des illi poteſtatem in iuventute .... Curva cervicem eius in iuventute, & tunde latera eius, dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi: & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas*.

IV. Documenta Patrum hoc de argumento plurima ſunt, & obvia. Pauca ex Chryſoſtomo delibabo. *Hom.* IX. *in Epiſt. I. ad Timoth.* inquit: *Heli propter filios periit. Illos quippe cum acrius coercere debuiſſet, verbis tandem lenibus monuit. Quapropter dum illis moleſtus eſſe ſevera increpatione recuſat, illos, & ſeipſum una perdidit. Audite hæc patres, veſtroſque filios in diſciplina, & correptione Domini erudite ſumma cum diligentia. Eſt enim iuventus fera, plurimiſque indiget inſtitutionibus, & magiſtris. Si igitur illis ab ipſis ſtatim initiis, atque a prima ætate leges optimas imponamus, minimum poſthac laborabimus; verum conſuetudo ipſa virtutis in legem tranſibit*. Legatur ſanctus Epiſcopus *hom.* XXI. *in Epiſt. ad Ephes. & Lib. III.* adverſus vituperatores vitæ monaſticæ *cap.* III. IV. VI. & XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Lege etiam Natalem Alexandrum *Lib. IV. art.* 2. ubi prolixas in hanc rem Patrum auctoritates comperies.

V. Potiſſimum autem parentum in filios officia eo ſpectant, ut illos in divinæ legis mandatis, fideique articulis ſumma diligentia imbuant, informentque, ad honeſtatem, pietatem, & ſinceritatem excitent. Hoc primum omnium illorum mentibus imprimendum, Dei videlicet, proximique amor. Hunc in finem inculcent, omnes homines natos in mundo, atque a Chriſto Ieſu redemptos eſſe, ut mundana nihili faciant, ſed cæleſtia anhelent; ut vitam ſuam ad Chriſti exemplar conforment, carnem cum concupiſcentiis ſuis crucifigant; adverſitates, calamitateſque animo forti tolerent. Duo ſunt religionis noſtræ præcipua capita, alterum credendorum, agendorum alterum. In explicandis fidei articulis ſegnities non adeo frequens eſt; neque in iis addiſcendis tanta difficultas, ſive reluctatio. Non enim articulorum fides, ſi abſolute ſpectetur, valde appetitionibus incommodat. Frequentiſſima tum parentum, tum magiſtrorum, & Parochorum ſocordia, ac negligentia eſt in explicatione præceptorum quæ præſcribunt vitam noſtram ad Chriſti vitam conformandam; tribulationum, anguſtiarum, & perſecutionum tolerantiam; paupertatis, humilitatis cultum, inimicorum, & pauperum dilectionem. Verum, quod plorandum magis eſt, non modo negligunt parentes harum virtutum ſemina in filiorum ſerere cordibus, mentibuſque affundere earumdem lucem; ſed vitia oppoſita iiſdem cum nutricis lacte inſtillant, tum verborum, tum actionum exemplis. A parentibus filii diſcunt iurationes ſuperfluas, & vanas, blaſphemias ſacrilegas, obſcænas cantiones, adagia impia, vel impudica. A parentibus ambitionem, faſtum, luxum, vanitatem, mundanam gloriam, ſuperbiam, avaritiam, ceteraque vitia filii quotidie epotant. Inſita a natura ſunt virtutum ſemina, ardent in teneris animis pietatis igniculi, qui, antequam pueri rationis lumine uti valeant, pravis parentum moribus extinguuntur; ut in Tuſculanis quæſtionibus ſcribere Ciceronem memini. Sed iſtius ſapientis Ethnici in ſimiles parentes increpationem lego *act.* IV. *in Verrem poſt medium*, ubi ſic Verrem alloquitur: *Tu ne, cum te, ac tuam vitam noſſes, in Siciliam tecum grandem prætextatum filium ducebas? ut, etiam ſi natura puerum a paternis vitiis, atque a generis ſimilitudine abduceret, conſuetudo tamen eum, & diſciplina degenerare non ſineret. Fac enim fuiſſe in iſto C. Lælii, M. Catonis materiem, atque indolem: quid ex eo boni ſperari, atque effici poteſt, qui in patris luxurie ſic vixerit, ut nullum umquam pudicum, neque ſobrium convivium viderit? Qui in epulis quotidianis, adulta ætate, per triennium, inter impudicas mulieres, & intemperantes viros verſatus ſit? Nihil umquam a patre audiverit, quo pudentior, aut melior eſſet? Nihil umquam patrem agere viderit, quod cum imitatus eſſet, non, id quod turpiſſimum eſt, patri ſimilis putaretur? Quibus in rebus*

non

non ſolum filio, verum etiam Reipublicæ feciſti iniuriam. Suſceperas enim liberos, non ſolum tibi, ſed etiam patriæ, qui non modo tibi voluptati, ſed etiam qui aliquando uſui Reipublicæ eſſe poſſent. Eos inſtituere, atque erudire ad maiorum inſtituta, atque civitatis diſciplinam, non ad tuas turpitudines, debuiſti. Eſſet, inerti, atque impuro, & improbo parente, navus, & pudens, & probus filius: haberet aliquid abs te Reſpub. muneris. Nunc pro te Verrem ſubſtituiſti alterum civitati: niſi hoc forte deterior eſt, ſi fieri poteſt, quod tu eiuſmodi evaſiſti non in hominis luxurioſi, ſed tantum in furis, ac diviſoris diſciplina educatus. Hæc tria deprædicet Concionator, dum de filiorum educatione ad populum ſermonem habet. Patefaciat, parentes peccare in Deum, in Rempublicam, ſeu ſocietatem humanam, in ipſamque naturam, dum imbuere filios ad ſolvendum penſum debitum Deo, Reipublicæ, & naturæ inſtruere negligunt. Duo ſunt ſuprema peccatorum genera quæ parentes perpetrant in filiorum educatione: primum omiſſionis, alterum commiſſionis, ut vocant. Negligunt eos edocere quæ ad illorum ſtatum pertinent; contendunt illos educare in iis quæ parentum poteſtati non ſubiacent, ut in ſtatus aut religioſi, aut coniugalis electione. Si rei familiaris intereſt ut cælibes vivant, cælibatum ſervare debent. Si Sacerdotium domeſticis negotiis adverſatur, ab altari abducuntur; coguntur vero illud aſcendere, ſi res familiaris id poſtulet. Verum de his pluſquam ſatis. Quæſtiunculæ nonnullæ ſolvendæ ſunt.

VI. Quæſt. I. *Tenentur ne parentes curare ut iis artibus filii inſtruantur quæ eorum ſtatui conveniunt?* Reſp. Adfirmant communiter Theologi, parentes teneri, ut filii inſtruantur iis aut ſcientiis, aut artibus, quæ eorum ſtatui, capacitati, & conditioni, atque familiæ patrimonio congruunt. Quare parentes nobiles, & divites debent curare ut filii erudiantur in optimis diſciplinis ſcientiarum, reſpectu habito ad illorum indolem, & profectum.

VII. Quæſt. II. *Quæ ſunt diſciplinæ præcipuæ in quibus erudiendi ſunt filii a parentibus?* Reſp. Primum omnium, ut dictum eſt, debent eos docere quæ cultum Dei ſpectant, ut Symboli articulos, Decalogi præcepta, ſignum crucis, vitia capitalia, & cetera crimina, a quibus cavere debent, probe cognoſcant. Poſtea debent curare ut erudiantur in ſcientiis, vel artibus iuxta cuiuſque ſtatus diverſitatem.

VIII. Quæſt. III. *Peccant ne parentes, ſi negligant filiorum inſtructionem in diſciplinis, ſeu artibus eorum ſtatum decentibus?* Reſp. Peccant dubio procul, ſi quæ illorum ſtatum ſpectant, docere ipſos omittant, vel curare ut ab aliis doceantur. Non modo ergo peccant, ſi ſegnes ſint in filiorum ſpirituali educatione; verum etiam ſi negligant civilem inſtructionem, quæ eos utiles ſibi, & ſocietati conſtituant. Generant enim filios non ſibi tantum, verum etiam Deo, & Reipublicæ. Porro,

ſi illorum informationem in artibus civili ſocietati, & propriæ ſuſtentationi neceſſariis omittant, peccant & in ſocietatem, ſive Rempublicam, quam utili cive privant, & in ipſam naturam, cuius lege aſtringuntur ita educare filios, ut valeant & victum ſibi comparare, & Reipublicæ inſervire.

IX. Quæſt. IV. *Parentes qui a Religionis ingreſſu filios abducunt, peccant ne graviter?* Reſp. Si aliquo terreno fine filios a ſtatu religioſo ſuſcipiendo diſtrahant parentes, procul dubio peccant; ſecus, ſi iuſta cauſſa moti id præſtent; e. g. ſi iudicent filios Religioni futuros ineptos, aut nocuos, ſi ſuſtentandæ domui, & cuſtodiendis, alendiſque ſororibus neceſſarios eſſe arbitrentur. Ut tamen ſibi a peccato ſecurius caveant, conſulere parentes viros doctos, pioſque debent.

X. Quæſt. V. *Quomodo ſe gerere parentes debent in dirigendis filiis qui amplecti Religionem volunt?* Reſp. In primis Religionis amplectendæ diſciplinam, moreſque perquam diligenter ſcrutari debent. Si Religionis diſciplina laxa ſit, a talis Religionis ingreſſu retrahere eos debent omnino. Quænam porro diſciplina laxa reputanda ſit, & nos alibi dixiſſe meminimus, & cuique ſerio inveſtiganti adeo pervium eſt, ut noſtra diſcuſſione non egeat. Quid hæc ad parentes? inquies. Quid hæc ad parentes? Non ne parentes in filiorum matrimoniis primum omnium ducendæ ſponſæ natales, conſanguineos, mores, ſtirpem, & plura alia uſque ad ſuperſtitionem ſub examen revocant? Et in graviſſimo ſeligendæ ac ſuſcipiendæ Religionis negotio cæci, & ſtupidi erunt? Quid, ſi filii in uxorem deligerent virginem loquacem, effrontem, impudicam, ſuſpectæ famæ? An non id impedirent pro viribus parentes? Quidni ergo non vetabunt, ſi eam ingredi Religionem velint in qua ob collapſam regularem diſciplinam grave imminet æternæ ſalutis periculum? Frequentiſſime in hoc parentes peccant: quoniam, ſi illorum intereſt ut, relicto patrimonio, filii religioſum inſtitutum amplectantur, non modo non retrahunt, verum etiam illos inſtigant, impelluntque ad ingreſſum. Si vero rei domeſticæ intereſt ut in ſæculo degant, omni arte a Religione diſtrahunt: & ſic tum ſeipſos, tum filios in maximum æternæ damnationis diſcrimen coniiciunt.

XI. Quæſt. VI. *Quandonam cenſentur graviter peccare parentes, dum filios a Religionis ingreſſu diſtrahunt?* Reſp. P. Suarez *Tom. III. de Relig. Lib. V. cap.* IX. *num.* 9. docet, non peccare mortaliter parentes, ſi abſque vi, & fraude, ſed ſolum precibus, & promiſſionibus avertant filios a Religione ſuſcipienda; niſi preces eſſent importunæ. Hanc eamdem ſententiam docet Tamburinus *Lib. V. in Decal. cap.* II. *§.* 5. *num.* 7. Contrariam ſententiam defendunt Dominicus Soto *Lib. IV. de iuſt. & iur. quæſt.* VI. *art.* 3. *ad* 2. Navarrus *in Man. cap.* XII. *num.* 44. qui pro eadem ſententia citat D. Antoninum, Paludanum, Sylveſtrum, Angelum, Tabienam, Sayrum, qui pariter laudat Ledeſmam, Petrum Navarra, Aragon, Salon, & Gregorium de Valentia. Leander vero *diſp.* VI. *quæſt.* XVII. allegat Mirandam

Tom.

Digitized by Google

Tom. I. quæſt. XVI. *art.* 3. *concl.* 2. Bordonium *de Prof. Relig. cap.* XII. *quæſt.* XXXII. *num.* 74. Molinam *Tom. V. de iuſt. tract.* IV. *diſp.* II. Dicaſtillo *Tom. I. de iuſt. Lib. II. tract.* II. *diſp.* VII. *dub.* 2. *num.* 20. Trullenchum *Lib. IV. in Decal. cap.* 1. *dub.* 3. Fagundez *Lib. IV. in Decal. cap.* 1.

XII. Paucis exponenda veritas eſt. Parentes qui dolo, fraude, vafritie detinent filios, ne Religionem amplectantur, omnium conſenſione peccant mortaliter; & tenentur dolum, ac fraudem removere, atque curare ut filium deceptum in priſtinum ſtatum revocent.

XIII. Peccant quoque graviter, ſi id præſtent precibus importunis, quia hæ æquivalent dolo, & fraudi. Tandem probabilius eſt eoſdem graviter peccare, ſi reapſe filios a Religione retrahant etiam ſine fraudibus, precibuſque importunis. In eiuſmodi quippe facto non tam animus, quam effectus ſpectari debet. Maius utique crimen perpetrant illi qui vafritie, aſtutia, & precum importunitate filios ſuos abducunt a Religionis ingreſſu; ad effectum vero quod attinet, perinde eſt, ſive id uno, ſive alio modo fiat. Porro effectus iſte, impedimentum nempe ſuſcipiendæ Religionis, grave natura ſua detrimentum infert & filio, & Religioni amplectendæ. Quid refert, utrum pravo, aut ſimplici animo colaphum fratri tuo infligas? Nonne ſemper peccatum eſt, quia fratris iniuria? Peccant ergo parentes letaliter, quando deliberato animo, carnali affectu, nullaque iuſta cauſſa ducti, reipſa filios a Religione abducunt. Hæc eſt ſententia quæ mihi videtur & verior, & communior.

XIV. Quæſt. VII. *Peccant ne mortaliter parentes qui cogunt invitas filias monaſteria ingredi?* Reſp. Non modo peccant, verum etiam excommunicationem incurrunt a Tridentino in eos inflictam *ſeſſ.* XXV. *de Reg. cap.* XVIII. his verbis. *Anathemati S. Synodus ſubiicit omnes, & ſingulas perſonas, cuiuſcumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam laicos, ſæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in caſibus in iure expreſſis, ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis, vel ad emittendam profeſſionem; quique conſilium, auxilium, vel favorem dederint; quique ſcientes, eam non ſponte ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubiicit eos qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo ſine iuſta cauſſa impedierint. Eaque omnia, & ſingula quæ ante profeſſionem vel in ipſa profeſſione fieri oportet, ſerventur non ſolum in monaſteriis ſubiectis Epiſcopo, ſed & in aliis quibuſcumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres quæ Pœnitentes, aut Convertitæ appellantur, in quibus conſtitutiones earum ſerventur.*

XV.

Digitized by Google

XV. Vis, & coactio pluribus fieri modis valet. Non enim neceſſe eſt ad vim inferendam ut parentes pugione diſtricto iugulum filiarum petant, aut ut mortem minentur. Ut tamen dicantur eas cogere, neceſſe eſt ut interveniat vis, & metus cadens in virum conſtantem, ſeu qui natura ſua animum puellæ flectat. Quantitas autem metus qui cadit in virum conſtantem, non abſolute, ſed comparate ad conditionem perſonæ quæ cogitur, ponderanda eſt. Minor metus ſufficit ad cogendam puellam quam adoleſcentem, & mulierem quam virum. Contendunt plures, hanc excommunicationem parentes non incurrere, ſi metu tantum levi eas cogant. Verum difficile eſt limites iſtius coactionis certo præſcribere. Peccare parentes valent, quin excommunicationem incurrant. Si enim precibus, promiſſis, aliiſque blanditiis allicerent filias ad ingrediendum monaſterium; peccarent utique contra caritatem; at, ut & ego arbitror, non incurrerent excommunicationem: quia blandimenta, & preces vim revera non inferunt, atque adeo nec cogunt.

XVI. Quid, ſi parentes dicerent puellæ: Niſi monaſterium ingrediaris, domi in ſecretiori cubiculo dies tibi ducendi erunt: neque enim dos tuo ſtatui congrua ſuppetit ad matrimonium ineundum? Diſtinguendum eſt. Si parentes revera impotentes ſint ad dotem conſtituendam filiæ, nullam ei vim, aut iniuriam irrogant, dum eidem denuntiant, talem vitæ rationem ſervandam, quæ puellam virginem decet. Secus dicendum, ſi pater dives, avaritiæ æſtu percitus, ut ſibi dotem reſervaret, ad cœlibatum ſive monaſticum, ſive domeſticum cogeret virginem: tunc enim illum peccare, non eſt ambigendi locus. Non ideo tamen excommunicationem incurreret: quia quod nolit filiæ dotem dare ad matrimonium contrahendum, non propterea eamdem cogit ad monaſterii ingreſſum.

XVII. Quæſt. VIII. *Subiacent ne anathemati parentes, qui nedum filias, ſed filios quoque ad monaſticam profeſſionem cogunt?* Reſp. Docent plures, eamdem rationem eſſe filiorum, & filiarum. Propoſitum quippe Tridentini fuit conſulere libertati omnium qui profeſſuri ſunt vitam monaſticam. Ergo æque ſubiacent excommunicationi qui cogunt filios, ac qui cogunt filias. Quod confirmari ex eo poteſt, quia pœnæ conſtitutæ in raptores mulierum extenduntur etiam ad mulieres quæ homines rapiant. Negant communius alii: quoniam Tridentinum exprimit dumtaxat eos qui cogunt mulieres. Siquidem *ſeſſ.* XXIV. *de matr. cap.* IX. quia voluit comprehendere tum mulieres, tum viros cogentes quempiam ad matrimonium, id perſpicue expreſſit. Igitur, cum in noſtra quæſtione excommunicationi ſubiiciat eos dumtaxat qui mulieres cogunt, cauſſa non apparet cur pœna huiuſmodi ad viros etiam extendi debeat. Neque eſt eadem utriuſque caſus ratio. Frequenter enim, & facile puellæ, ac mulieres metui, & coactioni ſubiacent; raro autem viri. Porro leges quod frequenter accidit ſpectant; ſecus quod rarum eſt, & inſolitum. Quod

in

Digitized by Google

in confirmatione opponebatur, diſputationi eſt obnoxium. Negant enim huius ſecundæ ſententiæ Auctores, pœnas conſtitutas in raptores mulierum, extendi ad mulieres raptrices virorum. Regula iuris eſt, pœnas eſſe reſtringendas. Hæc ſecunda ſententia videtur probabilior.

XVIII. Hinc colligas velim, non quemcumque timorem levem illatum puellis ſatis eſſe ad cenſuram hanc incurrendam; ſed neceſſarium eſſe timorem gravem qui reipſa vim ingerat. Gravitas autem iſtius timoris ex perſonæ conditione, aliiſque circumſtantiis a viris prudentibus colligenda eſt. Quare non placet opinio Leandri, qui *diſp.* VI. *quæſt.* XXI. negat cum *Bonacina*, & *Sanchez*, ſubiacere cenſuræ huic illos qui gravi timore perterrefactas filias cogunt profiteri ſtatum monaſticum. Falſum quippe reputo, gravem timorem vim, & coactionem non incutere, potiſſimum puellis, & mulieribus. Hanc porro cenſuram incurrunt non parentes modo, verum etiam cuiuſque generis, & conditionis perſonæ quæ ad monaſteriorum ingreſſum vi mulieres urgent, effectu tamen ſecuto: effectu enim non ſuccedente, nulla contrahitur cenſura; quamquam tot admittantur peccata quoties vis infertur. Effectus autem ſecutus dicitur, ſi puella ob vim ingreſſa fuerit monaſterium, aut habitum ſuſceperit, aut profeſſionem emiſerit.

XIX. Quæſt. IX. *Excommunicationem præſ.tam incurrunt ne parentes qui filias cogunt ut monaſteria ingrediantur, non ut ſtatum monaſticum amplectantur; ſed ut ibidem ſub veſte laicali vitam ducant?* Reſp. Adfirmant plures Theologi, Navarrus; Filliucius, Suarez, Diana, & alii, quos refert Leander *diſp.* VI. *quæſt.* XXIV. quia Concilium anathema inurit omnibus qui coegerint aliquam virginem ad *ingrediendum monaſterium, vel ad habitum ſuſcipiendum, vel ad emittendam profeſſionem*. Satis ergo eſt ad cenſuram incurrendam unum ex his tribus enumeratis. Negat Leander *loc. cit.* & pro hac negante opinione laudat Navarrum, Pellizzarium, Portell. Suarez, & Sanchez. Hæc opinio videtur probabilior. Propoſitum quippe Concilii eo ſpectaſſe exiſtimatur, ut nulla vis inferatur ea intentione, & conſilio, ut ſtatum religioſum invita eligat mulier. Et, quicumque eam ad hoc coegerint, ut vel monaſterium ingrediatur, vel habitum ſacrum induat, vel profeſſionem emittat, omnes ſubiicit anathemati. Ceterum, ſi parentes filiam etiam invitam cogant ut monaſterium ingrediatur, veſte ſæculari retenta, eo ſincero, & veraci, pioque animo, ut ibidem in timore Domini educetur, ut a mundi periculis ſeverius cuſtodiatur, uſquedum nuptui apta evadat, abſque ullo ad Religionem profitendam reſpectu; non apparet ratio cur anathemate ſint configendi. Fac filiam in paterna domo degentem pluribus expoſitam periculis, parentes aut ætate grandævos, aut natura ineptos, vel pravis moribus inquinatos, minus idoneos eſſe ad cuſtodiendam filiæ caſtitatem, eamque, utpote naturæ pronioris ad ſæculi blandimenta, ſub ſeveriori diſciplina continendam. Quis dixerit, aut peccare, aut cen-

Digitized by Google

cenſuram incurrere illos qui vel invitam in monaſterio collocaverint, eo ingenuo ſinceroque animo, ut iſthic in tuto poſita ſancte educetur; integraque eidem relicta facultate ut eum deligat ſtatum quem ſibi congruentiorem fore putaverit? Ego ſane neque criminis, nec cenſuræ reum damnarem illum qui hoc ſancto conſilio virginem, quantumvis invitam, in monaſterio includeret. Si licite in paterna domo intra cubiculum occludi poteſt, ut illius pudicitiæ, & morum integritati proſpiciatur: quidni licitum erit eamdem in monaſterio educandam, cuſtodiendamque locare? Parentum ergo intentio ſpectanda. Mirandum eſt, *Dianam*, *Filliucium*, ceteroſque *Probabiliſtas*, qui leges tum divinas, tum naturales, vel manifeſtas, nimium relaxant, in lege pœnali adeo ſeveros eſſe, ut puellarum libertati faveant. Sed iſtorum opinio falſa eſt.

XX. Caſus in iure expreſſi, in quibus cogi mulier poteſt ad monaſterii ingreſſum, ſunt ſequentes. I. Quando mulier votum edidit Religionis; ſi tamen de eo certo conſtet. II. Si, elapſo poſt initum matrimonium bimeſtri, & impedimentis ſublatis, renuit matrimonialem copulam. III. Si poſt quinquennium, & non ante, dicat, ſe ficte profeſſam, aut metu coactam, aut ante ætatem præſcriptam. IV. Ob crimen, ut ſi damnata ad carcerem, oblatam conditionem libertatis hoc pacto ut Religionem profiteatur, acceptet; aut ſi adultera tradita a iudice ad mortem, ſimilem Religionis profitendæ facultatem libere acceptet. His in caſibus cogi ad Religionem ſuſcipiendam mulier poteſt, quin decretum Concilii violetur. Numqnam tamen cogenda eſt, ut invita profiteatur; ſed conſtitutæ pœnæ mulier rea eſt, ſi acceptatam conditionem ſponte exequi recuſet.

XXI. Quæſt. X. *Excommunicationem dictam incurrunt ne parentes, retrahentes filiam a Religionis ingreſſu?* Reſp. Adfirmant omnes: quia verba Concilii explorata ſunt. *Simili quoque anathemati ſubiicit eos qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo ſine iuſta cauſſa impedierint*. Verba hæc interpretatione non egent.

XXII. Quæſt. XI. *Incurrunt ne excommunicationem parentes qui impediunt ne filia, ſeu mulier monaſterium ingrediatur, & novitiatum ſuſcipiat?* Reſp. Negat Leander *diſp.* VI. *quæſt.* XXVII. & apud eumdem Sanchez *Lib. IV. in Decal. cap.* IV. *num.* 15. Quia, inquiunt, decretum pœnale, excommunicans impedientes profeſſionem, non debet ad eos extendi qui impediunt aut ingreſſum in monaſterium, aut novitiatum. Idque ex eo confirmant quod Tridentinum, dum excommunicat cogentes tum ad ingreſſum, tum ad profeſſionem, utrumque declarat, biſque repetit. Hæc opinio mihi improbabilis eſt, & contraria unice probabilis. Perſpicua quippe ſunt verba Tridentini excommunicantis eos qui *virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo ſine iuſta cauſſa impedierint*. Dicit Leander cum Sanchez, Tridentinum ſupponere, mulierem eſſe novi-

 tiam,

tiam, & ab emittenda profeſſione impediendam: & hoc impedimentum, mulierem avertens a profeſſione, ſubiacet excommunicationi; ſecus obſtaculum remotum, quale illud eſt quod impedit ingreſſum in monaſterium, aut novitiatus ſuſceptionem. Gerræ ſunt interpretamenta hæc, & videntur manifeſte pugnare cum textu Concilii. Tridentinum enim Concilium non dicit, Qui impedierit profeſſionem; ſed eos omnes excommunicationi ſubiicit qui *quoquo modo voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi impedierint:* non, inquam, dicit, Qui impedierint veli ſuſceptionem, aut voti profeſſionem; ſed qui *voluntatem veli accipiendi quoquo modo impedierint*. Qui puellas ab ingreſſu in monaſterium, vel ab ipſo novitiatu retrahunt, reapſe *voluntatem accipiendi veli*, aut *voti emittendi* impediunt. Si Tridentinum excommunicaret dumtaxat eos qui *profeſſionem* impedirent; commentum Leandri, & Sanchez fucum quempiam haberet, quo tegeretur. Verum, cum Tridentinum excommunicationem in eos contorqueat qui *voluntatem veli accipiendi* remorantur, concidat neceſſe eſt huiuſmodi interpretatio. Hanc noſtram opinionem defendunt P. Suarez *Tom. V. in III. Par. diſ.* XXIII. *ſec.* 3. Bonacina *Tom. I. diſp.* II. *de excom. quæſt.* VI. *punct.* 3. *num.* 3. & alii, quos citat ipſe Leander. Quid, ſi quis impediret votum tantum ingrediendi Religionem? Neque hunc ego ab excommunicatione præfata immunem aſſererem, ob verba Tridentini dicentis: *Qui voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo impedierint*. Quis inficias iverit, non impedire *voluntatem veli accipiendi* qui votum illud accipiendi impedit? Quin votum veli accipiendi plus eſt quam ſimplex deliberata voluntas illud accipiendi. Si ergo qui voluntatem impedit, excommunicatur; potiori iure profecto anathemati huic ſubiacet qui votum profitendæ Religionis, ſeu veli ſuſcipiendi impedierit. Scio Suarez, & Bonacinam, qui in priori ſententia nobiſcum ſentiunt, contrariam huic noſtræ opinionem defendere; ſed, utrum ſibi in hoc conſtent, aliorum eſto iudicium.

XXIII. Quæſt. XII. *Peccant ne parentes qui filias ſuas fucis deliniri ad turpem in aliis amorem accendendum, & cum procis converſari permittunt?* Reſp. Puellas pigmentis, & fucis ſe ornantes ad pravum finem peccatum grave committere, dubium non eſt. Eodem ergo crimine conſtringuntur parentes qui pro viribus ab hac culpa filias non retrahunt. Si ad illicitos amores, tactus, obſcæna colloquia, ſuſpectam converſationem admittant amaſios; peccant parentes, qui, quatenus valent, eas non impediunt. Si fucus, ornatus, & cultus filiarum non ſit graviter immodeſtus, neque valde ad concupiſcentiam alliciens, neque in pravum finem directus; non erit mortalis culpa: atque adeo nec mortaliter peccare parentes, talem ornatum, & fucos permittentes, docent communiter Auctores. Quoniam, inquiunt, non maius peccatum perpetrant illi ac filiæ his vanitatibus operam dantes. Siquidem qui conſentit in crimen alterius, non plus peccat quam auctor il-

 lius.

lius. Hæc autem regula mihi omnino non probatur, nec parentibus convenit Quoniam parentes ſuperiores, atque cuſtodes domeſticæ diſciplinæ ſunt. Iure igitur naturali, & divino adſtringuntur edocere filias modeſtiam, verecundiam, pudorem. Parentes experimento didicere, quot malorum cauſſæ ſint immoderati mulierum ornatus. Illos non latet, muliebres fucos, luxum, nuditatem, & cetera lenocinia ingentem parere animarum iacturam. Filiæ hæc omnia ignorant, & vanitate, animique levitate ductæ his ornamentis indulgent. Ideo gravius certe multo parentes peccant, dum illas ſic ornari permittunt. Quid, ſi parentum exemplo, matrum præcipue, ad has mundi pompas, & diaboli artes impellerentur? Quis tum exprimere parentum ſcelus poſſet? Severius ergo Confeſſarii corripiant tum patres, tum matres quæ diſſimulant vanum filiarum ornatum, quæ eas a procis frequenter, familiariterque viſitari ſinunt, quæ denique negligunt illas intra modeſti, pudici, & verecundi ornatus limites continere. Quod ſi, præter negligentiam correctionis, & educationis, offendiculo eiſdem ſint morum pravitate; non deſinant pœnitentiæ miniſtri tanti ſceleris horrorem illis patefacere, parentes huiuſmodi a ſacramentis arceant, uſquedum reſipuerint, parteſque ſuas expleverint.

XXIV. Peccant quoque parentes qui cum futuris ſponſis filias ſuas familiariter colloqui, & converſari permittunt, ſi ſciant, aut gravibus coniecturis ſuſpicentur, colloquia eſſe obſcæna, tactoſque impudicos ab eiſdem mutuo exerceri. Non defuere Theologi qui docuerint, amplexus & oſcula inter ſponſos futuros nullum eſſe peccatum, aut ſolum veniale. Pro hac opinione citantur Caietanus, Navarrus, Valentia, Sa, Sanchez, Lopez, & alii plures. Leander *diſp.VI. quæſt.XXXIII.* cum Caietano, & Sanchez reſpondet, ſponſos non peccare niſi venialiter, ſi oſcula, & amplexus exerceant ob ſolam delectationem ſenſibilem eiuſmodi actus conſequentem, ſecluſo periculo copulæ, aut pollutionis, vel conſenſus in eiuſmodi actus. Addit vero ex ſe, ut quid longe probabilius, ne venialiter quidem ſponſos delinquere, ſi oſculis, & amplexibus mutuis fruantur, ad benevolentiam, amoremque reciprocum fovendum, reſpectu habito ad futurum matrimonium. Nimiam hæc omnia laxitatem redolent, & chriſtiano homini, tamquam pudoris & caſtitatis offendicula, vitanda ſunt. Commentum eſt, & chimæra ſeparatio delectationis carnalis ab oſculis, & amplexibus mutuis, quibus ſponſi utuntur. Si eiuſmodi benevolentiæ ſigna inter ſponſos & ſponſas gravi carerent periculo; ut quid Scriptura tam ſevere præciperet nec aſpiciendas, nedum non oſculandas eſſe virgines? Numquid ſponſorum conditio, aut futurum matrimonium concupiſcentiam minuunt, & libidinem cohibent? Quin hoc dulce ſponſorum nomen, & futuri matrimonii promiſſio interiorem animorum coniunctionem, maiorem familiaritatem, amicitiamque teneriorem pariunt. Hinc vero delectationes carnales, luxuriæ motus conſequi quis negaverit?

XXV.

Digitized by Google

XXV. Perpetrant denique parentes duplex peccatum, cum turpia verba, & obſcænos ſermones proferunt, cum maledicta, & imprecationes effundunt, cum iuramenta, & blaſphemias eructant coram filiis, cum ludis vetitis tempus terunt, cum luxui, & vanis pompis indulgent: quoniam his pravis exemplis in cauſſa ſunt cur filii hæc omnia addiſcant, & paterna auctoritate audaciores effecti, eadem fere ut licita faciant. Quare Confeſſarii genitoribus iſtis differre debent abſolutionis beneficium, donec ad bonam frugem redierint, & tot filiorum ſcandala amoverint.

CAPUT VII.

De poteſtate qua parentes pollent filios puniendi.

I. QUæſt. I. *Debent ne parentes non verbis modo, verum etiam pœnis filios corripere, & punire?* Reſp. Frequenter Scriptura inculcat parentibus, adhibendam eſſe virgam in filios: *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum; qui autem diligit illum, inſtanter erudit*: Prov.XIII. verſ.24. Virgæ nomine diſciplina ſignificatur, ut idem Salomon explicat cap.XXII. *Stultitia colligata eſt in corde pueri: virga diſciplinæ fugabit eam.* Parentes igitur non ſolum adhortationibus, inſtructionibus, & perſuaſionibus imbuant filios, ſed virgam etiam adhibeant; ut ſi verbis, & conſiliis obtinere nequeunt effectum, pœnis additis aſſequantur. Quod idem Salomon innuit cap.XXIII. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam. Si enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius ab inferno liberabis.* Et Eccleſiaſticus *cap.*XXX. inquit: *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, ut lætetur in noviſſimo ſuo.* Hæc ſunt divina documenta quæ parentibus filiorum punitionem præſcribunt. Verum parentum alii, carnali filiorum amore obcæcati, ab eorumdem punitione abſtinent, verentes ne mortem illis inferant, aut illorum ſanitati noceant; ac ſi Deus, qui verberandos filios iubet, quique parentes filiis donavit, & a quo vita, ſanitas, & mors pendent, ignoraret, moderatam punitionem nihil nocere corpori, animæ vero valde proficere: alii ira perciti non diſciplinæ, ſed furoris virgam in filios exercent. Cum iſti, tum illi peccant.

II. Quæſt. II. *Quouſque extendi licite poteſt parentum poteſtas verberandi filios?* Reſp. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxv. *art.* 2. regulam ſtatuit quæ ſatis eſt ad reſolvendos omnes caſus qui occurrere in hac materia poſſunt. Nemo iure punire alium valet, niſi illi ſit ſubiectus. Quo porro maior eſt poteſtas, eo eſt amplior puniendi facultas. Summa Principes fruuntur poteſtate in civitatum, provinciarumque regimine: & ideo ultimo plectere ſupplicio ſubditos poſſunt, aut membrorum mu-

mutilationem præcipere. Paterna poteſtas ad regendam familiam limitata eſt, nec in filiorum vitam tollendam, aut corpus mutilandum extenditur. En verba Angelici loc. cit. ad 2. *Maior poteſtas maiorem debet habere coactionem. Sicut autem civitas eſt perfecta communitas; ita Princeps civitatis habet perfectam poteſtatem coercendi. Et ideo poteſt infligere pœnas irreparabiles, ſcilicet occiſionis, vel mutilationis. Pater autem, & dominus, qui præſunt familiæ domeſticæ, quæ eſt imperfecta communitas, habent imperfectam poteſtatem coercendi ſecundum leviores pœnas, quæ non inferunt irreparabile nocumentum. Et huiuſmodi eſt verberatio.* Verberare ergo patres poſſunt filios; ſecus mutilare corporis membra, aut vulnera gravia infligere, multo minus occidere, ut omnes docent. Solum addunt aliqui, poſſe parentes licite filios occidere, tamquam miniſtros publicæ iuſtitiæ, quando nempe poſt latam ſententiam mortis a iudice traduntur filii parentibus, ut hi mortis ſententiam exequantur. Sic docet Leander *diſp.* VII. *quæſt.* V. pro qua ſententia citat Dicaſtillum, Molinam. Verum & hæc opinio quamdam prodit deformitatem pietati contrariam. Nec prudentes iudices umquam occidendos filios parentibus tradunt. Verberare ergo dumtaxat filios poſſunt, & debent parentes, iuſta occurrente cauſſa; moderate tamen, & non iræ impetu, ſed caritatis zelo.

III. Quæſt. III. *Poſſunt ne parentes licite coniicere filios in carcerem, aut pœna atroci plectere.* Reſp. Diſtinctione opus eſt. In carcerem perpetuum ſolus ille coniicere poteſt qui publica poteſtate fruitur, ut Princeps. Inferiores vero, ut parentes, domini &c. poſſunt ad tempus, urgente correctionis neceſſitate, filios in carcerem trudere, ut reſipiſcant. Ita docet D. Thomas 2. 2. quæſt. lxv. art. 3. *Incarcerare aliquem, vel qualitercumque detinere eſt illicitum, niſi fiat ſecundum ordinem iuſtitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicuius mali vitandi.* Nequeunt ergo parentes, ut iudices, ſententiam perpetui carceris in filios ferre: quia hoc eſt præter illorum poteſtatem. Valent autem, ut patres, filios in vinculis, in carcere ad tempus cuſtodire, ut eos corrigant, cohibeantque ab aliquo perpetrando flagitio. Poſſunt domo pellere, Principi tradere ad militiam, non tamen perpetuam, ſed temporariam, ut illorum emendationem efficaciter procurent, animo eos liberandi, ſimul ac reſipuerint. Lege Molinam *Tom. IV. tract.* III. *diſp.* II. *num.* 18. Leandrum *diſp.* VII. *quæſt.* VII. & alios ibi citatos. Antequam tamen parentes ad hæc extrema remedia deveniant, omnes prius mitiores pœnas exequi debent.

IV. Peccant letaliter parentes, ſi pœna atroci in filios animadvertant. Pœna atrox eſt pœna mortis, mutilationis, gravis vulneris, flagelli publici. Item percuſſiones, & verberationes adeo graves, quæ exponerent filios periculo vitæ, aut alicuius membri amittendi, vel notabiliter diminuendi. Duplex peccatum peccarent eiuſmodi parentes, & crudelitatis, & ſcandali in filios, qui parentum exemplo faciliſſime ſævirent in alios. Si parentes animo tranquillo, & omni commotione

Digitized by Google

ne ſublata corrigerent filios, numquam excederent inſtæ correctionis limites. Verum frequentiſſime parentum alii filios male moratos verberare negligunt carnali affectu ducti: alii furore abrepti non correctionem quærunt, & curant caritate, & emendationis zelo; ſed odium, & vindictam effundunt, explentque. Hæc extrema declinare, & mediam tenere viam difficile eſt. Sola caritas, & rectæ conſcientiæ integritas hæc extrema devitare docent, & intra moderatæ correctionis fines linguam increpantium, & manus verberantium cohibent.

V. Quæſt. IV. *Subiacent ne parentes excommunicationi, ſi filios Clericos correctionis cauſſa verberent?* Reſp. Excommunicatio lata eſt *cap.* Si quis ſuadente *&c.* XVII. *quæſt.* IV. in eos qui Clericos percutiunt. Et primum omnes docent, poſſe parentes verberare filios Clericos in minoribus conſtitutos ordinibus ad correctionem quin excommunicationem incurrant. Poteſtas hæc parentibus conceditur *cap.* Cum voluntate *de ſentent. excom. §. ultimo*. De Clericis in ſacris conſtitutis diſſident Auctores. Negat Molina *Tom. IV. diſp.* LVI. Quoniam laudatum cap. *Cum voluntate* concedit parentibus ſolam punitionem filiorum qui ſunt minoribus tantum ordinibus inſigniti. Plures pro hac ſua opinione laudat. Dominicus Soto *Lib. V. de iuſt. quæſt.* II. *art.* 2. ſub finem docet, Prælatos poſſe verberare ſubditos, etiam in ſacris conſtitutos, ut patet ex *diſt.* XLV. Idem de parentibus docet Sylveſter verb. *Excom.* VI. *§.* 4. Laudatus vero Sotus advertit conſequentiam a Prælatis ad parentes non eſſe adeo exploratam: eo quod illi publicam, ſecus iſti, habeant poteſtatem. Subdit tamen, condemnandum haud eſſe magiſtrum, & multo minus (inquio ego) parentes, qui filios etiam in ſacris conſtitutos corrigendi cauſſa verberant, amore correctionis ducti, & moderationem ſervantes; neque illos propterea excommunicationem incurrere. Quoniam in *cap.* I. *de ſenten. excom.* abſolute parentibus facultas conceditur corripiendi filios Clericos, nulla facta diſtinctione. Tum quia pater non *temere* verberat, dum amore correctionis percutit. Neque vi ſacrorum ordinum filii paternæ poteſtati ſubducuntur. Quare cavere dumtaxat parentes debent ne *temere*, ideſt abſque iuſta cauſſa, aut impellente ira, filios verberent. Gravior quoque debet eſſe cauſſa, & exploratior, quæ moveat ad corripiendum filium Clericum in ſacris quam in minoribus conſtitutum. In correctione enim reſpectum ad gradum, ætatem, conditionemque perſonæ corripiendæ haberi prudentia iubet. Si vero parentes, ira perciti, non correctionis zelo Clericos filios ſive in ſacris, ſive in minoribus conſtitutos percutiant; excommunicationem incurrunt, ut omnes docent.

VI. Quæſt. V. *Licitum ne parentibus eſt filios vendere, aut in pignus dare, extrema famis neceſſitate urgente?* Reſp. Adfirmat communis ſententia. Et hoc colligi poſſe videtur ex Scriptura: nam Iudæi ad extremam redacti inopiam, cum divites avari nollent auxilium præbere, filiorum, & filiarum venditionem decreverunt, ut

Digitized by Google

habetur Eſdræ Lib. II. cap. v. *Et erant qui dicerent : Filii noſtri, & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis. Accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & vivamus.* Ius quoque civile patribus talem tribuit poteſtatem. Lib. I. & II. *c. de Patribus qui filios ſuos diſtraxerunt* &c. Hæc tamen conſuetudo haud obtinet apud Chriſtianos. Res eſt quæ in praxi vix contingere apud eoſdem valet: ideo longiore non eget diſcuſſione. Si plura cupis, lege Dominicum Soto *Lib. IV. de iuſt. quæſt.* II. Molinam *Tom. I. de iuſt. diſput.* XXXIII. *num.* 21. Sanchez *Lib. I. conſil. cap.* 1. *dub.* 13. Leandrum *diſp.* VII. *quæſt.* XIII. & alios plures ab eodem citatos, qui addunt, parentes poſſe filios vendere, non modo ob famis neceſſitatem, verum etiam ob aliam ſimilem inopiam: puta, ſi pater eſſet occidendus, mutilandus, in ſervitutem adducendus, niſi filium vendat, etiam hoc in caſu licitam filiorum venditionem pro patris redemptione aſſerunt: quoniam filius eſt portio quædam ipſius patris, ſeu eſt quid patris. Ergo iure naturæ filius tenetur in tanto diſcrimine parentibus ſuccurrere minori incommodo quam quod perferre pater deberet. Servitus, quam filius vendendus ſubire deberet, magnum malum eſt; at comparatum morti, quæ oppetenda patri eſſet, leve evadit. Idcirco naturæ congruum videtur ut filius ſuſtineat hoc minus malum, quo poſſit patri in extrema conſtituto calamitate ſuccurrere.

VII. Hæc tamen intelligenda ſunt de filiis ſub patria poteſtate verſantibus; ſecus de filiis emancipatis, in ſacris conſtitutis, aut coniugatis, qui ſui iuris evaſerunt, ut communiter colligunt Auctores ex legibus citatis. Patriam poteſtatem vendendi filios aliqui extendunt etiam ad matrem, extrema fame laborantem. Alii probabilius negant. Denique advertendum, quod ſi filius vendendus periculum ſubiret aut occiſionis, aut mutilationis inferendæ ab emptore, tunc non eſſet licita venditio. Numquam enim licitum patri eſt vitam eripere filio, ut ſuam ſervet. Pater venditum filium redimere tenetur, ſimul ac ad meliorem ſortem fuerit reſtitutus, ſeu cum primum potuerit: & emptor dimittere emptum filium tenetur, continuo ac pretium in emptione ſolutum ſibi oblatum fuerit. Filius quippe venditus a patre neceſſitate preſſo non evadit ſervus abſolute; ſed ſerviendi tantummodo obligationem contrahit, donec redemptus vel a patre, vel a quopiam alio fuerit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De obligatione parentum alendi filios legitimos; & utrum peccent, dum eos exponunt.

I. IUre naturæ tenetur pater filio alimenta præbere. Dedit quippe ei vitam: ergo ei ſubminiſtrare adſtringitur quæ ſunt ad vitam ſervandam neceſſaria. Hæc tamen obligatio naturalis eſt in filios ſub patria poteſtate conſtitutos; ſecus in filios ſui iuris, qui propria induſtria alimenta comparare ſibi valent. Si enim filii adulti, & extra patriam poteſtatem indigent, tunc caritatis, non naturæ lege iuvandi a patre ſunt. Quare mortaliter peccat pater qui alimenta filio denegat: violat quippe hoc pacto legem aut naturalem, aut caritatis, aut canonicam. Quid, ſi filii ſint excommunicati, aut in exilium pulſi? Etiam tum pater tenetur. Filius namque proſcriptus non eſt minus filius: ideo naturæ iure debet a patre ali. Si tamen filius proſcriptus habeat unde vivat, poterit pater iuſtis de cauſſis eidem alimenta ſubtrahere. Pariter, ſi filius excommunicatus perſiſtat in excommunicatione, iuſte pater eidem alimenta ſuſpendet. Abſolute tamen etiam filio excommunicato indigenti tenetur pater alimenta præſtare, potiſſimum ſi non habeat unde vivat, nec proprio labore valeat ſibi victum comparare. Idem dicendum de filio hæretico, ſi extreme indigeat: quoniam per hæreſim filii prærogativam non amittit. Si tamen victum acquirere ſibi filius valeat, ad nihil pater tenetur.

II. Quæſt. I. *Quid nomine alimentorum veniat?* Reſp. Potiſſimum victus, veſtitus, & habitatio. Sub victus nomine intelligitur cibus, potus, corporiſque cultus, ſeu ea omnia quæ ad alendum corpus communiter homines adhibere ſolent. Veſtitus comprehendit veſtes laneas, lineas, ſericas, iuxta ſtatus diverſitatem, & ſecundum quod homines talis conditionis veſtire conſueſcunt. Habitatio includit non ſolum domum, verum etiam congruam ſupellectilem pro cubiculo ad iacendum, pro coquina ad cibos coquendos.

III. Quæſt. II. *Sub alimentis comprehenduntur ne medicinæ, expenſæ in ſtudiis, in funeribus?* Reſp. Adfirmat communis opinio. De medicinis patet: quia corpori infirmo neceſſariæ ſunt medicinæ, quemadmodum corpori ſano cibus, proportione ſervata. Spectanda tamen eſt hominum conditio, eæque medicinæ exhibendæ quibus homines talis conditionis uti ſolent.

IV. De expenſis quæ in ſtudiis, vel artibus addiſcendis a filiis pater facere tenetur, eadem eſt ſententia. Diſtinctione tamen opus eſt. Dictum eſt, patrem debere curare ut filii inſtruantur in iis diſciplinis quæ proprium ſtatum decent,

Ple-

Plebeii imbuere filios debent in iis quæ decent plebeios homines, artifices in iis quæ artifices, & nobiles in iis quæ nobiles. Expenſæ igitur faciendæ in addiſcendis artibus quæ proprio ſtatui congruunt, ſub nomine alimentorum veniunt. Porro, ſi pater plebeius non leves impenſas faceret, ut filium aleret in ſtudiorum univerſitate, ad eas comparandas ſcientias quæ excedunt illius conditionem, quaſque minime addiſcere talis ſtatus iuvenes ſolent; tum pater ex mera liberalitate id ageret. Quare, ſi vellet has impenſas computare inter portionem legitimæ, poſſet. Si tamen pater decedat, nulla facta iſtarum impenſarum mentione, cenſetur eaſdem donaſſe, nec in diviſione hereditatis computandæ a fratribus ſunt. Quod tunc maxime locum habet, cum filius ſuperfluas facit impenſas, invito & reclamante patre, qui ſæpe continuat impenſas ob humanos reſpectus, & ad peiora vitanda incommoda. AEquum tamen non eſt ut hinc ceteri fratres detrimentum patiantur. Ne multa. Pater impenſas neceſſarias, & ſponte factas, ut filius imbuatur, & proficiat in ſcientiis, inter legitimæ portionem ſupputare non debet. Quia quando ſponte ſub magiſtrorum cura illum conſtituit, eadem voluntate donare expenſas cenſetur. Iure quippe filius reclamare poſſet, ſi minus aliquid perciperet in paternorum bonorum diſtributione ob expenſas huiuſmodi ſponte factas a patre. Superfluas autem expenſas, vel quod plures quam neceſſum erat annos in addiſcendis diſciplinis conſumpſit filius, vel quod pecunias dilapidavit in ludis, in conviviis, & rebus aliis non neceſſariis, repetere iure pater valet, & quandoque debet, ſi hinc ceteri fratres detrimentum grave ſentiant.

V. Sive funeris impenſæ comprehendantur ſub nomine alimentorum, ut contendit Molina; ſive ſecus, ut docet Bonacina: certum eſt penes omnes, ad has patrem teneri. Si enim iure caritatis quiſque ad eas faciendas adſtrictus eſſet, neceſſitate urgente; multo magis ad eas tenetur pater iure naturæ. Res clara eſt.

VI. Quæſt. III. *Tenetur ne pater alere filii uxorem?* Reſp. Si filius, conſentiente patre, uxorem duxerit, convenit penes omnes, eum teneri ad alimenta præbenda etiam filii uxori. Diſputatur in utramque partem, teneatur ne pater hæc alimenta dare, ſi filius, invito patre, indignam uxorem duxerit. Adfirmant Leander *diſp.* VIII. *quæſt.* XIV. Sanchez *Lib. IV. de matrim. diſp.* XXVI. *num.* 21. Tamburinus *Lib. V. in Decal. cap.* III. *§.* 1. *num.* 3. & alii. Negant Ludovicus Lopez *I. Par. inſtruct. cap.* CCXCIV. Covarruvias *in Epitom. II. Par. cap.* VIII. *§.6. num.*45. Hæc ſecunda opinio mihi magis probatur. Peccat enim filius graviter, invito rationabiliter patre, matrimonium contrahens; graviuſque peccat, ſi præterea indignam ducat uxorem, cum inſignem iniuriam inferat familiæ. In pœnam igitur æquiſſimam filii non tenetur pater uxori eius alimenta præbere. In hoc tamen caſu legitimam filio dare deberet. Quod ſi pater renueret, alimenta impertienda eſſent. Alterutrum enim præſtet neceſſum eſt.

VII.

Digitized by Google

VII. Quæſt. IV. ***Sunt ne alimenta conferenda ſecundum naturæ neceſſitatem, an ſecundum perſonæ dignitatem?*** Reſp. Si ius naturæ ſpectetur, primum alimenta conferenda ſunt, prout ſufficiunt ad alendam naturam, deinde quæ ad perſonæ ſtatum, & conditionem attinent: idque iure ipſo poſitivo confirmatur, prout colligitur ex cap. ***Cum haberet de eo qui &c.*** & ex l. ***Sed & ſi quid, ſ. Sufficienter ff. de uſufructu.*** Et ſane hoc communi ſenſui congruere videtur. Decerent ne Principis filium alimenta quibus veſci ruſtici ſolent? Quemadmodum ergo parentes in iis educare diſciplinis filios debent quæ illorum ſtatui conveniunt; ſic quoque ea alimenta illis præbere tenentur quæ congruant illorum conditioni. Quod ſi perconteris, quænam ſit iſtorum alimentorum regula; reſpondeo, ea alimenta præter propter aſſignanda eſſe filio quibus communiter inſtrui menſa parentum ſolet. Hæc alimenta in propria domo pater præbere filio debet: nec cogi pater poteſt ut extra propriam domum filium alat. Si enim filius a patre alimenta ſuſcipere velit, illius ſubdatur diſciplinæ oportet. Si iure naturæ alere filium pater debet, eodem iure patris diſciplinæ filius ſubiicitur: & quoties filius ſponte, nulla urgente vera, & non ficta, neceſſitate, extra patrios lares habitare vult, toties pater liber eſt ab alimentorum onere. Quando autem extra domum iuſta cauſſa urgente verſatur, alimenta pater præbere tenetur: inter quæ alimenta computari etiam proviſio alicuius domus debet, quam inhabitare filius poſſit. Si alimenta filius dilapidet, debet pater in dies ſingulos, & non plus, eidem alimenta conferre. Si & hæc dilapidet, non tenetur duplicata dare; quemadmodum, ſi legitimam dilapidaverit filius, non tenetur aliam pater dare, ut ſuo loco dicetur; quidquid alii in oppoſitum doceant.

VIII. Quæſt. V. ***Peccant ne parentes, ſi filios ſuos in hoſpitali exponant alendos?*** Reſp. Si parentes alere filios ſuos queunt, letaliter peccant, eos hoſpitali tradentes nutriendos. Ex iis quæ dicta ſunt, reſponſio patet. Iure quippe naturæ tenentur parentes nutrire filios. Peccant ergo, ſi hoc onus ſubire recuſent. Accedit quod ius civile id confirmat *l.* Necare *ff. de liber. agnoſ.* ubi hæc habentur: ***Necare videtur, non tantum is qui partum ſuffocat, ſed & is qui abiicit, & alimoniam denegat, & is qui publicis locis miſericordiæ cauſſa exponit, quam ipſe non habet.*** Et hæc eſt communis Theologorum, ac Iuriſtarum ſententia. Advertit tamen Sotus in *IV. diſt.* xlv. ***quæſt. unica art.*** 4. *concl.* 2. cum Caietano in ***Sum. verb. Adult.*** & alii communiter, nullum contrahere peccatum parentes illos qui, ne vitæ, vel infamiæ periculum ſubeant, filios in hoſpitali collocant. Idemque dicendum, ſi id præſtent, eo quod præ nimia egeſtate filios alere nequeunt: tunc enim eos aut hoſpitali, aut divitum ianuis exponere licite valent, ut meliori quo poſſunt modo filiorum vitæ conſulant.

IX. Quæſt. VI. ***Parentes divites, qui ad evitandam matris infamiam hoſpitali tra-***

tradunt filios nutriendos, tenentur ne reſtituere expenſas? Reſp. Si hoſpitale ſit pauper, communiter aſſerunt Theologi contra Henriquez, teneri parentes divites ad impenſarum ſolutionem. Si vero dives ſit, plures negant, ut Layman, Tamburinus *Lib. V. cap.* 11. *num.* 5. ubi citat etiam Dicaſtillo. Verum probabilior mihi ſententia eſt, teneri parentes divites ad impenſas ſolvendas, ſive pauper ſit, ſive dives hoſpitale. Quoniam mens teſtatorum in eiuſmodi hoſpitalibus erigendis, aut ditandis eſt pauperibus filiis proſpicere. Neque enim præſumi ulla probabili coniectura poteſt, pios fideles ſuis legatis voluiſſe ſavere crudeli, atque impiæ parentum divitum avaritiæ. Accedit quod vix reperire eſt aliquod orphanotrophium ita opulentum, quamvis ingentibus ampliſque abundet reditibus, quod attenta pauperum egentiumque multitudine ſuperflua habeat in alendos divites eroganda. Hanc ſententiam defendunt Caietanus in *Sum. verb. Adult.* Navarrus *cap.* XVI. *num.* 48. Azorius *III. Par. Lib. V. cap.* VI. *quæſt.* V. Molina *Tom. IV. tract.* III. *diſp.* CIII. Vaſquez *de teſtam. cap.* V. *§.* 1. *num.* 23. Leſſius *Lib. II. cap.* XIX. *dub.* 21. Leander *diſp.* VIII. *quæſt.* XXIII. & alii plures ab eodem citati.

X. Hinc hoſpitale iure repetere expenſas a parentibus valet, dum eos reſciverit: & hoc fieri Panormi, fatetur ipſe Tamburinus *loc. cit.* Eaſdem quoque expenſas repetere a parentibus divitibus queunt tum conſanguinei, tum pii fideles qui expoſitos ad ſuarum ianuarum filios aluerunt. De conſanguineis communis opinio eſt. Negant vero de piis fidelibus Leander, Sanchez, & alii plures: quia, inquiunt, præſumitur, pios fideles ſumptus feciſſe titulo pietatis, & amoris Dei. Utique titulo pietatis, & amoris Dei expoſitos filios alunt, ne pereant; at non propterea immunes evadunt parentes divites ab onere reſtitutionis; nec fideles ius amittunt cogendi eoſdem parentes ad impenſas ſolvendas. Dives qui larva pauperis ſumpta eleemoſynas quæritat, & accipit, ad reſtitutionem tenetur, quod pauperibus illas furatus ſit. Expenſas in educandis filiis expoſitis factas, veris pauperibus diſtribuiſſent pii fideles, niſi avari parentes fraude obſtitiſſent. Quare numquam ego ab onere iſtarum expenſarum eximerem parentes divites; ſed eos urgerem ut ſaltem tantumdem in veros pauperes diſtribuerent, poſito quod pii fideles negligerent eaſdem repetere expenſas. Fatentur tamen vel ipſi adverſarii, poſſe eiuſmodi pios nutritores impenſas repetere duobus in caſibus: quando nempe qui nutrit filiam divitis parentis, velit eam cum filio ſuo matrimonio iungere; & quando proteſtatus fuerit, ſe impenſas a parentibus filii expoſiti repetiturum.

XI. Dominus qui ſervum ſuum infantem exponit Eccleſiæ, aut alterius pii fidelis ianuæ, ut alatur, peccat, ſi ipſe habeat unde alat; ſecus, ſi pauper ſit, impotens ad illum nutriendum. Aliqui contendunt, tunc potius vendendum, aut donandum eſſe puerum ſervum. Non repugno, ſi obvia ſit occaſio.

XII.

Digitized by Google

XII. Quæſt. VII. *Peccat ne contra iuſtitiam, aut caritatem is cuius ianuæ expoſitus puer eſt, ſi alterius ianuæ illum exponat?* Reſp. Sanchez *Lib. I. conſil. cap.* v. *dub.* 5. *num.* 71. contendit, hunc non peccare contra iuſtitiam, quia ex iuſtitia non tenetur eum alere. Verum non eſt adeo exploratum quod in quaſi extrema neceſſitate non teneatur dives ex iuſtitia ſuccurrere indigenti. At, ut ut ſit de hoc, certum eſt illum peccare contra caritatem: quia in tali neceſſitate cuique diviti ſigillatim onus incumbit proſpiciendi pauperi. Nec plus ille quam hic aſtringitur. Ergo, cum æquale ſit onus, ille qui primum occaſione oblata illud ſubire omittit, peccat. Advertendum tamen, quod ſi is cuius ianuæ expoſitus eſt filius, Presbyter ſit, virgo, vidua, aut alia perſona, cuius fama in ſuſpicionem adduci poſſet, tunc non peccaret, ſi alterius ianuæ puerum exponeret eo fine ne reputaretur eiuſdem pater. Quandoquidem, ſi vera mater ad occultandum proprium crimen licite exponere filium valet, potiori iure id præſtare innocens virgo, aut vidua poteſt, ut notam gravis infamiæ evadat. Poteſt etiam eiuſmodi perſona tradere hoſpitali puerum nutriendum, quin contra iuſtitiam, aut caritatem peccet. Quia hæc loca pia ſunt in hunc finem inſtituta. Si vero hæc deficerent, tunc peccaret contra caritatem, ſi omitteret eum alere. Falſam reputo hac in re opinionem Leandri, qui *diſput.* VIII. *quæſt.* XXXI. aſſerit, non peccare contra caritatem illum qui exponeret præfatum puerum alterius ianuæ, eo quod valde probabile ſit, illo non ſubveniente, alium futurum qui ſubveniat. Si hæc ratio conſiſteret, vix umquam urgeret præceptum caritatis. Eadem probabili præſumptione etiam alter poſſet ad ianuam tertii, & tertius ad ianuam quarti puerum exponere. In his caſibus ſinguli divites ſigillatim tenentur implere caritatis præceptum, occaſione data.

XIII. Quæſt. VIII. *Tenetur ne ſolus pater reſtituere hoſpitali alimenta ſubminiſtrata filiis ſpuriis?* Reſp. Diſtinguendum eſt. Alimenta triennio mater præbere filio tenetur, ſi abſque dedecore poſſit. Si ad evitandam infamiam nequeat lactare filium, tunc pater tenetur. Expleto triennio, omnia alimenta ſolus pater conferre tenetur, ut communiter docent omnes. Si tamen pater pauper ſit, mater vero dives, hæc hoſpitali, patre deficiente, ſolvere impenſas alimentorum debet. Orphani ali debent primum a parentum heredibus, deinde a conſanguineis, poſt ab hoſpitali, & poſtremo fidelium ſtipe.

XIV. Parentes qui exponunt filios ſuos, privantur poteſtate patria; & filii expoſiti liberi evadunt, ut colligitur ex *cap.* Si a patre *de infantibus*, *&* *languidis*; & docent Azorius *II. Part. Lib. II. cap.* XXVI. *quæſt.* I. Leander *diſp.* VIII. *quæſt.* XXXV. ac communiter omnes. Domini pariter exponentes infantes ſervos iure dominii privantur; ſervique evadunt liberi.

C A-

CAPUT IX.

De obligatione parentum alendi filios illegitimos, & ſpurios.

I. PRimum omnium varia filiorum genera diſtinguenda. Porro filiorum alii ſunt naturales tantum; alii naturales, & legitimi; alii ſpurii; alii legitimi, & non naturales. Filii naturales tantum ii dicuntur qui extra matrimonium ex viro & femina ſolutis, ſed tempore conceptionis nubere ſimul valentibus, procreati ſunt. Naturales ideo vocantur, eo quod non coniugii honeſtas, ſed maris & feminæ congreſſus, belluarum more, illos ediderit. Naturales, & legitimos honeſtas matrimonii procreat. Spurii ex damnato per leges concubitu, puta ex adulterio, ex inceſtu, ex ſacrilegio naſcuntur. Legitimi denique, & non naturales generatione quidem filii non ſunt; ſed legum præſcripto filii cenſentur, quales ſunt ii qui adoptione filii vocantur. Plures hic inſtitui quæſtiones ſolent, quinam nempe dicantur filii naturales ſecundum ius canonicum, & quinam ſecundum ius civile. Verum has ego prætereo quæſtiones, quia præter regulas morum ſunt.

II. Quæſt. I. *Tenetur ne pater alimenta dare filio naturali?* Reſp. Adfirmant omnes: quia, cum natura filii ſint, iure naturæ alere eos pater debet. Idque præſcriptum eſt tum canonico, tum civili iure. Quare pater nequit in ſuo teſtamento privare filios naturales neceſſariis alimentis ad vitam ſuſtentandam.

III. Quæſt. II. *Pater qui filiis legitimis caret, valet ne heredes omnium bonorum filios naturales inſtituere?* Reſp. Niſi id peculiari lege vetitum ſit, planum eſt patrem omnia bona ſua libera legare poſſe filiis naturalibus, ea ratione qua valet cuique extraneo eadem bona, nulli oneri, ſeu conditioni ſubiecta, donare. Secus vero, ſi filios legitimos habeat: tunc enim duodecimam tantum partem poteſt naturali filio tribuere. Verum, ad hoc quod attinet, leges peculiares cuiuſque Principatus ſpectandæ ſunt. Siquidem, ſi nullæ ſint leges vetantes, filii naturales ſuccedunt patri ab inteſtato carenti filiis legitimis naturalibus, aut legitimis iure adoptionis, vel Principum reſcripto legitimatis. Verum de hoc nihil ad nos, ſed ad Iuriſconſultos.

IV. Quæſt. III. *Tenetur ne pater alimenta præbere filiis ſpuriis?* Reſp. Varia ſpuriorum genera diſtinguuntur. Generatim ſpurii appellantur qui naſcuntur ex parentibus tempore conceptionis ad matrimonium ineptis, niſi diſpenſatio pontificia accedat, quæ impedimentum tollat. Loco ſpuriorum habeatur ii qui incerto patre geniti ſunt, ut filii meretricis cum pluribus viris concumbentis. Spurii tan-

tandem ſunt ii qui, ut dictum eſt, ex neſario concubitu, nempe ex ſacrilegio, adulterio, inceſtu, ſtupro, naſcuntur. De his plura apud Iuriſconſultos.

V. Ad propoſitam quæſtionem communis ſententia eſt, adſtrictum parentem eſſe alimenta præſtare filiis ſpuriis. Hæc quippe *ſpurii* macula, & infamia non tollit quin reapſe ſint naturales: iure ergo naturæ alere eoſdem debent, niſi aliqua peculiari lege vetitum ſit. Porro non modo prohibitum non eſt parentibus alimenta filiis ſpuriis dare, verum etiam præcipitur iiſdem hoc onus ſubire, ut colligitur ex *cap.* Cum haberet *de eo qui duxit uxorem*, & ex *cap.* Cum per venerabilem, *qui filii ſint legitimi*. Opponi ſolet S. Pii V. conſtitutio. Verum hæc ſolum auſert privilegia teſtandi in favorem ſpuriorum, quæ alicubi legibus particularibus conceſſa erant. Alimenta tamen neceſſaria etiam lege teſtamentaria legare filiis ſpuriis pater valet, & tenetur ob rationem datam, quod iure naturæ filii ſint: quæ alimenta danda ſunt, & leganda iuxta perſonæ conditionem. Si ſundus legetur in teſtamento pro alimentis ſpuriorum; his defunctis, fundus redit ad heredes parentum ſpuriorum, non ad heredes eorumdem ſpuriorum. Quia pater iure & naturæ, & communi alimenta tantum filio ſpurio præſtare tenetur. Ergo, deficiente neceſſitate alimentorum, ceſſat obligatio. Hinc communior ſententia docet, uſumfructum, non dominium, ſpurios habere fundi aſſignati pro eorumdem alimentis.

VI. Quæſt. IV. *Tenetur ne pater dotare filias ſpurias?* Reſp. Probabilior ſententia mihi eſt quod, ſicut pater tenetur eas alere, ſic adſtringatur eaſdem dotare. Dos quippe, & alimenta pro eodem accipi ſolent. Dos tamen debet eſſe intra limites præſcriptos aut a lege, aut a ſtatus congruentia.

VII. Quæſt. V. *Filii ſpurii Clericorum, vel Religioſorum ſunt ne capaces recipiendi aliquid a patre via donationis, aut teſtamenti?* Reſp. De hac quæſtione ſuſe diſputat Dominicus Soto *Lib. IV. quæſt.* v. *art.* 1. *ad* 5. & primo ſtatuit, teneri patrem hunc filium ſpurium alere, quamdiu vivit. Poteſt etiam illi vivens donare tantum unde vivat. Advertit tamen, leges eſſe peculiares, quæ abſolute vetant parentibus ne quidquam teſtamento filiis eiuſmodi ſpuriis relinquant. Quæ ſtatuta obligare in conſcientia, aſſerit Sotus, ſubdens, quod, ſi pater relinquat bona amico, hac conditione ut filio ſpurio eadem porrigat, donatio nulla ſit. Circa hæc tamen conſulendæ ſunt leges cuiuſque nationis. Nam, ſi ius naturæ ſpectetur, nihil vetat quominus pater, etſi Sacerdos, ſi dominii capax ſit, habeatque bona ſua propria, valeat eadem donare ſpurio filio.

VIII. Quæſt. VI. *Tenetur ne mater, æque ac pater, filium ſpurium alere?* Reſp. Hoc onus primum incumbit patri, poſtea matri, excepto primo triennio, in quo mater principaliter adſtringitur filium lactare, & educare.

IX. Quæſt. VII. *Debent ne matres filios ſuos proprio lacte alere?* Reſp. Affirmant

Digitized by Google

mant omnes, non Chriſtiani modo, verum etiam ipſi Ethnici. Plutarchus *opuſ. de educand. liberis*, inquit: *Ideo duo data ſunt ubera matribus, ut, ſi mater uno partu gemellos edidiſſet, uterque haberet ſui alimenti fontem.* Favorinus Philoſophus apud A. Gellium *Lib. XII. Noct. Att. cap.* 1. peracute, & acriter invehitur in matres quæ, cum in utero aluerint fetum ignotum occultumque, renuant lactare filium quem vident, quem amplectuntur, quem oſculantur. *Et hoc* (inquit) *contra naturam imperfectum, atque dimidiatum matris genus, peperiſſe, ac ſtatim ab ſe ſe abieciſſe: aluiſſe in utero ſanguine ſuo neſcio quid quod non videret; non alere nunc ſuo lacte quod videat iam viventem, iam hominem, iam matris officia implorantem? An tu quoque, inquit, putas naturam feminis mammarum ubera, quaſi quoſdam nævulos venuſtiores, non liberorum alendorum, ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe? Sic enim, quod a nobis ſcilicet abeſt, pleræque iſtæ prodigioſæ mulieres fontem illum ſanctiſſimum corporis, generis humani educatorem arefacere, & extinguere, cum periculo quoque averſi corruptique lactis laborant, tamquam pulchritudinis ſibi inſignia devenuſtet . . . quantulum hinc abeſt, tam perfectum, iam genitum, iam filium, proprii, atque conſueti, atque cognati ſanguinis alimonia privare? Sed nihil intereſt (hoc enim dicitur) dum alatur, & vivat, cuius id lacte fiat. Cur igitur iſte qui hoc dicit, ſi in capeſſendis naturæ ſenſibus tam obſurduit, non id quoque nihil intereſſe putat, cuius in corpore, cuiuſque ex ſanguine concretus homo, & coalitus ſit? An qui a ſpiritu multo, & colore exalbuit, non idem ſanguis eſt nunc in uberibus, qui in utero fuit? Nonne hac quoque in re ſolertia naturæ evidens eſt, quod poſteaquam ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit, adventante iam partus tempore, in ſupernas ſe partes profert, & ad fovenda vitæ atque lucis rudimenta præſto eſt, & recens natis notum, & familiarem victum offert? Quamobrem non fruſtra creditum eſt, ſicuti valeat ad fingendas animi, atque corporis ſimilitudines vis & natura ſeminis, non ſecus ad eamdem rem, lactis quoque ingenia, & proprietates valere. Neque in hominibus id ſolum, ſed in pecudibus quoque animadverſum. Nam, ſi ovium lacte, hædi, aut caprarum agni alerentur, conſtat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus etiam, & frugibus maior plerumque vis, & poteſtas eſt ad earum indolem vel detrectandam, vel augendam, aquarum, atque terrarum quæ alunt, quam ipſius, quod iacitur, ſeminis. Ac ſæpe videas, arborem lætam, & nitentem in locum alium tranſpoſitam, deterioris terræ ſucco deperiiſſe. Quæ, malum, igitur ratio eſt, nobilitatem iſtam nati modo hominis, corpuſque & animum benigne ingenitis primordiis inchoatum, inſitivo; degenerique alimento lactis alieni corrumpere? Præſertim, ſi iſta, quam ad præbendum lac tunc adhibebitis, aut ſerva, aut ſervilis, &, ut plerumque ſolet, externæ, atque barbaræ nationis, ſi improba, ſi informis, ſi impudica, ſi temulenta eſt.*

Nam

Nam plerumque ſine diſcrimine, quæcumque id temporis lactans eſt, adhiberi ſolet. Patiemur ne igitur infantem hunc noſtrum pernicioſo contagio infici; & ſpiritum ducere in animum, atque in corpus ſuum ex corpore, & animo deterrimo? Idipſum eſt quod ſæpenumero miramur, quoſdam pudicarum mulierum liberos parentum ſuorum neque corporibus, neque animis ſimiles exiſtere .... Quoniam videlicet in moribus inoleſcendis magnam fere partem ingenium altricis, & natura lactis tenet: quæ iam a principio imbuta paterni ſeminis concretione, ex matris etiam corpore, & animo recentem indolem configurat. Præter hæc autem quis illud etiam negligere, aſpernarique poſſit quod quæ partus ſuos deſerunt, ablegantque ab ſe ſe, & aliis nutriendos dedunt, vinculum illud, coagulumque animi, atque amoris quo parentes cum filiis natura conſociat, interſcindunt, aut certe quidem diluunt, deteruntque. Nam, ubi infantis aliorſum dati facta ex oculis amotio eſt, vigor ille maternæ fragrantiæ ſenſim, atque paullatim reſtinguitur, omniſque impatientiſſimæ ſollicitudinis ſtrepitus conſileſcit. Neque multo minor amandati ad nutricem aliam filii, quam morte amiſſi, oblivio eſt. Ipſius quoque infantis affectio animi, amoris, conſuetudinis, in ea ſola, unde alitur, occupatur. Et proinde (ut in expoſitis uſuvenit) matris quæ genuit, neque ſenſum ullum, neque deſiderium capit. Ac propterea oblitteratis, & abolitis nativæ pietatis alimentis, quidquid ita educati liberi amare patrem, atque matrem videntur, magnam fere partem, numquam naturalis ille amor eſt, ſed civilis, & opinabilis.

X. Hæc, licet paullulum prolixa, ex Ethnico Favorino Philoſopho apud Gellium deſcribere volui, ut hinc colligant Chriſtiani, quantum inferant ſuæ profeſſioni dedecoris, dum ab iis legibus deſciſcunt quarum obſervantiam tanta rationum efficacitate, tanto acumine, & tot exemplis adeo obviis Ethnici inculcant, urgentque. Plantæ ipſæ, ſi in aſperius ſolum transferantur, ſi oleaſtris ſilveſtribus inſerantur, ſi agni ovium capris lactandi dentur, deteriores evadunt. Quanto maius ergo detrimentum ſubibunt infantes, cum ab alienis nutricibus ſemper inferioris conditionis, morumque varietate diſſimilibus, lactari curantur? Similia habet Macrobius *Lib. V. Saturnal. cap.* XI. E noſtris vero D. Gregorius Magnus in *reſpon. ad Auguſtinum Anglum cap.* X. D. Ambroſius *ſuper Geneſ. cap.* XXVII. *& epiſ.* LXII. pravam vocant conſuetudinem illarum matrum quæ alienis feminis filios ſuos lactandos præbent. Et communiter Theologi id docent.

XI. Quæſt. VIII. *Nobilitas matris eſt ne cauſſa ſufficiens, ut excuſetur a lactando filio uberibus propriis?* Reſp. Adfirmant communiter recentiores: quia, inquiunt; obtinet conſuetudo ut nobiles mulieres non proprio, ſed nutricum ubere filios lactent. Quo vigente more, dedecus ſubirent, ſi pueros ſuos lactarent. Ius naturæ, inquit Catalanus *P. II. quæſt.* XVI. *cap.* V. cum ſuo Bonacina, apud quem legit alios Theologos, ut frequentiſſime fatetur, ſolum præcipit ut filii alantur, non autem ut proprio ubere id fiat. Si loca aut *Bonacinæ*, aut *Tamburini* legiſſet, non di-

Digitized by Google

dico Gregorium, & Ambroſium, ſed Plutarchum, Macrobium, Favorinum, alioſque Ethnicos, comperiſſet docentes, matres teneri non modo alere infantes ſuos, ſed etiam lactare ubere proprio. Pro citata opinione P. Leander *diſp.* VIII. *quæſt.* lxxxv. plures recentiores laudat.

XII. Si, quod ipſe ſentio, promere mihi licet, hæc recentiorum ſententia, non alio nititur momento quam conſueto principio aptandi leges tum divinas, tum naturales hominum moribus. Quanam, quæſo, ratione *ſola nobilitas* cauſſa legitima erit ut ab hoc naturæ onere ſolvendo liberæ ſint nobiles feminæ? Natura præcipit, inquiunt noſtri iuniores, ut pueri lactentur, ſecus a propria matre. Adverſus tamen hoc inane commentum clamat communis ſenſus. Si natura lactare dumtaxat præſcribit infantes; matres ergo omnes poterunt indiſcriminatim alienis nutricibus filios alere? Ad id quod Leander cum aliis recentioribus opponit, nobiles feminas dedecere infantes lactare ſuos, ignominiamque contrahere, ſi id præſtent; reſpondeo, immo rationem iſtam dedecere chriſtianam profeſſionem, quæ mundo, vaniſque pompis renuntiandi onus imponit. Ignominiam contrahunt penes homines, feminaſque mundani faſtus, voluptatemque ſectantes, fugientes incommoda; ſecus vero apud chriſtianæ legis cultores. D. Auguſtinus enarratione in *Pſal.* xlix. advertit, Paulum Apoſtolum non propterea abſtinuiſſe a lactandis parvulis in fide, eo quod mali homines detraherent. *Factus ſum parvulus in medio veſtrum, tamquam nutrix fovens filios ſuos. Non nutrix nutriens filios alienos, ſed nutrix fovens filios ſuos. Sunt enim matres quæ, cum pepererint, dant nutricibus. Illæ quæ pepererunt, non fovent filios ſuos, quia nutriendos dederunt; illæ autem quæ fovent, non ſuos fovent, ſed alienos. Iſte vero ipſe pepererat, ipſe fovebat, nulli nutrici, quem pepererat, committebat. Dixerat enim*: Quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. *Fovebat ergo, & lactabat*. Paulum ergo matribus imitandum proponit Auguſtinus. Gregorius Magnus *loc. cit.* cuius textus refertur a Gratiano *cap.* Ad eius vero *diſt.* v. hanc conſuetudinem, tamquam vitioſam pravamque, reiicit, inquiens: *Ad eius vero concubitum vir ſuus accedere non debet, quouſque qui gignitur, ablactetur. Prava autem conſuetudo in coniugatorum moribus irrepſit, ut filios ſuos, quos gignunt, nutrire mulieres contemnant, eoſque ad nutriendum aliis mulieribus tradant*. Ambroſius Lib. III. de Abrahamo cap. VII. *Provocantur feminæ meminiſſe dignitatis ſuæ, & lactare filios ſuos: hæc enim matrum gratia, hic honos, quo ſe propriis commendent viris*. Legant recentiores apud Favorinum Philoſophum rationum momenta, eaque expendant. Si dedecori ſibi non ducunt feminæ nobiles tumentem uterum præferre, novem menſium ſpatio embryonem, fetum, *neſcio quid*, geſtare; qua fronte ignominiæ ſibi vertent lactare infantem illum ob cuius partum preſſuræ non meminerunt propter gaudium? Nobilitatis excuſatio eſt maioris criminis argumentum. Plebeiæ mulieres excuſari poſ-

poſſent ob labores aſſiduos, ob victus inopiam, obque plura alia incommoda. Contra, nobiles ſelectioribus veſcuntur epulis, a laboribus abſtinent, qnin otio turpiter diſluunt. Quid ergo lactare infantes renuunt? Ut venuſtiores appareant, ut pompis, theatris, ludis indulgeant; ut ad voluptatem, ad incontinentiam, ad libidinem ſe ſe validiores ſervent? Aſſignent nobis iuniores noſtri honeſtam aliquam rationem cur feminæ ob ſolam nobilitatem immunes evadant a filiis ſuis lactandis. Alia ne pro nobilibus, alia pro plebeiis feminis naturalis lex, aliud Evangelium? Nullo ergo modo ſive nobiles, ſive regiæ matres abſolute ab hoc naturæ debito liberæ ſunt. Hanc noſtram opinionem præter ethnicos Philoſophos, ſanctoſque Eccleſiæ Patres docent Covarruvias in *Epitom. II. P. cap.* VIII. *§. 6. num* 13. Tiraquellus *in tract. de Nobilit. cap.* XX. Harbona *Anno 3. quæſt.* 1. *num.* 3. Franciſcus Genettus *tract.* V. *de 4. præcep. cap.* III. & plures alii. Non me fugit, plures dicturos: Numquid idcirco ad infernum detrudes nobiles feminas omnes? Sed ego nugas iſtas, ore chriſtiano indignas, contemno. Quid naturæ lex præcipiat, pando: arcanum damnationis Deo relinquo.

XIII. Iſtius pravæ conſuetudinis, unde tot gravia & ingentia mala proficiſcuntur, in cauſſa ſunt etiam Parochi, & Confeſſarii, qui aſſentiuntur his matribus, & morem hunc, tamquam innocuum, eiſdem permittunt; cum eas deberent reprehendere, & maiori qua poſſent prudentia exhortari ad officia chriſtianæ matris implenda. Sane, ſi Parochi declamarent, ſi Confeſſarii corriperent has vanas, & nimium a naturæ legibus deſciſcentes matres, abuſus hic non tam late manaret. Verum, quia matres Parochos, & Confeſſarios ſibi faventes habent; quia Parochi, & Confeſſarii ſub Caſuiſtarum patrocinio conquieſcunt: idcirco corruptela ubique fere graſſatur. Hinc conſequitur quod matres, quæ ablactandos infantes aliis feminis, poſtea magiſtris, donec adoleverint, educandos tradunt, videntur matrimonium iniiſſe ad libidinem ſolum explendam; cum potiſſimum, atque honeſtiſſimum coniugii onus, filiorum ſcilicet curam, ſubire detrectent. Exaltent ergo, niſi pœnas luere velint, vocem ſuam Parochi, Confeſſarii, & Concionatores, doceantque matres, quam grave ſit onus iſtud, præſertim malis quæ abuſum huiuſmodi conſequuntur, ſpectatis: & nobilibus feminis identidem ac ſæpe exponant graviſſima rationum momenta vi quorum hoc onere lactandi infantes ſuos adſtringuntur.

XIV. Quæſt. IX. *Levem ne, an gravem culpam contrahunt feminæ nobiles quæ renuunt lactare filios ſuos? Quæ vero ſunt cauſſæ ab omni culpa excuſantes?* Reſp. Culpam committere eiuſmodi matres, mihi certum eſt: præciſum vero culpæ gradum penitus ignoro. Letalem non eſſe, communis Theologorum ſententia eſt. Inter venialia vero crimina reputatur grave, potiſſimum ob ea quæ hinc proficiſcuntur incommoda. Cauſſæ porro eximentes ab omni culpa ſunt. I. imbecilli-

Digitized by Google

tas matris, quæ ſine gravi detrimento nequit filium lactare. II. paupertas, quæ cibos ſufficientes ad lac producendum habere non permittit. III. mamillarum ſiccitas. IV. ſi infamiam mater contraheret, eo quod ignoretur, infantem eſſe eiuſdem filium; vel rationes adſint ob quas iudicare licet, revera eiuſdem non eſſe filium. Si venialis tantum culpa eſt, inquient multi, quod mater lactare filium negligat; non erat cur tam prolixe rem ageres. Ita ratiocinantur iuniores. Sed repono ego. Culpam committi, certo ſcio: culpæ gradum ignoro. Abſtinendum autem a culpis omnibus Scriptura ſacra imperat.

XV. Quæſt. X. *Peccat ne graviter mater illa quæ ob aliquam ex recenſitis cauſſis nequit lactare filium, ſi negligat bonam quærere nutricem?* Reſp. Adfirmant vel ipſi benigniores Probabiliſtæ. Leander *diſp.* x. *quæſt.* lxxxvii. Trullenchus *Lib. IV. in Decal.* Bonacina *in* 4. *præcept. diſp.* vi. *quæſt. unic. punct.* 6. *§.* 1. *num.* 4. quibus prævivit Navarrus in *Man. cap.* xiv. *num.* 17. Ratio evidens eſt: quoniam ex malæ nutricis ubere grave detrimentum infans patitur. Gravis tamen negligentia, & oſcitantia ſit oportet, ut culpa mortalis contrahatur.

XVI. Quæſt. XI. *Quando mater impotens eſt filium lactare, tenetur ne pater impenſas facere in quærenda nutrice?* Reſp. Communis opinio docet, ad patrem hanc curam ſpectare. Obligatio enim lactandi filios perſonalis eſt. Legitima autem impotentia poſita, mater immunis evadit; nec tenetur per nutricem lactare filium; ſed onus iſtud ad patrem devolvitur; quemadmodum, tranſacto triennio, non mater, ſed pater alimenta præſtare debet. Tamen, ſi pater impotens ſit, tunc mater adſtringitur per nutricem lactare filium, etiam illegitimum.

XVII. Quæſt. XII. *Tenetur ne pater dotare filiam quæ nubere velit?* Reſp. Adfirmant omnes: quia dos ſuccedit loco alimentorum. Porro alimenta iure naturæ debentur: ergo & dos. Quin, tametſi filia dives eſſet, & alimentis non egeret, nec pater ea præſtare teneretur, dotem tamen denegare non poſſet.

XVIII. Quæſt. XIII. *Quid, ſi indigno nubere velit, repugnante patre?* Reſp. Si maior ſit vigintiquinque annorum, tenetur adhuc pater eam dotare, quia in mora fuit eam marito tradendi. Quare culpæ patris vertitur, quod indigno nubat. Si minor vigintiquinque annorum ſit, & indigno nubere velit, repugnante patre; hic a dote danda liber eſt: niſi tanta ſit paupertas filiæ, ut neceſſariis alimentis egeat. Tunc enim caritatis lege adſtringitur pater proſpicere filiæ, ne fame pereat: ſecus, ſi habeat illa unde ſe alere queat.

XIX. Quæſt. XIV. *Occurrunt ne cauſſæ cur parentes alimenta filiis denegare valeant?* Reſp. Quas ob cauſſas valet pater filios exheredare, ob eaſdem etiam alimenta ſubtrahere eiſdem valet: alimenta, inquam, congrua ſtatui: nam quæ ſunt neceſſaria ad vitam ſuſtentandam, numquam detrahi licite poſſunt, quia numquam licet homines necare. Perirent autem filii neceſſario alimento ſublato.

XX.

Digitized by Google

XX. Quæſt. XV. *Quæ, & quot ſunt cauſſæ ob quas exheredare filios parentes valent?* Reſp. Quatuordecim aſſignantur. I. Si manus filius in patrem iniecerit, excepta cauſſa neceſſaria, ut eſſet defenſio ſui ipſius, vel patriæ, vel proximi. II. Si verba protulerit in patrem, iudicis arbitrio graviter iniurioſa. III. Si in iudicio patrem, matremve accuſaverit; dummodo crimen non ſit contra patriam, vel Principem. IV. Si cum veneficis filius converſetur, aut veneficus ſit. V. Si parentum vitæ inſidias ſtruxerit. VI. Si uxorem patris, aut eiuſdem concubinam agnoverit. VII. Si delatione filii in iudicio facta grave diſpendium pater expertus ſit. VIII. Si pro perſona, aut debito patris noluerit fide iubere. IX. Si patrem, aut matrem impedierit teſtamentum condere. X. Si filius ſocietatem inierit cum mimis, & arenariis, qui pacto pretio has artes exercent. XI. Si filia nubere, dotem præbente patre, recuſaverit, ut luxurioſam vitam ducat. XII. Si patrem, aut matrem amentem curare filius neglexerit. XIII. Si captivos parentes redimere contempſerit filius. XIV. Si filius a fide catholica deſciverit. Hæ quatuordecim cauſſæ recenſentur in *Authentica* Iuſtiniani.

· CAPUT X.

De obligatione mariti erga uxorem.

I. ADeo arctum eſt coniugum vinculum, ut una caro uterque reputetur. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* XXVI. *art.* II. duplicem amoris inter coniuges rationem exponit his verbis. *Gradus dilectionis attendi poteſt & ſecundum rationem boni, & ſecundum coniunctionem ad diligentem. Secundum ergo rationem boni, quod eſt obiectum dilectionis, magis ſunt diligendi parentes quam uxor: quia diliguntur ſub ratione principii, & eminentioris cuiuſdam boni. Secundum autem rationem coniunctionis magis diligenda eſt uxor: quia uxor coniungitur viro, ut una caro exiſtens, ſecundum illud Matth.* XIX. Itaque iam non ſunt duo, ſed una caro. *Et ideo intenſius diligitur uxor. Sed maior reverentia eſt parentibus exhibenda.* En ſenſum germanum in quo intelligendus eſt textus Geneſeos II. *Quam ob rem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.* Ardens ergo, ſincerus, & ſuavis ſit oportet mariti amor in uxorem, quam ut ſociam ex ſuo latere avulſam habere debet; ſecus ut ſervam. Subiecta mulier eſt marito in domus regimine; at in ceteris ſocia eſt. Valet eam maritus corripere, admonere, & poſt tertiam admonitionem moderate verberare. *Leg. Rei iudic. ff. Soluto matrimonio.* Atrox tamen verberatio vetita eſt marito: quam ſi in uxorem exerceat, peccat plus minuſve iuxta maiorem aut minorem verberationem.

Digitized by Google

II. Quæſt. I. *Tenetur ne maritus alere uxorem?* Reſp. Affirmant omnes : idque ſtatutum eſt *l. dotis fructus ff. de iure dotali*. In controverſiam vocant, num alimenta præſtare maritus debeat uxori quam ſine dote duxit. Cui quæſtioni ut reſpondeatur, diſtinctione opus eſt. Si maritus libere duxit uxorem, nulla petita dote; ſibi imputare debet quod dote careat. Interdum dos tacite promiſſa intelligitur, quando nimirum uxor dives eſt : tunc enim, quamvis expreſſe dos non petatur, reapſe intelligitur: quia dos comitatur uxorem, & maritus eam cogere poteſt ut dotem ſibi conſtituat; alioquin alimenta denegare licite valet. Si uxor divitiis careat, quamquam pater dives ſit, non poſſunt denegari alimenta; etiamſi pater præbere dotem recuſet. Poſtremum, ſi uxor conſtitutam dotem ſolvere negligat, poteſt maritus alimenta denegare, donec ſolvat, ſi habeat unde ſolvat. Debitum tamen coniugale ob dotis defectum negare nequit : quia redditio debiti ex vinculo matrimoniali oritur; alimenta vero doti reſpondent.

III. Quæſt. II. *Adſtringitur ne maritus alimenta præbere uxori, non ſoluta debita dote, ob obſequia ab eadem ſibi præſtita?* Reſp. Opinio negans probabilior videtur. Siquidem duo uxor præſtare marito debet, nempe obſequium ratione ſocietatis coniugalis, & dotem ob vitam alendam. Solutio unius non ſupplet defectum alterius.

IV. Quæſt. III. *Quando uxor a marito ſine iuſta cauſſa recedit, exigere ne alimenta poteſt?* Reſp. Negat communis opinio : quia vi fœderis coniugalis obſequi, & inſervire marito debet. Porro qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. *L. Si ea C. de condit. inſertis*. Secus vero dicendum, ſi maritus in cauſſa fuerit cur receſſerit. Cauſſa iuſta receſſus eſſe poteſt nimia verberatio; ſecus moderata. Quare, ſi uxor recederet a marito ob moderatam punitionem, alimenta fruſtra repeteret.

V. Quæſt. IV. *Tenetur ne maritus alimenta præbere uxori adulteræ?* Reſp. Multi diſtinguunt, aiuntque, maritum non poſſe denegare alimenta uxori adulteræ in foro exteriori, donec iudicis ſententia uxor adultera declarata ſit; poſſe vero in foro interiori, quando certus eſſet eam eſſe adulteram; ſicuti in hoc caſu a tori ſocietate repellere eam poteſt. Et hæc videtur communior opinio. Uxor enim ſuo adulterio ius amittit ad dotem, & ad alimenta, quoties certo conſtet eiuſdem adulterium. Hæc tamen tali moderamine accipienda ſunt, ut maritus, iure attento coniugii, id præſtare valeat. Ceterum, ſpectata caritatis lege, ſi uxor extrema fame laboraret cum periculo gravi pereundi; tunc, quemadmodum ceteri fideles, quin potiori titulo, maritus eidem tantum alimenti præbere deberet, quantum ſat eſſet ad vitam ſuſtentandam. Durante vero lite ſuper divortio faciendo ob adulterium ad tribunal delatum, maritus alimenta, & expenſas in foro exteriori ſolvere tenetur; ſecus in foro interiori : quia quantum ad privatam ſepara-

Digitized by Google

parationem iudex, & dominus maritus reputatur, deprehenſa uxore in manifeſto adulterio; ſicuti e contrario uxor denegare debitum marito evidenter adultero poteſt. Hæc tamen dicta ſunt abſque præiudicio eorum quæ alibi dicturi ſumus de diſtinctione fori interni & externi. Quia hæc diſtinctio non adeo frequens eſt, ut non pauci Theologi exiſtimant. Ob adulterii ſuſpicionem ſuſpendere nequit maritus alimenta, ut propter oſcula: quamvis ſit graviter corripienda uxor; & niſi deſiſtat, tunc alimenta ſubtrahenda ſunt. Addiderim, ſpectandam eſſe oſculorum, & amplexuum conditionem. Nam, ſi fortuito quis, aut amicitiæ gratia uxorem alterius oſculatus fuerit; prima vice prudens diſſimulatio, & correptio ſufficiet. At, ſi oſcula laſciva ex circumſtantiis deprehenſa fuerint; tunc & alimenta denegare, & tori cohabitationem ſuſpendere marito licitum erit. Quando autem uxor marito litem intentat, ut divortium obtineat ob adulterium ab eodem perpetratum; convenit penes omnes, uxori ſubminiſtranda a marito alimenta, & expenſas, ne ob harum defectum cauſſa cadat, ſeſeque defendere nequeat.

VI. Quæſt. V. *Maritus tenetur ne cum uxore cohabitare?* Reſp. Affirmant omnes. Hæc quippe cohabitatio eſt unum ex præcipuis matrimonii debitis, quod ut mutuo impleant coniuges, patrem, & matrem deſerere debent. In hunc quippe finem inſtitutum matrimonium eſt, ut coniuges ſobolem generent. Ad hanc vero generationem neceſſaria eſt cohabitatio. Gravis culpa proinde eſt hæc cohabitationis ſuſpenſio, iuſta cauſſa ſublata, ut colligitur ex Matth. v. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari.* Hæc cohabitatio, non materialis in eadem domo, ſed coniugalis in eodem toro ſit oportet.

VII. Cauſſæ legitimæ ob quas ſuſpendi cohabitatio licite valet, ſunt ſequentes. I. Geſtio negotiorum familiæ. II. Exilium iudicis ſententia præſcriptum. III. Vitæ periculum. IV. Conſenſus mutuus ad continentiam ſervandam, remoto incontinentiæ periculo. V. Bellum Principis imperio ſuſceptum. VI. Brevis peregrinatio: longa enim, repugnante uxore, ſuſcipi nequit. Non tenetur ſecum in peregrinatione uxorem ducere: quia dedecet mulieres peregrinari.

VIII. Tandem, cum vir ſit mulieris caput, & rector, curare debet ut uxor chriſtianæ profeſſionis munia impleat, ut præcepta legis tum divinæ, tum eccleſiaſticæ exequatur. Peccant mariti, dum ieiunia Eccleſiæ ſervari ab uxore non ſinunt, veriti ne graciliores evadant, minuſque aptæ ad reddendum debitum; aut venuſtatem deperdant: quidquid in oppoſitum fabulentur iuniores Caſuiſtæ non pauci. Moderata quippe ieiunia ab Eccleſia præſcripta nequaquam impediunt temperata matrimonii officia. Porro ob ſaturandam libidinem non ſunt Eccleſiæ mandata negligenda. Quare, niſi adſit peculiaris infirmitas, vix evenire poteſt ut ob debitum reddendum ſint negligenda ieiunia præcepta. Quid quod tempore ieiunio-

Digitized by Google

rum continentiam iuxta antiquam ſanctamque diſciplinam ſervare coniuges deberent?

CAPUT XI.

De obligatione uxoris erga maritum.

I. Honorem, & obedientiam debent maritis ſuis uxores. Lege naturali mulier ſubdita viro eſt; iure vero divino uxores honorare, ac revereri maritos, illiſque obedire tenentur. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Geneſ. cap. III. & D. Paulus ad Coloſs. III. *Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino*: & alibi: *Quæ autem nupta eſt, cogitat quomodo placeat viro.* D. Petrus Epiſt. I. cap. III. *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis; ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant.* Modeſtæ & chriſtianæ uxorum converſationi tantam vim D. Petrus tribuit, ut eam efficaciorem reputet ad emollienda maritorum corda quam ipſam Concionatorum eloquentiam. Vi contractus matrimonialis tenetur, nedum ut femina, verum etiam ut uxor, viro obedire in iis quæ regimen familiæ ſpectant. Si in rebus gravioris momenti ſubiici detrectet, letaliter peccat; ſecus, ſi res leves ſint.

II. Quæſt. I. *Peccat ne graviter mulier quæ marito præcipienti ut abſtineat a vanis, ſuperfluiſque indumentis, & a moribus minus compoſitis, obedire renuit?* Reſp. Negat Leander *diſp.* II. *quæſt.* XII. dummodo abſit contemptus, & contumacia: quia, inquit, quamvis præceptum ſit iuſtum, non tamen uxor tenetur illi obedire ſub tanta culpa ob materiæ levitatem. Pro eadem opinione laudat *Navarrum, Sayrum*, & *Trullenchum*. De more Leander laxiora defendit. In quæſtione de peccato mortali ſemper præ oculis habenda D. Thomæ doctrina eſt, quod nimirum aleæ, periculique plena ſit definitio.

III. Peccare ergo dicimus uxorem, mariti prohibentis vana, ſuperfluaque ornamenta, & incompoſitos mores mandato refragrantem. Quod opponunt, materiam huiuſmodi levem eſſe, futile eſt. Neque adfirmari, neque negari hoc abſolute poteſt; ſed ex circumſtantiarum varietate colligi debet. Contingere valet maritum talis eſſe moroſitatis, ſeveritatis, & ſuperſtitionis, ut honeſtum, ac decentem ornatum uxori prohibere velit. Verum, cum mulieres ad vana pronæ nimium ſint, frequentius evenit ut earumdem ornamenta, fuci, & vanitates gravem exhibeant marito prohibendi materiam. Hinc frequentiſſime peccare uxores letaliter planum eſt, dum maritis ſuis, qui hæc vetant, reluctantur.

IV. Quæſt. II. *Quandonam uxor in domus regimine marito ſe ſe opponere licite poteſt?* Reſp. Quoties accidit ut maritus mala perpetret, toties uxor contra mari-

ti

Digitized by Google

ti præceptum licite poteſt mala omnia pro viribus impedire, ſeſeque mandatis eiuſdem opponere. Puta, ſi maritus bona prodigat in ludos, comeſſationes, aliaque illicita; ſi neceſſaria item pro alenda familia ſubminiſtrare maritus recuſet; tunc uxor poteſt clam accipere ea quæ revera requiruntur ad familiam regendam; & obſiſtere ne maritus bona dilapidet. Cavendum tamen uxori eſt ne maritum ad iram, ad blaſphemias, ad rixas provocet. Peccare enim frequenter poteſt, ſi nimia ſua loquacitate, turgidoque animo dictis ſeſe opponens mariti, illum irritet, & ad furorem concitet.

V. Quæſt. III. *Quæ obſequia præſtare uxor marito debet?* Reſp. Quod uxor teneatur inſervire marito, omnes fatentur: licet enim ſit ſocia, eſt tamen quaſi ſerva; atque adeo familiæ ſervitia exequi debet, ut condire cibos, domum verrere, pannos lavare, diſciſſas veſtes reſarcire, & cetera id genus obſequia præſtare. Potiſſimum vero ægrotanti marito ſingulari affectu aſſiſtere debet. Diſputant in utramque partem Theologi, utrum uxor nobilis hæc vilia obſequia præſtare debeat. Negant Salmanticenſes *tract.* XXIV. *cap. unic. punct.* 3. *§.* 2. *num.* 59. Leander *diſp.* II. *quæſt.* XVI. Sanchez, Fagundez, Roſella, aliique penes eoſdem. Verum recenſita miniſteria haud ſunt tam vilia, ut nobilem dedeceant uxorem. An nobilitas turpis otii cauſſa erit? An nihil agere nobilitatis privilegium eſt? Regere familiam, & gubernare domum maritus, & uxor debent: ille ut dominus; hæc quaſi ſerva: ille imperando, & quæ pro victu, & veſtitu neceſſaria ſunt, conquirendo; iſta inferiora miniſteria exequendo. Maritus, qui domus negotia ſervis peragenda committit, brevi familiam deſtruit. Uxor quæ famulabus domeſtica ſervitia remittit, muneri ſuo minime ſatisfacit. Utraque tamen opinio conciliari poteſt, ſi dixerimus, uxorem nobilem, divitemque munus ſuum implere, ſi ſervis invigilet, ſi curet ut res domeſtica conſervetur, & ea omnia fiant a ſervis quæ in domus utilitatem conferunt; ipſa vero honeſtiora miniſteria obeat. AEtate hac noſtra uxores nobiles frequentiſſime peccant, quod otio diffluant, quod rem domeſticam prorſus negligant, ut vanitatibus, pompis, ludis, oblectamentis, theatris indulgeant. Quare increpare eas Confeſſarius debet; & niſi quæ ſunt uxoris propria, ſtatus conditione ſpectata, exequi paratæ ſint, ab altari arceantur. Sint a vilibus ſervitiis exemptæ: ideo ne otioſæ manus licitæ eiſdem erunt? Qui non laborat, non manducet, inquit D. Paulus: hæcque peccati pœna omnes Adæ filios afficit. Si nobilitas divitiis careat, ut nimirum ſervos conducere nequeat; fatentur omnes, tunc uxorem adſtringi ſervorum officia peragere.

VI. Quæſt. IV. *Peccat ne uxor, ſi cohabitare cum marito, illumque alio migrantem ſequi renuat?* Reſp. Adfirmant omnes Theologi, tum ob redditionem debiti coniugalis, tum ob obſequia marito præſtanda. Maritum alio commigrantem ſequi mulier adſtringitur, ut habetur in cap. *Unaquæque* XIII. quæſt. II. *Unaquæque mulier ſe-*

ſequatur virum ſuum, ſive in vita, ſive in morte. Quod tamen verum habet, niſi pactum præceſſerit ante matrimonium contractum, non mutandi domicilium. Nec enim adeſt ratio cur pactum iſtud conſiſtere non debeat, quando plena libertate & conſenſione mutua initum fuerit. Quin occurrere urgentia momenta poſſunt ob quæ mulier iuſte eiuſmodi adiiciat pactum. Si tamen neceſſitas urgeret mutandi domicilium, in hoc caſu gravis detrimenti pactum amittere vim obligandi, probabilius eſt. Puta, ſi marito cæli temperies ſit minus ſalubris; ſi tale domicilium ſit cauſſa inimicitiarum, vel alterius ſcandali; ſi neceſſitas maioris emolumenti pro domus ſuſtentatione, & alia id genus motiva occurrant; poterit certe maritus, nullo habito ad pactum reſpectu, alio tranſire; eumque tunc comitari uxor tenebitur. Ob parem rationem uxor non tenetur maritum ſequi cum gravi ſuæ ſanitatis detrimento; ſicuti nec debitum ei reddere coniugale cum tanto onere adſtringitur: & multo minus deberet eum ſequi, ſi adeſſet ſibi periculum peccandi. Quapropter maritum tranſeuntem ad regiones hæreticorum non debet uxor ſequi ob periculum amittendæ fidei.

VII. Quæſt. V. *Tenetur ne uxor ſequi maritum vagum, aut in exilium pulſum?* Reſp. Vagum virum non tenetur ſequi uxor, quæ ante matrimonium ſciebat illum non vagari, aut ſaltem ignorabat. Maritum in exilium miſſum ſequi mulier debet; quemadmodum mutare domicilium, cogente neceſſitate, illam debere, dictum eſt. His viciſſitudinibus ſeſe ſubiicit mulier, dum matrimonium contrahit: iure quippe talis coniunctionis cohabitare cum marito debet. Quoties ergo neceſſitate aut exilii ſubeundi, aut vitæ alendæ, alio commigrare maritus cogitur, illum uxor comitari debet.

VIII. Quæſt. VI. *Debet ne uxor bonis ſuis paraphernalibus maritum pauperem alere?* Reſp. Probabilior ſententia eſt, pauperem maritum alendum ab uxore bonis ſive dotalibus, ſive paraphernalibus abundante. Societas matrimonialis hoc debitum clare oſtendit. Quid namque magis diſſonum naturæ quam quod duo tam arcto mutuæ ſocietatis vinculo iuncti, in neceſſitate ſuſtentandæ vitæ recuſent invicem ſe ſe iuvare?

IX. Quæſt. VII. *Si maritus debita contraxerit, ut uxorem aleret, tenetur ne hæc, defuncto marito, bonis ſuæ dotis debita eiuſmodi ſolvere, ne creditores defraudentur?* Reſp. Duplex eſt ſententia. Prima adfirmat, ſi maritus tempore quo debita contraxit ad uxorem alendam, pauper erat: quia hoc tempore paupertatis maritus non tenebatur alere uxorem, ſed uxor maritum. Ergo debita contracta hoc tempore cedunt in utilitatem uxoris; atque adeo hæc ex eiuſmodi debitis facta eſt ditior. Secus dicendum, ſi maritus dives erat, ob contrariam rationem.

X. Secunda ſententia negat. Hanc defendunt Salmanticenſes *tract.* XXIV. *cap. unic.*

Digitized by Google

unic. punct. 3. num. 64. Quoniam, inquiunt, creditores, quibus Antonius (v. g.) ex pecuniis acceptis mutuo ſatisfecit, non tenentur illam pecuniam ſolvere mutuantibus. Ergo ſimiliter, quamvis maritus inops impenderit pecuniam mutuo acceptam in alendam uxorem, hæc non tenetur ex bonis propriis dictam ſolvere pecuniam. Idque confirmant ex eo quod, licet in marito inope ſuſpendatur debitum alendi uxorem ob impotentiam, non tamen penitus extinguitur. Accedit, maritum qui mutuo accepit pecunias ad alendam uxorem, verum ius acquiſiviſſe, & earumdem dominum factum fuiſſe. Ergo debitum perſonale eſt, & extinguitur morte debitoris; nec ad alios tranſmigrat. Hæc, & nonnulla alia quæ in idem recidunt, ad huius ſententiæ confirmationem adducunt: & pro eadem citant *Sanchez*, *Molinam*, *Trullenchum*, *Bonacinam*, & alios.

XI. Prior ſententia mihi videtur probabilior, & lumini naturali conformior. Dictum eſt quæſtione præcedenti, inopem maritum alendum eſſe ab uxore. Si paupertas, fatentibus Salmanticenſibus, ſuſpendit debitum, liber maritus evadit ab alenda uxore; quin uxor ratione vinculi coniugalis tenetur maritum alere, paupertate premente. At reviviſcit in marito debitum, quoties pecunias accipit vel ipſo paupertatis tempore. Quæro, an, ſi maritus furaretur pecunias expendendas in uxoris alimenta, teneretur uxor dives, ditior facta, reſtituere præfatas pecunias furto ſublatas? Non puto, eos hoc inficiari. Porro, cum maritus inops pecunias mutuo accipit, ſuæ ad reſtitutionem impotentiæ conſcius, revera decipit mutuantem, & reapſe furatur. Pecuniis ergo iniuſtitia acquiſitis alitur uxor, quæ bonis abundat. Qua igitur ratione exempta erit ne id reſtituat in quo facta eſt ditior? Si iure ſocietatis matrimonialis uxor tenetur maritum alere in caſu neceſſitatis; profecto peccat, dum negligens talem obligationem, cogit maritum mutuo accipere pecunias, quibus illa ipſa cum marito alatur. Diſtinctio debiti ſuſpenſi, & non extincti, ſed reviviſcentis, præſenti quæſtioni applicata, ſubtilis quædam ſpeculatio mihi videtur: quoniam non reviviſcit in marito debitum decipiendi mutuatorem mediis pecuniis furto ſublatis. Pecuniæ autem mutuo acceptæ tempore paupertatis, cum manifeſta cognitione impotentiæ ad eas reſtituendas, quaſi furti rationem induunt. Cetera momenta quæ afferuntur pro ſecunda opinione, tanti non ſunt, ut in iis ſolvendis diutius immoremur.

C A-

CAPUT XII.

De mutua fratrum, & ſororum obligatione.

I. FRatres, ſororeſque debere ſe mutuo amore proſequi, nedum communi affectu, ut omnes homines, ſed peculiari dilectione ob arctum ſanguinis vinculum, extra omnem dubitationis aleam verſatur. Quare, ſi ſeſe verberent; aut contumeliis inceſſant, non modo contra caritatem, verum etiam contra pietatem delinquunt: quæ circumſtantia eſt neceſſario in confeſſione exprimenda.

II. Quæſt. I. *Tenetur ne fratrem frater alere?* Reſp. De extrema neceſſitate ſermo non eſt: quoniam omnes homines tunc ſe mutuo adiuvare debent, ut ſuo loco dictum eſt. Loquimur in gravi neceſſitate. Communis Iuriſconſultorum, atque Theologorum ſententia eſt, teneri fratrem proſpicere fratri, ut decenter vivat; & multo magis ſorori, cui etiam congruentem dotem ſubminiſtrare debet. Idque ſtatutum eſt *leg.* Cum plures, *§.* Cum tutor, *ff. de adminiſt. tutor.* & *leg.* Non enim, *C. de adminiſtr. tutor.* Et ex eo confirmatur quod frater fratri in hereditate ſuccedat ab inteſtato. Ius autem ſuccedendi in hereditate comparatur iuri præbendi alimenta.

III. Hæc ſententia communis eſt, ſi ſermo ſit de fratribus & ſororibus ex eodem patre & matre genitis; immo etiam de fratribus ex eodem patre, tametſi ex diverſa matre ortis: quoniam iſti in iure primis æquivalent, ut ex cit. leg. *Cum plures* conſtat. Si porro fratres ſint uterini tantum, nempe ex eadem matre, ſed ex diverſo patre; tunc debent ſe mutuo alere, neceſſitate gravi urgente, & frater tenetur utique alere ſororem uterinam, ſecus dotare: quoniam his non competit querela de inofficioſo teſtamento, uti ex Molina advertunt Salmanticenſes *num. 69.* & colligitur ex leg. *Cum plures*. Si tamen frater heres ſit matris, tunc tenetur: quoniam tunc hereditas deſcendit cum onere dotandi ſororem uterinam. Probabilior opinio hoc debitum extendit etiam ad filios ex fratre, aut ſorore natos, quando tanta hi premuntur neceſſitate, ut nequeant decenter vivere, neque victum ſibi propria induſtria comparare.

IV. Quæſt. II. *Clericus licite ne poteſt ex ſui beneficii fructibus alimenta fratri, aut ſorori præbere, & etiam dotem?* Reſp. De alimentis nulla eſt difficultas, quando fratres reapſe pauperes ſint. Fructus enim beneficii in pauperes erogandi ſunt. In pauperibus autem iuvandis hic ordo ſervandus eſt, ut proximioribus proſpiciatur, quemadmodum alibi diximus. Cavendum ſolum ne ſub larva paupertatis avaritia latitet, & carnalis affectus ditandi, vel ad meliorem ſortem extol-

tollendi conſanguineos. Vera paupertas requiritur, ut Beneficiatus poſſit ſacros reditus conſanguineis donare. Similiter dotare ſororem pauperem Clericus beneficiatus poterit ea ratione qua in alias pauperes puellas dotandas poteſt reditus beneficii impendere.

V. Diſputant Theologi, utrum Clericus beneficiatus non ſolum poſſit, ſed etiam teneatur ſororem dotare ex reditibus beneficii. Negant communiter Auctores, quorum ſententiam referunt, probantque Salmanticenſes *tract.* XXIV. *cap. unic. punct.* 4. *num.* 73. quia, inquiunt, præceptum eleemoſynæ non obligat extra caſum neceſſitatis. Alii adfirmant, non ſolum poſſe, verum etiam ad id teneri: quia dos eſt in ſubſidium alimentorum. Quare, ſi alimenta præſtare tenetur Clericus præfatus, eadem ratione adſtringitur etiam dotem conferre.

VI. Utraque ſententia conciliari poteſt. Aut Clericus habet revera ſuperfluos reditus eccleſiaſticos in pauperes erogandos, aut ſecus. Si ſecundum, diſputatio evaneſcit. Si primum, tenetur eam dotare; dummodo revera dote indigeat. Quoniam tum duo præcepta urgent: primum eleemoſynæ erogandæ; alterum erogandi eleemoſynam proximioribus, ſeu conſanguineis pauperibus. Ergo, ſi ſoror vere pauper ſit, eam ceteris pauperibus præferre debet. Hanc ſententiam defendit etiam Leander *diſp.* 11. *quæſt.* x. & eſt probabilior, mihique vera. Hanc doctrinam extendunt multi etiam ad ſorores ſpurias. Quia, inquiunt, ſi licet Clerico dotare filias ſpurias, multo magis poterit ſimilem dotem conferre ſororibus pariter ſpuriis. Ad auctoritatem S. Pii V. qui ſua conſtitutione, cuius initium eſt, *Quæ ordini eccleſiaſtico*, prohibere id videtur, reſpondent, ſanctum Pontificem abrogaſſe dumtaxat quædam privilegia quibus facultas Clericis beneficiatis concedebatur teſtandi, & donandi bona redituum eccleſiaſticorum; minime vero vetuiſſe ne ius naturæ impleretur proſpiciendi filiis, aut ſororibus, ſive legitimis, ſive ſpuriis. Quod dictum eſt de fratribus, extendendum item ad ſorores eſt. Soror enim dives alere, & dotare aliam ſororem inopem debet.

VII. Quæſt. III. *Quam obligationem habent fratres in bonorum partitione?* Reſp. Tenentur fratres omnia bona in communem acervum conferre, ſi cum aliis portionem habere velint, iis exceptis quæ aliquo peculiari iure, ſive donationis paternæ, ſive alio iuſto titulo frater aliquis ut propria poſſidet. Verum de hoc ex inſtituto alibi agetur.

VIII. Quæſt. IV. *Donatio facta a patre titulo patrimonii pro ſacris ordinibus ſuſcipiendis, debet ne in collationem, ſeu in acervum communem afferri, ſi ceteri fratres legitima defraudentur?* Reſp. Negat prima ſententia, eo quod Tridentinum Concilium vetet patrimonii eiuſmodi alienationem, inconſulto Epiſcopo *ſeſſ.* XXI. *de refor. cap.* 11. In hoc autem caſu Clericus alienaret ſuum patrimonium. Tum etiam quia quæ a patre donantur filio pro militia exercenda, non ſunt in commu-

munem cumulum adducenda. Ergo neque illa quæ a patre filio donantur titulo militiæ ſpiritualis.

IX. Secunda, & probabilior ſententia adfirmat: quoniam, quando patrimonium excedit legitimam portionem, pater dominium non habet eum exceſſum libere donandi; & ſi donet, lædit ius aliorum fratrum, illorum portionem diminuendo. Porro quod cum aliorum damno, & detrimento fit, iure naturæ vetitum eſt. Concilium vetat alienari patrimonium iuſte, non iniuſte aſſignatum. Paritas militiæ terrenæ firmat ſententiam noſtram. Nam, ſi bona hoc titulo donata excedant legitimam debitam filio cum detrimento fratrum; tunc, ſi conſiſtant, in acervum conferenda ſunt; ſi ſint conſumpta, impotentia excuſat. Plura alia quæ ad hanc pertinent materiam, ſuo loco fuſius tractabuntur.

CAPUT XIII.

De honore quo coli debent eccleſiaſtici viri a laicis, & de officio Eccleſiaſticorum in ſubditos.

I. Nomine patrum veniunt potiſſimum parentes ſpirituales, quales ſunt Paſtores animarum, Prælati, Epiſcopi, & Sacerdotes omnes, qui ſacrificia pro animabus Deo offerunt. Scribit enim D. Paulus ad Corinth. I. cap. IV. *Non ut confundam vos, hæc ſcribo; ſed ut filios meos cariſſimos moneo. Nam, ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* Tenentur ergo fideles honorare, & revereri Sacerdotes, ac potiſſimum Paſtores, ut filii parentes ſuos ſpirituales. Debent eis obedientiam præſtare in iis quæ muneris eorum ſunt. Paſtoribus miniſtrare neceſſaria debent, eoſque ab oppugnatoribus defendere.

II. Nec vulgaris excuſatio, quod aliqui Sacerdotes, & Paſtores mali ſint, a debito honore, & reverentia fideles ſubditos eximit: quia ob eorum dignitatem & gradum, quem malis actionibus non amittunt, ſunt honorandi. *Chriſtus Dominus*, inquit S. Cyprianus epiſt. ad Rogatianum Epiſcopum, *uſque ad paſſionis diem ſervavit honorem Pontificibus, & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſervaſſent. Nam cum leproſum emundaſſet, dixit illi*: Vade, & monſtra te Sacerdoti, & offer donum. *Humilitate ea qua nos quoque eſſe humiles docuit, Sacerdotem appellabat . . . Item ſub ictu paſſionis, cum alapam accepiſſet, & ei diceretur*, Sic reſpondes Pontifici? *nihil ille contumelioſe locutus eſt in perſonam Pontificis, ſed magis innocentiam ſuam tuitus eſt, dicens: Si male locutus ſum, exprobra de malo; ſi autem bene, quid me cædis?*

III. Peropportuna ſunt quæ ſcribit S. Auguſtinus *epiſt.* LXXVIII. *alias* CCXXXVII. ad

ad Clerum & Epiſcopum Hipponenſem. *Ad quid aliud ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi ut, cum quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, iactent, contendant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cum aliqua maritata invenitur adultera, nec proiiciunt uxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cum autem de aliquibus qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Hos ergo, de noſtris doloribus ſuavitatem ſuæ malæ linguæ captantes, facile eſt ut illis canibus comparemus, ſi forte in malo intelligendi ſunt, qui lingebant vulnera pauperis illius qui ante ianuam divitis iacebat, & quouſque veniret ad requiem ſinus Abrahæ, laborioſa, & indigna omnia tolerabat.*

IV. Exemplum magni & piiſſimi Imperatoris Conſtantini laicos omnes deberet maxime ad honorem, reverentiamque erga Dei miniſtros excitare. Siquidem, cum ad ipſum allati libelli fuiſſent in Concilio Nicæno adverſus Sacerdotes catholicos, eoſdem comburi iuſſit, inquiens: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos a vobis recte iudicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Quapropter Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia, quæcumque ſunt, ad illud divinum ſerventur examen. Vos enim nobis a Deo dati eſtis dii: & conveniens non eſt ut homines iudicent deos; ſed ille ſolus de quo dictum eſt: Deus ſtetit in ſynagoga deorum: in medio autem deos diiudicat.* Ruffinus Lib. I. hiſt. eccleſ. cap. I.

V. Paſtorum erga oves ipſis concreditas officia plurima ſunt. Potiſſimum eſt oves paſcere, ut docet ipſe Chriſtus Dominus Ioannis XXI. *Simon Ioannis amas me? Paſce oves meas.* Clarius hæc munia exprimit Apoſtolus I. ad Timoth. IV. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate.* Innumera ſunt quæ Deus Prophetarum ore Paſtoribus commendat. Nam per Ezechielem *cap.* XXXIII. hæc præcipit. *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael. Audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie morte morieris; non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua; ipſe in iniquitate ſua morietur. Porro tu animam tuam liberaſti.* Paſtoribus vero qui munia ſua obire negligunt, hæc minatur Deus per Iſaiam cap. LVI. *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt univerſi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia... Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viam ſuam declinaverunt: unuſquiſque ad avaritiam ſuam, a ſummo uſque ad noviſſimum.* Et laudatus Ezechiel *cap.* XXXIV. in ſimiles Paſtores hæc affatur: *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant*

Digitized by Google

ſcebant ſemetipſos . Nonne greges a paſtoribus paſcuntur ? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis ; gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit , non conſolidaſtis ; & quod ægrotum, non ſanaſtis ; quod confractum eſt , non alligaſtis ; & quod abiectum eſt , non reduxiſtis ; & quod perierat , non quæſiſtis : ſed cum auſteritate imperabatis eis , & cum potentia . Et diſperſæ ſunt oves meæ , eo quod non eſſet Paſtor : & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri . . . Propterea Paſtores audite verbum Domini . Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum , & ceſſare faciam eos , ut ultra non paſcant gregem , nec paſcant amplius Paſtores ſemetipſos : & liberabo gregem meum de ore eorum , & non erit ultra eis in eſcam.

VI. Non minori fervore D. Paulus enumerat , inculcatque Paſtoribus omnibus gregis cuſtodiam . Conſolari afflictos præcipit , ſanare ægrotos , ignorantes inſtruere , ſuperbos reprimere : *Prædica verbum , inſta opportune , importune , argue , obſecra , increpa in omni patientia , & doctrina . . . Tu vero vigila , in omnibus labora , opus fac Evangeliſtæ , miniſterium tuum imple*. I. Timoth. IV. Admonet Titum *cap.* I. Epiſcopum optimum eſſe eum qui amplectitur ſanam doctrinam , & fidelem ſermonem , *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana , & eos qui contradicunt , arguere*. Item ad Timoth. II. cap. II. *Sollicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo , operarium inconfuſibilem , recte tractantem verbum veritatis* . Additque , hoc verbum veritatis eſſe verbum Dei , ſeu Scripturam ſanctam . *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum , ad corripiendum , ad erudiendum in iuſtitia* . Sollicitudinem, labores, & conatus Paſtorum in quærendis ovibus lucrandiſque optime deſcribit Auguſtinus ſerm. XLVI. de Paſt. cap. VII. *Et contumaces ſunt oves , quia quæruntur errantes , alienas ſe a nobis dicunt errore ſuo , & perditione ſua . Quid vultis ? Quid nos quæritis ? Quaſi non ipſa cauſa ſit quare eas velimus , & quare quærimus , quia errant , & pereunt . Si in errore ſum (inquit ovis) ſi in interitu , quid vis ? Quid me quæris ? Quia in errore es , revocare volo ; quia periſti , invenire volo . Sic volo errare , ſic volo perire , Sic vis errare , ſic vis perire ? Quanto melius ego nolo . Prorſus audeo dicere , importunus ſum . Audio enim dicentem Apoſtolum : Prædica verbum , inſta opportune , importune . Opportune itaque volentibus , importune nolentibus . Tu vis errare , tu vis perire ; ego nolo . Non vult poſtremo ille qui me terret . Si voluero , vide quid dicat , quid increpet :* Quod errabat , non revocaſtis, & quod periit , non inquiſiſtis. *Revocabo errantem , requiram perditum . Velis , nolis , id agam . Et ſi me inquirentem lanient vepres ſilvarum , per omnia anguſta me coarctabo . Omnes ſepes excutiam . Quantum mihi virium terrens Dominus donat , omnia peragrabo . Revocabo errantem , requiram pereuntem . Si me pati non vis , noli errare , noli perire .*

In-

Innumera adferre documenta poſſem ex aliis Patribus. Legatur Concilium Tridentinum *ſeſs. v. de refor. cap.* 11.

CAPUT XIV.

De officiis Principum, & magiſtratuum erga ſubditos, & de iſtorum erga illos obedientia, & cultu.

I. Officium Principum erga ſubditos eo potiſſimum ſpectat ut iſti pacem, tranquillitatem, bonum commune foveant, promoveantque. Subditorum debent mores ad leges iuſtitiæ, & æquitatis reformare. Quare Regius Pſaltes ſic alloquitur ſupremas Poteſtates: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Pſalm. 11. D. Auguſtinus *Lib. V. de Civ. Dei cap.* XXIV. longo ſermone deſcribit ſupremarum Poteſtatum in ſubditos munia: inquit enim: *Neque nos chriſtianos quoſdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt &c. Sed felices eos dicimus, ſi iuſte imperant; ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt; ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum, maieſtati eius famulam faciunt; ſi Deum timent, diligunt, colunt; ſi plus amant illud regnum, ubi non timent habere conſortes; ſi tardius vindicant, facile ignoſcunt; ſi eamdem vindictam pro neceſſitate regendæ, tuendæque Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt; ſi eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent; ſi quod aſpere plerumque coguntur decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant; ſi uxuria tanto eis eſt caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior; ſi malunt cupiditatibus pravis quam quibuslibet gentibus imperare; & ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter caritatem felicitatis æternæ, ſi pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices interim ſpe, poſtea reipſa futuros, cum id quod expectamus, advenerit.*

II. Subdit idem Auguſtinus officium Regis eſſe bona quæ in communem ſubditorum utilitatem cedunt, præcipere, & mala quæ huic communi tranquillitati officiunt, prohibere iuſtis legibus. *Quia homo eſt* (inquit epiſt. clxxxv. alias l.) *ei ſervit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex eſt, ſervit leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti rigore ſanciendo; ſicut ſervivit Ezechias lucos & templa idolorum, & illa excelſa quæ contra præcepta Dei fuerant con-*

ſtructa, deſtruendo; ſicut ſervivit Ioſias, talia & ipſe faciendo; ſicut ſervivit Rex Ninivitarum, univerſam civitatem ad placandum Dominum compellendo; ſicut ſervivit Darius, idolum frangendum in poteſtatem Danielis dando; ſicut ſervivit Nabuchodonoſor, omnes in regno ſuo poſitos a blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſerviunt Domino Reges, inquantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſerviendum illi quæ non poſſunt facere niſi Reges.

III. Officium Principum eſt non modo temporalia Reipublicæ promovere ut dominos; verum etiam Eccleſiam, eiuſque iura, & regimen tueri, defendere, iuvare, ut præſtiterunt piiſſimi Principes, Conſtantinus, Theodoſius, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, aliique Imperatores, & Reges ſanctitate præſtantes. Eccleſiæ res & iura protegere, ac defendere debent ut Dei miniſtri, ut advocati, & defenſores ſtrenui; non dominia earumdem Eccleſiarum invadere, atque regimen ſibi appropriare. Advertit P. Natalis Alexander *Lib. IV. Theol. dogm. art. 2. ſ. 3.* iudicium cauſſarum eccleſiaſticarum, quæ potiſſimum fidei controverſias, ſacramentorum adminiſtrationem, ſacros ritus, diſciplinam ſacram ſpectant, nullo modo ad Principes laicos pertinere. Quare infert, gravis peccati reos eſſe, dum ad thuribulum manum admovent, & ſacram arcam contingere audent, cauſſarum videlicet cognitionem ſibi uſurpantes, & Sacerdotum munia aſſumentes. Exempla allegat Core, Dathan, Abiron, aliorumque, qui thus Domino adolere auſi ſunt, tametſi non eſſent de genere Aaron: & idcirco ſeveriſſimas luere pœnas. Sic & Oza, qui ad arcam Domini manum extendit, repentina morte percuſſus fuit. Innumeri alii ſunt Reges, & Principes, qui graviſſima ſupplicia ſunt perpeſſi, quia profanas manus ad ſacra Eccleſiæ iura, & officia extendere voluerunt.

IV. Alterum Principum munus eſt, iuſtitiam adminiſtrare, viduas, pupilloſque, veluti communes parentes, tueri, civiles cauſſas ad ſua tribunalia delatas diligenter examinare, & cognoſcere, nullo habito perſonarum reſpectu. Opportuna ſunt quæ leguntur Iob cap. XXIX. *Quando procedebam ad portam civitatis,* (in portis civitatum tum iudicia habebantur) *& in platea, parabant cathedram mihi .... Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi: eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum cui non eſſet adiutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Iuſtitia indutus ſum, & veſtivi me, ſicut veſtimento, & diademate, iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum: & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Plurima id genus legi poſſunt Proverbiorum *cap.* XX. & XXIX. item Sapientiæ *cap.* I. & VI. Gravis peccati propterea rei ſunt qui ſcientia, prudentia, & ſufficienti acumine deſtituti, adeoque ad cognoſcendas, & diiudicandas cauſ-

Digitized by Google

ſas inepti, iudicis munus aſſumunt: neque in tali ſtatu poſſunt abſolvi, niſi abdicent ſe huiuſmodi officio.

V. Quæſt. I. *Peccant ne Reges, & Principes qui munia, & officia ſæcularia divendunt?* Reſp. Diſputant in utramque partem Theologi. Adfirmant plures: quoniam officia etiam ſæcularia debentur dignioribus, ratione iuſtitiæ diſtribuentis. Præterea officiorum venalitas, maxime iuriſdictionem habentium, origo eſt plurium malorum: hinc enim latrocinia, iudiciorum venditio, oppreſſiones, & incommoda plurima ſequuntur.

VI. Negat ſecunda ſententia, quam defendere videtur D. Thomas *opuſc.* XXI. ad Duciſſam Brabantiæ. *Quinto quærebatis de balivis, & officialibus veſtris, ſi liceat eis officia vendere, vel mutuo ab eis recipere aliquid certum, donec tantum recipiant ex officiis. Ad quod dicendum videtur quod quæſtio iſta duas difficultates habere videtur: quarum prima eſt de officiorum venditione. Circa quam conſiderandum videtur, quod Apoſtolus dicit, quod multa licent quæ non expediunt. Cum autem balivis, & officialibus veſtris nihil committatis, niſi temporalis officium poteſtatis, non video quare huiuſmodi officia non liceat vobis vendere, dummodo talibus vendatis de quibus poſſit præſumi quod ſint utiles ad talia officia exercenda, & non tanto pretio vendantur officia, quod recuperari non poſſit ſine gravamine veſtrorum ſubditorum.*

Sed tamen talis venditio expediens non videtur. Primo quidem quia contingit frequenter quod illi qui eſſent magis idonei ad huiuſmodi officia exercenda, ſunt pauperes, ut emere non poſſint; &, ſi etiam ſunt divites illi qui meliores ſunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio acquirenda. Sequitur igitur quod ut plurimum illi officia in terra veſtra ſuſcipiant qui ſunt peiores, ambitioſi, & pecuniæ amatores; quos etiam probabile eſt ſubditos veſtros opprimere, & veſtra etiam commoda non ſic fideliter procurare. Unde magis videtur expediens ut bonos homines, & idoneos ad ſuſcipiendum veſtra officia eligatis, quos etiam invitos, ſi neceſſe fuerit, compellatis: quia per eorum bonitatem, & induſtriam maiora accreſcent vobis, & ſubditis veſtris, quam de prædicta officiorum venditione acquirere valeatis. Et hoc conſilium dedit Moyſi eius cognatus. Provide tibi de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit caritas, & qui oderint avaritiam; & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos qui iudicent populum omni tempore. Opuſculum iſtud non eſſe germanum D. Thomæ fetum, probabilius eſt. Duo in recenſita doctrina diſtinguuntur. Officiorum abſoluta venditio licita aſſeritur, ſi officia abſolute ſpectentur: quoniam ſub hoc aſpectu non aliud præferunt præter temporalis poteſtatis exercitium: propterea eſſe valent venditionis ſubiectum. Ceterum, ſi officiorum venditio repſa conſideretur omnibus induta conditionibus, plurium eſt cauſſa malorum.

R ij Quid

Quid, ſi hæc officia plus offerentibus conferrentur? Tum qui abundarent pecuniis, non qui iudicio, prudentia, & integritate præditi eſſent, eadem officia aſſequerentur. Iſti vero deinde, ut ſolutum pretium recuperent, iuſtitiam vendunt, viduarum, pupillorum, & pauperum facultates expilant, alioſque variis modis opprimunt, & exſpoliant.

VII. Quare illi ipſi Theologi qui licitam officiorum venditionem defendunt, plures conditiones requirunt. Prima eſt, ut vendantur officia hæc perſonis dignis, immo, quantum fieri poteſt, dignioribus. Secunda, ut venditio neceſſaria ſit bono publico. Tertia, ut fiat pretio moderato. Quarta, ut vendens habeat legitimam poteſtatem. Ceterum communis ſententia eſt, in praxi difficile contingere poſſe ut hæc venditio licita ſit ob indicata mala quæ reapſe conſequuntur.

VIII. Ego diſtinguerem duo dignitatum, ſeu officiorum genera: alterum quod eſt meræ executionis; alterum quod iudicium ſecum defert. Exiſtimarem officia quæ nihil iuriſdictionis, & iudicii admixtum habent, licite vendi poſſe: quoniam in his nullum eſt iniuſtitiæ, oppreſſionum, acceptationis perſonarum periculum. Negarem vero de officiis quæ adiunctam habent iuriſdictionem, & adminiſtrandæ iuſtitiæ onus: quia huiuſmodi officia vendita adeo ſunt avaritiæ, rapinis, corruptelis, pauperum, & pupillorum expilationibus annexa, ut vix ab his malis in praxi ſeparentur. Ad hæc obeunda munia viri probi, docti, & integri deligendi ſunt. Alioquin ſupremæ poteſtates omnium flagitiorum quæ venditionem conſequuntur, pœnas dabunt.

IX. PP. Salmanticenſes *tract.* XXIV. *cap. unic. punct.* 6. *§.* 1. hanc verſant controverſiam, nulla diſtinctione facta, & ſuſtinent, præfata officia vendi poſſe; quamquam & ipſi fateantur, id non expedire ob rationes allatas. Venalitati tamen valde favent, argumentaque contraria ſolvere nituntur. Dicunt enim *numer.* 101. quod, ſi miniſtri iuſtitiam vendunt, ex illorum malitia oritur. Verum, ut vel ipſi concedunt, Principum eſt in ſubditorum regimine ſpectare id quod communiter accidit. D. Thomas, ut alibi animadvertimus, ex ipſo Platone docet, de medio tollendam eſſe legem illam quæ, quamvis abſolute in ſe ſpectata bona ſit, re tamen plura inducit incommoda. Et hæc eſt communis doctrina. Idcirco ſubdunt & ipſi Salmanticenſes, nullo modo licitam eſſe officiorum venditionem, quando ut plurimum evenirent recenſita mala. Hinc ego infero, reipſa numquam licite in praxi vendi hæc officia: quia ſuapte natura, ſpectatis omnibus, hæc mala ſequuntur. Et hanc noſtram ſententiam docent communiter graviores Theologi, Dominicus Soto *Lib. III. de iuſt. quæſt.* VI. *art.* 4. *concluſ.* 1. & 2. Bannez 2. 2. *quæſt.* LXIII. *art.* 6. *dub.* 6. *concluſ.* 2. & 3. Prado *Tom. II. cap.* XIX. *quæſt.* 11. *§.* 2. *numer.* 16. Tapia *Tom. II. Lib. VI. quæſt.* VI. *artic.* 2.

Vaſ-

Digitized by Google

Vaſquez *opuſc. mor. tract. de Benef. cap.* 11. *§.* 3. Caietanus *verb. Officior. venalitas*, Leſſius *Lib. II. cap.* XXXII. *dub.* 4. *num.* 325. & plures alii a Salmanticenſibus laudati.

X. Quæſt. II. *Sunt ne ſæcularia officia dignioribus conferenda?* Reſp. In ſuperiori quæſtione ſermo nobis fuit de officiis quæ propria ſunt ipſorum Principum, ſeu Reipublicæ, & ſupremæ Poteſtatis: in præſens officia illa ad examen veniunt quæ ſubditis conferenda ſunt vi iuſtitiæ diſtribuentis, tamquam præmia ſimul, & miniſteria ab illis exercenda.

XI. Convenit penes omnes, eligentes indignos peccare mortaliter, quia maximum damnum inferunt Reipublicæ. Dignum eligendum eſſe, nemo eſt qui ambigat. Diſputant vero, ſit ne eligendus dignior; an ſatis ſit eligere dignum, digniore neglecto. Prima ſententia defendit, ſatis eſſe eligere dignum, nullo ad digniorem habito reſpectu: eo quod hæc officia non ſunt inſtituta tamquam miniſtrorum præmia, ſed in bonum Reipublicæ, ſuntque eiuſdem Principatus propria.

XII. Oppoſita probabilior, mihique vera, ſententia digniorem eligendum docet ad miniſteria Reipublicæ, puta ad regendas civitates, provincias, regna, & alia officia, ſeu dignitates inferiores. Quoniam hæc officia ſunt inſtituta & in optimum Reipublicæ regimen, & in præmia ſubditorum. Sunt enim & honorifica, & utilia. Porro bona communia Principatus dignioribus tribuenda ſunt, ut ipſa naturæ ratio dictat, præſcribitque. Principes, Reges, Reſpublicæ, & ſupremæ Poteſtates omnes iure naturali, divinoque tenentur promovere ſcientiam, iuſtitiam, pacem, & felicitatem ſubditorum. Hunc vero finem vere aſſequi haud poſſunt, niſi digniores miniſtros eligant. Cum enim nullus homo ſit numeris omnibus præditus ad gubernandum humanum genus; ſed cuiuſque capacitas, & aptitudo inferior ſemper ſit ad tantum munus cumulatiſſime implendum: parum curaret Reipublicæ felicitatem, ſeu non intenderet finem proprium ſupremæ Poteſtatis, ſi, mediis validioribus contemptis, minus apta ſeligeret. Regnorum, Principatuum, & Rerumpublicarum decrementa, & iacturæ ex ineptis miniſtris proficiſcuntur. Accedit ſupremas Poteſtates non pollere abſoluto, & arbitrario dominio in Principatu, ſeu Regno dirigendo; ſed hac conditione gravato, ut videlicet in communem Reipublicæ utilitatem, & commodum omnia adminiſtrent, procurent, ac diſponant. Hanc ſententiam defendit Dominicus Soto *Lib. III. de. iuſtit. quæſt.* VI. *artic.* 4. Salonius 2. 2. *quæſt.* LXIII. *artic.* 2. *contr.* 9. Bannez 2. 2. *quæſt.* LXIII. *artic.* 2. *dub.* 6. *concl.* 1. Leſſius *Lib. II. cap.* XXXII. *dub.* 3. Salmanticenſes *tract.* XXIV. *cap. unic. punct.* 6. *§.* 2. *num.* 104. & alii penes ipſos.

XIII. Prioris ſententiæ fundamenta nulla ſunt. Siquidem principium cui innititur opinio illa, nempe recenſita officia propria eſſe Principum, & non commu-

munia, falſum omnino eſt. Sunt enim inſtituta primum in bonum commune Reipublicæ, deinde in præmium civium de Republica optime meritorum. Quod reponunt, poſſe dicta officia a Principe vendi, atque adeo ad libitum illis conferri quibus Princeps maluerit, falſum pariter eſt. Quamvis enim vendere Princeps valeat quædam officia quæ meræ executionis ſunt, quæque propria ſunt ipſius Principis miniſteria; tamen illa quæ iuriſdictionem annexam habent, vendere nequaquam poteſt, ut ſupra probatum eſt. Et iidem ipſi Theologi qui venditionem officiorum licitam abſolute defendunt, addunt requiri ut venditio utilis ſit, & neceſſaria bono communi Reipublicæ. Hoc autem numquam accidit in venditione officiorum de quibus nunc ſermo eſt.

XIV. Subditorum erga Principes, ſupremaſque Poteſtates officia ſunt reverentia, honor, & obedientia. Obvia ſunt divina teſtimonia quæ id evincunt. D. Petrus Epiſt. I. cap. II. *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus, tamquam ab eo miſſis. . . . Deum timete, Regem honorificate*. Et S. Paulus Epiſt. ad Hebr. cap. XIII. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*. Item Epiſt. ad Titum cap. III. *Admone illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire*. Hæc obedientia, hicque honor non exteriori tantum obſequio nititur; ſed obligationem præterea importat, reditus, tributa, vectigalia ad Regis, & Principatus, ſeu Reipublicæ conſervationem neceſſaria, ſolvendi, ut idem S. Paulus admonet Epiſt. ad Rom. cap. XIII. *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*. Obedire quoque tenentur ſubditi Principibus, ipſos ad bella neceſſaria, & iuſta mittentibus. Neque ab obedientia, honore, & reverentia excuſantur ſubditi, quod improbi ſint, & ſceleſti eorum Principes. Dicit enim D. Petrus Epiſt. I. cap. II. *Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis*. In Principibus, quæ præcipiunt, ſpectanda ſunt. Si iuſta præſcribunt, & utilia bono communi Reipublicæ, parendum eſt ipſis, ſive boni ſint, ſive mali: quoniam illorum bonitas, aut malitia tunc illorum perſonas afficit, nec communitati nocet. Hæc autem obedientia neceſſaria eſt ad publicam tranquillitatem. Ordo rerum non modo in naturalibus cauſſis, verum etiam in civili regimine neceſſarius eſt. Talis autem eſt rerum ordo, ut infimi ſuperioribus, ſuperiores ſupremis obtemperent. Ordinem hunc non aufert, ſed firmat lex evangelica, ut ſcite Angelicus docet 2. 2. quæſt. CIV. art. 6. *Fides Chriſti eſt iuſtitiæ principium, & cauſa, ſecundum illud Rom.* III. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti. *Et ideo per fidem Ieſu Chriſti non tollitur ordo iuſtitiæ, ſed magis firmatur. Ordo autem iuſtitiæ requirit ut inferiores ſuis ſuperioribus obediant: aliter enim non poſſet humanarum rerum ſtatus conſervari. Et ideo per fidem Chriſti non excuſantur fideles quin Principibus ſæcularibus obedire teneantur*.

C A-

CAPUT XV.

De ſervorum erga dominos obligatione.

I. PRimum omnium varia ſervitutis genera diſtinguenda. Triplex eſt ſervitus iuxta commune Doctorum placitum, naturalis, legalis, conductitia. Naturalis ea eſt qua voluntaria deditione imbecilliores ignobilioresque ſubiiciuntur nobilioribus, atque fortioribus viris, ut ab his gubernentur, & regantur, illiſque obedientiam, & famulatum ſpondent, rependuntque. Legalis, ſeu civilis ea eſt quæ legibus introducta eſt, & qua homines ſubiiciuntur dominis in eorum utilitatem, & commodum. Conductitia eſt ea qua homines conducuntur ad certas operas faciendas. Prima ſervitus nullum ius in perſonam, aut actiones importat. Secunda e contrario tum in perſonam, tum in actiones iure potitur. Tertia nullum affert ius in perſonam, ſed in operas tantum, & functiones quaſdam exhibendas.

II. Servitus legalis multiplici titulo invecta eſt. Primo iure gentium ad temperandum belli furorem. Iure ſiquidem belli hoſtes occidi poſſunt. Porro, ut hominum vitæ, quoad fieri poſſet, conſuleretur, cautum eſt ut homines bello capti ſervarentur ad vitam, ſed victori ſubiecti manerent. Primus ergo titulus quo hæc ſervitus contrahi poteſt, eſt ius belli, ſecundus venditio, tertius nativitas, quartus crimen.

III. Qui iuſto bello capiuntur, fiunt ſervi: cum enim deberent occidi, mors in ſervitutem commutatur. Licita eſt hæc ſervitus, ut ex pluribus Scripturæ ſanctæ documentis patet. D. Paulus I. ad Timot. cap. VI. *Quicumque ſunt ſub iugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur*. Similia habet *I. ad Corinth.* VI. *ad Coloſſ.* III. & alibi. Quod etiam colligitur ex cap. *Si quis ſervum* XVII. quæſt. IV. Igitur qui iuſto bello capiuntur, iure gentium ſervi fiunt, ut patet ex l. *Transfugam* ff. de acquirend. rer. dom. ſ. *Item ea*, ubi hæc habentur: *Quæ ab hoſtibus capiuntur, iure gentium noſtra fiunt, adeo ut liberi homines in ſervitutem noſtram redigantur*. Secus, ſi bellum ſit iniuſtum. Si vero bellum ambiguum fuerit, aggreſſores ſervi fiunt, ſi capiantur; ſecus qui ſe defendunt. Si tamen conſtaret poſtea belli iuſtitiam ſtare a parte aggreſſorum, tum capti liberi evaderent. Infantes innocentes in bello iuſto capti ſervi fiunt. Occidi licite non poſſunt; ſed illorum ſervitus iuſta eſt. Eorum quippe libertas inter bona victi Principis reputatur. Quapropter cum licitum ſit in iuſto bello bonis expoliare inimicum, licitum quoque erit innocentes, quemadmodum & ſontes, in ſervitutem redigere.

IV. Aliter tamen de Chriſtianis dicendum. Hi in iuſto bello capti captivi fiunt, ut obſides detineantur, donec aut pecunia ſoluta, aut pace mutua facta, in libertatem reſtituantur. Si tamen ſuppetias, armaque præberent infidelibus in Chriſtianos belligerantes; non ſecus ac infideles, ſervi fiunt: ut colligitur ex *cap.* Ad liberandum *de Iudæis*. Item Chriſtiani ab infidelibus iuſto bello capti, illorum ſervi gentium iure fiunt. Advertendum tamen, quod bellum ſit revera iuſtum. Nam bellum puta Turcarum, Maurorum, ut plurimum iniuſtum eſt: terras etenim Chriſtianorum vi, & fraude, aliiſque iniquis modis invaſerunt, & iniuſte retinent. Si in eiuſmodi bello Chriſtiani capiantur, licite fugere valent, quia iure ſervi non ſunt. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxvi. *art.* 8. Valentia *Tom. III. diſp.* v. *quæſt.* x. *punct.* 6. Leander *diſp.* 1. *quæſt.* xii. & plures alii. Dum Chriſtiani ſervi fugiunt a Turcis, Saraceniſque, minime licitum illis eſt infidelium bona furari. Tantum dumtaxat ſurripere eiſdem valent licite, quantum neceſſarium eſt ad alendam in fuga vitam: quia tum in extrema, ſeu quaſi extrema neceſſitate reputantur: quo in caſu non ſolum a dominis, verum etiam a quibuſque neceſſaria alimenta ſurripere valent. Scio, plures Theologos, Caietanum, Molinam, Leſſium, Leandrum, & alios docere, præfatis ſervis licitum eſſe, quanta poſſunt, bona dominis infidelibus ſurripere, eo quod tacita chriſtianorum Principum voluntate compenſationem exercent damnorum quæ iniuſto bello dicti infideles inferunt Chriſtianis; idque confirmare exemplo populi Iſraelis, cui Dominus Deus dixit *Exodi cap.* xi. ut auferret AEgyptiis vaſa argentea, & aurea. At, quod Theologi, alioquin graves, hanc ſententiam doceant, non propterea ea mihi ſecura evadit. Exemplum Iſraelitarum non videtur ad rem. Expreſſe quippe Deus, qui abſolutus totius mundi dominus eſt, Iſraelitis bonorum translationem præcepit. Abſque illo peculiari mandato crimen furti perpetraſſent Iudæi. Simile ergo mandatum Dei expreſſum nobis oſtendant Auctores iſti; & tum illis aſſentiemur, licere ſervis bona dominorum infidelium ſurripere.

V. Quæſt. I. *Servi iuſto bello capti, ſive chriſtiani, ſive infideles, licite ne arripere fugam valent?* Reſp. Negant plures graveſque Theologi. Navarrus in *Man. cap.* xvii. *num.* 103. Aragon. 2. 2. *tract. de dom. quæſt. de obiecto dominii*. Molina *Tom. I. diſp.* xxxvii. *num.* 1. aliique plures, quibus accedere videtur S. Antoninus *III.P. cap.* vi. *§.* 4. Eorum ratio eſt, quia capti bello iuſto, ſive Chriſtiani ſint, ſive infideles, revera efficiuntur ſervi dominorum: ergo fugientes, invitis dominis, peccant. Qui enim alterum iuſto dominio privat, eo invito, peccat. Domini iuſto pollent in ſervos ſuos dominio. Ergo ſervi ſua fuga ſpoliantes ſuos dominos dominio quo fruuntur, peccant peccato iniuſtitiæ.

VI. Altera ſententia oppoſitum ſuſtinet hac ratione. Ius gentium, vi cuius invecta hæc ſervitus eſt, non aliter acceptatum fuit, niſi hac adiecta conditione

ut

Digitized by Google

ut cuique liberum ſit fugam, ſi poſſit, arripere. Et in huius rei confirmationem varias allegant leges. In inſtit. de rer. diviſ. *§. Item ea quæ de hoſtibus*, hæc habentur: *Liberi homines capti in bello iuſto in ſervitutem noſtram reducantur; qui tamen, ſi evaſerint, ad ſuoſque reverſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiant*. Similia leguntur *l. 23. tit. 29. p. 3.* Accedit praxis univerſalis, & mutuus nationum conſenſus. Ex Hiſtoria Romana captivos illos transfugas punitos legimus qui iuramento ſe ſe obſtrinxerant redeundi ad dominos ſuos. Ceterum nullibi legimus aliquem captivorum damnatum, eo quod e ſervitutis vinculis evaſerit. Hanc ſecundam ſententiam defendunt Dominicus Soto *Lib. IV. de iuſt. quæſt.* 11. *art.* 2. Covarruvias *Reg. peccatum P. II. §.* 11. *num.* 5. Angles in *flor. II. P. quæſt. de dom. diff.* 4. *art.* 2. Salon 2. 2. *quæſt.* 111. *de domin. art.* 1. Bannez 2. 2. *quæſt.* xl. *art.* 1. *dub. penult.* Ludovicus Lopez *II. P. inſtruct. cap.* 111. Sanchez *Lib. I. Conſil. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 3. Valentia *Tom. III. diſp.* 111. *quæſt.* xvi. *punct.* 3. Cardinalis de Lugo *de iuſt. diſp.* vi. *ſect.* 3. *num.* 21. Leſſius *Lib. II. cap.* v. *dub.* 5. *num.* 24. Prado *Tom. II. cap.* xxi. *quæſt.* 11. *de dom. num.* 19. Leander *diſp.* 1. *quæſt.* xv. & alii plures: qui ad argumenta prioris ſententiæ reſpondent, captos in bello effici ſervos, ſed hac conditione, ut fugere, ſi poſſint, eiſdem liceat. Advertunt tamen, tunc ſolum licitam fugam eſſe, quando eo ſe recipere ſervi valeant, ubi liberi ſint, ut eſt propria patria, aut locus alius non ſubiectus hoſtium dominio. Alioquin ad dominos ſuos attinent, ſervique remanent, donec pervenerint vel ad domeſticos lares, vel ad alium Principatum ab hoſtium dominio exemptum. Idem dicendum de ſervis vernaculis, filiis ſervorum iuſto bello captorum: quia non maius dominium habent victores in hos quam in eorumdem matres. Si ergo matribus licita fuga eſt, potiori iuro licita erit filiis. Fugere pariter licite poſſunt ſervi, ſi a dominis cogantur peccare contra propriam legem. Hinc conſequitur peccare dominos, ſi ſervis in fuga deprehenſis pedem amputari faciant in fugæ arreptæ pœnam.

VII. Quæſt. II. *Iuſta ne eſt ſervitus titulo venditionis?* Reſp. Quiſque ſuæ libertatis dominus eſt. Ergo eam vendere poteſt. Plura adduci poſſent exempla ſanctorum hominum, ut S. Paulini, & aliorum, qui ob ferventem in Deum, & proximum caritatem ſe ſe vendiderunt. Hanc ſententiam docent communiter omnes. Neceſſaria tamen eſt gravis & urgens cauſſa, ut licite quis ſe in ſervum vendere queat: alioquin peccaret, ſi ex genio, nullaque neceſſitate tantum bonum, quale libertas eſt, prodigeret. Quapropter nemini licitum eſt ſeipſum lucri cauſſa vendere. Multo minus poteſt pater filium vendere, ut lucrum percipiat. Si autem extrema fame laboraret pater, tunc poſſet filium vendere; minime vero mater: quia filius eſt ſub patria poteſtate. Iure tamen Cæſareo nonnullæ conditiones adiectæ ſunt, ut licita & valida ſit venditio. Scilicet primo, ut qui venditur, non ſit minor viginti annis. Secundo, ut qui venditur ab alio, participet

de

Digitized by Google

de pretio. Tertio, ut venditus ſciat ſe liberum eſſe. Quarto, ut qui vendit alium, ſciat eumdem liberum eſſe. Sed hæ conditiones non aſtringunt, ubi ius Cæſareum receptum non eſt.

VIII. Quæſt. III. *Licitum ne eſt emere eum qui egeſtatis cauſſa ſe vendit?* Reſp. Si vendens ſeipſum bona habeat, aut præſentia, aut futura, licita eſt emptio; ſecus, ſi nulla bona habeat. Si bonis omnibus deſtitutus, & in extrema neceſſitate reperiatur, ita ut necandus a domino ſit, niſi redimatur; tunc eleemoſynæ præceptum urget, & gratis redimendus eſt.

IX. Quæſt. IV. *Qui a ſe, vel a parentibus legitime venditus eſt, poteſt ne licite fugere?* Reſp. Negant omnes: quia ſervi facti ſunt contractu legitimo. Iniuſtitiam ergo committerent, ſi contractum iuſtum violarent.

X. Quæſt. V. *Nativitas eſt ne legitimus ſervitutis titulus?* Reſp. Adfirmant omnes. Quando filius naſcitur ex matre ſerva, etiamſi liber pater ſit, etiamſi ex illegitimo matrimonio natus, ſervus efficitur: quia filius ſequitur conditionem ventris. Sic habetur in *l. Serv. ff. de ſtatu hom.* Requiritur tamen ut conceptus, & partus ſit ſervitutis tempore. Alioquin, ſi conceptus a matre libera, aut ab eadem editus fuerit tempore libertatis, ſervus non efficitur. Quare Azorius *P. II. Lib. II. cap.* XXXI. *quæſt.* I. hæc ex Paulo Iureconſulto adfert. *Si ſerva conceperit, & poſtea manumiſſa peperit, liberum parit: id enim favor libertatis expoſcit. Si libera conceperit, & ancilla facta peperit, liberum parit: id enim favor libertatis expoſcit. Si ancilla conceperit, & medio tempore manumiſſa ſit, & rurſus facta ancilla peperit, liberum parit: media enim tempora libertati prodeſſe, non etiam nocere poſſunt.* Ubi tamen nulla lex, aut conſuetudo obtinet de prolis ſervitute, ſatis eſt quod mater ſerva ſit partus tempore, ut filius ſervus evadat.

XI. Quæſt. VI. *Quodnam crimen eſt ſervitutis iuſtus titulus?* Reſp. Sicut leges ob gravia flagitia ultimo ſupplicio reos plectunt; ita eadem ratione ob certa crimina libertate reos privant. Ea porro delicta ſufficiunt ad ſervitutem quæ ſatis ſunt ad extremam ſubeundam pœnam, aut perpetuum carcerem. Crimina vero quibus in iure ſervitus debetur, plura ſunt. Nam cap. *de Iudæis, & Sarac.* decernitur, Chriſtianos, deferentes arma ad Turcas & infideles, ſervos fieri illorum Chriſtianorum qui eoſdem capiunt. Et in *cap.* Eos qui *diſt.* XXXII. Principibus chriſtianis poteſtas conceditur redigendi in ſervitutem eos qui matrimonium contraxerint, cum eſſent in ſacris ordinibus conſtituti. Et *cap.* Cum multæ XV. *quæſt.* VIII. ſtatuitur, filios ex eiuſmodi ſacrilegis nuptiis natos, ſervos effici illius Eccleſiæ cui addictus initiatus erat. Aliis legibus eſt ſancitum, libertos ſervos fieri illius domini cui poſt manumiſſionem fuerunt ingrati. Item raptores virginis vim paſſæ, ſervituti eſſe ſubiectos ſtatuitur. Iſti autem qui ob flagitia iuſta ſententia fiunt ſervi, nequeunt licite fugere. Addunt tamen aliqui Theologi licitam

eſſe

eſſe fugam; ſi ſervitus ſit adeo ſevera, & dura, ut vita ipſa periculo gravi obnoxia ſit: quemadmodum iuſte damnatus ad triremes licite fugere poteſt. Si autem hæc ſecunda fuga licita ſit, cur non & prima? Si iura abſolute ſpectentur, non occurrit ratio quæ ſuadeat licitam eiuſmodi fugam. Si porro quidam tacitus conſenſus Principum, & Reipublicæ attendatur, probabilitate non caret laudata opinio.

XII. Quæſt. VII. *Servorum vita, & mors eſt ne in dominorum arbitrio conſtituta?* Reſp. Explicatis variæ ſervitutis generibus, illud nunc in diſputationem venit, quonam dominio potiantur domini in ſervos ſuos. Ad propoſitam quæſtionem communiter Theologi reſpondent, dominos nequaquam habere ius ad vitam, & necem ſervorum: quoniam eiuſmodi imperium ſibi Deus reſervavit: quia ipſe ſolus vitæ, & mortis dominus eſt. Reſpublica poteſt utique concedere tale ius, ſi bonum publicum id exigat. Romanis licita erat ſervorum occiſio. Verum, quia leviſſimas ob cauſſas domini vitam ſervis eripiebant, legibus coercita fuit illorum poteſtas ſub Antonino, & Iuſtiniano Imperatoribus: ut colligitur *ff. & inſtit. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris*. Quare nunc non licet dominis vel mutilare, vel pœna atroci punire ſervos ſuos. Poſſunt tamen eos moderate punire ad correptionem. Si timent illorum fugam, poſſunt eos in facie ſignare; dummodo moderamine adhibito id fiat. Valent eos in carcere clauſos detinere, ne fugiant, & ut ob admiſſa gravia delicta puniantur. In exilium perpetuum nequeunt eos eiicere, quod hæc pœna ſupremæ poteſtati reſervata ſit.

XIII. Quæſt. VIII. *Dominus occidens ſervum, tenetur ne aliquid reſtituere interfecti heredibus?* Reſp. Negat Leander *diſp.* 11. *quæſt.* XI. ubi plures laudat pro ſua ſententia. Ratio eſt, quia dominus occidens ſervum, licet peccet peccato homicidii, nulli tamen iniuſtitiam facit, niſi ſibi ſoli. Ergo nemini reſtituere quidquam tenetur. Addunt Auctores iſtius ſententiæ, vitam ablatam ſervo reparari non poſſe. Pro bono autem irreparabili nulla fieri debet reſtitutio.

XIV. Tametſi ſententia iſthæc probabilis abſolute ſit, mihi tamen falſa eſt. Convenit namque penes omnes, dominum poteſtatem ſeu imperium non habere in ſervorum vitam, & necem. Vita ergo ſervi eſt a domini iuriſdictione exempta. Uſus tantum vitæ, nempe labor, induſtria, fructuſque illius, ut ita dicam, fundi ad dominum ſpectant. Vita bonum eſt pretio ſummo dignum. Qui bonum hoc eripit, iure repugnante, iuſtitiam lædit. Ergo ad compenſationem tenetur. Ratio Leandri, & aliorum, vitam nimirum ſuperioris ordinis bonum eſſe, atque adeo irreparabile, ut ego quidem arbitror, inepta eſt. Si reparari nequit ad æqualitatem, reparanda eſt eo quo poteſt meliori modo. Neque divina offenſa, ex peccato gravi illata, reparari ad æqualitatem valet. Liber ne propterea erit pœnitens ab ea compenſatione quam reddere valet? Accedit quod ſervus, quamdiu vi-

vivit, capax eſt manumiſſionis. Poteſt enim ſuis præclaris geſtis, potiſſimum ſi virium, animique plenus ſit, adeo benemereri de domino, ut manumittatur. Plures occurrere modi poſſunt acquirendi libertatem. At adempta vita, omnis ſpes corruit. Præterea vitæ ereptione maximam iniuriam ſervo dominus irrogat, & afflictione ſumma afficit eiuſdem conſanguineos, & parentes. Hæc mala adverſus omnia iura dominus ſuo homicidio parit. Ergo ea compenſare tenetur iuxta prudentum arbitrium. Ita ego ſentio, meliora, & veriora libens auditurus. Qui vero alienum ſervum occidit, aut membrum eidem amputat, duplicis reſtitutionis debito obſtringitur, & domino ſcilicet, & ſervo: quia utrique iniuriam intulit, & damnum.

XV. Quæſt. XI. *Tenentur ne domini ſervis alimenta tum corporalia, tum ſpiritualia præbere?* Reſp. Affirmant omnes: idque leges ſtatuunt de corporis alimentis. Alimentorum nomine, ut dictum eſt alias, victus, veſtitus, & habitatio veniunt. Nullus occurrere caſus poteſt in quo dominus eximatur ab onere alendi ſervos.

XVI. Idem de alimento ſpirituali animæ dicendum. Quod ſi hoc ſeipſis præſtare domini nequeant, curare debent ut a probis miniſtris imbuantur ſacrarum legum, religioniſque notitia. Quare peccant domini, ſi negligentes fuerint in ſervorum ſuorum educatione, moribuſque formandis. Hæc eſt doctrina lumine naturali nota, quamque inculcat D. Paulus I. ad Timoth. v. *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Quare peccant, & quidem letaliter, domini, ſi præſtare negligant ut ſervi chriſtiani addiſcant divinæ fidei rudimenta, ſi omittant eorum pravos mores corrigere. Quod ſi pervicaces ſervi reſipiſcere nolint, eos domo pellere tenentur, ne domeſticos alios inficiant. Servorum matrimonia impedire nequeunt, ut colligitur ex *cap.* Si quis *liber* XXIX. *quæſt.* II. ubi decernitur, ſervos valide, & licite matrimonium inire, etiam invitis dominis, ſi conſulti dare licentiam recuſent.

XVII. Quæſt. X. *Tenentur ne domini de ſervorum delictis, & contractibus?* Reſp. Si ſervi delinquant in iis quæ domini iuſſu peragunt, domini rationem reddere tenentur: ſecus, ſi peccent in aliis contra dominorum voluntatem. Similiter iis ſervorum contractibus obnoxii domini ſunt, quos iuſſu eorumdem ſervi perficiunt, aut in eorumdem utilitatem peragunt; ſecus, ſi ſervi contractus aliquos ineant in proprium commodum. Si domini crudeles, ſævique in ſervos deprehendantur, cogendi ſunt ut eos vendant.

XVIII. Quæſt. XI. *Competit ne ſervis adverſus dominos actio civilis in foro exteriori?* Reſp. Plures aſſignantur cauſſæ ob quas ſervi diem dicere dominis valent; ut ſi pecunia ſua ſe redemerunt, ſi dominus tabulas ſuppreſſerit teſtamenti in quibus libertas eis dabatur, ſi ſervi manifeſtaverint dominorum crimina in patriam, in Principem.

XIX.

XIX. Quæſt. XII. *Quænam eſt ſervorum erga dominos obligatio?* Reſp. Honorare dominos, non modo probos, verum etiam improbos, ſervi debent, ut admonet S. Petrus I. Epiſ. cap. 11. *Servi, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Eiſdem obedire tenentur, quemadmodum filii parentibus, in omnibus iis quæ legi naturali, divinæ, vel eccleſiaſticæ non repugnant. Aliquando tamen præcepta Principum, aut Eccleſiæ non ita ſevere obligant, ut omitti nequeant ob obſequium præſtandum dominis: quemadmodum in Libro de Eccleſiæ præceptis dicetur.

XX. Quæſt. XIII. *Tenetur ne ſervus dominum comitari euntem ad fornicandum?* Reſp. Leander *diſp.* IV. *quæſt.* VIII. affirmat, ſi commode denegare ſervus nequit tale obſequium: pro qua ſententia laudat P. Sanchez. Verum opinionem hanc, ut falſam, nimiumque laxam, alibi reprobavimus. Fatentur adverſarii, comitatum hunc noxium eſſe, & vitioſum; at ipſum contendunt ſervorum commodo, & utilitate honeſtum, licitumque fieri. Quæ ratio futilis eſt, & chriſtianæ Theologiæ adverſa. Sed, cum alibi hoc oſtenſum ſit, acta iterum agenda non ſunt.

XXI. Quæſt. XIV. *Servi in extrema neceſſitate conſtituti tenentur ne ſe privare neceſſario alimento, ut dominis eadem neceſſitate preſſis illud ſubminiſtrent?* Reſp. Adfirmat Navarrus: quia dominium quarumque rerum ad ſervos ſpectantium eſt penes dominum. Dominii quippe ſervi capaces non ſunt. Igitur, cum ſemper res ad dominum ſuum clamet, conſequitur alimenta præbenda eſſe domino extreme indigenti, etiamſi fame perire deberet ſervus.

XXII. Contraria ſententia mihi eſt probabilior. In extrema neceſſitate iure naturæ bona communia ſunt. Leges civiles, quæ ſervis dominium adimunt, minime obligant, dum ius naturæ aliud iubet. Domini itaque alimentorum ſunt ſervi, extrema laborantes fame: idcirco prius ſibi quam dominis proſpiciendum. Si tamen dominus vir eſſet Reipublicæ valde utilis, ſi Rex eſſet, aut Princeps; tunc ordo caritatis poſtularet ut ſervus ob bonum commune præferret vitæ ſuæ domini vitam: quæ enim ſunt altioris ordinis, anteponi iis debent quæ inferiorem ordinem ſpectant. Bonum autem commune altioris eſt ordinis quam bonum privatum.

XXIII. Debent etiam ſervi dominos ſuos defendere. Numquid cum periculo vitæ propriæ? Diſtinguendum. Si domini temere pericula amittendæ vitæ ſubeant, ad nihil ſervi tenentur. Si pericula ſint neceſſaria, debent ſervi pugnare pro dominis. Verum, ſi graviſſimum ſit propriæ vitæ amittendæ periculum, tunc non videtur ſervus adſtingi iacturæ propriæ vitæ, ut dominum ſervet: quia, ut dictum eſt, propria vita præferri debet vitæ alterius. Si tamen ſervus expreſſo pacto conductus eſſet ad defendendum dominum, etiam cum propriæ vitæ periculo; tunc famulus adſtrictus eſſet exponere propriam vitam pro domini defenſione.

Opus

Digitized by Google

Opus tamen eſt ut defenſio licita ſit, & neceſſaria. Nam ſicarii conducti a dominis ad inimicitias, odiaque privata fovenda, ad vindictas, & homicidia perpetranda, graviſſime peccant; atque tenentur inita pacta reſcindere, & ab illorum ſervitio recedere.

XXIV. Quæſt. XV. *Tenentur ne ſervi res dominorum conſervare?* Reſp. Adfirmant omnes. Diſputant ſolum de onere reſtitutionis. Plures in hoc diſtinguunt duo famulorum genera. Primum eſt illorum quibus domus cura commiſſa eſt; ut ſunt ianitores, cubicularii, cuſtodes vaſorum, pecuniarum &c. Hos ad reſtitutionem teneri adfirmant, ſi ob eorum gravem negligentiam bona dominorum furto ſublata fuerint a furibus, tam domeſticis, quam extraneis. Secundum genus eſt illorum qui ad invigilandum rebus domeſticis non ſunt conducti. Hi tenentur ad reſtitutionem, ſi cum poſſint, negligant impedire furta extraneorum; ſecus, ſi non impediant furta domeſticorum.

XXV. Reſtitutio onus graviſſimum eſt, quod hominum cervicibus imponi non debet, niſi liquidum, exploratumque ſit debitum. Famuli igitur quorum cuſtodiæ bona domeſtica demandantur, dubio procul ad reſtitutionem tenentur, ſi negligant impedire furta eorumdem bonorum; quin communiter tali expreſſo pacto illis a domino bona traduntur. Alios vero famulos, qui ad extranea ſervitia conducti ſunt, & quibus nulla bona ſigillatim cuſtodienda traduntur non video evidentem rationem cur teneantur ad reſtitutionem niſi præſumantur aliqua pacta inter eoſdem & dominos. Tamen peccarent graviſſime contra caritatem, ſi valentes impedire furta, idipſum omitterent.

XXVI. Quæſt. XVI. *Peccant ne ſervi furantes bona dominis ſuis, ut res cibarias* &c? Reſp. Si furentur bona in quantitate gravi; dubio procul peccant mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur. De furtis ciborum diſtinguendum. Si dominus avarus ſit, omittatque miniſtrare ſervis ſuis congrua alimenta; tunc ſervi non peccant, ſi tantum furentur, quantum ſatis ſit congruæ ipſorum ſuſtentationi. Idem de veſtitu dicendum; ſi hunc quoque præbere dominus debeat, & præſtare omittat ob avaritiam. Contra, ſi furentur, ut ingluviei, commeſſationibus, ludiſque indulgeant, ut ſplendidius, quam ferat ſervorum conditio, ſe ſe induant? tum certe peccant, & ad reſtitutionem tenentur. Item, quando mos eſt ut ſervis certa congruaque menſura ciborum tribuatur, ſi hac accepta, ſervi quidquam ciborum furentur, invitis dominis; peccant pro quantitate materiæ, & ad reſtitutionem adſtringuntur. Circa quantitatem gravem furti alibi dicetur. Quod maior quantitas requiratur in ſervo furante ad peccandum letaliter, ut plures contendunt, non eſt res certa. Admitto, frequenter in ſervis ablationem aliquarum rerum furtum non eſſe, quamvis id furtum eſſet in extraneo. At ſemel poſito quod ſervi revera committant furtum res domini accipiendo, non video cur maior

ior in iſtis quam in aliis quantitas requiratur ad conſtituendum peccatum mortale.

XXVII. Quæſt. XVII. *Utrum quidquid acquirit ſervus, acquirat domino?* Reſp. Dominicus Soto *Lib. IV. de iuſt. quæſt.* 11. *art.* 2. cum aliis diſtinguit ſervos emptitios, qui ſe vendiderunt, & ſervos bello iuſto captos. Primis omne dominium adimit; &, quidquid acquirunt, ſive ludo, ſive donatione, ſive alio titulo, domino eos acquirere docet. Secus ſecundi. Hæc diſtinctio arbitraria eſt, nulla lege fulta; immo legibus expreſſe contraria. Quare communis ſententia ſtatuit, ſervos, tam emptitios, quam bello iuſto captos, nihil penitus ſibi, ſed omnia acquirere dominis. Id clare colligitur ex legibus tum civilibus, tum eccleſiaſticis; quæ, nulla facta ſervorum diſtinctione, omni deſtitutos dominio ſervos declarant. Monachis ſervos comparat Innocentius IV. cap. *Cum olim* 2. de Privil. *Servum, & Monachum in eo eſſe pares* (inquit) *quod neuter alicuius rei dominium habet*. Monachum autem nullius dominii capacem eſſe conſtat. Ergo quemadmodum quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio; ſic quidquid acquirit ſervus, acquirit domino. Accedit, ſervorum vitam eſſe ſub iuriſdictione dominorum quantum ad omnes operas, labores, & fructus. Porro qui eſt dominus ſoli, potiori iure dominus eſt eorum quæ ſolum conſequuntur. Bona quæ ſervi acquirunt, ſunt conſectarium, & acceſſorium principalis ſortis, ſeu vitæ eorum, in quam domini iure potiuntur. Ita docent D. Thomas 2. 2. *quæſt.* XXXII. *art.* 8. *ad* 3. Abulenſis *cap.* VI. *in Matth. quæſt.* LVI. Sylveſter verb. *Donatio*, Azorius *II. Part. Lib. II. cap.* XXXVI. Lugo *Lib. I. de iuſtit. diſput.* III. *ſect.* 3. *numer.* 45. Salmanticenſes *tract.* XXIV. *cap. unic. punct.* 7. *numer.* 121. aliique.

XXVIII. Animadvertendum tamen arbitror, ſervos non ita comparari Monachis in rerum dominio, ut ſint omnino pares; ſicut credunt non pauci Caſuiſtæ, putantes, tantum pecuniæ ludere, & expendere poſſe Monachum, quantum ſervos: quod abludit a vero. Servi ergo in pluribus differunt a Monachis. Et primo aliquarum rerum ſervi dominium acquirere valent, nemine fere refragante. Nam, ſi a dominis mutilentur, atrociter percutiantur, congruis alimentis defraudentur, ius habent ut reſarciantur; dominique tenentur præfata mala compenſare. Ratio eſt, quia domini ius non habent in vitam, membra, aut famam ſervorum. Unde, ſi eos in his lædunt, ad reſtitutionem tenentur. Si autem reſtitutioni adſtricti domini ſunt, ut communiter fatentur omnes: ergo ſervi ius habent ea recipiendi. Pariter, ſi dominus aliquid ſervo donet, dominium rei datæ in ſervum tranſire videtur. Poteſt dominus donare: poteſt ſervus accipere. Leges quæ declarant, dominio carere ſervos, in favorem dominorum id faciunt. Ergo, quoties domini huic favori, & privilegio renunciant, toties ſervi ius priſti-

Digitized by Google

ſtinum acquirunt. Nonne domini manumittere ſervos valent? Ergo potiori iure eiſdem aliqua donare, cum eiſdem paciſci, & contractus inire poſſunt. Non ita ergo ſevere de ſervorum, ac de Monachorum dominio ſentiendum eſt. Lege Thomam Hurtadum *reſol. mor. part.* II, *tract.* VIII. *cap.* X. *reſol.* 97. & apud ipſum Sanchez, Molinam, & alios, qui in pluribus caſibus ſervis dominium tribuunt. Nec ipſe repugno: quoniam leges civiles non ita rigide ſunt interpretandæ in conſpectu iuris naturæ, vi cuius liber eſt quilibet homo a ſervitute alterius. Quare nobis minime placet opinio *Salmanticenſium*, *Lugonis*, & aliorum, qui ſervos Monachis omnino comparant in rerum dominio. Hoc enim aperte falſum cenſemus. Nam certum eſt ſervum, conſentiente domino, ludere, & acquirere ſibi bona poſſe; ſecus Monachum, etiam conſentiente Prælato. Accedit, ſervum, citatis Auctoribus fatentibus, acquirere pecunias poſſe ad ſe redimendum pluribus titulis, ut habetur *l.* I. *ff. de officio Præfecti verbis*, & *l. Vix ff. de iudiciis*. Primo, ſi ſervus dono pecunias accipiat ea conditione, ut ſe redimat. Deinde, ſi peculium dominus donet, eodem ſe redimere valet. Tertio, ſi teſtator aliquis heredi ſuo onus imponat, ut ſervum quempiam redimat. Tandem ſervi alimentorum, quæ definita menſura a domino tribuuntur, quidpiam parcius vivendo reſervare ſibi, & vendere poſſunt: atque tunc iſtius pretii domini fiunt. Ex quibus omnibus infertur, ſervos in pluribus a Monachis etiam quoad rerum dominium differre. Quæ hactenus dicta ſunt, defendunt Molina *diſp.* XXXVIII. Sanchez *Lib. I. conſ. cap.* I. *dub.* I. *num.* 10. Leſſius *Lib. II. cap.* IV. *dub.* 4. Fagundez *Lib. VII. in Decal. cap.* XIII. *num.* 3. Leander *diſp.* IV. *quæſt.* XXVII. & plures alii penes ipſum.

XXIX. Quæſt. XVIII. *Ancilla, eorum quæ recipit ab amaſio, acquirit ne dominium?* Reſp. Negant Auctores prioris ſententiæ ob rationes adductas. Sed contraria opinio probabilior eſt. Quoniam uſus illicitus corporis muliebris non cadit ſub dominium domini: ergo quæ ancilla mulier tali uſu recipit, ſibi, non domino, comparat. Ita docent Sanchez *Lib. I. conſ. cap.* I. *dub.* I. *num.* 8. Leander *diſp.* IV. *quæſt.* XXVIII. & apud ipſum Rebellus, Malderus, Diana, Fagundez, & alii. Et vera eſt opinio.

XXX. Quæſt. XIX. *Cuius ſunt bona quæ habebat ſervus ante captivitatem, quæque poſt mortem relinquit?* Reſp. Quæ ante captivitatem habebat ſervus in patria, aut alibi, ſervo remanent, eiuſque heredibus; quæ ſecum habebat, domini fiunt. Qui enim in ſervitutem redigitur, in domini ius tranſit cum omnibus quæ ſecum habet. Neque enim ſolum corpus a victore capitur, ſed corpus cum omnibus rebus eidem annexis. Ea bona vero quæ poſt mortem ſervus relinquit, ſi dominium illorum ſervus habebat, quia illa iuſtis titulis, ut parſimonia, ludo, donatione, hereditate, acquiſierat, non fiunt domini, ſed heredum ſer-

Digitized by Google

ſervi ; atque de iis teſtari ſervus valet. Bona vero quorum uſum revocabilem ſervi habebant, domini ſunt.

CAPUT XVI.

De obligatione dominorum erga famulos, & iſtorum erga dominos.

I. PRæter ſervitutem civilem, & legalem, datur altera quæ, ut dictum eſt ; appellatur *conductitia*. Hæc famulorum eſt qui ad certum tempus operas ſuas locant alicui, iuſto pretio pacto. Vulgo etiam iſti vocantur ſervi; ſed abſolute liberi ſunt. Differunt ab operariis : quia hi in dies labores ſuos locant ad certa opera peragenda ; famuli autem obſequium, & ſervitium locant ad quodcumque operis genus. Verum hæc levia ſunt.

II. Quæſt. I. *An iuſtum ſalarium tribuere famulis domini debeant tum ſanis, tum infirmis ?* Reſp. De cura dominorum in famulos, ex iis quæ dicta ſunt de dominis in ſervos, patet. Salarium iuſtum laboribus reſpondens deberi famulis, adfirmant omnes. Diſputant vero, num ſolvendum ſit etiam famulis ægrotantibus ? Aiunt plures Iuriſconſulti ; ſed negant communiter Theologi : quia in promiſſione abſoluta excipiuntur caſus fortuiti. Famulus locavit induſtriam ſuam ad annum integrum. Si infirmetur, per ipſum ſtat, tametſi abſque culpa, ne operam ſuam præſtet. Ita docent Salmanticenſes *tract.* XXIV. *cap. unic. punct.* 7. *§.* 3. *num.* 133. Leander *diſput.* V. *quæſt.* IV. Azorius *II. Part. Lib. II. cap.* XXXIX. *quæſt.* VI. Bonacina *de contract. diſput.* III. *quæſt.* VII. *punct.* 4. *num.* 13. aliique. Hinc ſumptus quos dominus in curam ægroti famuli impendit, exigere ab eodem valet. Communiter tamen docent Auctores, dominum teneri lege caritatis ad ea alimenta præſtanda famulo quæ eidem præberet, ſi ſanus eſſet. Poteſt etiam dominus ad hoſpitale mittere famulum, ut curetur. Caritatis tamen lex urget ut famulis indigentibus potius quam aliis provideatur.

III. Quæſt. II. *Si famulus qui locavit operas ſuas ad annum, expleto ſemeſtri, ſua ſponte diſcedat, tenetur ne illi dominus dimidiam anni mercedem ſolvere ?* Reſp. Negantem opinionem defendunt plures Iuriſconſulti. Et quidem in foro exteriori reapſe famuli qui abſque dominorum culpa recedunt a ſervitio, plectuntur mercedis privatioue. In foro autem interiori Theologi diſtinguunt. Si dominus grave damnum patiatur ob diſceſſum famuli, liberum volunt a mercedis ſolutione. Si vero nullum grave detrimentum dominus ſubeat, Salmanticenſes *loc. cit. §.* 3. *num.* 132. cum Azorio, aliiſque docent, non eſſe ſolvendam integram illius dimidiati anni mercedem, ſed paullo minorem arbitrio prudentis viri.

IV. Probabilior nobis ſententia eſt, dominos, dummodo notabile detrimentum paſſi non fuerint ex famuli diſceſſu, debere illi integram medii anni mercedem ſolvere, iure naturæ ſpectato. Quoniam, integris ſex menſibus revera famulus lucratus eſt mercedem ſuam; & dominus reipſa commodum, atque utilitatem ſervitii præſtiti expertus eſt. Ergo vi iuſtitiæ naturalis famulus habet ius ad mercedem ob labores exantlatos accipiendam; & dominus debito ſolutionis adſtringitur ob commodum, & utilitatem perceptam. Forum externum aliquando ob præſumptionem malitiæ famulorum, & ob civilis commercii, & ſocietatis conſervationem aliquas pœnas conſtituit, prout magis ad præſatum finem expediens iudicat. Non propterea tamen licet ſemper in foro interiori quod licet in foro exteriori, ut ſuſius ſuo loco dicam. Hanc opinionem defendunt plures, Vaſquez *opuſc. de reſtit. cap.* v. *dub.* 10. *num.* 57. Lugo *de iuſt. Tom. II. diſp.* xxix. *ſect.* 3. Leander *diſp.* v. *quæſt.* xxx. & penes eumdem Diana, Fagundez, Baſſæus, Bonacina, Rebellus, aliique.

V. Quæſt. III. *Dominus debet ne ſolvere ſalarium famulo qui operas ſuas eidem locavit, nulla mercede pacta?* Reſp. Diſtinguunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 135. Si dominus ſimiles famulos conducere ſoleat, tenetur iuſtam conſuetamque mercedem ſolvere; eoque non ſolvente, contendunt, famulum poſſe, nedum illam exigere, verum etiam occulte ſe ſe compenſare. Secus vero, ſi domini non conſueſcunt conducere famulos; ut accidit, quando Epiſcopi, & Nobiles pueros accipiunt importunis parentum precibus ad proprium ſervitium, quibus victum, veſtitum, habitationemque tribuere, nulla mercede pacta, ſolent. Verum iſti iuxta communem exiſtimationem non habent rationem famulorum; nec iſti communiter pro mercede inſerviunt. Nunc autem ſermo eſt de veris famulis, qui reipſa locant operas ſuas, & ut veri famuli ſervitia, & obſequia præſtant, nullo pacto ſalario. Omni igitur diſtinctione, & controverſia ſepoſita, ius naturæ ſpectandum eſt; & pro quantitate laboris, ac ſervitii præſtiti tantumdem pretii rependendum eſt.

VI. Quæſt. IV. *Eſt ne aliqua menſura iuſtæ mercedis ſolvendæ famulis?* Reſp. Non alia menſura, ſeu regula iuſtæ mercedis aſſignari poteſt, niſi communis praxis, & conſuetudo, iuxta quam communiter illius loci famuli locant operas ſuas. Aliqui contendunt, iniuſtum eſſe pretium illud quod non ſufficit ad victum, & veſtitum famuli. Sed fallax omnino eſt regula iſthæc. Quantitas mercedis maioris, aut minoris pendet potius a maiori, vel minori habilitate famuli: qui quo plus laborat, maiuſque commodum, & utilitatem affert domino, eo maiorem meretur mercedem. Sed neque hæc maior habilitas ſevere attendenda eſt: alioquin plura diffidia & lites occurrerent; & quiſque ſe altero habiliorem reputaret. Communis ergo praxis ſervanda, ad conſcientiam quod attinet. Quod

vero

Digitized by Google

vero rem domeſticam ſpectat, quiſque ſupputare rationes poteſt, & colligere, quid ſua interſit, an famulus capacior, fortior, diligentior cum maiori mercede conducendus; an alter conducendus minori pretio, ſed minus quoque aptus ad ſervitia præſtanda.

VII. Quæſt. V. *Si dominus conducat minori mercede quam infima famulum, tenetur ne ad reſtitutionem?* Reſp. Sicut in quolibet contractu ſervanda eſt menſura iuſti pretii, ita quoque in contractu conductionis famulorum. Tria diſtinguuntur pretia, ſupremum, medium, infimum. Hæc tria pretia iuſta reputantur; iniuſta vero illa quæ aut ſupremum excedunt, aut infimum non attingunt. Quando ergo dominus taxat mercedem famulo conducto infra limites infimi pretii; abſolute loquendo tenetur reſtituere quantum ſatis ſit ad conſtituendam mercedem intra limites iuſti pretii, ſaltem infimi. Spectandæ tamen ſunt circumſtantiæ. Nam famulus poteſt, ſi velit, gratis inſervire domino. Poteſt ſponte & libere in mercedem infima minorem conſentire, eamque in pactum deducere. Hæc abſolute vera ſunt. Ceterum, quia in praxi vix unus inter famulos reperitur qui libere conſentiat in mercedem minima inferiorem, idcirco communiter domini ad reſtitutionem tenentur, dum mercedem famulo taxant iniuſtam, ſeu infima conſueta minorem. Nec valet excuſatio, quod famuli libere conſenſerint in eiuſmodi mercedem: quia eorum conſenſio libera minime eſt, ſed coacta. Neceſſitate enim urgente paciſcuntur famuli talem mercedem. Ex neceſſitate autem famulorum, commodum reportare licite nequeunt domini.

VIII. Quæſt. VI. *Dominus qui abſque iuſta cauſſa famulum, conductum ad annum, ante completum annum expellit, tenetur ne integram ei mercedem ſolvere?* Reſp. Affirmant omnes: quia tunc per famulum non ſtat quin integro anno ſerviat, & ex tali expulſione grave nocumentum patitur. Quid, ſi famulus continuo inveniret alium dominum, nihilque detrimenti ſubiret? Semper dominus peccaret iniuſtitiæ peccato, ſine cauſſa famulum expellendo. Et P. Molina *diſp.* DCCCCVI. etiam in hoc caſu adſtrictum aſſerit dominum ad integram ſolvendam mercedem in pœnam peccati. Quin ſubdit, famulum iniuſte pulſum minime obligatum eſſe ad redeundum, ut impleat præfinitum tempus. Sententiæ Molinæ ſubſcribunt alii, qui leges adducunt id ſtatuentes. Deciſio abſolute certa vix aſſignari poteſt reſpectu reſtitutionis, & ſolutionis pretii. Circumſtantiæ, & damna quibus famuli ſubiiciantur ex tali expulſione, inſuper cauſſæ ob quas famuli expellantur, ſpectandæ ſunt. Si enim abſque ulla rationabili cauſſa famuli eiiciantur, non video cur abſolvi ab integra mercede, & damnorum compenſatione domini valeant. Præter Molinam laudatam opinionem docent Azorius *III. Part. Lib. VIII. de locato cap.* XIII. *quæſt.* V. Rebellus *Part. II. Lib. XIV. quæſt.* XIII. *num.* 16. Fagundez *Lib. IV. cap.* XV. *num.* 20. Eſcobarius *tract.* III. *num.* 33. Leſſius

ſius *Lib. II. cap.* XXIV. *dub.* 2. *num.* 8. Leander *diſp. unic. quæſt.* XXVII. Salmanticenſes *tract.* XXIV. *cap. unic. punct.* 7. *num.* 151. & alii apud ipſos.

IX. Quæſt. VII. *Peccant ne domini, ſi impediant ne famuli matrimonium contrabant?* Reſp. Affirmant omnes: quia ea quæ iure naturæ famulis competunt, nequeunt impediri a domino. Diſſidium ſolum eſt, utrum ſervus, matrimonio contracto, teneatur potius ſatisfacere uxori quam domino. Nonnulli reſpondent, nulla facta diſtinctione, præferendum eſſe uxori dominum. Idque colligunt ex *cap.* 1. *de coniug. ſervorum*. Alii diſtinguunt. Aut matrimonium contractum eſt conſentiente domino, aut ſecus. Si primum, tunc præferendam eſſe domino uxorem aſſerunt: quia dominus ſuo conſenſu in famuli matrimonium ceſſit iuri ſuo. Si autem inſcio, & invito domino famulus matrimonium contraxit; tunc uxori anteponendum dominum docent: quia ius domini in famulum prius eſt iure uxoris in maritum. Porro iuxta iuris regulam, *qui prior eſt tempore, potior eſt iure*. Hæc opinio eſt probabilior, eamque docet D. Thomas in ſuppl. ad III. Part. quæſt. LII. art. 2. ad 3. *Si ſervus, volente domino, matrimonium contraxerit, tunc debet prætermittere ſervitium domini imperantis, & reddere debitum uxori, quia per hoc quod dominus conceſſit ut matrimonium ſervus contraheret, intelligitur ei conceſſiſſe omnia quæ matrimonium requirit. Si autem matrimonium, ignorante, vel contradicente domino, eſt contractum, non tenetur reddere debitum, ſed potius domino obedire, ſi utrumque ſimul eſſe non poſſit. Sed tamen in his multa particularia conſiderari debent, ſicut etiam in omnibus humanis actibus, ſcilicet periculum caſtitatis imminens uxori, & impedimentum quod ex redditione debiti ſervitio imperato generatur, & alia huiuſmodi; quibus omnibus rite penſatis iudicari poterit, cui magis ſervus obedire teneatur, domino, vel uxori.*

L L

LIBER SEPTIMUS

IN

DECALOGUM,

QUINTUM PRAECEPTUM TRACTANS:

NON OCCIDES.

DISSERTATIO UNICA.

PRAELOQUIUM.

VIX quiſquam ſibi in animum inducere poterit, ut credat, nonnullos recentiores Caſuiſtas, qui paſſim clamant, divinam legem benignam, & ſuavem eſſe, tales potuiſſe evulgare opiniones, quæ ſævitiam præferant, & feritatem. Sanctiſſima Chriſti lex perferre iniurias, & earumdem obliviſci, inimicis parcere, bona pro malis rependere, mundanum honorem, & terrena omnia propter Dei gloriam contemnere ſuadet, hortatur, iubet. Nova benignitas a quibuſdam Moraliſtis invecta, tanti & divitias, & humanam famam æſtimat, ut pro iſtorum conſervatione humani ſanguinis effuſionem licitam honeſtamque facillime propugnet. Quantum hæc recens benignitas cum evangelicæ caritatis ſuavitate & lenitate pugnet, ſequentes propoſitiones declarabunt.

Digitized by Google

CAPUT I.

Recenſentur propoſitiones tum quæ ſunt ab Eccleſia damnatæ, tum quæ laxæ videntur.

§. I.

Propoſitiones damnatæ a duobus Pontificibus, Alexandro VII. & Innocentio XI.

I. V*IR equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. 2. Alexandri VII.

II. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publice, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur*. 17. Alexandri VII.

III. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare*. 18. Alexandri VII.

IV. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam*. 19. Alexandri VII.

V. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat*. 30. Innocentii XI.

VI. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei*. 31. Innocentii XI.

VII. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus*. 32. Innocentii XI.

VIII. *Licitum eſt tam heredi, quam legatario contra iniuſte impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & ius habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſte impedientem*. 33. Innocentii XI.

IX. *Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur*. 34. Innocentii XI.

X.

X. *Videtur probabile omnem fetum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* 35. Innocentii XI.

En benignitatis probabiliſticæ ſanguinarii, truculentique fetus. En quam ſanguinis humani effundendi liberalis ſit novus opinandi modus a ſancta caritatis lege maxime alienus.

§. II.

Propoſitiones caſuiſticæ nimium laxæ.

I. Quiſque penetrare conſectaria valet quæ ex his decem veneficis principiis proficiſcuntur. Pauca ex pluribus quæ hoc in libro dicturus ſum, hic præmittam.

II. „ Ubi eſt ſcripta expreſſa permiſſio a Deo, ut Reges, & Reſpublicæ poſſint interficere reos? An eſt in Scriptura? An in traditione? Eſt ne fidei articulus? Si ſolo lumine naturali eo ducimur, patere ex eodem lumine naturali iudicemus, quid cuique privato liceat in occidendo aggreſſore, non ſolius vitæ, verum etiam honoris, & rei." Clerus Gallicanus anno 1700. in Comitiis generalibus hanc doctrinam damnavit, ut *ſcandaloſam, erroneam, & hæreticam, Regibus, & Rebuſpublicis iniurioſam, vanis ratiociniis, & regulis vitam hominum, & morum decreta ſubiicientem.*

III. „ An homo religioſus, qui fragilitati cedens feminam vilem cognovit, quæ honori ducens ſe proſtituiſſe viro tanto, rem enarrat, & eumdem infamat, poſſit illam occidere? Reſp. *Quid ſcio?*" Caramuel in *Theol. fund. num.* 1153. Hæret ſuſpenſus: & hoc ſat eſt ut ex Probabiliſmi doctrina colligatur id licere: quia, quando lex eſt dubia, homo liber a lege eſt.

IV. „ *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei*. Propoſitio damnata ſolum vult id non licere *regulariter*; eſto in aliquibus circumſtantiis poſſit id licere." Dominicus Viva in *Trut. in prop.* 19. *Alex. VII. num.* 10.

V. „ Poteſt quidem vir nobilis volentem impingere alapam gladio impedire, &, ut multi docent, etiam defenſione *occiſiva* ſe defendere." Idem Viva *in prop damn.* 17. *&* 18. *Alex. VII. num.* 9.

VI. „ Vir equeſtris non tenetur fugere aggreſſorem cum ſuo dedecore; ſed poteſt ab illo ſe defendere defenſione occiſiva." Idem Viva *in prop. damn.* 17. *Alex. VII. num.* 5.

VII. „ Etiam ad *honorem* neceſſarium tuendum viro honorato licere occidere iniuſtum, ac contumelioſum aggreſſorem, docent DD. & ſine dubio veriſſimum

Digitized by Google

„ eſt in hac ſuppoſitione, quod vir honoratus in aliquo caſu aliter ignominiam, „ vel contumeliam repellere, honoremque ſibi auferendum aliter tueri non poſſit „ niſi occidendo aggreſſorem contumelioſum." Patritius Sporer *tract.* v. *in* 5. *præcep. Decal. cap.* 11. *ſec.* 3. *§.* 4. *num.* 159.

VIII. „ Licet ad honorem tuendum, invaſorem poſt impactam alapam, fuſtem, „ vel vulnus fugientem inſequi, & occidere. Cenſeo hanc ſententiam eſſe probabilem, & tutam in praxi: quia, dum adverſarius fugit, & percuſſus inſequitur, moraliter adhuc durat congreſſus." Diana *Tom. VIII. coord. tract.* v. *reſol.* 7. *num.* 3. *&* 6. item *reſol.* 8. *num.* 2.

IX. „ An, ſi iudex deſit, poſſit quis intrare in locum ubi rem furatam in pacifica poſſeſſione fur conſtituit, & illum occidere cum moderamine &c. Reſpondeo affirmative." Idem Diana *Tom. VIII. tract.* v. *reſol.* 31. *in titul. & num.* 1.

X. „ Si re accepta fugias, tunc poſſum inſequi, & ferire; vel, ſi neceſſe ſit „ eminus telo petere . . . . ſi invadas res meas per famulum, vel arte magica, „ per dæmonem, nec alia ratione quam nece tua poſſit impediri; ſi coniuraveris „ in mea damna; ſi impedias inique meos creditores, ne mihi ſatisfaciant; ſi falſa accuſatione, vel falſo teſtimonio me fortunis coneris evertere; nec alia ratio impediendi ſuppetat." P. Leonardus Leſſius *Lib. II. de iuſt. cap.* IX. *dubit.* 11. *num.* 74. *&* 75.

XI. „ Petes, an ſit contra iuſtitiam, ſi furem procul fugientem conficias, quando res iudicio eſt recuperabilis? Reſpondetur, verius videri non eſſe." Idem Leſſius *loc. cit. num.* 70. *&* 71.

XII. „ Fas univerſim eſt interficere eum qui nos interficere decrevit, quando „ aliter non patet via evadendi mortem, *graveve periculum mortis*, quod nequitia illius ex eo decreto nobis imminet; ſive qui id ita decrevit, dicendus iam „ aggreſſor ſit, ſive *non*: id enim quæſtio eſt *de vocabulo*." Ludovicus Molina *de iuſt. Tom. IV. tract.* III. *diſp.* XII. *num.* 2.

XIII. „ Probabilius reſpondeo licere, & abſque metu irregularitatis, occidere *occulte* litigatorem, ſi conſtet aperte, & omnino certo, dictum litigatorem omnino iniuſte, & per calumniam procedere, & etiam ſit omnino certum quod innocens ſua bona irrecuperabiliter amiſſurus eſt, nec aliud ſibi remedium ad ea „ recuperanda ſuppetat." P. Leander a SS. Sacramento *Par. V. tract.* II. *diſp.* XIII. *quæſt.* X.

XIV. „ An poſt decretum Innocentii XI. licitum ſit invaſorem honoris cum „ moderamine inculpatæ tutelæ occidere? Probabilius multo reſpondeo, etiam „ poſt decretum SS. P. N. Innocentii XI. licitum eſſe . . . Quia ex propoſitione „ particulari ad univerſalem non tenet conſequentia." Emanuel a Conceptione,

„ ſeu

„ ſeu continuator Leandri a SS. Sacramento *Par. IV. in ordin.* IX. *tract.* II. *diſp.* III. *quæſt.* VI.

XV. „ An poſt dictum P. N. Innocentii decretum licitum ſit occidere eum qui „ dicit, *mentiris*; aut contumeliam profert perfecte, ut *tu es infamis*, *male caſtæ* „ &c. vel imperfecte, ut *tu es infam. . . male gen. . . .* ſi aliter iniuria repelli „ non poteſt? Probabilius reſpondeo affirmative." Idem Emanuel a Concept. *loc. cit. quæſt.* XI.

XVI. „ Qui invaſus ab altero, ſive armis, ſive *contumeliis*, ſi poteſt fugere, & „ malum declinare, non tamen fugit, ſed cum debita moderatione ſe defendit, „ & *alterum occidit*, non tenetur ad reſtitutionem." P. Dominicus Viva in ſuo curſu Theologico-Morali *Tom. I. Par. III. de reſt. quæſt.* VII. *art.* I. *num.* 2.

XVII. „ Si rariſſimo caſu eo loco res ſita ſit, ut miles in exercitu, vir equeſtris „ in aula regia, officio, dignitate, Ducis, aut Principis favore, ob ignaviæ ſuſpi- „ cionem excidere debeat, niſi idemtidem provocanti ſe ſiſtat; non audeo da- „ mnare eum qni meræ defenſionis gratia paruerit." Paulus Layman *Lib. III. de iuſt. tract.* III. *par.* III. *cap.* III. *num.* 3.

XVIII. „ Dubium autem eſt, an liceat innocenti id duellum acceptare, ſive „ offerre, quando certum eſt fore ut actor per fraudem in iudicio ipſum oppri- „ mat, & eius iniuſtam condemnationem impetret. Quidam neutrum licere a- „ iunt . . . . Sed melius alii dicunt, licere huic innocenti duellum ad *vitam*, *ho-* „ *norem*, *& res familiares* in notabili quantitate tuendas, quando conſtat omnino „ iniuſte, & per calumniam actorem procedere: & certum omnino eſt fore ut „ innocens hæc amittat, nec aliud ſibi evadendi remedium ſuppetat. . . . Atque „ optime *Bannez* ait, licere innocenti in his caſibus acceptare, & offerre duel- „ lum . . . Immo & non-provocando ad duellum interficere occulte actorem il- „ lum calumnioſum, cum hæc occiſio ſit vera defenſio. Immo bene *Nav.* ait, „ teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere, ſi poteſt *occulte illum* „ *occidendo* id vitæ, honoris, rerum militarium periculum evadere. Quippe ſic „ proprium vitæ periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris of- „ ferentis, aut acceptantis duellum." Thomas Sanchez *Lib. II. in Decal. cap.* XXXIX. *num.* 7.

XIX. „ Pro re minima non videtur conceſſum ius defenſionis cum tanto alte- „ rius malo. Eſt enim valde iniquum ut *pro pomo*, vel etiam *uno aureo* ſervan- „ do alicui vita auferatur. Si tamen tibi verteretur probro, niſi rem furi extor- „ queas, poſſes conari, & ſi opus eſſet, etiam occidere iuxta Sotum. Tunc enim „ non tam rei, quam honoris eſſet defenſio." Leſſius *de iuſt. & iur. Lib. II. cap.* IX. „ *dub.* II. *num.* 68.

XX. „ In propoſitione 17. damnata ab Alexandro VII. quæ aiebat, licere Re-

„ li-

„ ligioſo, vel Clericò occidere calumniatorem gravia crimina in eos minitantem, „ ſi alio modo vitari non poſſit, non venit damnatum dicere, licitum illis eſſe „ calumniatorem occidere, quando actu iniurioſa verba in eos profert famæ valde „ læſiva, ſi alia via non eſt tantum malum vitandi." Torrecilla in *propoſit. damn. ad dict. prop. num.* 14. *fol.* 471.

XXI. „ Immo nec damnatum venit dicere, ſolummodo eſſe peccatum veniale „ in Religioſo, vel Clerico, in caſu propoſitionis damnatæ, occidere calumniatorem." Idem Torrecilla *ibi. num.* 22. *fol.* 471.

XXII. „ In propoſitione 18. ab Innocentio XI. damnata de occiſione falſi „ accuſatoris, falſi teſtis, & iudicis, a quibus imminet damnum, quod evitari non „ poteſt, non venit damnatum dicere, doctrinam propoſitionis eſſe ſpeculative „ probabilem, nec inhibitum dicere, quod ſi practice id fiat, tantummodo „ veniale peccatum erit." Idem Torrecilla *ibid. ad dict. propoſit. numer.* 9. „ *fol.* 472.

XXIII. „ Adhuc ſtante damnatione prædictæ propoſitionis 18. probabile eſt, „ intelligendam venire & propoſitionem, & eius damnationem de aggreſſore in „ actu primo, non de aggreſſore in actu ſecundo, ſeu de actuali offendente." Idem Torrecilla *ibid. num.* 25.

XXIV. „ Poteſt vir honoratus alium occidere abſque letali, quando aliter ho„ norem in re gravis momenti tueri non poteſt." Idem Torrecilla *Tom. I. Summ. tract.* 111. *diſp.* 11. *cap.* 11. *ſect.* 3. *§.* 3. *num.* 121. *fol.* 476.

XXV. „ Negari non poteſt quin ſaltem honorem, famamque illam quæ ex vir„ tute, & ſapientia naſcitur, quique verus honor eſt, iuſte defendere Clerici, & „ Religioſi valeant, ac ſæpe debeant, cum hic ſit proprius profeſſionis ipſorum, „ quem ſi amittant, maximum bonum amittunt. Nam per hunc redduntur ſum„ mopere *æſtimabiles & conſpicui ſæcularibus, quos ſua virtute dirigere, ac iuvare* „ *poſſunt: quo ſublato, nec illos dirigere, nec iuvare poterunt.* Ergo ſaltem hunc „ honorem poterunt Clerici, ac Religioſi cum moderamine inculpatæ tutelæ „ ETIAM CUM MORTE INVASORIS defendere. Quin interdum, lege ſaltem „ caritatis, videntur ad illum defendendum teneri, ſi ex violatione propriæ famæ „ integra Religio infametur." Franciſcus Amicus *Tom. V. diſp.* XXXVI. *num.* 118.

XXVI. Quoniam propoſitio hæc his vocibus concepta damnata non eſt, licet reipſa damnata, ut ego quidem iudico, ab Alexandro VII. ſit, timendum eſt ne aliqui illorum Caſuiſtarum quibus familiare eſt damnatarum theſium vim extenuare, eamdem ut probabilem reputent, & ad praxim reducant. Idcirco admonendum lectorem exiſtimavi, propoſitionem præfatam, non laxam modo eſſe, ſed revera etiam damnatam: ſiquidem vocum tantum diverſitate differt a theſi 17. proſcripta ab Alexandro VII. An iſta doctrina utantur qui libellos famoſos evul-

Digitized by Google

evulgant adverſus eos quos propriæ ſapientiæ ſplendori tenebras offundere ſuſpicantur, aliorum eſto iudicium.

C A P U T II.

Quid prohibeat quintum Decalogi mandatum, NON OCCIDES : *& quam grave ſit homicidii ſcelus.*

§. U N I C U S.

Recenſentur quorumdam hæreticorum errores.

I. EX univerſalitate divini mandati, *Non occides*, illi qui ſola fallaci humanæ rationis regula divinas leges metiuntur, errandi anſam arripuerunt. Hæreticorum alii cuiuſque viventis, ſive ſentientis, ſive dumtaxat vegetantis, occiſionem vetitam aſſeruere; alii numquam licitam eſſe hominum occiſionem, etiam publica poteſtate iuſſam, contenderunt; alii ſeipſos, nedum alios, licitum eſſe interficere propugnarunt; alii alia commenti ſunt.

II. Primum errorem refert, & confutat Auguſtinus *Lib. I. de Civ. Dei cap.* XX. his verbis. *Quidam hoc præceptum etiam in beſtias, & pecora conantur extendere, ut ex hoc nullum etiam eorum liceat occidere. Cur non ergo & herbas, & quidquid humo radicitus alitur, ac figitur? Nam & hoc genus rerum, quamvis non ſentiat, dicitur tamen vivere, ac per hoc poteſt & mori... Numquid igitur ob hoc, cum audimus*, Non occides, *virgultum vellere nefas dicimus, & Manichæorum errori inſaniſſime acquieſcimus? His igitur deliramentis remotis, cum legimus*, Non occides, *ſi propterea non accipimus hoc dictum eſſe de frutetis, quia nullus eſt eis ſenſus; nec de animantibus irrationalibus, volatilibus, natatilibus, ambulatilibus, reptilibus, quia nulla nobis ratione ſociantur, quam non eis datum eſt nobiſcum habere communem: unde iuſtiſſima ordinatione Creatoris, & vita, & mors eorum noſtris uſibus ſubditur: reſtat ergo ut de hominibus intelligamus quod dictum eſt*, Non occides. *Non alterum, ergo nec te. Neque enim qui ſe occidit, aliud quam hominem occidit.* Hanc D. Auguſtini auctoritatem refert D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxiv. *art.* 1. ubi ratione ab ipſa divina Scriptura repetita evincit, licitam eſſe animalium, plantarumque occiſionem. *Nullus peccat ex hoc quod utitur re aliqua ad hoc ad quod eſt. In rerum autem ordine imperfectiora ſunt propter perfectiora.... Et ideo, ſi homo utatur plantis ad utilitatem animalium, & animalibus ad utilitatem hominum, non eſt illicitum.*

III. Secundum errorem propugnabant VValdenſes, qui, ut refert Alphonſus a Caſtro *Lib. XI. verb. Occidere*, aſſerebant, nullum hominem occidi licite poſſe, etiam ſu-

ſupremæ poteſtatis imperio. Quem errorem renovavit Nicolaus Galecus Boemus, ad Concilium Baſileenſe pro ſua natione legatus. Hic error humanæ ſocietati, & civili commercio maxime infeſtus eſt. Multi enim reperiuntur improbi, qui pacem, & tranquillitatem publicam perturbant, & pervertunt. Ergo, ut pax iſta; quies, & mutua inter homines communicatio conſiſtant, neceſſaria eſt ſceleſtorum punitio, & ſi obſtinati ſint, ac pervicaces, etiam occiſio. Alioquin regimen humani generis prorſus corrueret. Altius rationem arceſſit D. Thomas opuſc. VII. *Quod licitum eſt Deo, licitum eſt miniſtris eius. Conſtat autem quod Deus non peccat, cum ſit auctor legum, infligendo mortem propter peccatum. Rom.* VI. Stipendia peccati mors. *Ergo nec miniſter eius.* Porro quod Deus iubeat improborum mortem, patet ex ſacra Scriptura Exod. XXII. *Maleficos non patieris vivere. Qui coierit cum iumento, morte moriatur. Qui immolat diis, occidetur.*

IV. Tertius error fuit Circumcellionum; qui ſuicidium ut licitum defendebant. Quapropter, veluti furiis acti, præcipites e rupibus, & præruptis montibus ſe ſe ſponte dabant, mortem levi prætextu ſibi conſciſcebant, ut martyrii palmam aſſequerentur. Iſtorum meminit Auguſtinus *Lib. de hæreſ. cap.* LXIX. Quis tantæ inſaniæ auctor fuerit, nec Auguſtinus, nec Philaſter, qui pariter de hac ſcribit hæreſi, ediſſerit. Error iſte damnatus eſt ab ipſo præcepto, *Non occides*. Si enim vetitum eſt alterum occidere, profecto & ſemetipſum: ſicut enim non habet homo dominium vitæ alterius, ita nec ſuæ. Neque pluribus opus eſt, ut veritatem naturæ lumine notam, ac naturali inclinationi conſentaneam ſuadeamus.

V. Quartus error eſt eorum qui docuerunt licitum cuilibet ſubditorum eſſe Tyrannum occidere. Tyrannus nuncupatur ille qui aut abſque iure dominatur in ſubditos, aut ultra iuſtas, & præfinitas dominii ſui leges poteſtatem exercet. Iſtius erroris inventor fertur, teſte Gerſone, Ioannes Parvi. Quam ſit error iſte & divinæ legi contrarius, & humanæ ſocietati pernicioſus, nemo non videt. Quoniam hoc Tyranni nomen non Principi modo, verum etiam cuilibet dominium habenti in familiam, in pagum aliquem, aptari ſolet. Quapropter maritus in uxorem plus iuſto ſeverus, paterfamilias rigide domeſticos tractans, & ceteri eiuſmodi Tyranni nuncupantur. Licitum ergo erit uxori maritum, domeſtico patremfamilias occidere. At, quemadmodum iudicare, quiſnam Tyrannus ſit, an ſecus, non eſt alicuius privati; ita neque eiuſdem occiſio. Quæ confuſio in Republica, quæ perturbatio, ſi ad ſubditos attineret Tyranni notam cuilibet imperanti inurere, illique necem inferre?

VI. Poſtremus error tribuitur Scoto, qui in *IV. diſt.* XV. *quæſt.* III. *de ſecundo*, iis tantum in caſibus occidendos homines docet qui in divina lege ſunt expreſſi, cuiuſmodi ſunt homicidæ, blaſphemi, adulteri &c. Quoniam, inquit, in legem ſuperioris nullus inferior aliquid poteſtatis habet. Superior autem, nempe Deus,

ſo

Digitized by Google

ſolum in caſibus expreſſis in Scriptura diſpenſavit ſuper hominum occiſione. Ergo in his, & non in aliis caſibus licita erit hominum occiſio.

VII. Hanc Scoti opinionem, ut fidei infeſtam, & temeritatis plenam, damnant Salmanticenſes *tract.* xxv. *cap.* 1. *punct.* 1. *num.* 5. cum aliis Theologis, Bannez, Salonio, Trullench, Bonacina, Sayro, ceteriſque communiter. Adverſatur quippe communi Patrum, & ſacrorum canonum auctoritati. Quid enim frequentius in iure canonico quam malefactorum occiſio? xxiii. *quæſt.* 1. *de occidendis*, *cap. Miles*, *cap. Non fruſtra*, pluribuſque aliis in locis. Rationem evidentem prodit Angelicus. Supremæ poteſtati commiſſa eſt boni communis cura, & cuſtodia. Ergo illa omnia de medio tollere iure valent Principes quæ huic bono communi noxia ſunt; quemadmodum permiſſum eſt medico putridum membrum abſcindere, ut corpus ipſum ſervet. Malefactores ſunt publici boni, & humanæ ſocietatis perturbatores. Licita ergo illorum occiſio. Audiamus D. Thomam 2. 2. quæſt. lxiv. art. 3. *Occidere malefactorem licitum eſt, inquantum ordinatur ad ſalutem totius communitatis. Et ideo ad illum ſolum pertinet cui committitur cura communitatis conſervandæ; ſicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commiſſa fuerit cura ſalutis totius corporis. Cura autem communis boni commiſſa eſt Principibus habentibus publicam auctoritatem: & ideo eis ſolis licet malefactores occidere, non autem privatis perſonis.* Sententia hæc communis eſt.

VIII. Ex doctrina Angelici labefactata manet altera ſententia *Salonis*, *Sayri*, *Trullenchi*, & aliorum, qui docent, præceptum Decalogi, *Non occides*, vetare dumtaxat iuſtorum, ac innocentum occiſionem. In cuius confirmationem adducunt Scripturæ textum: *Inſontem, & iuſtum non occides, quia averſor impium*: Exod. xxiii. Hæc quoque opinio falſa eſt. In laudata auctoritate ſolum prohibetur vel ipſis Principibus innocentem, atque inſontem occidere: quia nec ſupremæ poteſtates interficere quemquam licite valent, niſi ſervato iuris ordine; & niſi prius præceſſerint flagitii perpetrati evidentiſſima argumenta: atque adeo inſontes, & innocentes occidi vetantur. Quod autem privata auctoritate vetita ſit malefactorum occiſio, etiam patet: quia privatis haud eſt commiſſa boni communis cuſtodia. Privati enim ſemper peccant, ſi occidant malefactores ſine Principum iuſſu, aut ſine neceſſitate defendendæ propriæ vitæ.

IX. His delibatis, notio homicidii promenda, quidque ſuo mandato Deus prohibeat, explicandum. Homicidium definiri ſolet *Iniuſta hominis occiſio*, ſive hæc fiat publica, ſive privata auctoritate. Rei quippe ſunt homicidii vel ipſi Principes, ſi iniuſtam imperent occiſionem. Quæ autem fit privata auctoritate, ſemper iniuſta eſt, neceſſitate inculpatæ defenſionis ſublata. Triplex homicidium diſtingui ſolet, voluntarium, neceſſarium, fortuitum. Voluntarium, quod dolo, ma-

maloque animo occidendi committitur. Neceſſarium, quod a lege publica, vel a defenſionis iure imperatur. Fortuitum, quod præter intentionem accidit.

X. Hinc colligitur, homicidium eſſe omnium ſcelerum quæ in proximum perpetrari valent, graviſſimum: privat enim vita, quæ eſt terrenorum bonorum maximum. Quod etiam ex gravitate pœnæ a Deo inflictæ conſtat. Dicitur enim Matth. XXVI. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Item in ipſa lege Moſaica homicidium morte plectebatur. Exod. XXI. *Qui percuſſerit hominem, volens occidere, morte moriatur... Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Pœnæ ſeveriſſimæ, & plurium annorum ſpatio diuturnæ, quas ſacri canones ab homicidis publice ſubeundas infligunt, notæ ſunt, & omnibus perviæ. Concilii Ancyrani *can.* XXII. perpetua totius vitæ pœnitentia ſtatuitur pro homicidio voluntario. Succeſſu temporis hæc perpetua pœnitentia ad plurium dumtaxat annorum ſpatium ſumma Eccleſiæ benignitate contracta eſt. Quid plura? Ut palam faceret mater Eccleſia, quantum ab homicidiis abhorreret, ſeptem aut quinque annorum pœnitentiam vel iis ipſis impoſuit qui per imprudentiam homicidia perpetraſſent, ut ex eodem Ancyrano Concilio, & ex epiſtolis SS. Baſilii, & Gregorii Nyſſeni, atque ex Zachariæ, & Alexandri II. ſummorum Pontificum decretis colligitur. Lex Moſaica ipſa exilio mulctabat involuntarios homicidas, qui ad refugii civitatem ſe recipiebant uſque ad Pontificis obitum. Si conſanguinei hominis occiſi extra eiuſmodi civitatem refugii occiſorem interficiebant, nullas dabant pœnas.

XI. Præceptum hoc, *Non occides*, non modo prohibet exteriores actiones occiſionis, mutilationis, verberationis &c. verum etiam quamcumque interiorem voluntatem nocendi proximo ſive ope, ſive conſilio. Reus homicidii fuit David, eo quod iuſſerit in ea exercitus parte Uriam poni ubi facilius ſuccumbens interiret. Homicidii participes ſunt ſocii ex quorum ſocietate audacior fit homicida: item illi qui homicidas laudant, irritant, ad ſe recipiunt, aut ipſis arma porrigunt.

XII. Nec ſolum manu, lingua, conſilio, verum etiam corde, pravis deſideriis, odio, gaudio de alterius morte, invidia, contumelia, detractione præceptum hoc violatur. Lex enim chriſtiana animum primum, atque affectiones purgat, ut docet Chriſtus Dominus Matth. V. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio; qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De cæde facinoroſorum hominum a ſuprema poteſtate præſcripta.

I. PRincipibus, ſuprema pollentibus poteſtate, conceſſa facultas eſt extrema mortis pœna plectendi facinoroſos homines Reipublicæ exitioſos: miniſtri enim Dei ſunt Principes in regimine ſubditorum, ut ex Angelico dictum eſt: innuitque Apoſtolus ad Rom. cap. III. *Non ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui male agit.* Gladium ergo a Deo, qui omnium vitæ dominus eſt, acceperunt Principes in vindictam facinoroſorum, ac in bonorum omnium, & Eccleſiæ defenſionem, cuſtodiam, atque protectionem. Quæ omnia ſcite explicat Auguſtinus epiſt. clIII. alias lIV. *Nec fruſtra inſtituta ſunt poteſtas Regis, ius gladii cognitoris, ungulæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeveritas etiam boni patris. Habent iſta omnia modos ſuos, cauſas, rationes, utilitates. Hæc cum timentur, & coercentur mali, & quietius inter malos vivunt boni: non quia boni pronuntiandi ſunt qui talia metuendo non peccant (non enim bonus eſt quiſpiam timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ) verumtamen non inutiliter etiam metu legum humana coercetur audacia, ut & tuta ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis, dum formidato ſupplicio frenatur facultas, invocato Deo ſanetur voluntas.*

II. Hinc colligere fas eſt, quam ſit adverſa divinæ Scripturæ, ſanctorumque Patrum Theologiæ nova Caſuiſtarum quorumdam opinandi methodus. Negant quippe ex Scriptura, aut ex Patribus colligi poſſe, collatam Regibus, & Principibus poteſtatem in facinoroſos; ſed lumine naturali contendunt inferre, cuique privato ius eſſe occidendi aggreſſorem, non modo vitæ, verum etiam honoris. *Ubi eſt ſcripta expreſſa permiſſio a Deo, ut Reges, & Reſpublicæ poſſint interficere reos? An eſt in Scriptura? An in traditione? Eſt ne fidei articulus? Si ſolo lumine naturali eo ducimur, patere ex eodem lumine naturali iudicemus quid cuique privato liceat in occidendo aggreſſore non ſolius vitæ, verum etiam honoris, & rei.* Hanc propoſitionem damnavit Clerus Gallicanus anno 1700. ut *ſcandaloſam, erroneam, & hæreticam, Regibus, & Rebuſpublicis iniurioſam, vanis ratiociniis, & regulis vitam hominum, & morum decreta ſubiicientem.* Non eget confutatione, quia ſeipſa corruit. Textus Scripturæ, Patrumque documenta, quibus declaratur Principibus collata in facinoroſos poteſtas, ſupra allata ſunt.

III. Quæſt. I. *Hac poteſtate occidendi facinoroſos fruuntur ne Principes Clerici?* Reſp. Hanc quæſtionem diſcutit Angelicus 2. 2. *quæſt.* lxiv. *art.* 4. & negantem ſen-

ſententiam defendit. Sermo eſt de Clericis, iuriſdictione temporali in ſubditos alicuius civitatis, vel provinciæ gaudentibus: nam de privatis Clericis nullus eſt ambigendi locus. Porro quod Clericis primi generis non ſit permiſſum ius ſanguinis exercere in facinoroſos, evincit his rationibus Doctor ſanctus. *Primo quidem quia ſunt electi ad altaris miniſterium, in quo repræſentatur paſſio Chriſti occiſi; qui cum percuteretur, non repercutiebat, ut dicitur I. Petri II. Et ideo non competit ut Clerici ſint percuſſores, aut occiſores. Debent enim miniſtri ſuum Dominum imitari, ſecundum illud Eccleſiaſtici* x. Secundum iudicem populi, ſic & miniſtri eius. *Alia ratio eſt, quia Clericis committitur miniſterium novæ legis, in qua non determinatur pœna occiſionis, vel mutilationis corporalis. Et ideo, ut ſint idonei miniſtri novi teſtamenti, debent a talibus abſtinere.* Hoc tamen non repugnat Clericis lege aliqua naturali; ſed tantum canonica, qua eis hæc vetantur, ut patet cap. *Neminem*, cap. *Epiſcopum*, diſtinct. xlv. cap. *Clerici*.

IV. Obiicies. Clerici imitari Deum debent. Deus autem occidit facinoroſos, ut dicitur Pſalm. cxxxv. *Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum*. Moyſes quoque a Levitis interfici iuſſit viginti tria millia hominum ob crimen adorationis vituli: *Exod.* xxxII. Phinees, Samuel, & Elias malefactores occiderunt. Reſpondet Angelicus ad I. *Unuſquiſque debet Deum imitari in hoc quod ſibi ſpecialiter congruit. Unde licet Deus corporaliter etiam malefactores occidat, non tamen oportet quod omnes in hoc eum imitentur. Petrus autem non propria auctoritate, vel manu Ananiam, & Sapphiram interfecit; ſed magis divinam ſententiam de eorum morte promulgavit. Sacerdotes autem, vel Levitæ veteris teſtamenti erant miniſtri veteris legis, ſecundum quam pœnæ corporales infligebantur. Et ideo etiam eis occidere propria manu congruebat.* Hinc conſequitur non poſſe Clericos, Epiſcopos, Sacerdotes eſſe Principum officiales, gubernatores provinciæ, exercitus imperatores abſque expreſſa ſummi Pontificis licentia, ut habetur cap. *Clerici*, *& Monachi*.

V. Quando vero Epiſcopi ſeu Prælati eccleſiaſtici ſunt domini alicuius civitatis, & provinciæ, poſſunt iudicibus a ſe delectis ius ſanguinis conferre, ut docet idem D. Thomas loc. cit. ad 3. *Prælati Eccleſiarum accipiunt officium. Principum terræ, non ut ipſi iudicium ſanguinis exerceant per ſeipſos, ſed quod eorum auctoritate per alios exerceatur.* Idque patet manifeſta Eccleſiæ praxi. Utrum autem iudices laici electi a Principibus eccleſiaſticis, habeant poteſtatem occidendi facinoroſos ab ipſis eccleſiaſticis viris, vel a Republica laica, quæſtio eſt, quæ morari nos non debet, cum nullius, aut parvi momenti ſit.

VI. Quæſt. II. *Damnare ne iudex aliquem valet inauditum, & non citatum?* Reſp. Negat abſolute communis, & vera ſententia. Iure enim naturali cuique defenſio ſui ipſius debetur. Punitio enim publica ad commune bonum, & uni-

ver-

Digitized by Google

verſalem utilitatem ordinatur. Ergo exigit publicam cognitionem, ut omnibus criminis notitia, & facinoroſi defenſio pateat. Ordinem tamen iuris prætermittere interdum iudex valet, quando nempe ſcelus notorium eſt, utpote in publico populi conſpectu patratum; rationeſque graves urgent ut celerrime reus puniatur, vel ob iuſtum fugæ timorem, aut propter rebellionis periculum. Semper tamen requiritur ut delictum ſit evidens, nullique dubitationi, vel minimæ, obnoxium. Maius quippe malum eſt quod innocens pereat quam quod reus impunitus evadat.

VII. Quæſt. III. *Licitum ne Principi eſt poteſtatem conferre cuilibet privato occidendi bannitos, etiam propoſito præmio?* Reſp. Adfirmat communis ſententia. Hancque poteſtatem concedere Princeps valet, antequam ſententiam ferat. Quia hoc ipſo quod facinoroſus vocatus ad tribunal iudicis fuit, dum ſe ſiſtere recuſavit, ſibi ipſi imputare debet, ſi non audiatur. Immo voluntarie exilio ſe ſubiiciens, crimina ſua fatetur. Præterea banniti Reipublicæ everſores reputantur. Licet ergo Reipublicæ ſe ſe defendere; atque adeo facultatem impertiri ſubditis ut eiuſmodi flagitioſos pœnæ capitalis damnatos occidant. Dominicus Soto *Lib. V. de iuſt. quæſt. 1. art. 3.* inquit: *Non omnibus ſatis probatur Venetorum mos, qui, cum plures a patria exules habeant condemnatos, ſingulis facultatem faciunt ut qui alium interfecerit, vita, ac libertate donetur.* Verum nos dicimus, nemini probari poſſe iſtius conſuetudinis improbationem: quoniam, cum Reipublicæ incumbat onus curandi bonum commune, ſubditos a facinoroſis defendendi, atque pacem, & tranquillitatem ſervandi; alia via hæc implere munia nequit, ſi hac facultate non utatur. Siquidem iſti publicæ tranquillitatis perturbatores aliter fortaſſis capi haud poſſunt, cum omni arte iudicium effugiant. Sibi ergo imputare debent ſceleſti homines, ſi inopinato occidantur, ſi impœnitentes, & obſtinati decedant.

VIII. Communiter Doctores licitam minime concedunt hanc bannitorum interfectionem extra territorium, ſeu dominium Principis; niſi expreſſa, aut tacita aliorum Principum, in quorum loco occiduntur, conſenſio adſit. Tum autem præſumitur hic conſenſus, quoties in occiſores eiuſmodi bannitorum non animadvertunt Principes.

IX. Hæc vera ſunt reſpectu Principum, qui bonum commune cuſtodire, & promovere debent: vera etiam abſolute ſunt reſpectu privatorum. At in praxi quandonam accidere dicemus innoxiam hanc occiſionem? Quis eſt qui non vindictæ, non odii ſtimulis, ſed ſolius boni publici amore bannitum occidat? Quis probus, honeſtuſque facultate a Principe facta utetur umquam? Optimum eſt Principum conſilium, iuſta ſententia, facultas conceſſa legitima, valida, licita; at in privatis iſtius facultatis executio abſque culpa difficillima eſt.

X. Peccarent, reique homicidii Principes forent, ſi quos in exilium pellerent,

Digitized by Google

aut pœnæ mortis ſubiicerent, antequam haberetur certa & explorata criminum cognitio; ſi iuris ordinem non ſervarent, quando graviſſimæ cauſſæ non urgerent illum pro aliquo caſu ordinem negligere. Advertunt Doctores, minime licere bannitis ſe ſe defendere adverſus invaſores, auctoritate publica munitos: quamquam omnes fateantur, poſſe illos licite fugam arripere. Hæc vera ſunt. At quis bannitorum id ſibi perſuaderi permittet?

XI. Quæſt. IV. *Licet ne ſupremæ poteſtati facultatem facere filiis, fratribuſque ut impune occidant interfectores patrum, fratrumve?* Reſp. Adfirmant communiter Doctores: quoniam permiſſum eſt Principi ſupremo illis quibus maluerit miniſtris uti in occiſione malefactorum, quos iuridice ad mortem damnavit. Quid ni ergo hanc impertiri facultatem poterit filiis, fratribuſve interfectorum? Verum vix occurrere cauſſa poteſt cur hæc facultas concedenda ſit determinate ſolis fratribus, filiiſve. Si enim interfectores parentis, fratriſve eſſent graſſatores viarum, Reipublicæ perturbatores; tunc omnibus concedenda facultas foret eoſdem reprimendi, & occidendi, ſive filii ſint, ſive non ſint. Unicus caſus eſſet excipiendus, nempe ſi ipſis filiis, fratribuſve interfecti vitæ periculum ab occiſoribus immineret.

XII. Quæſt. V. *Tenetur ne iudex chriſtianus tempus concedere reo damnato ad mortem confitendi, atque ſacram Euchariſtiam recipiendi?* Reſp. Adfirmant communiter omnes Theologi. Et ad confeſſionem quod attinet, res evidens eſt: nam præceptum confitendi tum urget; contritio autem perfecta difficillima eſt: quare periculo graviſſimo æternæ damnationis iudex reum exponeret, ſi eidem confitendi peccata ſua Sacerdoti tempus denegaret. Idque verum habet, etiamſi iudex timeret eripiendi rei periculum. Idem de ſacra communione dicendum: inſtat enim præceptum divinum tunc temporis: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Ioan. VI. Negare tamen hoc tempus communicandi poſſe iudices, contendunt non pauci; ſi timeretur periculum ereptionis rei. Verum hæc mihi non probatur opinio. Sicut enim hoc periculum non ſufficit ad denegandum tempus confitendi, ita neque ſufficere debet ad impediendam communionem. Non me latet inter utriuſque ſacramenti neceſſitatem diſcrimen. Verum tantam non video diverſitatem, ob quam poſſint iudices negare tempus implendi divinum præceptum. Quæ enim Deum ſpectant, animæque ſalutem, præferenda ſunt ceteris omnibus. Sed non eſt diutius immorandum in iis quæ vix umquam contingunt. Diſputant etiam Theologi, communicari ne reus debeat eo die quo ſuſpendendus eſt? Indecens hoc reputant aliqui. Quamquam non negemus, decentius eſſe die præcedenti communionem accipere, abſolute tamen nil obſtare arbitramur quominus eodem mortis ſubeundæ die ſacroſanctum ſacramentum recipiatur. Tempus congruum unius, aut alterius ho-

Digitized by Google

horæ præcedere deberet, antequam ad patibulum duceretur, ob ſpecierum ſacramentalium conſumptionem.

XIII. Si tamen rei ita perditi, & contumaces eſſent, ut nollent ſacramenta ſuſcipere; non propterea teneretur iudex mortis pœnam eiſdem remittere. Occurrere caſus poſſunt, ut caritas ſuadeat unius, aut alterius diei dilationem, quo Dei miniſtri experiantur, ſi poſſint cordis eorum duritiem frangere, atque illos ad pœnitentiam inducere. Quod ſi hæc experimenta exitum nullum haberent, ſupplicium executioni foret demandandum: ſibique ſoli reus imputare deberet ſuam damnationem, non iudici, ſeu Principi, cuius potiſſimum munus eſt bonum Reipublicæ univerſale, cui officit rei vita, morſque congruit, ſpectare.

C A P U T IV.

De cæde innocentis. Utrum iudex debeat ſententiam mortis ferre in eum quem teſtes evincunt nocentem, ſi ipſe privata ſcientia innocentem agnoſcat?

I. QUæſtioni de occiſione facinoroſorum ſuccedit quæſtio de innocentum cæde. Difficillima eſt controverſia iſthæc, gravibuſque implexa difficultatibus, quæ vix reſolvi evidenter poſſunt. Eam expreſſe diſcutit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxiv. *art.* 6. cuius veſtigiis nos inſiſtemus. Et primum omnium, quæ certa ſunt, ab incertis ſecernenda veniunt. Convenit penes omnes innocentem *directe* occidi non poſſe. Rationem hanc exhibet Angelicus ex ſacra Scriptura deprompptam: *Inſontem, & iuſtum non occides:* Exod. xxiii. eamque ſic explicat. Reſpublica poteſtatem a Deo habet occidendi eos qui bono communi noxii ſunt. Innocentes non modo communi bono non nocent, ſed illud promovent. Ergo nullo modo occidi directe valent. Hæc ſunt Angelici verba. *Occiſio peccatoris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur. Vita autem iuſtorum eſt conſervativa, & promotiva boni communis. Et ideo nullo modo licet occidere innocentem.*

II. Obiicies. Deus iuſſit Abraham ut filium ſuum innocentem immolaret. Item Viri Samariæ interfecerunt filios Achab *IV. Reg.* x. & filii Iſrael interfecerunt lactentes, ut habetur *Ioſue* vi. qui erant innocentes: & tamen eorum occiſio Deo placuit. Reſpondet D. Thomas loc. cit. ad 1. *Deus habet dominium mortis, & vitæ. Eius enim ordinatione moriuntur peccatores, & iuſti. Et ideo ille qui mandato Dei occidit innocentem, talis non peccat; ſicut nec Deus, cuius eſt executor.* Innocentes qui occiſi opponuntur, Dei ordinatione occiſi fuerunt.

III. Innocentes indirecte occidi poſſe, ſimiliter extra controverſiam eſt. Rex de-

demoliri urbem debet ob bonum commune, civeſque rebelles morti tradere. Rebellibus permixti ſunt innocentes, qui ſalvari nequeunt, illis peremptis. Licita tunc erit reorum mors, etiamſi illam occiſio conſequatur innocentum. Quia illa, non hæc, a Rege victore intenditur.

IV. Quæſt. I. *Tyranno minanti urbis excidium, niſi ei innocens occidendus tradatur, licita ne traditio eſt?* Reſp. Negant omnes, Rempublicam poſſe directe, & abſolute innocentem tradere Tyranno occidendum: quia iniquitatis Tyranni particeps fieret, eiuſque malitiæ. Verum aliam quæſtionem poſtea inſtituunt, utrum nempe innocens ipſe teneatur Tyranno ſe ſiſtere occidendum, ut ſuam Rempublicam incolumem ſervet. Adfirmat prima ſententia: additque, hac poſitione facta, poſſe Rempublicam tunc tradere Tyranno innocentem mactandum, ſi ipſe nollet debitum ſuum implere ſe voluntarie tradendo. Quia præcepto caritatis tenetur civis etiam innocens præferre bonum totius civitatis bono privato proprio. Reſpublica autem imperare licite valet ut civis impleat non ſolum quæ tenetur efficere lege iuſtitiæ, ſed etiam quæ debet caritatis præcepto. Hanc opinionem defendunt Bannez 2. 2. *quæſt.* lxiv. *art.* 3. Leſſius *Lib. II. cap.* ix. *dub.* 7. *num.* 38. Lugo *diſp.* x. *ſec.* 4. *num.* 113. Diana, Ledeſma, & alii.

V. Altera ſententia negat, innocentem adſtringi aliqua lege ut ſe Tyranno occidendum præbeat; atque adeo non poſſe Rempublicam illum cogere ut ſe tradat eidem: quoniam hæc traditio eſt intrinſecus, ſuaque natura mala: cooperatur quippe Tyranni malitiæ. Ergo nec innocenti, nec Reipublicæ licita. Hac ratione nequit Reſpublica virginem corrumpendam tradere Tyranno, urbis deſolationem minanti, nec ſacros libros comburendos, nec ſacramenta profananda: quia hæc omnia ſuapte natura mala ſunt. Accedit, contrariam ſententiam minime ſibi conſtare, quin ſeipſam perimere. Fatetur, non poſſe Rempublicam innocentem Tyranno tradere; ſed tantum in caſu quo nollet ipſe innocens ſe ſponte Tyranno ſiſtere occidendum. Verum hæc illuſio quædam verborum eſt. Nam vel hæc traditio eſt abſolute, & intrinſecus mala; vel non. Si primum; nec licita eſt Reipublicæ, nec ipſi innocenti. Si ſecundum; iam Reſpublica poterit abſolute, & directe innocentem Tyranno tradere: quæ enim non ſunt natura ſua mala, ſed aliquo fine honeſtari queunt, poſſunt a Republica executioni demandari ob boni univerſalis conſervationem, communemque perniciem vitandam Hoc ſecundum negat adverſa opinio. Neget ergo oportet & primum. Fundamentum oppoſitæ ſententiæ nullius eſt momenti: quoniam falſum eſt ipſum innocentem teneri ſe tradere Tyranno occidendum: quia particeps fieret illius ſceleris, ut dictum eſt: Poteſt ſolum innocens ob amorem in patriam omittere ſui ipſius defenſionem. Poteſt & Reſpublica abſtinere ab illius protectione. Nec enim cum tanto damno adſtringitur defendere privatum civem. Ea media adhibe-

re

re Reſpublica valet ad conſervationem totius civitatis quæ intrinſecus mala non ſunt; ſecus ea quæ a malitia purgari nequeunt. Hanc ſententiam defendunt D. Thomas *loc. cit.* Dominicus Soto *Lib. V. de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 7. Aragon 2. 2. *quæſt.* lxiv. *art.* 3. Ioannes a S. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxiv. *diſp.* vii. *art.* 2. *concl.* 2. Salmanticenſes *tract.* xiii. *cap.* 11. *punct.* 4. §. 1. *num.* 54. & alii.

VI. Quæſt. II. *Licitum ne iudici eſt illum occidere quem certo ſcit eſſe innocentem; ſi ſecundum allegata, & probata nocens appareat?* Reſp. Quæ certa ſunt, præmitto. Iudex in hac hypotheſi nullum non movere lapidem tenetur, nihilque intentatum relinquere, ut innocens liber evadat. Severius examinare teſtes debet, accuſatores monere de veritate dicenda, illorum teſtimonia adverſus innocentem infirmare exceptionibus, ſententiam differre. Si abſque ſcandalo poteſt, debet curare ut innocens fugiat carcerem aperiendo; cauſſam ad aliud tribunal, ſi refugium pateat, deferre, & coram illo accuſati innocentiam teſtari.

VII. Advertendum etiam, Principem ſupremum poſſe abſolute liberare innocentem: quia valet in hoc graviſſimo caſu diſpenſare a lege præſcribente iudicium ſecundum allegata, & probata. Quare, ſi iudex ſit ſuprema poteſtate ornatus, tenetur liberare innocentem. Hæc omnia certa ſunt, nullique diſputationi ſubiecta. Controverſia eſt de iudice inferiori, cui nulla pateat via ad liberandum innocentem.

VIII. Triplex circumfertur ſententia. Prima abſolute negat. Secunda diſtinguit cauſſas criminales maiores a minoribus, & civilibus. Negat, poſſe iudicem in cauſſis maioris momenti, ut ſunt pœna capitis, mutilatio membrorum, exilium perpetuum, damnatio ad triremes, condemnare quempiam ſibi manifeſte innocentem, tametſi ſecundum iuris ordinem appareat reus. Affirmat vero, poſſe, & debere damnare in cauſſis minoris momenti, & civilibus. Tertia ſententia aſſerit abſolute, iudicem debere ſententiam ferre ſecundum allegata, & probata.

IX. Tertiam hanc ſententiam defendere videtur D. Thomas ſatis expreſſe 2. 2. *quæſt.* lxvii. *art.* 2. ſic inquiens. *Iudicare pertinet ad iudicem, ſecundum quod fungitur publica poteſtate: & ideo informari debet in iudicando, non ſecundum id quod ipſe novit tamquam privata perſona, ſed ſecundum id quod ſibi innoteſcit tamquam perſonæ publicæ. Hoc autem innoteſcit ſibi & in communi, & in particulari. In communi quidem per leges publicas, vel divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet. In particulari autem negotio aliquo per inſtrumenta, & teſtes, & alia huiuſmodi legitima documenta, quæ debet ſequi in iudicando magis quam id quod ipſe novit tamquam privata perſona. Ex quo tamen ad hoc adiuvari poteſt ut diſtrictius diſcutiat probationes inductas, ut poſſit earum defectum inveſtigare. Quod ſi eas non poſſit de iure repellere, debet, ſicut dictum eſt, eas iudicando ſequi.* In hoc eodem articulo obiicit ſibi omnia præcipua contrariæ ſententiæ argumenta, eaque diſſol-

vit. Hanc eamdem doctrinam tradit quæſt.lxiv. art. 6. ad 3. *Iudex, ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus convincitur, debet diligentius examinare teſtes, ut inveniat occaſionem liberandi innoxium; ſicut Daniel fecit. Si autem hoc non poteſt, debet eum ſuperiori relinquere iudicandum. Si autem nec hoc poteſt, non peccat ſecundum allegata ſententiam ferens: quia ipſe non occidit innocentem... Miniſter autem iudicis condemnantis innocentem, ſi ſententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire: alias excuſarentur carnifices qui martyres occiderunt. Si vero non contineat manifeſtam iniuſtitiam, non peccat præceptum exequendo: quia ipſe non habet diſcutere ſuperioris ſententiam; nec ipſe occidit innocentem, ſed iudex, cui miniſterium exhibet.* Sententiam hanc D. Thomæ defendunt communiter omnes Thomiſtæ. S. Antoninus *III. Part. tit.* IX. *cap.* II. *§. 6.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxvii. *art.* 2. Sotus *Lib. V. quæſt.* IV. *art.* 2. Sylveſter verb. *Iudicare*. Petrus Tapia *Tom. II. Lib. V. quæſt.* X. *art.* 4. Vvigandt *tract.* IX. *exam.* 4. Serra 2. 2. *quæſt.* lxvii. *art.* 2. Prado *Tom. II. cap.* XXIII. *quæſt.* II. Salmanticenſes *tract.* XXV. Ex extraneis Navarrus *cap.* Si quis autem *de pœn. diſt.* VII. *num.* 128. Covarruvias *Lib. I. variar. cap.* I. *num.* 6. Toletus *Lib. V. cap.* VI. Maior in *III. diſt.* XXXIII. *quæſt.* IV. Fagundez *Lib. VI. Conſil. cap.* I. *dub.* 17. Tamburinus *Lib. V. cap.* XIV. *num.* 9. Filliucius *tract.* XLVIII. *cap.* VI. Corduba *Lib. I. quæſt.* XXXVII. Azorius *Tom. III. Lib. II. cap.* II. *quæſt.* XI. Valentia *Tom. III. diſp.* V. *quæſt.* XI. *punct.* 2. Sayrus *in Clav. Regia Lib. XII. cap.* VIII. *num.* 13. aliique plures

X. Rationes quæ pro hac ſententia afferri ſolent, ſunt ſequentes. Iudex publicam, non privatam perſonam gerit. Ergo non privata, ſed publica notitia uti debet in ſententia ferenda. At notitia publica innocentem evincit ſontem. Ergo iudex damnare eum debet. In confirmationem maioris propoſitionis plures allegantur auctoritates. Ex Deut. XVII. *In ore duorum, aut trium teſtium peribit qui interficietur*. Ex *cap.* Iudicet III. *quæſt.* VII. & *ex* II. *quæſt.* III. ex *cap.* Summopere, & ex *cap.* Paſtoralis, *§.* Quia vero *de officio legati*: ubi onus iudici imponitur iudicandi ſecundum leges, ſeu ſecundum eam notitiam quæ, ſervato iuris ordine, & ex teſtium depoſitione conſtat. Accedit quod finis ob quem erecta ſunt tribunalia, & iudicia inſtituta, eſt publica tranquillitas, & boni publici conſervatio. Immo ideo potiſſimum leges iubent ut iudices ſententiam ferant ſecundum allegata, ut vulgo dicitur, & probata, ne iudices pro genio, partiumque ſtudio, atque affectu iudicare poſſint. Si enim iudicibus pro ipſorum arbitrio facultas conceſſa eſſet in vitam, & bona hominum ſententiam ferendi; magna orirentur in populo ſcandala, perturbationes, & iurgia. Quia modo ſontes apparerent innoxii, & modo innocentes evaderent ſontes. Ergo publica tranquillitas requirit condemnationem innocentis, qui ſecundum leges, iuriſque ordinem nocens convictus eſt. Confirmatur paritate nocentis, qui, quando ſecundum allegata probatur innocens, non

Digitized by Google

non poteſt damnari. Ergo neque innocens, dum convincitur nocens, liberari valet. Hæc tamen paritas infirma eſt: quia diverſa eſt nocentis ac innocentis conditio. Abſolute legi naturæ non repugnat illi parcere, ſicut repugnat huic damnum inferre. Aliæ nonnullæ rationes quæ afferri ſolent, ad eas quæ adductæ ſunt, revocantur.

XI. Contrariam ſententiam propugnant celebris D. Thomæ interpres Franciſcus Sylvius 2. 2. *quæſt.* lxvii. *art.* 2. Lyranus in *cap.* xxiii. *Exod.* Hadrianus *quodlib.* vi. *art.* 3. Petrus Navarra *Lib. II. cap.* iii. *num.* 161. Henricus a S. Ignatio *Tom. II. part.* v. *cap.* xvii. pluresque alii tum Iuriſtæ, tum Theologi. Hæc ſunt pro iſta ſententia rationum momenta. Solus Deus dominus eſt vitæ & mortis. Ab eo conceſſa eſt publicis miniſtris facultas occidendi ſolos facinoroſos, Reipublicæ, humanæque ſocietatis perturbatores. Ergo repugnat tum caritati, tum iuſtitiæ occiſio innocentis, humana auctoritate imperata. Innocens enim, licet hominum calumniis probetur nocens, non propterea nocens eſt, aut Reipublicæ noxius. Quapropter dicitur Exod. xxiii. *Inſontem, & iuſtum non occides*: & Danielis xiii. *Innocentem, & iuſtum non interficies*. Duo quidem erant adverſus Suſannam teſtes; Daniel tamen eius patrocinium ſuſcepit, & innocentiam vindicavit: optime enim noverat quod *Exod. cit. cap.* ſubditur: *Non ſequeris turbam ad faciendum malum; nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies*. Nec refert, ſi dicas, non eſſe iudicem, ſed accuſatores, qui innocentem occidunt: quoniam utrique occidunt: iudex quidem mortis ſententiam ferendo: quoniam, inquit Angelicus loc. cit. quæſt. lxiv. art. 2. ad 1. *ille aliquid facit cuius auctoritate fit*: teſtes vero calumniatores, quia ſunt illius mortis cauſſa. Nec dici valet, iudicem præter intentionem, ac per accidens innocentem occidere: quoniam ille fungitur officio ſuo, ex quo per accidens, & præter ipſius intentionem mors ſequitur innocentis; ſicuti ex inculpata neceſſaria defenſione propriæ vitæ ſequitur præter intentionem defenſoris mors invadentis. Verum iudex poteſt dimittere officium, ne iudicet: quod non accidit in neceſſaria defenſione. Iudex ergo deliberate ſciens, & volens innocentem morti addicit: deliberate audit falſa accuſatorum teſtimonia, & tamen *Exod.* xxii. illi iubetur ut *non ſuſcipiat vocem mendacii*: atque ad ipſum pertinere videtur illud Prov. xxiv. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*.

XII. Secundum rationis momentum eſt. Adimere vitam alicui abſque legitima auctoritate per ſe malum eſt. Atqui iudex nullam habet auctoritatem vitam adimendi innocenti. Ergo nequit illi iuſte eam adimere. Minor probatur. Hanc auctoritatem non habet a Deo, qui innocentis mortem prohibet; nec illam habet a Republica, quæ talem impertiri nequit facultatem, utpote a Deo minime ſibi collatam.

XIII. Tertio. Ille ſolus iuſte occiditur qui peccando noxius eſt Reipublicæ, &

T iiij hu-

humanæ ſocietati, ut expreſſe docet S. Thomas *quæſt.* lxiv. *art. 6.* Sed innocens nec ſocietati, nec Principatui noxius eſt; immo eſt illis valde utilis, & neceſſarius. Ergo propter improbitatem accuſatorum occidendus non eſt.

XIV. Quarto. Præſumptio veritati cedere debet; præſertim cum malum graviſſimum, & irreparabile ſequitur. Sed quod innocens reus appareat, ſola nititur præſumptione, teſtium depoſitione nixa. Ergo hæc præſumptio cedere debet veritati, quam compertam habet iudex, exploratamque. Verum habet quod teſtes probationem facere ſufficientem ſolent ad pœnam mortis decernendam; ſed hoc evenit, quando veritas iudicem latet, ſecus quando hæc illi comperta eſt.

XV. Quinto. Præceptum iudicandi ſervato iuris ordine, & ſecundum allegata, & probata, eſt poſitivum; præceptum vero non occidendi innocentem eſt naturale, atque divinum. Sed præceptum naturale debet poſitivo prævalere. Ergo in concurſu utriuſque præcepti iudex tenetur obſervare mandatum naturale non occidendi innocentem.

XVI. Sexto. Si iudici pluribus teſtibus conſtaret mulierem eſſe ſuam, quam ipſe certo ſcit eſſe alienam, non poſſet ad eam accedere, quia intrinſecus malum eſt accedere ad non ſuam. Item, ſi a ſuprema poteſtate lex ei imponeretur mentiendi, mentiri haud poſſet, eo quod mendacium natura ſua malum eſt. At etiam occiſio innocentis & iuſti per ſe, & abſolute mala eſt. Ergo numquam licita. Nec valet reſponſio, quod in recenſitis caſibus mentiendi, & accedendi ad non ſuam, iudex ut privata perſona iudicium formare deberet de actionis honeſtate: quoniam non maiorem auctoritatem dedit Deus iudici ſuper innocentis vitam quam ſuper corpus feminæ non ſuæ. Ergo ſicut ad hanc accedere nequit, licet in iudicio probatum fuerit eſſe ſuam; ita nequit occidere innocentem.

XVII. Pilati ſententia fuit iniuſtiſſima, quia innocentem, ut talem cognitum, damnavit; quamvis innumeri teſtes probarent eum ſontem. Et, quia ille teſtium perfidiam agnovit, ſicut in noſtro caſu iudex agnoſcit teſtium calumniantium iniquitatem, ideo ſic iudicans peccavit. Ergo utrobique eadem ratio. Pilatum autem revera cognoviſſe teſtium falſitatem, teſtatur Marcus cap. xiv. *Multi teſtimonium falſum dicebant adverſus eum, & convenientia teſtimonia non erant.* Quin & ipſe Pilatus teſtatus eſt Lucæ xxiii. *Nullam invenio cauſam in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes. Nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei.* Quapropter coram populo exclamavit Matth. xxvii. *Innocens ego ſum a ſanguine iuſti huius: vos videritis.* At, inquiunt ſententiæ iſtius patroni, etiam iudex agnoſcit iniquitatem accuſatorum. Hoc argumentum a paritate iudicii Pilati futile eſt, & ineptum. Pilatus non ut perſona privata, ſed ut iudex, cognovit ſecundum iuris ordinem, Chriſtum eſſe innocentem, accuſatoreſque Iudæos perfidos, illorumque teſtimonia nihil probare adverſus eumdem; ut colli-

colligitur ex exprobratione Iudæis ſacta. Iudex in noſtro caſu, ſecundum leges agnoſcit teſtium probationes eſſe validas, atque firmas: nulla ipſi præſto eſt exceptio, quam regerere in accuſatores poſſit: nihil ipſi occurrit quod opponat. Quapropter eius ſcientia privata nullam vim habet iuxta iuris leges. Si enim teſtem aliquem ſuæ ſcientiæ haberet, iam occurreret quid opponeret accuſatoribus.

XVIII. Ad alia argumenta in favorem iſtius ſententiæ hæc reſponſa prioris ſententiæ patroni exhibent. Ad primum, quod eſt potiſſimum, & ad quod cetera omnia reducuntur, & quo ſoluto, cetera concidunt ſeipſis, dicunt, occiſionem innocentis directam, & per ſe, natura ſua malam eſſe; ſecus indirectam. Iudex autem occidit innocentem indirecte, ſervando leges Reipublicæ, quæ præcipiunt ut damnetur qui ſecundum allegata & probata cognoſcitur reus. At huc omnia reci- dunt, utrum videlicet leges Reipublicæ obligent iudicem ut damnet innocentem, quem ipſe privata ſcientia cognoſceret falſo a teſtibus accuſari. Reſpublica, ſeu ſuprema poteſtas nullam a Deo accipit in vitam innocentis poteſtatem. Leges a Republica latæ ſervandi iuris ordinem, eo potiſſimum ſpectant, ut veritas, quæ una eſt, a iudice comperiatur omni & meliori modo quo fieri poteſt. Communiter melior via eſt illa teſtium. At ſi teſtes iniqui, & fallaces dignoſcantur evidenter a iudice, notitia licet privata; quis dixerit in hac poſitione occidendum ab eo innocentem eſſe? Præfatæ enim leges, ut tandem concludam, eo pertinent, ut ſoli facinoroſi, reapſe tales, & Reipublicæ perturbatores occidantur. Eo tandem ſpectant ut bonum commune, tranquillitaſque publica ſerventur. Si innocentes accuſatorum, teſtiumque fraudibus, calumniis, atque malignitati ſubiiciantur; ſi ab illorum accuſationibus iuſtorum innocentia pendeat; concidat Reſpublica, tranquillitas, concordia, ipſumque bonum commune oportet. Comparentur ergo hæc duo invicem: lex poſitiva iudicandi ſervato iuris ordine, & lex naturalis ſervandi iuſtum & innocentem. Quis dixerit, hanc illi non antecellere, adeoque præferendam non eſſe? Quid quod ipſa lex iudicandi, ſervato ordine iuris non alio tendit, niſi ut innocentia præſervetur, niſi ut ſola vera iniquitas puniatur? Reipublicæ leges prohibent iudici ne ex privata ſcientia quemquam damnet. Ipſe certo ſcit aliquem mortis reum eſſe; in eum tamen ſententiam mortis ferre nequit, ſi deſint publicæ probationes. Et hoc ſatis eſt ad proſpiciendum bono communi, tollendamque occaſionem odii, & invidentiæ. Quod iudex ſervet innocentem iniuſte accuſatum, nulla lex prohibet. Neque ſcandalum aliquod timeri poſſet, ſi iudex refugeret illum damnare; ſicut reapſe oriretur, ſi palam fieret eum damnaſſe innocentem. Poſtremo leges ſervandi iuris ordinem a Republica impoſitæ, ſunt poſitivæ, & humanæ. Ergo cedere debent legi naturali non occidendi innocentem. Nec ullius momenti eſt quod aiunt, leges ſervandi iuris ordi-

nem

nem eſſe naturales, quatenus, eis poſitis, iure naturæ tenetur iudex illis parere. Quoniam hoc purum putumque ſophiſma eſt. Nam etiam Princeps ſupremus illis conditis lege naturali tenetur parere; & tamen iuxta omnes Princeps ſupremus prætermittere has leges valet. Ut hoc ſophiſma diluatur, diſtinctione opus eſt. Legum naturalium aliæ ſunt negativæ, quæ ea vetant quæ natura ſua mala ſunt; ut hæ quæ præcipiunt non mentiendum, non fornicandum, non occidendum iuſtum: aliæ poſitivæ ſunt, quæ præſcribunt opera quædam bona, quorum tamen executio a pluribus circumſtantiis pendeat; ut leges ſanctificandi feſta, iudicandi iuxta ſancitas leges, & id genus plurimæ. Iſtarum obſervantia mutatur ob circumſtantiarum varietatem. Idcirco in noſtro caſu iudex poteſt, & debet, perinde ac ſi eſſet Princeps ſupremus, prætermittere iuris ordinem.

XIX. Confirmantur hæc omnia. Iudex inferior in caſu propoſito tenetur, ſi poſſit, adire iudicem ſupremum. Hic abſolute liberare reum poteſt. Cur ergo, ſi ob aliquam circumſtantiam recurſus non pateat, cur, inquam, præſumere iudex inferior non poterit, ſibi in hac hypotheſi a ſupremo Principe impertiri facultatem omittendi iuris ordinem, ſicut omitteret ille, ſi foret in caſu? Nonne fatentur omnes, urgente cauſſa, licitum eſſe uti licentia rationabiliter præſumpta? Quidni ergo licebit in caſu noſtro? Hæc ſunt rationum momenta quæ alibi fortaſſe non invenies, ſaltem omnia: & hæc difficillimam mihi reddunt priorem ſententiam ob rationes hic indicatas. Cetera argumenta, ut illud non accedendi ad non ſuam, nullum mihi faceſſunt negotium: quia reapſe iudex ut maritus, non publico, ſed privato iudicio debet recognoſcere ſuam uxorem.

XX. Si hæc controverſia praxim ſpectaret, ſeu, ſi caſus eiuſmodi frequenter occurrerent; eam pro dignitate verſare vellem, penitiuſque pro viribus exhaurire. Sed tota metaphyſica eſt, & vix, aut ne vix quidem caſus occurrere poteſt. Idcirco a ſeveriori diſcuſſione abſtineo. Et, ne difficultatem callide effugere videar, en methodum quam ſervare iudex debet.

XXI. Primum ſollicitus debet eſſe ut avertat ab accuſatione actorem. Si hoc non aſſequatur, curet ut actor ab intentata cauſſa deſiſtat. Poſt iudicium protrahat. Teſtes pluries examinet per plura intervalla; iiſdemque opponat circumſtantias temporis, loci, facti. Fieri enim vix poteſt ut iudex, ſi evidenter ſciat accuſatum de delicto capitali eſſe innocentem, non habeat unde in ſermone capere teſtes, & accuſatores poſſit, ſaltem in aliqua circumſtantia, quæ ſola ſatis ſit ad differendum iudicium. Daniel ſolertiſſimus Propheta in ſermone cepit teſtes adverſus Suſannam, eo quod unus illorum depoſuerit crimen factum fuiſſe ſub pruno, alter ſub ſchino. Admiſſa vero perquam difficili ſuppoſitione, quod nihil hiſce modis obtineri poſſit, ſi abſque ſcandalo fieri valeat, carcerem aperiri iubeat, ut accuſatus fugiat. Ultimo tandem, his omnibus fruſtra tentatis,

cauſ-

Digitized by Google

cauſſam ad ſupremum iudicem remittat, dicens, ſe difficultatem in hac cauſſa experiri, ob quam ſententiam ferre nequeat. Supremus vero iudex ab inferiori informatus ſuprema ſua auctoritate utatur. Ferventes preces Deo fundantur. Actor, & teſtes a viris prudentibus, piis, & ſagacibus in ſermonem ſæpius inducantur, ut ad meliorem frugem iſtorum ſuaſionibus, & monitis revocentur. Ex his omnibus ſatis colligitur, caſum eſſe metaphyſicum, quod iudex cogatur occidere innocentem.

XXII. Tamen tu inſtas: Quid agendum, admiſſa difficili hypotheſi? Reſpondeo, præſcindendo ab utriuſque ſententiæ probabilitate, me intimo ſenſu, tamque efficaci propoſito animi abhorrere ab innocentis cæde, ut nulla umquam perſuaſione inducerer ad eum damnandum quem iuſtum certo cognoſcerem. At, ſi hoc tibi fortaſſis minime arridet, tuis indulge placitis. Res hæc in utramque partem valet diſputari. Tu quam probabiliorem exiſtimas ſelige.

XXIII. Unum te admonitum velim. Si communem Thomiſtarum ſententiam amplecti vis, cavendum tibi eſt, ne laqueo difficillimi argumenti irretiaris. Eſtque huiuſmodi. D. Thomas 1. 2. *quæſt.* XIX. *art.* 6. & alibi ſtatuit, numquam iudicium eſſe rectum, niſi ſit primæ regulæ conforme. Porro iudicium iudicis damnantis innocentem non eſt conforme primæ regulæ. Ergo non eſt rectum. Quod argumentum ſibi proponit Angelicus in hac citata *quæſt.* LXVII. *art.* 2. loco ſecundo: reſpondetque, *quod Deo competit iudicare ſecundum propriam poteſtatem: & ideo in iudicando informatur ſecundum veritatem quam ipſe cognoſcit, non ſecundum hoc quod ab aliis accipit ... Alii autem iudices non iudicant ſecundum propriam poteſtatem: & ideo non eſt ſimilis ratio.* Quæ ſolutio ut optima dicatur, ſufficit quod ſit Angelici. Verum reſtat videndum, ſit ne rectum iudicium illud, bonum, & meritorium, aliis conditionibus ſuppoſitis. Abſit ut illud rectum, bonumque reipſa dicas. Eſt difforme primæ regulæ: ergo non rectum, non bonum, non meritorium. Quapropter ſcite Angelicus dixit, quod iudex ſententiam ferendo *non peccat*. Hanc difficultatem eadem via ſolve qua reſolvis illam de conſcientia erronea. De ea fuſe diximus in Hiſtoria Probabiliſmi, & Rigoriſmi italice ſcripta *diſſ.* III. & fuſius dicemus, cum de actibus humanis ſermo erit. Unde nihil hic dicendum.

XXIV. Tertia ſententia, media inter has duas extremas, eſt, quod iudex in cauſſis civilibus poſſit, ſi coactus ſit, condemnare innocentem, ſecundum allegata nocentem, dummodo hæc omnia adſint: quod nequeat detegi falſitas, quod proceſſus non poſſit impediri, & quod evidens ac magna boni communis neceſſitas ſententiam poſtulet. Si enim ſententia ferenda eſt; non poteſt ferri contra allegata, & probata. Si autem, ſalva boni communis utilitate, ſententia ſuſpendi valet, neque abſolvendus, neque damnandus eſt accuſatus. Hanc ſententiam do-

defendunt Sylvius 2. 2. *quæſt.* LXVII. *art.* 2. *concl.* 2. Leſſius, Navarra, Aragon, Lugo, & alii. Hæc opinio probabilitate non levi nititur. Et diſparitas, quidquid dicant Salmanticenſes *tractat.* XXV. *cap.* 1. *punct.* 3. *num.* 35. eſt ſatis plauſibilis. Nam certum eſt, Rempublicam auctoritate pollere in bona temporalia civium, deque iis in bonum commune diſponere poſſe; ut patet in legibus de *uſucapionibus*, *& præſcriptionibus*: & hoc a nemine in diſputationem vocatur. Ergo Reſpublica hanc facultatem iudicibus facere poteſt, ut propter bonum commune, tranquillitatemque publicam, ſecundum allegata, & probata ſententiam ferant. Accedit, bona temporalia recuperari valere. At in vitam innocentum nulla Reſpublica poteſtate fruitur. Occiſio innocentum abſolute, & directe vetita eſt naturæ iure, ut quid intrinſecus malum. Ergo evidens videtur diſparitas inter poteſtatem Reipublicæ in vitam innocentum, & bona temporalia. Plura dicerem, ſi quæſtiones iſtæ praxim tangerent. Verum, ut dixi, metaphyſicæ ſunt, quarum praxis vix umquam occurrit.

C A P U T V.

De homicidio privata auctoritate perpetrato.

UBerem diſputandi materiem nobis exhibent recentiorum Probabiliſtarum excogitatæ opiniones, nimium ab illa, quam oſtentant, benignitate alienæ. Ut eas pro dignitate expendere valeamus, ſigillatim diſcutiendæ ſunt. Idcirco caput iſtud in plures tribuam paragraphos.

§. I.

De occiſione Tyranni, & adulteri.

I. DUplex Tyrannorum genus. Alterum eſt illorum qui plus æquo ſubditos gravant, & crudeli regimine eos vexant; iuſte tamen ſolium tenent. Tyrannos eiuſmodi nemini licitum eſt occidere. Alterum Tyrannorum genus eſt illorum qui iniuſte occupare, aut retinere dominium, & regimen ſubditorum nituntur. De his ſermo erit infra.

II. Quæſt. I. *Licitum ne marito eſt uxorem occidere in adulterio deprehenſam?* Reſp. Affirmantem opinionem propugnarunt plures Iuriſtæ; eamque probabilem reputarunt Fagundez *Lib. V. in Decal. cap.* X. *num.* 19. Sa *verb.* Homicidium *num.* 15. Leſſius *cap.* IX. *dub.* 5. *num.* 16. apud Cardinalem de Lugo *de iuſt. diſp.* X. *ſec.* 3. *num.* 85. Hanc opinionem damnavit Alexander Papa VII. in hac propoſitione, quæ

quæ eſt 19. *Non peccat maritus occidens propriam uxorem in adulterio deprehenſam*. Eam improbavit S. Thomas in *IV. diſt.* XXXVII. *quæſt.* II. *art.* I. his verbis. *Virum interficere uxorem contingit dupliciter. Uno modo per iudicium civile . . . . Alio modo poteſt eam per ſeipſum occidere, non in iudicio convictam: & ſic extra actum adulterii eam interficere . . . . neque ſecundum leges civiles, neque ſecundum legem conſcientiæ licet*. Et, aliis ad hoc ipſum explicandum interiectis, demum concludit: *In nullo caſu licet viro interficere uxorem propria auctoritate*. Angelico ſubſcripſerunt communiter Theologi. Ratio evidens eſt: quia maritus non eſt legitimus uxoris iudex. Deus enim dumtaxat supremæ humanæ poteſtati contulit facultatem iudicandi facinoroſos, ut dictum eſt, ſervato iuris ordine. Peccaret ipſe Princeps, ſi abſolute inauditam adulteram damnaret. Quanto magis ergo maritus, qui nulla potitur in vitam uxoris poteſtatem? Sed in re manifeſta non immorandum.

III. Leges tum civiles, tum eccleſiaſticæ, quæ in oppoſitum allegantur, ſolum ſunt permittentes in foro exteriori. Leges pontificiæ, quæ dicunt, non ſubiacere excommunicationi maritum occidentem adulterum Clericum, non propterea licitum homicidium abſolute afferunt; ſed ex præſumptione quod, paſſione impellente, rationemque præveniente, homicidium abſque neceſſaria libertate perpetratum fuerit, ab excommunicatione immunes declarant eiuſmodi homicidas. Legitimam eſſe interpretationem evincit propoſitio damnata.

IV. Quæſt. II. *Supremus Princeps deprehendens uxorem, aut filiam in adulterio ſecreto, valet ne eam occulte occidere?* Reſp. Sententia negans communis eſt, quam tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXVII. *art.* 3. ubi auctoritatem primum profert Ambroſii in I. ad Cor. V. dicentis, *quod iudicis non eſt ſine accuſatore damnare: quia Dominus Iudam, cum fuiſſet fur, quia non eſt accuſatus, minime abiecit*. Rationem deinde in corpore articuli aſſignat his verbis. *Iudex eſt interpres iuſtitiæ. Unde, ſicut Philoſophus dicit in V. Ethic. homines ad iudicem confugiunt ſicut ad quamdam iuſtitiam animatam. Iuſtitia autem, ſicut ſupra dictum eſt, non eſt ad ſeipſum, ſed ad alterum. Et ideo oportet quod iudex inter aliquos duos diiudicet: quod quidem fit cum unus eſt actor, & alius eſt reus. Et ideo in criminibus non poteſt aliquem iudicio condemnare iudex, niſi habeat accuſatorem, ſecundum illud Act.* XXV. *Non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obiiciuntur*. Nec ſatis eſt, ſubdit S. Doctor in *reſp. ad* 2. quod ipſe iudex videat: quia *ex eo quod iudex ipſe videt, non poteſt procedere ad ſententiam ferendam, niſi ſecundum ordinem publici iudicii, quod tenet locum accuſatoris*.

V. Ratio D. Thomæ clara eſt, ab ipſo naturali iure arceſſita. In propoſito caſu

Digitized by Google

ſu Rex, ſeu Princeps ſupremus occideret uxorem, aut filiam in adulterio deprehenſam ut publicus iudex, & ſuprema utens auctoritate. Porro hac ſuprema, & publica auctoritate uti nequit, niſi publica quoque notitia utatur. Notitia autem occulta quam ille habet, privata eſt, quæ deſervire non poteſt publico iudicio. Quod eam licite occidat privata auctoritate, damnatum eſt ab Alexandro VII. in adducta propoſitione 19. Non poteſt ergo illam occidere, niſi ut publicus iudex. At ut publicus iudex neceſſario indiget publica notitia. Ergo nequit illam occidere, niſi ſervato iuris ordine. Quod confirmatur ex Clement. *Paſtoralis §. Ceterum de re iudicata*, ubi decernitur, iure naturæ cuique competere defenſionem, antequam condemnetur. *Nec prædicta ſuppletio circa ſubditum etiam ad ea potuiſſet de ratione referri per quæ de crimine præſertim ſic gravi delato defenſionis, quæ a iure provenit naturali, facultas adimi voluiſſet; cum illa Imperatori tollere non licuerit quæ iuris naturalis exiſtunt*. Quare laudatus Pontifex Clemens V. in Concilio Viennenſi relatus, ut inquiunt Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* I. *punct.* 4. *num.* 44. in citato cap. *Paſtoralis*, abrogavit ſententiam Imperatoris Henrici contra Robertum Regem Siciliæ, eo quod iuris leges in iudicio ſervatæ non fuerint. Hæc D. Thomæ ſententia communis eſt, eamque defendunt D. Antoninus *III. Part. titul.* VI. *cap.* XV. Dominicus Soto *Lib. V. quæſt.* V. *art.* 3. Bannez 2. 2. *quæſt.* LXVII. *art.* 2. *dub.* 3. Lugo *Tom. II. de iuſt. diſp.* XXXVII. *ſec.* 5. *num.* 52. Leſſius *Lib. II. cap.* XXIX. *dub.* II. Prado *Tom. II. cap.* XXIII. *quæſt.* III. *num.* 13. Salmanticenſes *loc. cit.* & alii communiter.

VI. Obiicies. Iudex ſupremus diſpenſare poteſt in iis quæ ordinem iuris ſpectant, maxime in noſtro caſu, in quo publicatio adulterii Reginæ ſummopere Regem dedecet. Idque confirmat praxis Religionum, in quibus Prælati reos puniunt, non ſervato iuris ordine. Et reapſe Daniel nonne fuit accuſator ſimul, & iudex contra iniquos ſenes?

VII. Reſpondetur, Regem, ſupremamque poteſtatem numquam poſſe omittere iuris ordinem, quantum ad ſubſtantiam talis ordinis. Explico diſtinctionem. Ordo iuris eſt ut nemo damnetur, niſi eius crimen delatum ſit ad forum publicum. Hæc autem delatio duobus modis potiſſimum fieri poteſt: vel ore hominum accuſantium; vel ore publicæ famæ, facto ipſo clamante. Quando factum eſt notorium notorietate publica facti; hæc publica vox, & infamia locum habet accuſatoris, ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. LXVII. art. 3. ad 1. & 2. *Publica infamia* (inquit) *habet locum accuſatoris. Unde ſuper illud Gen.* IV. Vox ſanguinis fratris tui &c. *dicit Gloſ. Evidentia perpetrati ſceleris accuſatore non eget*. Diximus ſupra, interdum poſſe iudicem relinquere iuris ordinem, hoc in ſenſu quod accidentia quædam, quæ rei ſubſtantiam non ingrediuntur, negligere valeat: videlicet, quando crimen reapſe notorium eſt, & manifeſtum per publicam

cam famam, cuius nulla ſupereſt dubitatio; tunc, graviſſima urgente cauſſa, poteſt iudex formulas iuris, quæ præſcriptæ ſunt ad probandum, & cognoſcendum delictum, prætermittere: quia tunc ſubſtantia ordinis conſiſtit. Nec propterea admittimus, communiter publicam famam ſatis eſſe ad ſententiam ferendam: quia non raro publica fama falſitate nititur. Addimus, iudicem ſupremum poſſe prætermittere iuris ordinem in liberando innocente, &, ſi velis, etiam reo, ſi bonum commune id exigat. Iuris vero ordinem numquam prætergredi valet iudex in damnando reo. Semper enim, antequam ſententia feratur, debet præcedere publica manifeſtatio, & probatio criminis ſive voce facti, ſive voce rei.

VIII. Obiectio honoris regii futilis eſt. Honor Regis exigit ut occultum crimen occultum maneat. Occiſio Reginæ non ſervat, ſed lædit honorem Regis. In Religionibus levia tantum crimina plectuntur, non ſervato iuris ordine; ſecus gravia, quæ numquam puniri queunt, prætermiſſo iuris ordine quantum ad ſubſtantiam. Ad ultimum ſic reſpondet D. Thomas: *Daniel accuſator fuit ſimul, & iudex, quaſi divini iudicii executor, cuius inſtinctu movebatur*. loc. citat. ad 3.

§. II.

De homicidio neceſſario ob vitæ defenſionem.

I. Communis eſt Theologorum ſententia, neminem abſolute teneri ſe ſe defendere ab iniuſto invaſore cum illius occiſione. Nam quiſque valet ob caritatis virtutem propriam vitam exponere, ut amici, & proximi vitam incolumem ſervet. Ergo pariter poteſt omittere defenſionem propriæ vitæ, ut vitam ex caritatis motivo ſervet invaſoris: quod potiſſimum licet, quando conſtat invaſorem gravi culpa inquinatum eſſe. Hinc ſancti Martyres neglexerunt propriam defenſionem ob Dei amorem, malentes occumbere quam perſecutoribus vitam adimere, quemadmodum ſæpe potuiſſent. Duo excipiuntur caſus, in quibus propriæ vitæ defenſio neceſſaria aſſeritur, etiam cum alterius occiſione. Primus eſt, quando qui invaditur, conſcius ſibi eſt alicuius peccati; ut ſic periculum declinet æternæ damnationis. Alter eſt, quando perſona quæ invaditur, utilior eſt Reipublicæ quam invaſor. Dominicus Soto *Lib. V. quæſt. 1. art. 8.* addit, quod, ſi is qui adoritur, ſit Rex, Princeps, vel alia perſona valde utilis Reipublicæ, & perſona quæ invaditur, ſit abiecta & vilis, cuius nihil interſit Reipublicæ, tunc ſubeunda ſit mors perſonæ invaſæ, omittendaque defenſio. Hæc Soti ſententia mihi ſane non arridet, nec probatur. Hominis quippe innocentis

vita

vita ſuapte natura melior eſt vita hominis ſontis, tametſi Principis. Porro quiſque ordine tum naturæ, tum caritatis magis diligit propriam quam alterius vitam. Simul hæc duo iungantur: innocentia, quæ ſemper magis prodeſt Reipublicæ quam iniquitas; & naturalis inclinatio cuique inſita defendendi propriam vitam: & continuo apparebit evidens ratio, quæ concedit ius defendendæ vitæ adverſus quemcumque invaſorem, ſive Principem, ſive Regem, qui utilis Reipublicæ minime eſt, cum ſubditorum vitæ inſidias ſtruit; ſed potius lupo comparatur devoranti gregem, iuxta illud Ezechielis XXII. *Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem*. Ex quo infert D. Thomas 2. 2. quæſt. LXIX. art. 4. *Sicut licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus; niſi forte propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur*. Et D. Antoninus III. Part. tit. IV. cap. III. *Verum eſt tamen ſecundum Thomam quod nullus tenetur ad hoc* (ſcilicet ut ſinat ſe occidi) *ſed maioris perfectionis eſſet, ſi potius permitteret ſe interfici, quam ſe defendendo occideret, cum non poſſet aliter evadere. Et hoc intellige, ſi eſt in bona diſpoſitione animæ ſuæ. Nam alias fatue faceret exponendo ſe morti corporis, & animæ, cum ſibi per mortem præcludatur via pœnitentiæ*. Idem docet Sylveſter *verb.* Bellum *num.* 4. Paulus Comitolus *Lib. IV. quæſt.* X. & eſt communis, ut idem advertit, aiens, neminem ſe legiſſe eorum qui de iuſta ſui defenſione loquuntur, qui in neceſſitatem ſubeundæ mortis coniiciant aliquando eum qui per vim & iniuriam ab altero petitur. His conſtitutis

II. Quæritur: *Eſt ne licita iniuſti invaſoris occiſio ob neceſſariam propriæ vitæ defenſionem?* Reſp. Antequam difficilis cauſſæ tractationem ingredior, quæ penes omnes certa ſunt, præmittam fas eſt. Ut iuſta defenſio propriæ vitæ dicatur, ſit oportet *cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Quibus verbis plures comprehenduntur cautiones. Prima eſt, ut, ſi vitam tuam ſervare poſſis ſine invaſoris interitu, cæde omnino abſtineas. Si ſola mutilatione, aut etiam minori læſione repellere vim poſſis, haud licita occiſio eſt. Si ſolis brachiis, pugnis, alapis reſiſtere vales, armis uti non debes. Secunda cautio eſt, ſi fugæ pateat via, arripienda eſt fuga, & ab homicidio, vel alia quacumque aggreſſoris læſione abſtinendum. Tertia, ut qui vim illatam repellit, non intendat invaſoris necem: de qua cautione infra dicetur. Quarta cautela eſt, ſi is qui te invaſit, poſt vulnus inflictum in fugam ſe dederit, tu fugientem inſequi, & occidere nequis, ut mox dicetur. Quinta, in ſolo conflictu licita defenſio eſt. Sexta, perſuaſus ſit oportet qui vim ſuſtinet, ſe occidendum reapſe ab invaſore, niſi ultimo conatu ſe ſe defendat, etiam cum illius occiſione. Hæc communiter admittuntur.

III. Duplex igitur eſt ſuper propoſita quæſtione ſententia. Prima negat, etiam ſervatis cautionibus indicatis, licitam eſſe ullo in caſu invaſoris iniuſti occiſionem

Digitized by Google

nem. Nam ex recentioribus contendit Henricus a ſancto Ignatio *Tom. II. par. v. cap.* v. propugnatque, hanc communem eſſe ſanctorum Patrum doctrinam, atque ſæculo duodecimo multorum Scholaſticorum, ut teſtatur Alanus Magnus de Inſulis, qui eodem ſæculo ſcripſit, dicens: *Multorum opinio eſt, non licere hominem occidere, ne ab eo occidatur.* Subdit hanc eſſe S. Thomæ mentem: quod quam ſit falſum, infra patebit. Pro eadem ſententia laudat Auguſtinum de Ancona in *Lib. de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 111. *art.* 3. Hugonem, Richardum, Gloſſam, Gerſonem, Accurtium, Almainum, Cardinalem Noriſium, Genettum, Neeſſen, Van-Roy, pluresque alios Doctores Lovanienſes.

IV. Hæc ſunt iſtius ſententiæ argumenta. Præceptum Domini eſt, *Non occides*: quo omnis prohibetur occiſio, præter eam quæ a Deo expreſſe conceditur. Porro Deus ſolis ſupremis poteſtatibus auctoritatem impertiit morte multandi facinoroſos. Subdit laudatus Theologus, ſe maluiſſe a decem Caſuiſtis quam ab uno *Eſtio* reſponſum illud audire, quo aſſeritur, iniuſte invaſum, tamquam miniſtrum publicæ iuſtitiæ, lege naturali, & poſitiva poſſe repellere invaſorem etiam cum illius occiſione. Argumentum ſecundum petitur ex præcepto caritatis, quo iubemur inimicos diligere, ut Chriſtus Dominus *Matth.* v. præcipit: *Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite illis qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Et iterum inquit Chriſtus Ioan. xv. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Sic autem Chriſtus nos dilexit, ut animam ſuam pro nobis dederit; & nos ergo pro fratribus inimicis animam ponere debemus. Chriſtus nedum dilectionem erga inimicos præcipit, ſed etiam beneficentiam. Numquid qui inimicum interimit, illi benefacit? Tertium eſt. *Matth.* v. hæc habentur: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Et D. Paulus ad Rom. xii. *Nulli malum pro malo reddentes . . . Non voſmetipſos defendentes, cariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum* &c. Quibus verbis præceptum continetur. Quartum. Chriſtus impetitus ab aggreſſoribus, qui venerant capturi eum morti tradendum, non modo non permiſit Petro uſum gladii ad ſuam defenſionem; ſed illum gladio utentem reprehendit, atque in vaginam reponere gladium iuſſit, dicens Matth. xxvi. *Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quod Ioannes repetit Apocalyp. xiii. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Quintum. Omnes Chriſtiani habere debent ſpiritum Chriſti, ut Paulus teſtatur dicens Rom. viii. 9. *Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Porro ille ſpiritum Chriſti non habet qui Chriſti patientiam non imitatur. Quapropter dicit Pe-

trus Epiſt. I. cap. II. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius . . . . qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.* Sextum. Communis traditio Patrum vetat occiſionem invaſoris cauſſa defendendæ propriæ vitæ, ut colligitur ex Tertulliano de patientia *cap.* x. Cypriano *epiſ.* lvi. Lactantio *divin. inſt. Lib. VI. cap.* x. Baſilio *epiſ. can.* lv. Cyrillo *Lib. XI.* Ambroſio *Lib. III. offic. cap.* iv. Auguſtino *Lib. I. de civ. Dei cap.* xxi. & *epiſ.* xlvii. & *Lib. I. de lib. arb. cap.* v. Bernardo *Lib. de præcep. & diſp. cap.* vii. Poſtremo id evincitur ratione. Homo chriſtianus iuxta ordinem caritatis tenetur vitam ſuam corporalem poſtponere vitæ ſpirituali proximi, etiam immanis aggreſſoris. Lex enim divina prohibet tenacem amorem earum rerum quas inviti amittere poſſumus. Porro vita corporalis bonum eſt temporaneum, quod tenaciter, & impotenter amare convincitur qui illud cæde proximi ſui conſervare nititur. Hæc ſunt argumenta Henrici a S. Ignatio, qui tandem in communem ſententiam conceſſit.

V. Contraria ſententia communis eſt inter Theologos. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxiv. *art.* 7. argumenta potiſſima quæ indicavimus, ſibi obiicit, & oppoſitam ſententiam tanta perſpicuitate explicat, propugnatque, ut vix quidquam addendum ſuperſit. Integram tanti Doctoris rationem exſcribere iuvat. Inquit ergo. *Nihil prohibet unius actus eſſe duos effectus: quorum alter ſolum ſit in intentione, alius vero ſit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt ſpeciem ſecundum id quod intenditur; non autem ab eo quod eſt præter intentionem, cum ſit per accidens, ut ex ſupra dictis patet. Ex actu ergo alicuius ſeipſum defendentis duplex effectus ſequi poteſt: unus quidem conſervatio propriæ vitæ; alius autem occiſio invadentis. Actus ergo huiuſmodi ex hoc quod intenditur conſervatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti; cum hoc ſit cuilibet naturale, quod ſe conſervet in eſſe, quantum poteſt. Poteſt tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens, illicitus reddi, ſi non ſit proportionatus fini. Et ideo, ſi aliquis ad defendendum propriam vitam utatur maiori violentia quam oporteat, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defenſio. Nam ſecundum iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occiſionem alterius: quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere quam vitæ alienæ. Sed, quia occidere hominem non licet, niſi publica auctoritate propter bonum commune, ut ex ſupra dictis patet, illicitum eſt quod homo intendat occidere hominem, ut ſeipſum defendat, niſi ei qui habet publicam auctoritatem; qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum; ut patet in milite pugnante contra hoſtes, & in miniſtro iudicis pugnante contra latrones; quamvis etiam & iſti peccent, ſi privata libidine moveantur.* Doctrinam hanc D. Thomæ aperte approbat Catechiſmus Concilii Tridentini Part. III. de 5. Decal. præcep. ſec. S. *Licet etiam ſalutis*

ſuæ tuendæ cauſa alterum occidere. Qua etiam ratione ſi quis ſalutis ſuæ defendendæ cauſa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege non teneri ſatis apparet.

VI. Duo animadvertit Dominicus Soto *Lib. V. quæſt. 1. art. 8.* in laudata D. Thomæ doctrina. Primum, nemini licere aggreſſorem occidere, ſi alia via poſſit vitam ſervare. Alterum, quod præcipuum, ac unicum eſt quæſtionis caput, nimirum licitam eſſe hanc defenſionem, dummodo neceſſaria ſit. Rationem repetit Angelicus ex ipſo naturæ iure, vi cuius quiſque innatam propenſionem experitur in propriæ vitæ conſervationem: quæ inclinatio, utpote ab auctore naturæ indita, optima eſt, actuſque honeſtus. Ergo defenſio, quæ unice hanc ſpectat conſervationem, licita erit; etiamſi ex eadem ſequatur homicidium illius qui vi iniuſta hanc conſervationem impedire nititur. Doctrinam hanc D. Thomæ confirmant iura omnia tum civilia, tum ſacra. Florentius Iuriſconſultus de iure naturali ff. de iuſ. & iur. in leg. *Ut vim*, hæc habet. *Hoc iure evenit ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimetur.* Et ff. ad legem Aquiliam, l. *Sed etſi*, hæc ſubdit. *Sed, etſi quemcumque alium ferro ſe petentem quis occiderit, non videbitur iniuria occidiſſe.* Et ff. de iniuriis, & famoſis libellis, lege *Iniuriarum* §. 1. *Qui iure publico utitur, non dicitur iniuriæ faciendæ cauſſa hoc facere: iuris enim executio non habet iniuriam.* Item in Decretali Alexandri III. *Si vero* de ſentent. excommunicat. hæc leguntur. *Si vero Clericum, vim ſibi inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem apoſtolicam tranſmitti, ſi in continenti vim vi repellat; cum vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittant.* Denique Marcus Tullius in defenſione Milonis, qui Clodium interfecit, hæc ſcribit. *Si tempus eſt ullum iure hominis necandi, quæ multa ſunt, certe illud eſt non modo iuſtum, verum etiam neceſſarium, cum vi vis illata defenditur .... Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacumque ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent.*

VII. Confirmat D. Thomæ doctrinam Dominicus Soto *loc. cit.* ubi confutat contrariam Gerſonis ſententiam, tamquam errorem manifeſtum. Quippe opinio hæc, quamquam prima fronte præferre videatur benignitatem, & caritatis evangelicæ imaginem, reapſe tamen iura omnia pervertit. Et certe ius illud, tam extrinſecus latum, quam ipſi naturæ inſitum, conſervandi propriam vitam, omnino convellit. Providentiæ item ordinem perturbat, quo non permittitur ut parricidarum, & iniquorum temeritas hominibus vitam eripiat. Accedit opinionem hanc arma miniſtrare perverſorum malitiæ ad bonorum cædem, ad Rerumpublicarum everſionem ad flagitiorum quorumvis executionem: quæ omnia ut de medio tollantur, nihili facienda eſt ſceleratorum vita. Multo enim pluris virtutes habendæ

Digitized by Google

ſunt, & multo magis ex divina caritate amandi homines virtutibus exornati quam facinoroſorum hominum vita, quando hi virtutibus, aliorumque innocentiæ bellum inferunt exitioſiſſimum.

VIII. Explicandum ſupereſt quod in ſua doctrina innuit Angelicus, nempe nulli licere ex intentione occidere iniuſtum aggreſſorem. Caietanus acutam exhibet interpretationem. Inquit enim, licere utique, ut quiſque ſe ſe defendat, hoſtem aggredientem occidere, non ita tamen ut occiſio hæc ceu medium eligatur; quemadmodum medicus ex intentione pharmacum porrigit, ut ægrotus conſequatur ſalutem: ſed ut ſit defenſionis effectus; ſicuti debilitas infirmi non eſt a medico intenta, ſed eſt curationis effectus. Hæc interpretatio nimis acuta, & metaphyſica viſa eſt Dominico Soto, qui ex Ariſtotele docet, ad efficacem voluntatem finis perinde ſequi medii ad eumdem finem unice neceſſarii electionem, ac in ſpeculabilibus ex præmiſſis ſequitur concluſio. Ergo qui iuſte vult finem, iuſte velle poteſt & medium, cum eodem fine neceſſario connexum. Argumentatio videtur manifeſta. Admiſſo enim defenſionem licitam eſſe, nulla apparet ratio cur non liceat eligere medium neceſſarium ad talem defenſionem. Addit laudatus Soto, animadvertens, D. Thomam aſſerere, tunc homicidium eligi ex intentione, quando quis alterum aggreditur ipſum præveniens, ut ſe defendat, vel occidit ad præteritam iniuriam vindicandam, aut ad præcavendam futuram. Ceterum, cum quis invaditur, quocumque modo occidat invaſorem inculpata tutela, etiamſi directe gladio, aut ſclopo iugulum, vel cor petat invadentis, quia nulla alia via poteſt illius manus evadere, non cenſetur intendere hominis occiſionem, ſed tantum ſui defenſionem. Hoc in ſenſu optima eſt Caietani interpretatio, nempe quod talis occiſio non ſit medium, ſed conſervationis effectus; tametſi conſueto ſermone recte etiam medium appelletur. In hanc doctrinam, ſaltem ut a Caietano expoſitam, concedit vel ipſe *Henricus a S. Ignatio*.

IX. Adverſus hanc interpretationem urget gravis, & permoleſta difficultas. Sit homo occluſus in eadem domo cum hoſte. Nullus evadendi locus patet. Paratus hoſtis eſt ad occiſionem: niſi præveniatur, innocentem occidit. Innoxia uxor cum marito in lecto cubat. Evidenter deprehendit, maritum ſub cervicali pugionem habere ad ſe occidendam. Nullus ad fugam aditus occurrit. Quid faciet? Si pugionem arripit, ut maritum perimat, homicidium eligit ut medium ad ſui defenſionem; ſi non prævenit, occiditur. Quid agendum? Recentiores Probabiliſtæ præveniendum invaſorem docent. Verum doctrinam hanc falſam reputamus; eamque damnavit Clerus Gallicanus anno 1700. Numquam igitur prævenire aggreſſorem licet; ſed tantum ab eo impetiti licite poſſumus nos defendere. Reponunt Probabiliſtæ, in his caſibus uxorem non aggredi, ſed ſe defendere. Dormientem maritum necat, & non aggreditur? Cui vel Stoicorum hoc ſuadebitur?

Hæc

Hæc doctrina ſuapte natura ſcandalum ingerit : quia, dum homines audiunt, licitum eſſe prævenire aggreſſorem, facillime inſidias, neces, & homicidia multiplicant.

X. Hinc colligas velim, quam ſit in praxi difficilis innoxia occiſio. Enixe orandum ne Deus permittat conflictum : quia pauciſſimi, mea quidem ſententia, reperiri poſſunt qui ab hoſte impetiti, ita moderentur iram, immodicum propriæ vitæ amorem, odium ex iniuſta aggreſſione confeſtim inardens, ceteroſque animi motus, ut, ſervata animi tranquillitate, ſolam ſui defenſionem intendant. Ab homine chriſtiano, iuſto, caritate, ceteriſque virtutibus ornato, atque earumdem exercitiis aſſueto, ſpetare iuſtam, innoxiamque defenſionem poſſumus; ſecus ab homine peccatore, chriſtianis virtutibus deſtituto. Poſſibilitatem non nego; ſed raritatem inſinuo : atque adeo quotidie Deum orandum ſubdo ne vos in ſimilem tentationem incidere ſinat.

XI. Argumenta quæ ex Henrico a S. Ignatio retulimus, ex iis quæ dicta ſunt, convulſa remanent. Ad auctoritates ex Evangelio, & Apoſtolo Paulo petitas, reſpondet D. Thomas prohiberi defenſionem *quæ eſt cum livore vindictæ*. Quare Gloſſa ad textum Apoſtoli, *Non vos defendentes*, inquit : *Non ſitis referientes adverſarios*. Et hoc in ſenſu explicandi ſunt ceteri textus. Ad Patrum ſententias pariter reſpondet D. Thomas, qui ſibi opponit Auguſtinum, tum in *epiſ. ad Publicolam*, tum in *Lib. de lib. arbitr.* ubi clarius videtur non admittere neceſſariam defenſionem cum occiſione alterius : reſpondet, inquam, Auguſtinum, atque adeo ceteros Patres damnare occiſionem qua quis intendit occidere hominem, ut ſeipſum a morte liberet, modo ſupra explicato, præveniendo nempe aggreſſorem.

XII. Ad potiſſimum argumentum ex lege caritatis arceſſitum, quod multis faceſſere negotium ſolet, reſponſio facilis, & vera eſt, videlicet nobis caritatis lege diligendam magis eſſe ſpiritualem proximi ſalutem quam temporalem propriam vitam. Hæc autem caritatis lex tunc ſolum obligat, cum noſtra temporalis vita medium neceſſarium fuerit ad ſpiritualem proximi ſalutem. Laborat civitas, inquit Soto, aut perſona aliqua vincibili ignorantia eorum ſine quibus obtineri æterna ſalus nequit. Ego ſolum poſſem occurrere. Lege caritatis teneor veritatem detegere, & occurrere animæ æternum periclitanti. Hac lege caritatis, immo & iuſtitiæ tenetur Prælatus peſtis tempore, & Princeps, ingruente bello, non derelinquere populum. Quoties autem vita mea haud eſt neceſſaria ad ſpiritualem proximi vitam, minime teneor eam exponere. Porro qui me armata manu impetit, ſua culpa, & iniquitate id facit : atque adeo mea vita haud eſt neceſſaria illius ſaluti; cum ipſe deſiſtere poſſit ab iniqua aggreſſione. Ergo non teneor illi ſuccumbere. Id expreſſe docet Angelicus, & *citata quæſtione*, & *quæſt.* xxv. *art.* 8. eiuſdem 2. 2. Quin, ſi res penitius expendatur, ambo extrema ſunt eiuſdem or-

dinis, vita nempe invaſoris, & invaſi. Spiritualis ſalus invaſoris non læditur a defenſore; ſed eſt prorſus extra illius intentionem; & ſolus iniuſtus aggreſſor ſponte, ac libere illam prodigere vult. Perperam ergo opponitur ad impugnandam neceſſariam defenſionem. Deus ipſe neminem invitum ſalvare vult; ſed libere tantum ſibi obedientes. Vita ergo temporalis aggreſſi, & vita temporalis aggreſſoris ſunt in conflictu; & vita innocentis iuxta omnes leges præferenda eſt vitæ ſontis. Alioquin, ut inquit Soto, aperiretur via facinoroſis hominibus iuſtos invadendi, ſi certi eſſent ab iiſdem non fore occidendos. Simili ratione hoſtes Machabæorum ſabbato eos adoriebantur, arbitrantes, licitum illis haud eſſe tali die pugnare. Contra tamen accidit; cum decretum fuerit legem in tali eventu non obligare ad abſtinendum bello neceſſario. Ne multa: Angelicus pauciſſimis verbis ſolvit argumentum loc. cit. *Plus tenetur homo vitæ ſuæ providere quam vitæ alienæ.* Sententia ergo D. Thomæ, & communis Theologorum vera eſt, licitam ſcilicet eſſe defenſionem propriæ vitæ, etiamſi hinc ſequatur invaſoris occiſio.

§. III.

De occiſione calumniatoris ob conſervationem honoris & famæ. Quorumdam Caſuiſtarum opiniones, ab omni humanitatis ſenſu abhorrentes, recenſentur, atque refutantur.

I. PRobabiliſtarum quorumdam Theologia, quæ, ut animadvertimus ſupra, ubique benignitatem iactat, in humani honoris defenſione tantam prodit ſævitiam, ut hominum vitam mundanæ famæ ſimulacro litare non reformidet. Si documenta iſtorum Probabiliſtarum in honoris defenſionem typis edita conferantur cum lege evangelica, quam *Chriſtus IESUS* nos docuit, vix credibile videbitur, theoremata adeo ſanguinaria, & immania edi in lucem ab hominibus profeſſione chriſtianis potuiſſe. Quod ut palam fiat, eorum referamus opiniones.

II. Et primum reſcribamus opiniones quas in materia honoris novi Caſuiſtæ docuerunt, quaſque ſummi Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. proſcripſerunt. Alexander VII. ſequentem damnavit propoſitionem, quæ eſt in ordine 17. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publice, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Hanc propoſitionem docuit P. Franciſcus Amicus *diſp.* XXXVI. *de iuſt. num.* 118. P. Domini-

minicus Viva in ſua Trutina in hanc 17. *prop.* contendit, P. Amicum diſputationis gratia propugnaſſe hanc ſententiam, quam attribuit idem P. Viva Sancio, Navarra, Caramueli, & Sayro. Audiſtin' ? Diſputationis gratia homicidia licita propugnantur? Typis eduntur eiuſmodi dogmata! At quonam, quæſo, principio id aſſerit P. Viva; cum hoc non indicet P. Amicus, qui abſolute, nullaque declaratione adiecta, hanc ſanguinariam doctrinam in lucem publicis typis evulgavit? Si interpretatio P. Viva conſiſteret, quiſque promulgans errores, & hæreſes, excuſare ſe poſſet dicendo, ſe diſputationis gratia eas evulgaſſe. Doctrinam hanc P. Amici primus omnium excogitavit Caiphas dum dixit: *Expedit ut unus moriatur.* Hoc *expedit* tam amplam continet ſignificationem, ut aptari cuique fere negotio ab improbis poſſit. Expedit ut moriatur qui laxis opinionibus bellum indicit: quia illarum Auctoribus damnum infert, quia ſplendorem alicuius communitatis obſcurare imperitis videtur. An non expedit ut perſona privata immoletur, ne communitati infamiæ labes adſpergatur? Ceterum, ut quam arbitraria, & omnino falſa ſit interpretatio P. Viva appareat, ob oculos reducamus propoſitionem P. Franciſci Amici, ſupra tranſcriptam. „ Negari non poteſt quin ſaltem honorem famamque illam quæ ex virtute, & ſapientia naſcitur, quique verus honor eſt, „ iuſte defendere Clerici, & Religioſi valeant, *ac ſæpe debeant*, cum hic ſit proprius profeſſionis ipſorum, quem ſi amittant, maximum bonum amittunt. Nam „ per hunc redduntur ſummopere æſtimabiles, & conſpicui ſæcularibus quos ſua „ virtute dirigere, ac iuvare poſſunt: quo ſublato nec illos dirigere, nec iuvare „ poterunt. Ergo ſaltem hunc honorem poterunt Clerici cum moderamine inculpatæ tutelæ ETIAM CUM MORTE INVASORIS defendere. Quin interdum, „ *lege ſaltem caritatis, videntur ad illum defendendum teneri, ſi ex violatione propriæ* „ *famæ integra Religio infametur.*" Hæc ne diſputationis gratia dicta ſunt? Quid quod Tomus P. Amici, in quo hæc doctrina continetur, damnatus a S. Congregatione indicis eſt? Hinc colligat lector quanti ſint facienda interpretamenta P. Viva. Probabiliſtarum nonnulli laxa commenta evulgant, opiniones erroneas typis edunt, quæ lectorum mentes & animas inquinant. Cum autem ad evangelicæ doctrinæ tribunal revocantur, tum clamant, aut non eſſe ſincere excerptas, aut alio in ſenſu, aut diſputationis gratia propoſitas fuiſſe. Verum, miſſo P. Amico, dico ipſum P. Dominicum Viva in commentariis præfatæ propoſitionis damnatæ quidpiam docere, quod, ut ego quidem arbitror, aut peius eſt, aut ſaltem æque noxium ac propoſitio damnata. Quippe theſis proſcripta ob enormia crimina, & magnam infamiam irreparabilem, calumniatorem occidendum aſſerit; at P. Viva ultra pergit, & magnitudine criminum, ac infamiæ prætermiſſa, ſtatuit in aliquo caſu aliquam dehonorationem ſuſtinendam eſſe. *Ideo toleranda potius in ALIQUO CASU ab innocente ALIQUA DEHONORATIO quam permittenda defenſio iſthæc*

occiſiva : loc. cit. num. 4. Ergo, excepto *aliquo caſu*, abſolute non eſt toleranda ab innocente *aliqua dehonoratio*. Ergo gravis dehonoratio, ſeu infamia abſolute in nullo caſu ferenda erit. Quæ ſane illationes ſunt in relata propoſitione evidenter proſcriptæ.

III. Verum, ut luculentius compertam exploratamque habeas indolem probabiliſticæ benignitatis, audias velim aliud eiuſdem proſcriptæ ſententiæ 17. commentarium quod typis evulgavit P. Martinus Torrecilla in *prop. damn. num.* 14. *fol.* 471. Hæc ſunt illius verba. *In propoſitione 17. damnata ab Alexandro VII. quæ aiebat licere Religioſo, vel Clerico occidere calumniatorem, gravia crimina in eos minitantem, ſi alio modo vitari non poſſit, non venit damnatum dicere, licitum illis eſſe calumniatorem occidere, quando actu iniurioſa verba in eos profert famæ valde læſiva, ſi alia via non eſt tantum malum vitandi*. Subdit num. 22. *Immo nec damnatum venit dicere, ſolummodo eſſe peccatum veniale in Religioſo, vel Clerico in caſu propoſitionis damnatæ occidere calumniatorem*.

IV. Sed pergamus adhuc, quandoquidem pergit Auctor iſte, ſic inquiens folio 472. num. 9. *In propoſitione 18. ab Innocentio XI. damnata de occiſione falſi accuſatoris, falſi teſtis, & iudicis, a quibus imminet damnum quod evitari non poteſt, non venit damnatum dicere, doctrinam propoſitionis eſſe ſpeculative probabilem; nec inhibitum dicere, quod, ſi practice id fiat, tantummodo veniale peccatum erit*. Proſequitur P. Torrecilla ſcribens folio 473. num. 25. *Adhuc ſtante damnatione prædictæ propoſitionis 18. probabile eſt intelligendam venire & propoſitionem, & eius damnationem de aggreſſore in ACTU PRIMO, non de aggreſſore in ACTU SECUNDO, ſeu de ACTUALI offendente*.

V. Undenam tam ſanguinaria, tam immanis, & efferata erupit Theologia? Si Socrates, ſi Plato, ſi Demoſthenes, ſi Cicero, ſi Seneca in vivis eſſent, quo impetu irruerent in eiuſmodi Scriptores, qua verborum ſeveritate, qua eloquentiæ ubertate, quo ſervandæ humanæ ſocietatis ſtudio doctrinam hanc crudeliſſimam, Deo, Principibus, & univerſo humano generi infeſtiſſimam profligarent, labefactarent, exterminarent? Nulla ergo confutatione egent reſcriptæ propoſitiones, cum ſuo ſe horrore proſcribant. Scholaſticam phraſim dumtaxat de *actu primo*, & *actu ſecundo* explicabo, ut clarius adductæ doctrinæ iniquitas pateat. Inquit ergo P. Torrecilla, *probabile eſſe* (en ubique ſerpentem veneficam probabiliſticam luem) Alexandrum VII. damnaſſe dumtaxat propoſitionem qua aſſeritur, licitum eſſe occidere hominem *in actu primo* aggredientem, ideſt hominem paratum, diſpoſitumque ad impingendum falſum crimen; minime vero Pontificem damnaſſe doctrinam aſſerentem, licitum eſſe occidere aggreſſorem in *actu ſecundo*, ideſt qui reipſa falſum crimen imponit. Perſpice hinc, amice lector, quam verum ſit quod ſæpe inculcamus, nempe unica arbitraria diſtinctiuncula plures iuniores Probabiliſtas deludere Romanæ Eccleſiæ ſaluberrima decreta. P. Torrecilla citat pro ſua doctri-

na

na Pradum, Lugonem, Navarram, Bonacinam, Leandrum a Ss. Sacramento.

VI. Quæſt. I. *Occidendus ne calumniator ob defenſionem honoris magni momenti cum moderamine inculpatæ tutelæ?* Reſp. Adfirmant communiter Probabiliſtæ, etiam poſt damnatas ab *Alexandro*, & *Innocentio* propoſitiones. Quin hanc opinionem *communem* appellant Salmanticenſes *tract.* xxv. *cap.* 1. *punct.* 4. *§.* 3. *num.* 69. Pro eadem referunt Molinam, Leſſium, Fagundez, Vaſquez, Dicaſtillum, Tamburinum, Leandrum, Antonium a Spiritu ſancto, Bannez, Lugo, Tapiam, Serram, Navarrum, & alios. P. Dominicus Viva hanc eamdem opinionem defendit *loc. cit. num.* 12. his verbis. *Conſtat demum occidi poſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ invaſorem vitæ, pudicitiæ, HONORIS* &c. Patritius Sporer *tract.* v. *in* 5. *præcept. Decal. cap.* 11. *ſec.* 3. *§.* 4. hæc ſcribit. *Etiam ad honorem neceſſarium tuendum viro honorato licere occidere iniuſtum, ac contumelioſum aggreſſorem, docent DD. communiter fere omnes: & ſine dubio veriſſimum eſt in hac ſuppoſitione quod vir honoratus in aliquo caſu aliter ignominiam, vel contumeliam repellere, honoremque ſibi auferendum aliter tueri non poſſit, niſi occidendo aggreſſorem contumelioſum.*

VII. P. Carolus Antonius Caſnedi in *propoſ. damnat. diſp.* XIII. *ſec.* 3. *num.* 15. Reſp. *Antecedens ab omnibus TT. admitti, nempe quod vir nobilis non teneatur fugere, quin poſſit pro ſui honoris tuitione vitam ſuam morti exponere, & occidere aggreſſorem.* Valet ergo vir nobilis ſemetipſum, & aggreſſorem in infernum licite detrudere tuendi humani honoris cauſſa? Falſum eſt quod ſcribit P. Caſnedi, *omnes Theologos* hanc antievangelicam, ut ego quidem arbitror, defendere doctrinam. Ex modernis plures etiam graves Probabiliſtas communiter illam propugnare verum eſt. Contra, Evangelium, Patres, Theologi omnes Antiprobabiliſtæ, qui ſcripſere poſt damnatas theſes, illam deteſtantur. Unum, omiſſis ceteris, allegabo celebrem Ieſuitam, quem loco La-Croix legendum vellem, P. Gabrielem Antoine *tract. de iuſt. & iur. cap.* VI. *quæſt.* X. Sophiſticas cavillationes quibus P. Caſnedi eludit damnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. theſes, prætereo brevitatis gratia.

VIII. Iſtius ſententiæ argumenta hæc ſunt. Honor vitæ comparatur. Ergo, ſicut ob vitæ, ita propter honoris defenſionem licita erit invaſoris iniuſti occiſio cum moderamine inculpatæ tutelæ. Accedit quod etiam ob bonorum temporalium conſervationem licet occidere raptorem. Porro honor, & fama prævalent his bonis. ut habetur Prov. XXII. *Melius eſt nomen bonum quam divitiæ multæ*. Item Eccli. XLI *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quam mille theſauri pretioſi, & magni*. Denique miles, vel eques poteſt occidere iniuſtum invaſorem, etſi facile mortem fugiendo vitare poſſet.

IX. Relata ſententia, quæ inter Probabiliſtas communis eſt, ut mea præfert opinio, hoſtiliter pugnat cum *Chriſtianiſmi* ſpiritu, a lege evangelica conceptis ver-

verbis improbatur, & ab Eccleſia proſcripta eſt. Hæc omnia paucis evinco. Spiritus, & character *Chriſtianiſmi* eſt ſpiritus caritatis, qua bonum pro malo rependitur. Audiamus ipſum Chriſtum Dominum nos inſtruentem Matth. v. *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*: verſ. 39. & verſ. 44. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt*: verſ. 46. & 47. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et, ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: & verſ. 11. *Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes, propter me*. Tandem ad Rom. xii. *Mihi vindicta, ego retribuam*.

X. Quid ſi iſthuc referre vellem quæ Patres ſuper recenſitis textibus ſcribunt? Nonnulla ex Auguſtino tranſcribam, qui *epiſt.* cxxxviii. alias v. ad Marcellinum hæc habet. *Quanta vero præcepta concordiæ, non humanis diſputationibus exquiſita, ſed divina auctoritate conſcripta, in Chriſti Eccleſiis lectitentur, quis vel ab illa religione alienus, ita ſurdus eſt, ut ignoret? Ad hoc enim & illa pertinent quæ malunt exagitare quam diſcere, alteram percutienti præbendam eſſe maxillam, volenti auferre tunicam dandum etiam pallium, cum angariante duplicandam viam. Hoc quippe fit ut vincatur bono malus; immo in homine malo vincatur bono malum, & homo liberetur a malo..... Denique iſta præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus eſt, pertinere, quam ad opus, quod in aperto fit; ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia, in manifeſtò autem id fiat quod eis videtur prodeſſe poſſe quibus bene velle debemus; hinc liquido oſtenditur quod ipſe Dominus Ieſus, exemplum ſingulare patientiæ, cum percuteretur in faciem, reſpondit*: Si male dixi, exprobra de malo; ſi autem bene, quid me cædis? *Nequaquam igitur præceptum ſuum, ſi verba intueamur, implevit. Neque enim præbuit percutienti alteram partem, ſed potius prohibuit, ne qui fecerat, iniuriam augeret: & tamen paratus venerat, non ſolum in faciem percuti, verum etiam pro his quoque a quibus hæc patiebatur, crucifixus occidi..... Sunt ergo iſta præcepta patientiæ ſemper in cordis præparatione retinenda; ipſaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate complenda eſt. Agenda ſunt autem multa, etiam cum invitis benigna quadam aſperitate plectendis, quorum potius utilitati conſulendum eſt quam voluntati.* Duo docet Auguſtinus: primum, præceptum benevolentiæ eſſe interiori animo implendum; ſecundum, extrinſecus id eſſe faciendum quod prodeſſe illis conſpicitur quibus bene velle debemus. Numquam autem prodeſt iniuriatori occiſio. Ideo numquam propter honorem, famamve cuſtodiendam occidendi ſunt calumniatores.

Digitized by Google

XI. Porro, ut evidentius fiat, quam ſit hæc recentiorum Probabiliſtarum ſententia de occiſione invaſoris propter honorem ſervandum, communi Chriſtianorum ſenſui adverſa, animo recolendum eſt, potiſſimum, ac unicum argumentum quo nituntur iniuriarum, & inimicorum ultores, non aliunde quam ex nimia honoris & famæ ſollicitudine eſſe petitum. At nonne omnes ſacri Oratores, divini verbi præcones, dum omni exquiſitiore eloquentia inducere curant Chriſtianos offenſos ad diligendos inimicos, ad condonandas iniurias, eo potiſſimum collineant orationis ictus, ut futile iſtud honoris ſimulacrum, ſub quo teguntur ſanguinarii homines, penitus conterant? Nonne communis eſt Chriſtianorum piorum ſenſus, nihili ducendum eſſe illum mundi honorem qui nequit ſine caritatis evangelicæ violatione ſervari?

XII. Pro maiore autem veritatis huius manifeſtatione duplex honoris genus eſt diſtinguendum. Alter honor eſt qui ab operis honeſtate dimanat, atque virtute ipſa comparatur; alter in hominum opinione eſt ſitus. Primi generis honor ille eſt quem Deus nobis commendat, ceu bonum omnibus theſauris pretioſius. Iſtius honoris cura nobis habenda eſt. Secundi generis honor eſt vanus, futilis, commentitius; atque adeo a viro chriſtiano contemnendus. Fugam arripere ad evitandam mortem calumniatoris, qui famam calumniis atque iniuriis lædit, gloria eſt Chriſtianorum.

XIII. Hinc ſequentes propoſitiones P. Dominici Viva, & P. Claudii La-Croix, ut Evangelio aperte contrarias, reiicimus. *Poteſt quidem vir nobilis volentem impingere alapam, gladio impedire, &, ut multi docent, etiam defenſione OCCISIVA ſe defendere.* P. Dominicus Viva in *tract. in prop.* 17. *Alex. VII. num.* 9. Quadrat ne hæc propoſitio evangelicæ doctrinæ, qua imbuimur percutienti dexteram maxillam præbere alteram?

XIV. Non minus antievangelica eſt hæc altera: *Vir equeſtris non tenetur fugere aggreſſorem cum ſuo dedecore, ſed poteſt ab illo ſe defendere defenſione OCCISIVA.* P. Viva *loc. cit. num.* 5. *pag.* 58.

XV. Eiuſdem laxitatis plena videtur altera propoſitio, quam docet P. Claudius La-Croix Lib. III. part. 1. num. 803. pag. 207. *Non teneris fugere invaſorem, ſi per hoc incurras gravem ignominiam.*

XVI. Tandem communis Probabiliſtarum opinio, qua ob honoris mundani defenſionem occidendus calumniator aſſeritur, adverſatur Evangelio, & ab Eccleſia proſcripta eſt, tum in laudata propoſitione 17. Alexandri VII. tum in ſequenti damnata ab Innocentio XI. quæ eſt 30. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.* In hac, inquam, propoſitione, damnata dubio procul mihi videtur ſenten-

tia

Digitized by Google

tia P. Dominici Viva, qui *loc. cit. num.* 12. *pag.* 60. hæc ſcribit. *Conſtat demum occidi poſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ invaſorem vitæ, pudicitiæ, HONORIS, bonorum externorum magni valoris, & quidem etiam proximi, ut docent communiter cum Filliucio, Molina, Azorio, apud Dianam.* Audiſtin'? Communiter docent, & quidem apud Dianam. Papæ! Iſte eſt locus theologicus, unde ſuas auctoritates repetit P. Viva. Sed audiamus P. Patritium Sporerium, qui *tract.* v. *in* 5. *præcept. Decal. cap.* 11. *ſect.* 3. §. 4. *num.* 159. hæc ſcribit. *Etiam ad honorem neceſſarium tuendum viro honorato licere occidere iniuſtum, ac contumelioſum aggreſſorem docent DD. communiter fere omnes: & ſine dubio veriſſimum eſt in hac ſuppoſitione quod vir honoratus in aliquo caſu aliter ignominiam, vel contumeliam repellere, honoremque ſibi auferendum aliter tueri non poſſit, niſi occidendo aggreſſorem contumelioſum.* Etiam hæc benigniſſima, ſed ſanguine plena, opinio communis dicitur.

XVII. Quod autem hæc recentiorum ſententia ab Innocentio XI. in citata *propoſ.* 30. ſit proſcripta, ſin verbis expreſſis, re ſaltem, ex ſola collatione utriuſque ſententiæ conſtare cuique poteſt. Quod evidenter Evangelio contraria ſit, etiam ex comparatione eiuſdem cum textibus evangelicis allatis ſupra, patet. Falſitas iſtius laxiſſimæ, & ſanguinariæ opinionis inde etiam colligitur quod honor læſus nequeat aggreſſoris morte recuperari. Nam infamiam paſſus aut valet idoneo teſte probare ſe iniuſte fuiſſe infamatum, aut non. Si primum, mors aggreſſoris inutilis eſt; ſi poſterius, mors aggreſſoris eſt mera vindicta, quæ occiſoris infamiam confirmat. Quam valde igitur diſparata ſunt hæc duo, honoris reparatio, & calumniatoris mors? Quam verum immo ad famam redintegrandam calumniatoris mortem nihil prodeſſe?

XVIII. Poſtremum evangelica lege te undique conſtringere volo. Aut tolerantia calumniarum, & fuga perſecutionum infamis eſt, aut ſecus. Si primum, ergo Chriſtus conſuluit, iuſſitque rem indecoram, & plenam infamiæ, dum præcepit orandum pro calumniatoribus, porrigendamque maxillam ſiniſtram percutienti dexteram. Hoc autem aſſerere blaſphemum eſt, & impium. Si ſecundum, ruit igitur unicum contrariæ ſententiæ fundamentum. Sed, quod verum habet, dicamus. Fugere ab infamatore & iniurioſo homine, qui verbis, ſignis, aut etiam alapis, vel fuſte percutit virum nobilem, & equeſtrem, dedecus, vilis animi notam, infamiamque redolet apud homines mundanos, vanos, fatuoſque; ſecus penes chriſtianæ fidei profeſſores, ut iam demonſtravimus. Quicumque vanum mundani iſtius honoris idolum veneratur, renuntiet Evangelio, quod huiuſmodi honoris contemptionem præcipit, neceſſum eſt. Ergo recenſitæ Probabiliſtarum ſententiæ aperte pugnant cum lege evangelica.

XIX. Explicemus paullulum clarius Probabiliſtarum doctrinam, quam communem iactant. Vir equeſtris, & nobilis, ſi timoris & dedecoris notam ſe ſe incur-

ſu-

Digitized by Google

ſurum prævideat, fugæ ſe committere non adſtringitur, inquiunt eruditi iuniores. Quid, ſi reapſe vi adactus, ut vitæ conſulat, fugam arripiat? Profecto infamiæ labe aſperſus eſt; illiuſque dedecus publica notitia compertum. Alia via recuperandi honorem læſum non ſuppetit præter repercuſſionem. Licita ne hæc repercuſſio erit? Quamvis aliqui eo laxitatis prolapſi fuerint, ut id aſſererent; negant tamen communiter hoc licere Probabiliſtæ. Qua ergo via recuperandus erit tunc honor, & reſarcienda famæ iactura? Repercuſſio eſſet actus vindictæ, quæ evangelico mandato prohibetur. Unicum effugium remanet, nempe recurſus ad iudicem. Quod ſi hoc non ſufficit, actum eſt de mundano honore. Porro hoc non ſufficere, homines mundani paſſim adfirmant: quippe recurſus ad iudicem vilis, timidique animi nota cenſetur.

XX. Ex his omnibus colligas velim, numquam occurrere caſum aliquem poſſe in quo licita ſit occiſio calumniatoris ob honorem ſervandum. Quoniam honor in operum honeſtate ſitus, & a Deo commendatus, a maledicorum invidis linguis minime pendet. Honor vero in mundi opinione conſtitutus, ludicrum ſimulacrum eſt, a viro chriſtiano contemnendum. Defenſio occiſiva, quam licitam aſſerunt communiter Probabiliſtæ ob honoris cuſtodiam, antievangelica eſt, utpote quæ, contempto Evangelio, mundano faſtui, & ſtultorum hominum chimæris indulget.

XXI. Quæſt. II. *Si quis non verbis modo, verum etiam alapa, vel fuſte hominem infamare pertentet, adſtringitur ne hic fugere, ne occidat invaſorem?* Reſp. PP. Salmanticenſes *tract.* XXV. *cap.* I. *punct.* 4. *§.* 3. *num.* 71. reſpondent dicendum, *quod ſi quis conetur proximum aliquem inhonorare percutiendo fuſte, aut alapa, tunc, ſi aliter hanc percuſſionem vitare nequit, poterit iniuſtum invaſorem occidere.* Quid, ſi fuga vitari occiſio poſſit? Reſpondent num. 73. *Equitem non teneri fugere cum dedecore, quando invaditur ab iniuſto aggreſſore*: quæ aſſertio non videtur probabilis, ut ex dictis patet. Subdunt tamen, ſe occiſionem invaſoris non defendere licitam præciſe ob defenſionem honoris, ſed ob defenſionem vitæ, quæ ab invaſore diſcrimini exponitur. Hæc tamen adiiciunt ibidem. *Vel quia nemo tenetur ſaluti proximi, quando iniuſte invadit, conſulere, ſe per fugam inhonorando.* Quibus verbis innuere videntur, dedecori eſſe viro nobili arripere fugam, dum iniuſte invaditur a calumniatore: quod dedecus ſubire minime tenetur, inquiunt ipſi, ut vitet defenſionem occiſivam calumniatoris, qui non verbis modo, ſed etiam alapa, vel fuſte illum infamat.

XXII. Hæc quoque opinio falſa, & improbabilis mihi eſt. Ad hoc ut licita ſit invaſoris occiſio, ſit oportet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Porro inter conditiones neceſſarias ad inculpatam tutelam, una eſt quod occiſio ita ſit neceſſaria ad defenſionem, ut nulla prorſus pateat via ad illam vitandam. Porro, ſi quis

fu-

Digitized by Google

ſugiendo declinare occiſionem valeat, iam occiſio non eſt abſolute neceſſaria. Ergo fugæ ſe dare tenetur. At, ſi fugæ ſe committat, infamiam, & dedecus contrahit. Diſtinguo : infamiam, & dedecus vanum, commentitium, mundanorum hominum opinione nixum, verum habet. Sed hoc dedecus, hæc ignominia gloria eſt Chriſtianorum, honorque ſummus. Contrahit infamiam veram, ex actionis pravitate profluentem, nego. Reſponſio patet ex dictis. Quod autem ſubditur, ſi alapa, vel ſuſte percutiatur, diſtinguendum pariter eſt. Si invaſus certo ex ira invaſoris, & ex eius modo percutiendi, feriendi, aut mutilandi prævideret ſe ab illo occidendum, ſi fugeret, eo quod audacior fieret invaſor; tum poſſet ſe ſe defendere, etiamſi ad eius neceſſariam defenſionem ſequeretur mors invaſoris. Si vero fuga evitare poſſet invaſoris mortem, tametſi ex fuga ſubiret penes mundi inſanientis homines dedecus, & infamiam; arripere fugam deberet : quia ad hoc urget lex chriſtiana. Nec eſt quod opponas, te non poſſe divinare, quanta futura ſit hominis ira, & quouſque proceſſurus ſit in percuſſione. Quoniam nunc ſermo eſt, facta poſitione quod prudenter iudicare valeas, fugam eſſe opportunam, & ſufficientem ad mortem declinandam. Ceterum, ſi in ipſo conflictu anceps ſis, utrum fuga opportuna ſit, ſufficiatque ad evitandam mortem; tum fortaſſe valet principium illud, *Melior eſt conditio innocentis.*

XXIII. Hinc ergo colligas velim : quando fuga potes declinare mortem invaſoris, ſive verbis & lingua te infamantis, ſive alapis, aut ſuſte te percutientis; ſemper ad fugam adſtringeris, ſive plebeius ſis, ſive nobilis, ſive Eques, ſive Religioſus : quoniam unica eſt Evangelii lex, unus Chriſtianiſmi ſpiritus. Diſtinctiunculæ Probabiliſtarum in hac materia vanæ ſunt.

XXIV. Iam nonnulla ex iis quæ latius diſputavimus, conſectaria colligamus. Primum, laudatam Evangelii ſententiam non eſſe conſilium, ſed præceptum, quantum ad animi præparationem, ut ex Auguſtino ſupra dictum eſt. Secundo animadvertendum, non aliunde citatas opiniones, ſeu honoris defenſionem, quam a ſuperbia, proficiſci. Hæc quippe omnium peccatorum radix eſt, quæ altiores in mortalium animis radices agit. Hæc vel ipſas ſanctiores animas obſidet, adoriturque. Honor, gloria, aura popularis ſunt illius arma, quibus turgidos animos aggreditur. Huic capitali vitio humilitatis virtus adverſatur. Chriſtianus humilis pro nihilo habet opprobria, & ignominiam ſuſtinere; ſuperbus e contrario honorem, gloriamque humanam anhelat, atque in eos iraſcitur qui eamdem illi ſurripere, aut diminuere tentant. Hæc eſt tot vindictarum, occiſionum, & graviſſimorum malorum origo. Quicumque hunc mundi honorem, gloriamque magni facit, verus Chriſtianus eſſe nequit, ut teſtatur Apoſtolus Paulus Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

XXV. Lubet pauca documenta Patrum iſthuc pertinentia recenſere. D. Baſilius

lius in *Reg. brev. reg.* xxxvi. hæc inquit. *Reddere quidem, cui honorem, honorem iuſſi ſumus: quærere autem honorem vetiti, cum Dominus dixerit Ioan. v.* Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis? *Ex quibus intelligitur quod gloriam ab hominibus quærere manifeſtiſſimum eſt argumentum infidelitatis, & animi alieni a cultu Dei, cum Apoſtolus dicat: Si adhuc hominibus placerem &c.*

XXVI. Summa conſideratione digna ſunt quæ ſcribit D. Auguſtinus *epiſt.* lxiv. nunc xxii. *Horum autem morborum mater ſuperbia eſt, & humanæ laudis aviditas, quæ etiam hypocriſim ſæpe generat. Huic non reſiſtitur niſi crebris divinorum librorum teſtimoniis incutiatur timor, & caritas Dei; ſi tamen ille qui hoc agit, præbeat patientiæ, & humilitatis exemplum minus ſibi aſſumendo quam offertur, ſed tamen ab eis qui ſe honorant, nec totum, nec nihil accipiendo; & id quod accipitur laudis aut honoris, non propter ſe, qui totus coram Deo eſſe debet, & humana contemnere, ſed propter illos accipiatur quibus conſulere non poteſt, ſi nimia deiectione vileſcat. Ad hoc enim pertinet quod dictum eſt:* Nemo iuventutem tuam contemnat: *cum hoc ille dixerit qui alio loco ait:* Si hominibus placere vellem, Chriſti ſervus non eſſem. *Magnum eſt de honoribus, & laudibus hominum non lætari, ſed & omnem pompam inanem præcidere, & ſi quid inde neceſſarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium, ſalutemque conferre. Non enim fruſtra dictum eſt:* Deus confringet oſſa hominum placere volentium. *Quid enim languidius, quid tam ſine ſtabilitate ac fortitudine, quod oſſa ſignificant, quam homo quem male loquentium lingua debilitat, cum ſciat falſa eſſe quæ dicuntur? Cuius rei dolor nullo modo animæ viſcera dilaniaret, ſi non amor laudis oſſa eius confringeret. Præſumo de robore animi tui. Itaque iſta quæ tecum confero, mihi dico; dignaris tamen credo mecum conſiderare, quam ſint gravia, quam difficilia. Non enim huius hoſtis vires ſentit, niſi qui ei bellum indixerit; quia etſi cuiquam facile eſt laude carere, dum denegatur; difficile eſt ea non delectari, cum offertur: & tamen tanta mentis in Deum debet eſſe ſuſpenſio, ut ſi non merito laudemur, corrigamus eos quos poſſumus, ne arbitrentur aut in nobis eſſe quod non eſt, aut noſtrum eſſe quod Dei eſt, aut ea laudent quæ, quamvis non deſint nobis, aut etiam ſuperſint, nequaquam tamen ſunt laudabilia; velut ſunt bona omnia quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus. Si autem merito laudamur, propter Deum gratulemur eis quibus placet verum bonum, non tamen nobis, quia placemus hominibus; ſed ſi coram Deo tales ſumus, quales nos eſſe credunt, & non tribuitur nobis, ſed Deo, cuius dona ſunt omnia quæ vere meritoque laudantur. Hæc mihi ipſe canto quotidie, vel potius ille cuius ſalutaria præcepta ſunt, quæcumque ſive in divinis lectionibus inveniuntur, ſive quæ intrinſecus animo ſuggeruntur; & tamen vehementer cum adverſario di-*

mi-

micans ſæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem oblatæ laudis mibi auferre non poſſum.

XXVII. Viri ſancti, evangelicam legem apprime callentes, atque chriſtiano ſpiritu probe inſtructi, non modo auram popularem, honoriſque mundani vanitatem contemnebant, & execrabantur, ſed vel ipſam oblatam laudem ob egregia facinora reſpuebant, quia de illis delectari, niſi in Deo, piaculum exiſtimabant. Quæ, amabo te, comparatio caſuiſticæ doctrinæ cum hac ſanctorum Theologia? Illa ob vanum mundi honorem effundendum ſanguinem humanum docet; hæc calcandam, ut inane ſpectrum, mundanam famam, honoremque opinione hominum nixum, inclamat; &, ut parcatur calumniantibus, & perſequentibus, ſuadet, præcipitque.

XXVIII. In hac tamen materia, ſicut in ceteris omnibus, extrema vitanda ſunt, omniaque prudentiæ freno moderanda. Repetenda memoriæ eſt diſtinctio ſupra indicata duplicis honoris. Honor humanus, inſanientis mundi exiſtimatione partus & fultus, ſemper deſpicatui eſt habendus. Honor, & fama, qua viri probi ſecernuntur ab improbis, ſemper curanda, cuſtodienda, & licitis viis ab iniquis maledicis propugnanda. Noſtra intereſt non ſolum Deo, ſed & hominibus teſtimonium exhibere bonorum operum, iuxta illud Apoſtoli II. ad Corint. cap. VIII. *Providemus enim bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Quod & ad *Rom. cap.* XII. inculcat: *Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Hanc eamdem veritatem ſuadet Chriſtus Dominus Matth. V. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.*

XXIX. Potiſſimum autem illi tenentur honorem, famamque propriam cuſtodire, & defendere qui ſunt alicuius ſocietatis membra, quorumque infamia in aliorum detrimentum cederet. Similiter Miniſtri, Prælati, Superiores omnes, quorum dignitas, & regimen vileſceret ex bonæ famæ iactura. Omnibus denique licita eſt propriæ famæ defenſio. Immo quandoque ob aliquas circumſtantias cuſtodiendæ, & ſervandæ famæ debitum urget. Lubet nonnulla ex Auguſtino huc pertinentia tranſcribere. Hæc quippe ſanctus Doctor ſcribit Lib. de bon. viduit. cap. XXII. *Nec audiendi ſunt ſive viri ſancti, ſive feminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam vitam longe abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita ſanctorum; ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis a criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit; quiſ-*

quis

quis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra: & utique etiam quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem. Unde non fruſtra Apoſtolus, Providemus, *inquit,* bona, non ſolum coram Deo, verum etiam coram hominibus. *Item dicit:* Placete omnibus per omnia, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant. *In quadam etiam exhortatione dicit:* De cetero, fratres, quæcumque ſunt vera; quæcumque ſancta, quæcumque iuſta, quæcumque caſta, quæcumque cariſſima, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus; hæc cogitate quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. *Cernis, quemadmodum inter multa quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere* quæcumque bonæ famæ, *duobuſque verbis cuncta concluſerit, ubi ait,* Si qua virtus, ſi qua laus. *Ad virtutem namque pertinent quæ antea memoravi bona, fama vero ad laudem. Puto quod non laudem hominum pro magno ſumebat Apoſtolus, alio loco dicens:* Mihi autem minimum eſt ut a vobis iudicer, aut ab humano die: *& alibi:* Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem: *& iterum:* Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. *Sed illorum duorum, ideſt bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel, quod brevius dicitur, virtutis, & laudis, unum propter ſeipſum ſapientiſſime retinebat, alterum propter alios miſericordiſſime providebat. Sed quoniam quantalibet humana cautela ſuſpiciones malevolentiſſimas non poteſt omni ex parte vitare, ubi pro exiſtimatione noſtra, quidquid recte poſſumus, fecerimus, ſi aliqui de nobis vel male fingendo, vel male credendo, famam noſtram decolorare conantur, adſit conſcientiæ ſolatium, planeque etiam gaudium, quod merces noſtra magna eſt in cælis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, pie tamen, iuſteque viventibus. Illa enim merces tamquam ſtipendium eſt militantium per arma iuſtitiæ, non ſolum dextera, verum etiam ſiniſtra, per gloriam ſcilicet, & ignobilitatem, per infamiam, per bonam famam. Agite itaque curſum veſtrum, & perſeveranter currite, ut comprehendatis, & exemplo vitæ, exhortationiſque ſermone rapite in eumdem curſum veſtrum quoſcumque potueritis.*

XXX. Similia ſcribit Hieronymus Lib. II. Epiſt. xc. *Quod ſi dixeris: Mihi ſufficit conſcientia mea: Deum habeo iudicem, qui meæ vitæ eſt teſtis: non curo quid loquantur homines: audi Apoſtolum ſcribentem: Providentes bona non tantum coram Deo, ſed & coram omnibus hominibus.* Plura ex aliis Patribus iſthuc afferre poſſem, quæ brevitatis gratia miſſa facio.

XXXI. Ut magis adhuc pateat quam ſit a SS. Patrum Theologia diſtans crudelis Caſuiſtarum quorumdam doctrina, lubet nonnulla alia ſub iſtius paragraphi finem adducere ex P. Leſſio, qui *Lib. II. de iuſt. cap.* IX. *dub.* 12. ſequentes refert opiniones. I. „ Si contumeliis afficias, ſive per verba, ſive per ſigna; hic etiam

„ eſt ius defenſionis. Nam ex ſententia omnium licet contumelioſum occidere ; „ quando aliter ea iniuſta (iniuria) arceri nequit, quamquam ipſe armis non in- „ vadat, quando contumeliæ ſunt atroces, & alia ratione vitari nequeunt. “ *num.* 78. II. „ Si illata alicui alapa, ceſſes, vel etiam fugias ; multi DD. cenſent „ in hoc caſu, ſi vir nobilis, vel honoratus huiuſmodi iniuria ſit affectus, poſ- „ ſe ſtatim repercutere, vel fugientem inſequi, & tantum infligere verberum, „ vel vulnerum, quantum putatur neceſſarium ad honorem recuperandum. “ *num.* 79.

XXXII. Primam ſententiam non admittit, ſecundam vero *ſpeculative* probabilem aſſerit his verbis : *Hæc ſententia eſt ſpeculative probabilis ; tamen in praxi non videtur facile permittenda : primo ob periculum odii &c. ſecundo ob periculum pugnarum, & cædium.* num. 80.

XXXIII. Hanc diſtinctionem Probabilitatis *practicæ*, & *ſpeculativæ*, quatenus ad præſens attinet inſtitutum, ut futilem reieci *Tom. I. Hiſt. Probabiliſmi, & Rigoriſmi diſſ.* 11. *cap.* 11. *ſ.* 5. Ibidem oſtenſum eſt, quid horrendius eſſe excuſare homicidium *ſpeculative* quam *practice* acceptum. Siquidem, dum P. Leſſius aſſerit, *ſpeculative* licitum eſſe repercutere fugientem ad reſarciendum honorem mundanum læſum, docet evangelicæ legi non repugnare abſolute, & ſpeculative ; ideſt conſiderata notione legis evangelicæ, & idea repercuſſionis, repercutere fugientem. Hanc, ſimileſque actiones *in praxi non facile permittit*. Verum, attenta idea generali Chriſtianiſmi, & legis evangelicæ abſolute acceptæ (hoc enim ſonat *τὸ ſpeculative*) eiuſmodi verberationes, & mutilationes propter defenſionem honoris licitæ ſunt. Tandem, quocumque ſenſu accipiantur verba P. Leſſii, ex iiſdem ſemper infertur, facile non eſſe admittendam repercuſſionem, & perſecutionem fugientis, honoris reparandi cauſſa ; ceterum in gravioribus caſibus, & difficilibus id licitum erit : quod quam ſit monſtroſum, nemo non videt.

§. IV.

De occiſione invaſoris ob conſervationem bonorum temporalium.

I. GRaviſſimi Auctores negant, aliquo in caſu licitam eſſe latronum occiſionem ob ſervanda, aut recuperanda temporalia bona. Hanc defendunt ſententiam Ioannes Biardus Lovanienſis, qui *quodlib.* VII. teſtatur anno 1510. communem fuiſſe penes Theologos, & Canoniſtas. Fagnanus ad *caput* Interfeciſti *de homicid.* inquit : *Secundum Canones in foro ſaltem pœnitentiali, & quoad Deum, abſolute credimus non poſſe laicum ſine peccato occidere ſpoliatorem.* Henricus a S. Igna-

Ignatio, qui hanc propugnat ſententiam, pro eadem citat ex Theologis Alenſem, Scotum, Summam Tabienam, Gerſonem, Auguſtinum de Ancona, Toſtatum, Vulpem Scotiſtam, Merbeſium, Gennetum, Du-Hamel, Neeſſem, Van-Roy, Du-Bois. P. Antoninus Diana *Tom. VIII. coord. tract.* v. *reſol.* 29. pro hac eadem ſententia citat Accurſium, Panormitanum, Archidiaconum, ſubditque Felinum in *cap.* 11. *de homic.* ex communi ſententia adfirmare licitum non eſſe iure canonico occidere furem pro ſervandis rebus ſuis.

II. Hanc eamdem ſententiam tuetur Ioannes Pontas *verb.* Occidere *caſ.* xi. laudatque præter citatos Innocentium Papam IV. *ſuper cap.* Si vero 111. *de ſent. excomm.* item Alexandrum III. *in cap.* Suſcepimus xvi. *de homic. voluntario*. Argumenta quæ pro hac ſententia afferuntur, gravia ſunt, & legi chriſtianæ apprime conſentanea. Et primo, mandatum *Non occides* abſolutum eſt, & univerſale, a quo nemo eximitur. Homicidium ita ſevere vetitum eſt, ut nemo illud directe intendere valeat, nec in propriæ vitæ defenſionem. Permittitur enim ad neceſſariam vitæ defenſionem, tamquam effectus præter intentionem conſequens. Bona autem temporalia ſunt ordinis longe inferioris. Quare nullo modo occidendus eſt homo horum invaſor bonorum.

III. Præterea Chriſtus Dominus *Matth.* v. inquit: *Ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Quod, licet conſilium abſolute ſit, ſi operis exercitium ſpectetur, quantum tamen ad animi præparationem, ut de exhibenda altera maxilla dictum eſt, ad præceptum pertinet. Idque confirmatur divino illo effato Eccli. xxix. *Perde pecuniam propter fratrem*. Ergo numquam occidendus frater propter pecuniam. Dicit enim Deus Geneſ. ix. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis ipſius. Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*. Denique hæc occiſio rapientis divitias repugnat divinitus impoſito nobis mandato diligendi proximum ſicut noſmetipſos. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut ego dilexi vos*. Chriſtus autem ſic nos dilexit, ut animam ſuam pro nobis poneret. Idcirco infert Ioannes Epiſt. I. cap. 111. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Quis vero dixerit, pro fratre animam ponere eum qui rapientem ſibi bona in ipſo delicto occideret, illumque in gehennam æternum detruderet?

IV. Accedit Patrum auctoritas. Pro contraria quippe ſententia nec unius Patris, aut antiquioris Theologi teſtimonium allegari poteſt. Pro hac vero ſententia ſtare Pátres communiter apertum eſt. D. Auguſtinus vix permittit defenſionem occiſivam invadentis vitam ipſam: cuius auctoritatem explicat D. Thomas, ut ſupra vidimus. Occiſorem vero rapientis bona aperte improbat *Lib. I. de lib. arb. cap.* v. Proponit enim ſibi quæſtionem his verbis. *Prius mihi diſcutiendum videtur, utrum vel hoſtis irruens, vel inſidiator ſicarius, ſive pro vita, ſive pro*

libertate, ſive pro pudicitia ſine ulla interficiatur libidine. Obtinebat tum lex publica quæ permittebat occiſionem ſicariorum, ſtupratorum &c. Hanc legem diſpicit Auguſtinus: & primum ſtatuit, eos procul dubio lege abuti qui, dominante libidine, illam exequuntur. Deinde non videre ſe teſtatur quomodo homines inculpate ea lege uti poſſint. Quoniam lex non cogit, ſed permittit occidere. *Sed illi homines* (perſequitur Auguſtinus) *lege inculpata quomodo inculpati eſſe queant, non video. Non enim lex eos cogit occidere, ſed relinquit in poteſtate. Liberum eis itaque eſt neminem necare pro iis rebus quas inviti poſſunt amittere, & ob hoc amare non debent.* Et poſt pauca ſic concludit. *Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; ſed quo pacto iſtos defendam qui interficiunt, non invenio.* Sanctus quoque Gregorius Magnus *Lib. XXXI. Moral. cap.* VIII. inquit: *Plus ipſis raptoribus debemus metuere, ne ſemetipſos perdant, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare.* Plures alios Patres referre poſſem, quos prætereo. Hoc dumtaxat affirmare ſufficiat, quod affirmare non dubito, neminem repertum iri qui aſſerat, occidendum furem, aut ſicarium propter divitiarum cuſtodiam. Leges ipſæ civiles furis occiſionem non permittunt, dum nullum ſubeſt vitæ periculum, ut animadvertit doctiſſimus Iuriſconſultorum Cuiacius in *tit. digeſt. de iur. & iuſt. ad leg. 3.* & *leg. 9. ff. eodem, §. Si quis hominem*, ubi hæc habentur: *Si quis hominem occiderit, capitalem ſententiam ſubeat, niſi probare poſſit quod vitam ſuam defendendo illum occidit.* Addit vero citatus Cuiacius: *Licet repellere eum qui venit feriendi, non occidendi cauſa* (quod ex genere teli cognoſcitur *l. 1. §.* Divus, *ff. ad l. Cornel. de ſicariis*, ut advertit citatus Henricus a S. Ignatio) *ſed non licet occidere. Et eodem modo licet repellere eum qui venit eripiendæ poſſeſſionis gratia, ſed non licet occidere.*

V. Poſtremum. Hæc ſententia confirmari poteſt ex propoſitionibus quas adverſæ ſententiæ Theologi docuerunt, quaſque Eccleſia damnavit. Sunt autem ſequentes, quas in ſuo decreto recenſuit Innocentius XI. 31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* 32. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* 33. *Licitum eſt tam heredi, quam legatario contra iniuſte impedientem ſe taliter defendere; ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſte impedientem.* Quis dixerit crudelem, trucem, ſanguinariumque non eſſe modum hunc opinandi, qui eiuſmodi theoremata procudere non reformidavit? Et tamen benigniores Probabiliſtæ non pauci minime ceſſant eaſdem proſcriptas opiniones, variis dumtaxat fucis obtectas, & alicuius vocis additione facta, propugnare. P. Dominicus Viva, exponens primam ex tribus relatis opinionibus, advertit eam defendi a Molina, ſi furto addatur contumelia, ita ut furtum evadat rapina, & committatur adverſus

ſus virum nobilem, non plebeium. Et hoc in ſenſu eam defendit etiam Lugo; concludit P. Viva in *propoſ.* 17. *Alexandri VII. num.* 10. Eam denique adoptare videtur idem P. Viva. Viden'? Furto unius aurei addatur verbum contumelioſum, quo evadat rapina; & propoſitio damnata licita fit: atque ſic vita hominis minoris æſtimatur quam unicus aureus verbo contumelioſo coniunctus. Subdit P. Viva, quod, *ſi aliquando amiſſio unius aurei foret alicui pauperi ingens damnum, ut ſi artifici tollatur inſtrumentum ſuæ artis, quo ſublato, non poſſit ſuam, ac ſuorum vitam ſuſtentare, tunc poterit illud defenſione occiſiva cuſtodire.* Et ideo *propoſitio damnata ſolùm vult, id non licere* REGULARITER, *eſto in aliquibus circumſtantiis poſſit id licere*. Plurimi ſunt homines qui ingens damnum ſubeunt ex iactura unius aurei, non ſecus ac artifex ex amiſſione inſtrumenti ſui. Iſti ſecundum P. Vivam poterunt occidere furem iſtius aurei. Sartor unicam habet acum, qua conſuendo veſtes ſibi, familiæque comparat alimenta. Invaditur a raptore. Ne hoc ſuo inſtrumento privetur, raptorem occidit. Reus ne homicidii erit? Nequaquam, iuxta doctrinam P. Viva. Vita ergo hominis uni acui, aut alteri infimi pretii inſtrumento poſtponenda aliquando erit? *Regulariter* non eſt occidendus fur ob iacturam unius aurei, nimirum ſi privatio aurei non inferat grave detrimentum. Quin non ſolum ob amiſſionem unius aurei, ſed etiam cuiuſque inſtrumenti neceſſarii ad panem comparandum, licita erit hominis occiſio? Quid, ſi inſtrumenti iſtius valor tenuis admodum eſſet, paucorumque obulorum? Hæc omnia *materialiter* ſe habent, inquiunt docti iuniores. Neceſſitas, & egeſtas ſpectanda eſt artificis, qui abſque illa acu, aut forbice, aut alio inſtrumento nequit artem ſuam exercere. Quis non perhorreſcit audiens, licitum eſſe ob unicum viliſſimum inſtrumentum effundere humanum ſanguinem? Iuniores noſtri exiſtimant laxiſſimæ, & ſanguinariæ doctrinæ ſe ſatis cavere hoc fuco neceſſitatis illius inſtrumenti ad vitam ſuſtentandam? Sub hoc inani pigmento dilatant laxitatem, ſanguinis plenam, exquiſita ſubtilitate. Ubinam gentium ſumus? Si fur, aut ſicarius eriperet alicui artifici ſuæ artis inſtrumentum; adeo ne difficile foret artifici reperire aliud inſtrumentum, quo artem ſuam exerceret? At P. Viva, inquis, loquitur in hypotheſi qua nullum aliud inſtrumentum inveniri poſſet, & illud alioqnin neceſſarium foret ad vitam ſuſtentandam. Cavillationes iſtæ ſunt, & effugia, ut ſic blandius laxitas diffundatur. Primum P. Viva conſtituit theſim abſolutam, quod, ſi iactura unius aurei inferat ingens damnum alicui pauperi, licita ſit ipſi defenſio occiſiva: en ipſius verba: *Si aliquando amiſſio unius aurei foret alicui pauperi ingens damnum*: poſt adiicit exemplum artificis: *ut ſi artifici tollatur inſtrumentum ſuæ artis &c. tunc poterit illud defenſione occiſiva cuſtodire*. Hæc doctrina, ut ego quidem arbitror, parum, aut nihil differt a damnata propoſitione; &, ſi ita loqui fas eſt, videtur cenſura digna:

tum quod propter inſtrumentum exigui pretii occidendum furem doceat ; tum quod propoſitionem damnatam eludat duplici via . Statuit enim primo, quod, ſi furtum unius aurei grave non afferat domino detrimentum, tamen ſi fur, vidente domino , aureum unicum ſurripiat, & verbum contumelioſum in dominum nobilem proferat , tunc ſine culpa necatur fur . Pergit deinde, quod ſi fur modeſtus ſit, nullumque verbum iniurioſum enuntiet, occidi nihilominus iure valet, ſi furtum unius aurei ingens damnum inferat pauperi, cui ſurripitur. Hæc doctrina & abſolute ſpectata falſa eſt , & relate ad praxim cædibus, homicidiis, & humani ſanguinis effuſioni viam aperit latiſſimam. Neque reponas, hæc abſurda , incommoda, & flagitia non ex doctrina, ſed ex malitia hominum profluxura : quoniam ego reſpondeo, ex utroque principio, nempe & ex doctrina nimium laxa , atque ab Evangelio longe multumque abhorrente, & ex hominum iniquitate præfata incommoda, & cædes proficiſci. Malitia quippe humana occaſio eſt laxandi doctrinam; & doctrina laxa roborat, augetque hominum iniquitatem.

VI. Ex his quæ dicta ſunt, colligi poteſt aliud argumentum adverſus oppoſitam ſententiam. Cur Eccleſia damnavit propoſitionem defendentem occiſionem licitam furis ob conſervationem unius aurei? Quia ſcilicet unicus aureus comparate ad vitam humanam nihil reputatur . Requireretur ergo proportio inter vitam & pecuniam, ut ob pecuniam quæ eripitur, vita poſſet auferri. At, ſicut certum eſt proportionem nullam eſſe inter pecuniam & vitam, quantumvis pecunia multiplicetur, quia vita bonum eſt valde melius & excellentius; ita fit conſequens, numquam ob quamcumque pecuniam licite hominem occidi poſſe. Alioquin, ſemel admiſſo quod pro viginti, aut quinquaginta, aut centum aureis occidi poſſit; continuo infertur , licitum quoque fore eumdem occidere pro unico tantum aureo: quia unius aurei furtum maius detrimentum infert pauperi quam afferat diviti centum, aut mille aureorum ablatio. Hinc etiam conſequuntur , ceu duo corollaria fere neceſſaria, illæ duæ propoſitiones ab Innocentio Pontifice damnatæ : altera nimirum, aſſerens licitum eſſe defendere defenſione occiſiva *non modo ea quæ actu poſſidentur, ſed etiam ea ad quæ ius habetur*; & altera, quæ occidendos etiam docet illos qui impediunt ne hereditas adeatur, aut obtineatur cathedra , vel præbenda. Eodem namque principio quo nititur adverſa ſententia principalis de furum occiſione ob divitias ſervandas , reguntur quoque præfatæ duæ propoſitiones damnatæ . Siquidem non modo eorum quæ poſſidemus, verum etiam eorum ad quæ ius habemus, privatio grave, & ingens incommodum adferre ſolet. Ergo, ſi grave detrimentum quod patimur ex privatione præſentium , ſatis eſt ad licitam occiſionem furum ; conſequitur neceſſario, grave detrimentum, quod reapſe percipitur ob impedimentum aſſequendi ea ad quæ nobis ius ineſt, ſufficientem fore licitæ defenſionis occiſivæ rationem.

VII.

Digitized by Google

VII. Contraria ſententia, quæ propugnat licitam furis occiſionem ob conſervationem bonorum quæ ſint magni, non exigui valoris, quorumque recuperatio apud iudicem ſperari nequeat, communior eſt inter recentiores Theologos: quorum hæc ſunt argumenta. *Exod.* XXII. hæc habentur: *Si effringens fur domum, ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit; percuſſor non erit reus ſanguinis*. Addunt verba Ciceronis in *orat. pro Milon.* inquientis: *Hæc lex, non ſcripta, ſed naturalis, ut latrones, & inſidiatores viarum in defenſione bonorum occidere poſſimus*. Accedunt leges canonicæ. Siquidem *cap.* Interfeciſti 2. *de homicidio*, cuidam homicidæ ieiunia ſuadentur, non ut pœnitentia neceſſaria, ſed ut ſalubre conſilium. *Si autem ſine odii meditatione te, tuaque liberando, huiuſmodi diaboli membra interfeciſti; ſi aliquid ieiunare volueris, bonum eſt tibi, & eleemoſynam fac largiter*. Item Innocentius IV. approbans interdictum latum ab Epiſcopo Pictavienſi adverſus Ballivum bonorum Epiſcopi uſurpatorem, hanc aſſignat rationem: *Cum omnes leges, omniaque iura vim vi repellere, cunctiſque ſe defendere permittant; licuit utique ipſi Decano, ſi prædictus Ballivus eum bonis ſuis mundanis iniurioſe expoliare, vel ea violenter occupare præſumpſerit (ut ſæpius eſt expreſſum) contra illius violentiam, iniuriamque ſe tueri*. Hinc inferunt, cuique vel Religioſo, & Sacerdoti licitam eſſe defenſionem bonorum etiam occiſivam.

VIII. Ratione quoque arguunt hoc pacto. Cui conceſſa eſt finis aſſecutio, permiſſum quoque eſt ea procurare media quæ ad talem finem perducunt. Bona temporalia media ſunt ad vitam humanam alendam, ſervandamque. Ergo qua ratione licitum eſt conſervare & tueri vitam propriam, etiam cum occiſione invaſoris, eadem licitum erit occidere raptorem bonorum temporalium. Accedit. Quamquam vita ſpiritualis proximi ſit ſuperioris ordinis; hoc tamen non obſtat quominus licitum ſit occidere invaſorem vitæ corporalis. Ergo, licet bona temporalia ſint inferioris ordinis, id non obſtat quin liceat auferre vitam furi rapienti eiuſmodi bona. Tandem, ſi fures impune poſſent aliena bona ſurripere, omnia plena eſſent furtis, & rapinis: quod profecto in detrimentum Reipublicæ, & communis tranquillitatis perturbationem cederet.

IX. Hæc ſunt prioris ſententiæ ad eiuſmodi argumenta reſponſa. Ad primum ex Scriptura facilis reſponſio eſt. Sermo ibi eſt de fure nocturno, in quo non modo auferendi bona, verum etiam occidendi intentio præſumitur. Idque ex immediato contextu colligitur. *Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur*. Homicidii igitur reus eſt qui furem diurnum occidit, pœnaque mortis plectendus. At eiuſdem valoris ſunt bona, ſive diu, ſive noctu auferantur. Non ergo ob ſolam bonorum ablationem permiſſa eſt nocturni furis occiſio (alioquin etiam fur diurnus permitteretur occidi) ſed ob præſumptionem voluntatis in ipſo coniungendi furtum cum homicidio. P. Calmet in commentariis ad citatum

X iiij tex-

textum hæc animadvertit. „ Licere nocturnum furem interimere, quod rationabiliter vereri poſſumus quod nobis vitam velit eripere. Hæ veluti reliquiæ ſunt veteris iuris omnibus hominibus communis, quo licebat ob acceptam iniuriam ulciſci, antequam populi ius ſuum in Principum, ac magiſtratuum manu depoſuiſſent. Leges in hoc caſu, quodam modo in privatorum manu collocant arma, ut queant interficere in perſona illorum qui eos noctu aggrediuntur, non modo privatos inimicos, verum etiam publicæ quietis hoſtes; atque in hoc ſenſu aſſeri poteſt, eos nequaquam occidere privata auctoritate, ſed legitima magiſtratuum legumque auctoritate, quæ depoſitariæ ſunt iuris quod habet Deus ſuper hominum vitam. Hæc homicidiorum genera Eccleſia patitur, nec deſunt Scholaſtici, atque Interpretes qui doceant, ſalva conſcientia, furem interimi poſſe, vel alium quempiam qui nos aggreditur vitam abrepturus, cum iacturam illius aliter nequeamus effugere. Sed Auguſtinus optime ait Lib. I. de lib. arb. cap. v. *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; ſed quomodo ipſos qui interficiunt defendam, non invenio*. Re quidem vera quinam iuſtificari poteſt hominem interficiens, ut ſervet ea quæ religio nos aſpernari vult? Evangelium patientiam prædicat, & Patres docuere ſemper, non licere quemquam interficere. Homicidium voluntarium generatim damnant, & ſine ulla reſtrictione. “ Hactenus P. Calmet. Iudicium meum in animadverſione ſub finem *diſſ.* adiicienda exponam. Ad textum allatum ex Cicerone reſpondent, Romanos tuliſſe leges, quæ privatis permittebant occiſionem furum qui ſimul vitæ inſidiabantur. Patet ex *l.* 9. ad legem Corneliam. *Furem nocturnum ſi quis occiderit, ita demum impune feret, ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuerit*. Nihil ergo emolumenti hinc colligere adverſarii valent. Immo ipſæ civiles leges improbant occiſiones latronum qui abſque vitæ hominum periculo bona temporalia ſurripiunt. Accedit, ſupremas poteſtates legem condere poſſe, qua ſubditis licentiam faciant occidendi publicos Reipublicæ perturbatores, & facinoroſos homines qui civili commercio inſidiantur. In qua poſitione, non privata, ſed publica auctoritate latrones occiderentur. Ad canonum teſtimonia facilis, & obvia reſponſio eſt. Siquidem cap. *Interfeciſti* ſermo eſt de invaſore, non bonorum modo, verum etiam vitæ; dicitur enim *te, tuaque*. Diſtinctio, quam huic textui affigunt Probabiliſtæ, arbitraria eſt. Quare perdoctus Fagnanus animadvertit, primam particulam illius textus, *Interfeciſti furem, aut latronem*, explicari debere per poſteriorem, iuxta textum in *L. Quemadmodum*; ita ut ſenſus ſit: ſi interfeciſti furem, qui te tuaque invaſerat, qui tamen comprehendi poterat abſque occiſione; age pœnitentiam: ſi autem comprehendi minime poterat, & tu interfeciſti, *te, & tua* liberando; pœnitentiæ non aſtringeris, niſi ad cautelam. Aliud *caput* nullum faceſſit negotium. Quippe ibi ſermo non eſt de occiſione, ſed de expulſione uſurpatoris citra occiſionem. Quod adeo

ve-

Digitized by Google

verum eſt, ut Pontifex Decano Aurelianenſi approbaverit uſum armorum ſpiritualium adverſus præpotentem invaſorem. Ut quid autem confugiſſet Decanus ad excommunicationem, & interdictum, ſi licitam exiſtimaſſet corporalem occiſionem?

X. Ad primum argumentum a ratione petitum reſpondent, bona temporalia utique eſſe media ad vitam alendam, conſervandamque. Verum negant hæc a fure ita auferri poſſe omnia, quin ſufficientia ſuperſint ad vitam ſuſtentandam. Pauperes bonis carent; ſed patrimonium in divina providentia ſitum habent. Argumentum iſtud ad ſummum evinceret, tunc dumtaxat licitam eſſe invaſoris bonorum occiſionem, quando hic omnia omnino bona auferret; ita ut nihil remaneret ſpoliato, quo vitam aleret. Porro hic non ſiſtit argumentum; ſed occiſionem furis licitam contendit, quoties rem magni valoris fur ſurripit, tametſi pingue patrimonium ſuperſit invaſo, quo vitam ſuſtentare commode valeat. Igitur vix umquam eveniet ut latro ita ſpoliet hominem bonis temporalibus, ut hic interire cogatur ex bonorum defectu. Quod ſi adverſarii urgere perſiſtant hunc metaphyſicum caſum, tunc alia via planiſſima repellendi ſunt. Admiſſa enim difficillima hypotheſi quod latro ita denudare contenderet hominem bonis omnibus, ut, iis ablatis, neceſſario mortem oppetere cogeretur, tum eveniret quod canon laudatus narrat, nempe latronem *te*, *tuaque* invadere; atque adeo licitam eſſe defenſionem occiſivam ob vitæ propriæ conſervationem. Ergo argumentum factum aut nihil evincit, aut evincit, non propter bona, ſed propter vitæ propriæ cuſtodiam occidendum latronem eſſe.

XI. Ad ſecundum argumentum reſpondent, utique vitam ſpiritualem latronis bonum eſſe ſuperioris ordinis, & vitam temporalem aggreſſi eſſe bonum ordinis inferioris. Sed quid inde? Hinc infert D. Thomas poſt ceteros Patres, licitum numquam eſſe privata auctoritate intendere mortem proximi; ſed ſolum licitam eſſe intentionem qua quis conſtituit defendere vitam propriam, licet ad iſtius vitæ defenſionem præter intentionem ſequatur occiſio invaſoris. Quare, ſi vix ob vitæ defenſionem in praxi contingit aliquem inculpate occidere invaſorem, quid dicendum de occiſore invaſoris bonorum? Vita humana inter bona creata naturalia ſupremum locum tenet. Divitiæ autem infimum locum habent inter naturalia bona creata. Ergo fallax eſt argumentatio ab uno ad alium ordinem. Si bona divitiarum eſſent eiuſdem ordinis cum vita humana, tum argumentatio aliquid inferret; verum, cum ſint alterius, & valde inferioris ordinis, argumentatio evidenti laborat fallacia. Conſervatio vitæ propriæ a natura indita eſt: ſæpiſſime annexa eſt vitæ ſpirituali. Si enim qui invaditur, inquinatus ſit noxa aliqua mortali, eſt eiuſdem, immo quia innocens reſpectu conflictus, ſuperioris eſt conditionis ac invaſor. Ne multa. Licet cuſtodire vitam humanam, quæ eſt cuique inter bona ordinis

Digitized by Google

dinis naturæ ſupremum bonum, etiam cum indirecta occiſione invaſoris. Ergo hac ratione licitum quoque erit occidere invaſorem bonorum temporalium, quæ ſunt ordinis valde inferioris? Conſequentia falſa eſt, non ſecus ac iſta. In ſententia adverſariorum licitum eſt occidere invaſorem rei magni momenti. Ergo licet occidere invaſorem pecuniæ exigui valoris. Probo conſequentiam. Quamquam vita corporalis ſit exigui valoris relate ad vitam ſpiritualem; nihiloſecius licet occidere aggreſſorem vitæ corporalis, etiamſi ſequatur iactura vitæ ſpiritualis eiuſdem. Ergo potiori iure, quamvis pecunia ſit exigui valoris comparata ad mille aureos, fas erit interficere raptorem illius. Plus namque diſtat valor totius auri & argenti a pretio vitæ humanæ, quam diſtet valor unius obuli a valore ingentis theſauri. Et tamen argumentatio non tenet: Licita eſt occiſio furis mille aureorum: ergo & occiſio furis unius obuli. Igitur neque argumentatio iſta conſiſtet: Licita eſt indirecta occiſio invadentis vitam humanam: ergo licita quoque erit occiſio invadentis bona. Quare potiſſimum argumentum cui innititur contraria ſententia, mera fallacia eſt. Ad ultimum reſpondetur, nequaquam hoc modo aperiri viam latrociniis, & rapinis. Numquid, quia Eccleſia prohibet adulteræ deprehenſæ in ipſo delicto occiſionem, viam aperit adulteriis, vel audaciores efficit adulteros? Pœnæ conſtitutæ in latrones ſunt; & ſupremæ poteſtates vigilant in eorumdem punitionem. Plura quippe ſunt inſtituta ſupplicia ad furta impedienda. Ex adverſa autem ſanguinaria opinione plurima ſequuntur homicidia cum publicæ tranquillitatis perturbatione.

XII. Hæc ſunt utriuſque opinionis argumenta. Si quod ipſe ſentio, exprimere volo, prior ſententia Evangelio, Patrum doctrinæ, ſpiritui Chriſtianorum conformior videtur, mihique ſane probabilior. Quid quod vel ipſæ ſupremæ poteſtates neminem laqueo ſuſpendunt ob furtum decem aut viginti aureorum? Et chriſtiani Theologi ob unius aurei furtum, ſi ingens damnum inferat, homines morte plectendos eſſe decernunt? Hæc proinde quæ ſequuntur, iuniorum dogmata, tamquam omnino laxa, reiicienda ſunt.

XIII. „ Sicut licet vitam defendere, ita etiam bona externa, quæ vitæ ſuſten„ tationi, STATUS, HONORISQUE conſervationi deſerviunt. Immo hoc etiam „ Clericis, ac Religioſis licitum eſt. " P. Viva in *Trut. in prop. 17. Alexandri VII. num. 10.* Hæc opinio damnata eſt ab Illuſtriſſimo Clero Gallicano anno 1700. *tamquam legi Dei, ordini caritatis divinitus inſtituto contraria, & ut pernicioſa, & erronea.*

XIV. Laxam quoque, & falſam cenſeo ſequentem doctrinam P. Leſſii *Lib. II. de iuſt. cap. IX. dub. II. num. 74. & 75.* „ Si, re accepta, fugias; tunc poſſum in„ ſequi, & ferire; vel ſi neceſſe ſit, eminus telo petere; ſi invadas res meas per „ famulum, vel arte magica per dæmonem, nec alia ratione quam nece tua poſ-

„ ſit

„ ſit impediri; ſi coniuraveris in mea damna; ſi impedias inique meos creditores, „ ne mihi ſatisfaciant; ſi falſa accuſatione, vel falſo teſtimonio me fortunis cone„ ris evertere, nec alia ratio impediendi ſuppetat." Hæc doctrina partim damnata eſt in relatis propoſitionibus, proſcriptis ab Innocentio XI. & partim vi rectæ ratiocinationis proſcribenda infertur.

XV. Falſam quoque, & pernicioſam reputo ſequentem ſententiam, quam docet P. Ludovicus Molina *Tom. IV. tract.* III. *diſp.* XII. *num.* 2. *de iuſt.* „ Arbitror fas „ univerſim eſſe interficere eum qui nos interficere decrevit, quando aliter non „ patet via evadendi mortem, *graveve* periculum mortis, quod nequitia illius ex „ eo decreto nobis imminet; ſive qui id ita decrevit, dicendus iam aggreſſor ſit, „ ſive non : *id enim quæſtio eſt de vocabulo.*"

XVI. Horroris plena eſt ſequens ſententia, quam defendit Leander a SS. Sacramento *Part. V. tract.* II. *diſp.* XII. *quæſt.* XX. „ An ex eo ſolum quod aggreſſor ve„ niat, & accedat cum armis contra aliquem, veriſimiliter cauſa offendendi, „ poſſit aggreſſus licite, & ſine irregularitatis nota eum occidere? Probabilius „ longe reſpondeo, poſſe licite, & ſine periculo irregularitatis eum occidere; „ dummodo *probabiliter, prudenterque* iudicet ad ipſum offendendi cauſa, vel oc„ cidendi venire."

XVII. Plures alias laxiſſimas opiniones brevitatis gratia omitto: tum quia plures relatæ fuerunt initio diſputationis; tum quia ex iis quæ dicta ſunt, confutatæ remanent.

XVIII. Diſputant docti iuniores ſuper quantitate bonorum neceſſaria ad licitam furis occiſionem. Convenit penes omnes non eſſe occidendum furem ob rem levioris momenti. *Quia*, inquit Leſſius Lib. II. de iuſt. cap. IX. dub. II. num. 68. pag. 7. *pro re minima non videtur conceſſum ius defenſionis cum tanto alterius malo. Eſt enim valde iniquum* ut pro pomo, vel etiam uno aureo ſervando *alicui vita auferatur. Si tamen tibi verteretur probro, niſi rem furi extorqueas, poſſes conari, & ſi opus eſſet, etiam occidere iuxta Sotum : tunc enim non tam rei quam honoris eſſet defenſio.* Igitur, ſi vi tibi quiſpiam pomum, vel aureum e manibus extorquere pertentet; poteris reſiſtere; &, ſi opus fuerit, illum occidere ob defenſionem honoris, quem amitteres in unius pomi, vel aurei violenta rapina. Vin' ſuaviorem probabilitatem? Hi ſunt qui clamant: *Iugum meum ſuave eſt.*

XIX. Addunt tamen, ad licitam occiſionem neceſſe eſſe ut ſpes deſit recuperandi rem furto ſublatam in iudicio. Si enim ſperas te fore recuperaturum bona tua in iudicio, non potes furem occidere. Subdit tamen P. Leſſius *loc. cit. num.* 70. & 71. occidendum eſſe furem, *quando in iudicio non poteſt niſi magnis moleſtiis recuperari.* Immo adiicit hoc quæſitum. *Petes, an ſit contra iuſtitiam, ſi furem procul fugientem conficias, quando res iudicio eſt recuperabilis? Reſpond. Verius videri non eſſe,*

Digitized by Google

eſſe, ut docet Caietanus art. 7. & colligitur ex dictis : quia quiſque ius habet defendendæ ſuæ poſſeſſionis, etiam civilis, quamdiu furem habet in conſpectu. Hinc conſequitur, quemcumque hominem eſſe ſuprema poteſtate inſtructum. Si enim etiam tum licet occidere invadentem iura aliena, bonaque rapientem, cum via patet recuperandi eadem bona apud legitimum iudicem; conſequens eſt profecto ſuperflua eſſe omnia iudicia. Iuxta quippe hanc novam, & univerſæ antiquitati incognitam doctrinam, quiſque iudex ſupremus eſt vitæ, & mortis. Neque pluribu opus eſt, ut tam manifeſtam laxitatem labefactemus, qua licitum propugnatur quod eſt humanæ ſocietati maxime perniciosum.

XX. Sed adhuc integra manet inter recentiores Theologos controverſia, quænam videlicet quantitas neceſſaria ſit ad licitam furis occiſionem. Salmanticenſes *tract.* xxv. *cap.* 1. *punct.* 4. *§.* 4. *num.* 86. recenſent varias Theologorum ſententias. Ludovicus Molina *Tom. IV. tract.* 111. *diſp.* xvi. *num.* 6. aſſignat unum aureum, aut quid minus, ſi, reſiſtente domino, ſurripiatur. Nullum tribunal vel Ethnicorum hominibus vitam adimit pro re adeo exigua. Quare hæc opinio damnata fuit ab Innocentio XI. in hac propoſitione 31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* Alii aſſignant duos aureos, alii tres, alii quatuor; alii quinque. Vix unus benignitatem probabiliſticam adeo dilatat, ut ad quantitatem decem aureorum pertingat. Laudati Salmanticenſes *loc. cit. num.* 87. omnes relatas opiniones ut probabiles reputant, excepta damnata ab Innocentio. Verum & hæc probabilis reputaretur, niſi damnata fuiſſet. Probabiliorem tamen reputant ſententiam *Soti*, aſſerentis non eſſe occidendum furem pro valore quatuor, aut quinque ducatorum.

XXI. Ego, ut dixi, vix concederem, caſum repertum iri in quo licita eſſet furis occiſio ob ſolam meramque rerum defenſionem. Tamen, admiſſa etiam hac ſententia, omnes relatæ opiniones mihi improbabiles, & falſæ ſunt. Quodnam, quæſo, tribunal ad mortem damnat furem ob ſimplex & purum furtum decem; aut viginti, aut quinquaginta, aut centum etiam aureorum? Lata utique alicubi lex eſt adverſus inſidiatores, & graſſatores viarum, vulgo dictos *Aſſaſſini*, quos ob artem infamem, crudelemque quam exercent, ob furtum etiam parvum laqueo ſuſpendendos decernitur. Alibi etiam ob gentis alicuius nimium propenſæ ad furta, pœna mortis conſtituta eſt vel ob levia furta propter boni communis conſervationem. Ceterum ſenſus ipſe communis hominum, præciſis peculiaribus circumſtantiis, non permittit hominum occiſionem ob furtum illius pecuniæ quam præfiniunt Theologi ad licitam occiſionem. Quid ergo dicendum? Reſpondeo, me nullo pacto induci poſſe ut reputem licitam hominis occiſionem ob ſolam pecuniarum ablationem. Tamen, admiſſa etiam probabilitate adverſæ ſententiæ, dicerem, numquam licere homicidium ob furtum duorum, quatuor, aut ſex, aut de-

cem

cem aureorum. Quoniam homo facile ſibi proſpicere poteſt, ut brevi talis furti iacturam laboribus, induſtria, aut alio licito modo compenſet. Rigida hæc ſunt, inquis. Dulcia hæc eſſe reſpondeo chriſtianæ legis documenta. Quid, ſi vita pauperis conſiſtere haud poſſet, illa pecunia ſublata? Iam diximus ſupra caſum eſſe metaphyſicum. Tamen, etiam eo admiſſo, tum non pro ſola pecunia, ſed pro vitæ defenſione, occiſio licita dici poſſet. Revolve omnium Patrum opera; & vix invenies pro vitæ defenſione permiſſam ab ipſis invaſorum occiſionem. Nova autem Theologia eo devenit, ut pro ſex, pro quatuor, aut pro duobus aureis homines occidendos doceat.

XXII. Itaque, ſi permittendum privatis hominibus homicidium ob rerum defenſionem aliquando eſſet, tum ſolum licitum dicerem, cum fures domos expilant, viatoribus inſidiantur, infamemque profeſſionem exercent in graviſſimum boni publici detrimentum. In his enim caſibus, & contra eiuſmodi latrones, graſſatoreſque exiſtimo a ſupremis poteſtatibus legem reapſe, ſin verbis expreſſis, latam eſſe, qua facultas ſingulis, quemadmodum adverſus bannitos, impertitur occidendi ſimiles latrones. Et tunc homicidium fieret non privata, ſed publica auctoritate. In his, ſimilibuſve caſibus fortaſſe homicidia furum, & latronum licita erunt. Ceterum tecum ſerio animo reputa, chriſtiane lector, quam ſit moderna Theologia crudelis, & ſanguinaria. Chriſtianus frater tuus eodem infinito pretio redemptus, fame, penuria, neceſſitate urgente adactus, occaſione oblata, ſex nummos aureos tibi diviti furatur. Furtum iſtud tibi utique gravis eſt detrimenti, minime tamen talis, ut in neceſſitatem te coniiciat. Et tu ob ſervandos hos paucos nummos, non ad naturam, ſed ad ſtatum dumtaxat aliquantulum neceſſarios, effundere ſanguinem fratris tui licite poteris? Et ob hæc temporanea, fugacia, vanaque bona, quæ lex chriſtiana toties contemnenda inculcat, licita erit fratrum occiſio? Dices, has eſſe pias, devotaſque exclamationes. Ego vero reponam, adverſas opiniones redolere animorum non benignitatem, ſed ferinam crudelitatem. Reponam eas eſſe novæ probabilitatis immania, truculentaque commenta, pugnantia cum evangelicæ caritatis lege, & communi Patrum doctrina, ac traditione.

XXIII. Quæres. *Quid, ſi fur rem ablatam in tuto poſuiſſet? Licitum ne eſſet vi eamdem auferre, furemque reſiſtentem occidere?* Reſp. Affirmant plures Probabiliſtæ, Vaſquez *de reſtit. cap.* v. *§.* 1. *dub.* 8. *num.* 44. Leſſius *Lib. II. de iuſt. cap.* IX. *dub.* 11. Lugo *de iuſt. Tom. I. diſp.* X. *ſec.* 9. Leander *de irreg. diſp.* XIII. *quæſt.* IX. Tannerus, Diana, & alii.

XXIV. Contraria ſententia vel penes ipſos Probabiliſtas probabilior eſt, mihique vera. Si enim non licet occidere iniuſtum bonorum invaſorem, multo minus licebit iniuſtum detentorem necare. Hanc ſententiam docet conceptis verbis

bis D. Thomas 2. 2. quæſt. lxvi. art. 5. ad 3. *Qui furtim accipit rem ſuam apud alium iniuſte detentam, peccat quidem, non quia gravet eum qui detinet (& ideo non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad recompenſandum) ſed peccat contra communem iuſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei iudicium, iuris ordine prætermiſſo: & ideo tenetur Deo ſatisfacere, & dare operam ut ſcandalum proximorum, ſi inde ortum fuerit, ſedetur.* Si iniqui rerum detentores licite occidi poſſent, plenus homicidiorum mundus eſſet: tribunalia item ſuperflua eſſent. Non enim hæc erecta ſunt pro ſolis dubiis ſuper poſſeſſione rerum ortis, ſed pro quacumque poſſeſſione transferenda ab uno in alium. Licet enim res ablata abſolute ſit domini, clametque ad dominum; quando tamen a fure poſſidetur, per ſolum iudicem revocari ad dominum debet. Et quoniam hæc comperta ſunt, non debent latius diſputari.

§. V.

Licita ne ſit occiſio invadentis pudicitiam, vel ſui ipſius ad vitandum peccati periculum.

I. ADfirmant communiter recentiores Theologi; ſed oppoſitum aperte docet Auguſtinus pluribus in locis, potiſſimum *Lib. I. de lib. arb. cap.* v. ubi hæc habet. *De pudicitia vero quis dubitaverit quin ea ſit in ipſo animo conſtituta, quandoquidem virtus eſt? Unde a violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt. Quidquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in poteſtate noſtra non eſt. Quare, quemadmodum noſtrum appellandum ſit, non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo quæ tales permittit interfici; ſed quo pacto iſtos defendam qui interficiunt, non invenio.* Item *Lib. I. de civ. Dei* pluribus capitibus improbat ſuicidium ob peccatum futurum vitandum. *Cap.* xviii. improbat illorum ſententiam qui permittunt feminas ſe occidere, ne a violentis ſtupratoribus violentur. *Quis tandem*, inquit, *ſana mente putaverit ſe perdere pudicitiam, ſi forte in apprehenſa, & oppreſſa carne ſua exerceatur, & expleatur libido non ſua. Si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit... Quocirca propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit, nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ.* Hinc *cap.* xix. invehitur contra Lucretiam, quod ſe peremerit ob illatum ſibi ſtuprum. Quoniam, inquit, illud ſuicidium argumentum eſt eiuſdem in adulterium conſenſionis. Audiamus acutam illius argumentationem. *Verumtamen, ſi forte ita eſt, falſumque eſt illud quod duo fuerunt, & adulterium unus admiſit; ſed potius ambo adulterium commiſerunt, unus manifeſta in-*

va-

vaſione, altera latente conſenſione; non ſe occidit inſontem; & ideo poteſt a litteratis eius defenſoribus dici non eſſe apud inferos inter illos qui ſibi letum inſontes peperere manu. Sed ita hæc cauſa ex utroque latere coarctatur, ut, ſi extenuatur homicidium, adulterium confirmetur; ſi purgatur adulterium, homicidium cumuletur. Nec omnino invenitur exitus, ubi dicitur: Si adultera, cur laudata? Si pudica, cur occiſa?

II. Caſtitas ergo per vim contaminata nullam maculam irrogat innocenti virgini, quæ, reſiſtente animo, carnis compreſſiónem patitur. Corpus illius levem recipit cicatricem: virginalia clauſtra vi aperiuntur: iſthic infringit tumentes æſtus impotens aggreſſoris libido, nec ultra pergit, Animi integritatem, virtutis candorem nec tantillum denigrare valet. Quin ipſa caſtitas, quæ in corpore vim paſſa eſt, ad coronam duplicatur. Iniuſte ergo effunderet invaſoris ſanguinem mulier quæ ſola animi ſui diſſenſione interiore illibatam caſtitatis virtutem poteſt cuſtodire. Si ideo licita dicitur propriæ vitæ deſenſio cum occiſione etiam invaſoris, quia nulla alia via proſpici vitæ propriæ poteſt; ergo nullo modo licita erit occiſio invadentis pudicitiam, cum hæc ſarta tecta cuſtodiri valeat ſola animi deliberata diſſenſione. Vulnus illud corporale tanti ne eſt, ut vitæ hominis prævalere debeat, immo & animæ, quæ æternum periret?

III. Obiicies. Grave imminet periculum ſuccumbendi tentationi, & libidini invadentis. Quis ſibi ſpondere in tam lubrico conflictu victoriam valet? Quis, æſtuante carne, & aliena impotenti libidine comprimente, ſtimuliſque tum internis, tum externis agitantibus, ſecurus eſſe ſuæ internæ caſtitatis poteſt? Præterqnamquod ipſa exterioris integritatis iactura omnium opum, & vitæ ipſius privatione honeſtis feminis amarior eſt.

IV. Reſpondet Auguſtinus citato *Lib. I. de civ. Dei cap.* XXV. peccata non debere per peccata declinari. En illius efficaciſſimam argumentationem. *At enim timendum eſt, & cavendum ne libidini hoſtili ſubditum corpus illecebroſiſſima voluptate animum alliciat conſentire peccato. Proinde, inquiunt, non iam propter alienum, ſed propter ſuum peccatum, antequam hoc quiſque committat, ſe debet occidere . . . . Verumtamen, ſi deteſtabile facinus, & damnabile ſcelus eſt etiam ſeipſum hominem occidere, ſicut veritas manifeſta proclamat; quis ita deſipiat, ut dicat: Iam nunc peccemus, ne poſtea forte peccemus: iam nunc perpetremus homicidium, ne forte poſtea incidamus in adulterium. Nonne, ſi tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia, ſed potius peccata eligantur, ſatius eſt incertum de futuro adulterium, quam certum de præſenti homicidium? Nonne ſatius eſt flagitium committere, quod pœnitendo ſanetur, quam tale facinus, ubi locus ſalubris pœnitentiæ non relinquitur? Hæc dixi propter eos, vel eas, quæ non alieni, ſed proprii peccati devitandi cauſa, ne ſub alterius libidine etiam excitatæ ſuæ forte conſentiant,*

vim

Digitized by Google

vim ſibi, qua moriantur inferendam putant. Ceterum abſit a mente chriſtiana, quæ in Deo fidit, in eoque ſpe poſita, eius adiutorio nititur: abſit, inquam, ut mens talis quibuslibet carnis voluptatibus ad conſenſum turpitudinis cedat. Quod ſi illa concupiſcentialis inobedientia quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluptatis legem, quaſi lege ſua movetur; quanto magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?

V. Ad id quod additur, feminis honeſtiſſimis amariorem eſſe morte ſolius caſtitatis corporalis iacturam, reſpondetur, non ex affectu ſenſibili feminarum, ſed ex natura cuiuſque rei repetendam eſſe bonorum, aut malorum qualitatem. Ex Auguſtino vidimus, caſtitatis corporalis iacturam, ſalva animi virginitate, haud eſſe præferendam vitæ, ſive propriæ, ſive alienæ. Quoniam revera apud Deum detrimentum non infert violenta corporis virginalis violatio, ſed, animo refragante, coronam duplicat virginitatis. Sed neque apud cordatos mundi homines femina vi oppreſſa aliquam ſubit honoris iacturam, ita ut propter illam vitandam debeat, vel poſſit invaſorem occidere. Nec obſtat ille Auguſtini textus Lib. I. de lib. arbit. *Multo immanius eſt invitum hominem ſtuprum perpeti, quam eum a quo vis illa infertur, ab illo cui conatur inferre, interfici.* Nam abſolute utrumque ſcelus eſt iuxta Auguſtinum, & ſtuprum vi illatum, & homicidium ad repellendum ſtuprum perpetratum. Si autem hæc duo invicem comparentur, illud immanius iſto eſt. Quoniam ſtuprator ſponte, & deliberato animo, nullaque vi cogente, ſed ſola libidine impellente, flagitium perpetrat; qui vero vim patitur, amore caſtitatis ſervandæ, & neceſſitate defendendæ ab impuriſſimo invaſore, ſcelus homicidii committit. Nec tamen hinc ſequitur, concludit Auguſtinus ipſe *cit. Lib. I. de civit. Dei cap.* xxv. quod debeant peccata peccatis vitari.

§. VI.

Pro defenſione vitæ, bonorum, honoris, & pudicitiæ proximi licita ne eſt invaſoris occiſio?

I. Sequentes quæſtiunculæ facillime ex iis quæ dicta ſunt, reſolventur.

II. Quæſt. I. *Licitum ne eſt occidere invaſorem pro defenſione pudicitiæ, & honoris proximi?* Reſp. Salmanticenſes *tract.* xxv. *cap.* 1. *punct.* 4. *§.* 5. *num.* 96. hanc defendunt concluſionem his verbis conceptam: *Dicendum eſt 2. fas cuilibet eſſe occidere invaſorem pro defenſione pudicitiæ, & honoris proximi.* Hanc ſententiam falſam reputamus, improbabilem, & Evangelio oppoſitam, potiſſimum ea parte qua ob defenſionem honoris occiſionem iniuriatoris propugnat. Nec limitatio quam adii-

adiiciunt, probabilem efficit præfatam opinionem, videlicet tunc licitam eſſe occiſionem, quando honor non verbis ſolis, ſed etiam factis, nempe fuſte, aut alapa læditur, & invaſor non fugit. Quoniam, ſi invaſor non fugit, fugere invaſus debet, ſi poſſit. Neque ab fuga eximitur ob ignominiam quam apud homines ſtultos, & antichriſtianos contrahere poteſt, ut ſupra probatum eſt. De defenſione pudicitiæ dictum eſt paragrapho præcedenti. Si enim licita haud eſt occiſio invadentis pudicitiam propriam, multo minus licita erit occiſio aggredientis, & violantis alienam.

III. Quæſt. II. *Teneris ne defendere innocentem ab iniuſto invaſore?* Reſp. Communis ſententia eſt, te adſtrictum eſſe defendere innocentem ab iniuſto aggreſſore, ſi commode valeas, abſque periculo gravi vitæ propriæ, vel bonorum: quia lex caritatis obligat ad ſubveniendum proximo periclitanti, etiam cum aliquo incommodo. Supremæ poteſtates ad hoc tenentur lege iuſtitiæ: quoniam ideo Principes, Regeſque inſtituuntur, ut proſpiciant bono communi ſubditorum. Quare, dum hoc commune bonum periclitatur, ut dum latrones, rebelleſque homines perturbant publicam tranquillitatem, adſtringuntur ſupremæ poteſtates, etiam cum periculo propriæ vitæ, ſe ſe opponere perturbatoribus iſtis; ſecus vero, ut defendant alicuius privati hominis bona: quia ex vi officii bonum commune promovere debent.

IV. Quæſt. III. *Teneris ne occidere invaſorem, ſi aliter innocentem defendere nequeas?* Reſp. Certum primo eſt, ſi innocens nolit defendi, ſed malit mortem ſubire, te non adſtringi ad eius defenſionem. Difficultas eſt, quando innocens ſaltem tacite vult defendi ab iniquo aggreſſore. Adfirmat prior ſententia, dummodo non ſit periculum amittendæ propriæ vitæ: quoniam in hoc caſu quiſque ſibi prius proſpicere debet. Ratio cur te obligatum adfirmat hæc ſententia ad defendendum innocentem, etiam cum morte iniuſti aggreſſoris, eſt, quia vita innocentis præferri debet vitæ ſontis invadentis. Lex quippe caritatis præcipit ut reo ſemper anteponatur innocentis vita. Hanc opinionem defendunt, tamquam probabiliorem, Salmanticenſes *tract.* xxv. *cap.* 1. *punct.* 4. *ſ.* 5. *num.* 100. & pro eadem citant Navarrum, Victoriam, Molinam, Bonacinam, Dicaſtillum, alioſque.

V. Contraria ſententia negat ob hanc rationem. Damna temporalia utriuſque proximi invaſi, & invadentis ſunt paria. Porro, quando damna ſunt æqualia, nemo tenetur unum inferre, ut alterum excludat. Accedit, lege caritatis utrumque proximum diligendum eſſe. Verum quidem habet, præferendum innocentem reo, quando cetera paria ſint; in noſtro tamen caſu cetera inæqualia ſunt. Etenim occiſio invaſoris coniuncta eſt cum æterna ipſius damnatione, quæ eſt omnium malorum maximum. Mors autem innocentis non eſt neceſſatio coniuncta cum æterna ipſius damnatione. Ignoratur utique, ſit ne innocens in ſtatu gratiæ, an peccati. Neque enim ex hoc quod reſpectu invaſionis ſit innocens, ſequitur

eumdem abſolute innocentem eſſe. Quin timeri poteſt ne vindictæ ardore æſtuet in invaſorem. Hæc omnia vera ſunt: vera, inquam; ſed non certa. Ideſt, verum eſt quod de his omnibus dubitare licet; verum eſt quod ignoramus quid in pectore invaſi lateat; atque adeo ſicut dubitare poſſumus de illius malo ſtatu; ita quoque credere prudenter poſſumus, eumdem eſſe in gratia, & contritione interna, amoreque caritatis erga offenſorem, peccatorum, ſi quibus eſſet inquinatus, maculas poſſe delere. Contra certo ſcimus, iniquum invaſorem reipſa ſceleſtum eſſe, atque æternum damnatum iri, ſi occidatur in ipſo conflictu. Ergo huic potius parcendum videtur quam alteri ſuccurrendum. Hæc opinio mihi probabilior, atque in praxi unice vera mihi eſt. Si enim in praxi vix invaſor propriæ vitæ occidendus permittitur a Patribus; & ſi permiſſio tot cautionibus munitur, ut executio eius vix contingat abſque culpa: quænam ratio urgere te poteſt, ut cum periculo animæ tuæ proſpicias alienæ vitæ temporali? Quis eſt ille qui his in conflictibus ſervet exacte leges inculpatæ tutelæ? Quod caritatis præceptum obligat ut manus noſtras humano ſanguine inquinemus? Omni ergo induſtria, & etiam incommodo proprio impedienda eſt innocentis occiſio. Ad hoc nos lex chriſtiana adſtringit; ſed quod teneamur effundere humanum ſanguinem privata auctoritate, unumque occidere, ut alterum ſervemus, numquam poterit ex Evangelio probari.

VI. Quæſt. V. *Teneris ne defendere bona proximi magni momenti cum occiſione neceſſaria raptoris?* Reſp. Adfirmat communior Probabiliſtarum opinio. Verum, cum nos propugnaverimus ſupra, neque in defenſionem propriorum bonorum licitam eſſe occiſionem furum; iam conſtat multo minus licitum eſſe occidere invadentes bona aliena. Quapropter, ne actum agamus, abſtinemus ab ulteriori ſententiæ huius confutatione.

CAPUT VI.

De ſuicidio directo.

I. SOli hæretici quos Circumcelliones vocant, ſuicidium propugnarunt, ut quoddam martyrii genus: quapropter variis cruciatibus ſemetipſos interimebant.

II. Veritas de fide eſt, illicitum noxiumque eſſe ſuicidium. Vetitum quippe eſt quinto mandato, *Non occides*. Si autem vetatur occiſio alterius, potiori iure prohibita erit ſui ipſius occiſio: homo namque non eſt vitæ ſuæ dominus, iuxta illud Sapientiæ XVI. *Tu es, Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*: & Deuteronomii XXXII. *Ego occidam, & ego vivere faciam*. Ergo divinam ſibi uſurpat aucto-

auctoritatem qui ſeipſum occidit. Neque in pœnitentiam admiſſi ſceleris licita eſt ſui ipſius occiſio, ut fecit Iudas. Hanc hæreſim confutant D. Auguſtinus *Lib. I. de Civ. Dei cap.* XVII. & D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXIV. *art.* 5.

III. Diſputant Theologi in utramque partem, peccet ne contra caritatem tantum, an etiam contra iuſtitiam qui ſeipſum interimit. Verum, miſſis inutilibus ſubtilitatibus, ſententia vera eſt ſuicidium non caritati modo, verum etiam iuſtitiæ adverſari. Hoc conceptis verbis evincit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXIV. *art.* 5. ſic inquiens. *Vita eſt quoddam donum divinitus homini attributum, & eius poteſtati ſubiectum, qui occidit, & vivere facit. Et ideo qui ſeipſum vita privat, in Deum peccat; ſicut qui alienum ſervum interficit, peccat in dominum, cuius eſt ſervus; & ſicut peccat ille qui uſurpat ſibi iudicium de re ſibi non commiſſa. Ad ſolum enim Deum pertinet iudicium mortis, & vitæ, ſecundum illud Deuter.* XXXII. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Et ſuperius dixerat idem Angelicus in eodem artic. *Quilibet homo eſt pars communitatis ... Unde in hoc quod ſeipſum interficit, iniuriam communitati facit, ut patet per Philoſophum Eth.* V. Hæc omnia comperta ſunt, nec egent fuſiore ſermone.

IV. Quæſt. I. *Dei, aut iudicis præcepto licet ne ſeipſum occidere?* Reſp. Solus Deus dominus eſt vitæ, & mortis. Quare, ſi Deus alicui præciperet ut ſe interimeret, parendum eſſet divino mandato. Hoc Dei præceptum pluribus Sanctis, cæleſti lumine illuſtratis, innotuit. Sic Sampſon ſeipſum occidit. *Nec Sampſon aliter excuſatur* (inquit D. Auguſtinus Lib. I. de Civ. Dei cap. XXI.) *quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quod latenter Spiritus ſanctus hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat.* Hoc eodem divino impulſu permota ſeſe in ignem coniecit S. Apollonia; & Pelagia ſe ipſam interemit, ut integram cuſtodiret pudicitiam. Aliis viris ſanctis, ut Abrahamo, perſpicue ſuum Deus patefecit mandatum; quo aliorum occiſionem præcepit. *His igitur* (concludit Auguſtinus loc. cit.) *exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter occidi iubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet, occiderit, homicidii crimine innectitur.*

V. Viri itaque ſancti qui ſibi mortem conſciverunt, id peculiari Dei inſtinctu peregere. Ethnicorum plures manus in ſe iniecerunt, non divina aliqua illuſtratione, ſed mundanæ gloriæ ſtudio ſuccenſi. Ignorantia invincibilis ſuicidii non datur. Quare falſam reputo ſententiam quam de Lucretia Romana defendit P. Ludovicus Molina de *iuſt. Tom. IV. tract.* III. *diſp.* IX. *num.* 5. „ Neque eſt improbabi-„ le, ignorantiam excuſaſſe a culpa letali actum quo Lucretia ſeipſam interfecit, „ ſimileſque alios actus ab ethnicis hominibus perpetratos.“ Hæc ignorantia invincibilis vel ipſius Decalogi quam defendunt Probabiliſtæ, commentitia eſt, Patrum, & antiquiorum Theologorum doctrinæ adverſa. Audiant Probabiliſtæ, quid con-

Digitized by Google

contra opinionem Molinæ, Lucretiæ defenſoris, ſcribat Auguſtinus Lib. I. de Civ. Dei cap. XIX. *Vos appello, leges, iudiceſque Romani . . . . Si ad veſtrum iudicium quiſquam deferret hoc crimen, vobiſque probaretur, non ſolum indemnatam, verum etiam caſtam, & innocentem interfectam eſſe mulierem, non ne eum qui id feciſſet, ſeveritate congrua plecteretis? Hoc fecit illa Lucretia: illa ſic prædicata Lucretia: innocentem, caſtam, vim perpeſſam Lucretiam Lucretia inſuper interemit. Proferte ſententiam. Quod ſi propterea non poteſtis, quia non aſtat quam punire poſſitis, cur interfectricem innocentis, & caſtæ tanta prædicatione laudatis? . . . Si adultera, cur laudata? Si pudica, cur occiſa?* Idem de Catone, & aliis celeberrimis Ethnicorum viris ſentiendum.

VI. Secunda quæſtionis pars æque certa eſt, nempe neminem licite poſſe iudicis præcepto ſeipſum interimere. Quoniam iudices terreni nulla in hominum vitam a ſemetipſis eripiendam poteſtate fruuntur; atque adeo nequeunt præcipere ut homines, repugnante inclinatione naturali, ſeipſos occidant. Porro iudices a Republica, & Reſpublica a Deo poteſtatem acceperunt puniendi reos, minime vero iubendi ea quæ naturæ repugnant, ut eſt occiſio ſui ipſius. Quare ſicut iudex reus capitalis delicti nequit ſibi mortem conſciſcere, ſed publicæ poteſtati ſe tradere; ita nequit iubere ut damnatus ad mortem ſeipſum interimat.

VII. Obiicies. Damnatus, ut veneno pereat, tenetur os aperire ad venenum ſuſcipiendum: ergo poterit quoque propriis manibus illud ſibi propinare. Reſp. Negatur conſequentia. Duplex actionum genus diſtinguendum. Aliæ actiones ſuapte natura mortem inducunt; ut ſumptio veneni, venarum inciſio, unde totus effluat ſanguis, ſe e patibulo præcipitem dare. Aliæ remote tantum ad mortem concurrunt, ut aſcenſus ſcalæ ad patibulum, colli ſubmiſſio, oris apertio, & id genus ſimilia, quæ, cum indifferentia ſint, mortem neceſſario non inducunt. Actiones primi generis illicitæ ſunt, ſecus aliæ. Quare licite rei ſcalam aſcendunt, cervices ſubmittunt, venenum in os infuſum a carnifice deglutiunt. Lubet D. Thomæ verba exſcribere ex 2. 2. *quæſt.* LXIX. *art.* 4. ad 2. ubi aſſerit, quod *nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur. Et ideo non tenetur facere id unde mors ſequatur . . . . Sicut, ſi aliquis ſit condemnatus ut fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat: quia non ſumere eſſet ſeipſum occidere.* Hinc clare colligitur, quod, ſicut malefactorum nemini præcipitur ut ferro ſe interimat, ita minime damnandus quiſquam ſit, cogenduſque ut veneno ſe necet, aut fame conficiatur, cibo præſente. Cibus omnis ſubtrahi reo poteſt, ut ille patiatur famem, & mortem. Nullo vero modo cogendus eſt, ne de cibo oblato manducet: quia, ſi cibum præſentem negligeret, mortem ille ſibi conſciſceret.

VIII. Qui ſinunt ſe a ſcorpionibus morderi, venenumque hauriunt, ut theria-

Digitized by Google

cæ vim experiantur, ſtulte ſe gerunt. Neque ſatis eſt medicorum iudicium, quo teſtentur theriacam ad artis regulam compoſitam eſſe. Quoniam certum eſt morſum viperæ, & hauſtum veneni res eſſe mortales. Antidotum vero theriacæ ob plures cauſſas, circumſtantiaſque vim expellendi veneni amittere poteſt. Quare hæc experimenta in ſolis brutis facienda ſunt, numquam in hominibus. Improbandi quoque ſunt qui ludos exercent in quibus probabile imminet vitæ periculum. Hos inter colloco eos qui ſuper funem ambulant, corpuſque volutant, e ſune dimittunt, una manu ſuni affixa, vel capite deorſum inverſo, & pede ſolo funem premente.

IX. Quæſt. II. *Licita ne eſt alicuius membri mutilatio?* Reſp. Convenit penes omnes, licitum eſſe pati abſciſſionem alicuius membri, ut totius corporis ſanitati provideatur. Ceterum, quemadmodum minime licet, vel ex præcepto iudicis, ſemetipſum necare; ita non eſt licitum ſibi propriis manibus membra corporis abſcindere. Quando tamen membri abſciſſio neceſſaria eſt ad evitandam mortem, aut malum aliquod gravius membri iactura, poteſt quiſque ſibi membrum abſcindere. Hac ratione licitum eſt manum, brachiumque exponere, ut univerſo corpori caveatur. Homo cuſtos eſt ſui corporis, eaque omnia agere valet quæ prudenter expedire cognoverit ad illius conſervationem. Quare, ſi abeſſet chirurgus, & dilatio mortalis foret, eo quod venenum ſe per corpus effunderet; ipſe læſus poſſet ſibi licite manum amputare, ut certam mortem evaderet. Item vinculis conſtrictus poteſt pedem, vel manum abſcindere, ut mortem ſibi a fera, vel ſicario inferendam evadat. Comburendus a flammis ex alta turri poteſt ſe deiicere cum periculo fractionis crurum. Si tamen atroces nimium graviſſimique dolores perferendi eſſent in membrorum abſciſſione; nemo teneretur membri reciſionem pati, eo quod tanto pretio ſalus conſervanda non ſit. Excipiunt hominem Reipublicæ perutilem. Verum aut ſpes ſalutis certa eſt, aut non. Si primum, vix aliquem reperire erit qui nolit acerbos dolores ſufferre, quando certus moraliter ſit ſanitatis obtinendæ. Si vero ſpes dubia, & exigua fuerit, pauci erunt qui tantis cruciatibus velint ſe ſubiicere ob ſpem dubiam ſalutis comparandæ. Ne multa. Hac in re peritorum iudicio ſtandum eſt.

X. Quæſt. III. *Licitum ne eſt ſemetipſum caſtrare ad ſuperandas tentationes?* Reſp. Negant Theologi fere omnes: & hæc ſententia negans certa eſt. Id deciſum habetur in Concilio Nicæno, a quo reprobatum fuit factum Origenis, qui virilia ſibi abſcidit, ut caſtitatem ſervaret. D. Thomas optime more ſuo rem hanc reſolvit 2. 2. *quæſt.* lxv. *art.* 1. ubi, poſtquam docuit, neminem poſſe ſibi mutilare membrum ſanum, aut permittere mutilationem, poſſe vero & abſcindere, & permittere abſciſſionem membri putridi ob totius corporis conſervationem, reſolvit numquam licere membri abſciſſionem ad peccatum vitandum. Rationem eviden-

tem aſſignat. Ideo enim licet abſcindere membrum putridum ob totius corporis ſanitatem, quia reapſe abſciſſio putridi membri confert ad corporis ſanitatem. Sed abſciſſio genitalium nullo modo neceſſaria eſt ad caſtitatem cuſtodiendam, vel ad peccata vitanda. Tranſcribamus verba Angelici ex loc. cit. ad 3. *Membrum non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter toti ſubveniri non poteſt. Saluti autem ſpirituali ſemper poteſt aliter ſubveniri quam per membri præciſionem, quia peccatum ſubiacet voluntati. Et ideo in nullo caſu licet membrum præſcindere propter quodcumque peccatum vitandum. Unde Chryſoſtomus exponens illud Matth.* XIX. Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cælorum, *dicit: Non per membrorum abſciſſionem, ſed malarum cogitationum interemptionem: maledictioni enim eſt obnoxius qui membrum abſcindit: etenim homicidæ ſunt qui talia præſumunt. Et poſtea ſubdit: Neque concupiſcentia manſuetior ita fit, ſed moleſtior: aliunde enim habet fontes ſperma quod in nobis eſt; & præcipue a propoſito incontinenti, & mente negligente: nec ita abſciſſio membri comprimit tentationes, ut cogitationis frenum.*

XI. Quæſt. IV. *Licitum ne parentibus eſt filios caſtrare, ipſis ſive conſentientibus, ſive repugnantibus?* Reſp. Pro ſententia adfirmante adduci ſolent Paſqualigus *deciſ.* 498. Salon *in* 2. 2. *quæſt.* LXV. *art.* 1. *contr.* 2. Trullenchus *Lib. V. cap.* III. *dub.* 4. *num.* 4. Ratio iſtorum Auctorum eſt, quia eunuchi honorabiles efficiuntur apud Principes, a quibus cantus ſuavitate ingentia lucra accipiunt, ſuæque ſuſtentationi maximo decore provident. Hæc autem ratio futilis prorſus eſt, & vana. Neque enim pervertendus eſt naturæ ordo ob temporalia lucra, aut ob honorem, & famam apud Principes comparandam. Præterquam quod commentitius eſt honor iſte, falſaque fama. Quin caſtrati, & eunuchi apud omnes cordatos viros, ſin infames, certe ut naturæ monſtra habentur. Si ergo ob ſalutem ſpiritualem animæ, ſcilicet ad tentationes vitandas licita non eſt membrorum genitalium truncatio; quanto minus ea licebit ob temporalia commoda?

C A P U T VII.

De ſuicidio indirecto.

I. Quemadmodum certum eſt neminem poſſe propria auctoritate, excepta peculiari inſpiratione, ſeu ordinatione Dei, directe occidere ſemetipſum; ita certum eſt poſſe homines interdum iuxta chriſtianæ prudentiæ regulas *indirecte* permittere propriæ vitæ iacturam. Sacri Eccleſiæ Faſti ſplendida iſtius indirectæ occiſionis monumenta nobis exhibent. Chriſtus Dominus religionis noſtræ caput ſui ipſius crucifixionem permiſit. Martyres, eiuſdem Redemptoris noſtri imita-

tatores, virtutis amore invicta fortitudine mortem ſuſtinuere. Veritas fidei eſt Chriſtum Dominum ſe potuiſſe defendere, & ſimplici nutu adverſarios ſuos de medio tollere, atque in nihilum redigere. Martyres quoque ipſi adverſus Tyrannos arma ſtringere potuiſſent. Hæc omnia certa ſunt.

II. Quæſt. I. *Tenentur ne homines remediis maximi pretii, & extraordinariis uti ad vitam conſervandam?* Reſp. Diſtinguenda ſunt mortis genera. Quando mors ab aliis non intentatur per vim, ſed ex cauſſis naturalibus evenit, quiſque tenetur adhibere remedia ordinaria, quibus communiter uti homines ſolent. Remedia vero extraordinaria, ut maximi valoris medicinas, itinera ad regiones ſalubriores valde diſſitas, divitiarum omnium profuſionem, & cetera id genus nemo exequi tenetur ad vitam conſervandam. Si vero mors extrinſecus per vim intentetur, tunc negligi remedia poſſunt, etiam ordinaria. Sic Martyres ordinariam defenſionem neglexere, ut dictum eſt. Sic poteſt quis in extrema neceſſitate panem alteri extreme indigenti relinquere ex motivo virtutis. Sic licitum eſt naufraganti tabulam quem tenet, amico relinquere, ſi prudenter exiſtimet, utiliorem eſſe Reipublicæ eius vitam quam própriam; ſecus, ſi nulla alicuius virtutis ratio appareret. At in his eventibus magna opus eſt prudentia. Ceterum, ſi mors immineat extrinſecus per vim a cauſſa naturali (puta, vides feram ad te dilaniandum occurrere, a flumine abſorbendum te eſſe, a flammis comburendum) peccares, ſi uſum remediorum omitteres: quia nulla apparet virtutis ratio, cur poſſis permittere voluntarie tui ipſius mortem in his caſibus.

III. Quæſt. II. *Licitum ne eſt id agere unde ſecutura mors indirecte prævideatur?* Reſp. Adfirmant omnes. Quare præliari milites poſſunt, ſtationem firmiter cuſtodire: peſtis tempore poſſunt ſani homines ſervire infirmis, & lue infectis; tametſi hinc ſe ſubituros mortem prævideant. Quoties enim occurrit honeſtum, certumque veræ virtutis motivum, licet ob exercitium talis veræ, certæque virtutis mortis periculo propriam vitam exponere.

IV. Quæſt. III. *Tenetur ne infirmus cibum ſumere ad mortem evadendam, ſi in ſumptione extremis afficiatur doloribus?* Reſp. duplici ex capite oriri abominationem & repugnantiam ad cibum ſumendum: vel ex furore, & dementia, contra quam nullum eſt remedium; vel ex infirmitate extrema, quæ ita vires extenuaverit, ut nequeat infirmus cibum deglutire; & neque in hoc caſu maiori moleſtia affligendus foret homo. Raro enim accidit, dementia, aut extrema lucta ſublatis, ut infirmi nolint tantum cibi ſumere, quantum ſatis eſt ad vitam ſervandam. Quare in his caſibus dexteritate, & prudentia opus eſt.

V. Quæſt. IV. *Licitum ne feminæ eſt permittere ſe ab invaſore violari, ne ab eodem occidatur?* Reſp. Duo tamquam certa præiacienda ſunt. Alterum quod femina mortem potius perferre debeat quam libidini aſſenſum præbere. Alterum, quod,

Digitized by Google

ſi invaſor indiceret mulieri ut ad impurum congreſſum ſe præpararet, alioquin morti obnoxia erit, mortem potius ſubire deberet quam ſe ſe ad turpem actum diſponere: quia tunc manifeſta eſſet in turpitudinem cooperatio. Diſtinguenda etiam eſt duplex vis extrinſecus illata. Altera dicitur abſoluta, quæ eſt ſimpliciter talis, nuncupaturque *compulſio*. Altera appellatur *ſecundum quid* talis, quæ licet inclinet, impellatque perſonam, ideoque vocatur *impulſio* a D. Thoma in *II. Sent. diſt.* xxv. *art.* 2. tamen abſolute illam non cogit; ſed eidem facultatem ſe determinandi relinquit. Hæc vis, ſeu violentia recidit in metum gravem. Animadvertendum quoque, voluntatem humanam reſpectu propriorum actuum nequaquam pati violentiam poſſe; licet illam ſuſtinere queat reſpectu actuum quos ipſa imperat, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. VI. art. 4. *Quantum igitur ad actus a voluntate imperatos voluntas violentiam pati poteſt, inquantum per violentiam exteriora membra impediri poſſunt ne imperium voluntatis exequantur; ſed quantum ad ipſum proprium actum voluntatis non poteſt ei violentia inferri.*

VI. Sermo in præſenti non eſt de violentia abſoluta, & omnino cogente, in qua mulier mere paſſive ſe ſe habet, nullamque reſiſtentiam exercere poteſt; ſed loquimur de poſteriori violentia. P. Ludovicus Lopez *I. Part. inſtruct. conſc. cap.* lxv. Toletus *Lib. V. cap.* x. Sotus *Lib. V. de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 5. *ad* 3. & alii ſuſtinent, feminam poſſe permittere ſui violationem, ut mortem evadat, dummodo voluntate repugnet turpitudini.

VII. Communis, & vera ſententia hoc negat, propugnatque feminam mortem oppetere debere, ut ſui corporis violationem evitet. Quoniam, ſi morte evitare poteſt violationem, vis illata non eſt abſolute talis; ſed dumtaxat *ſecundum quid*, quæ non aufert abſolute voluntarium. Femina igitur in caſu quæſtionis revera voluntarie permittit turpem congreſſum, ſeu violationem libidinoſam ſui corporis. Siquidem, iuxta oppoſitæ ſententiæ propugnatores, femina permiſſive ſe habendo in turpi congreſſu, voluntarie ſubiicit proprium corpus invaſori, ut mortem effugiat. Deteſtatur turpitudinem actus; ſed quietam, & immobilem ſe præbet fornicatori. Porro hæc exterior quies, & immobilitas feminæ non eſt a principio extrinſeco cogente; ſed a propria ipſius voluntate. Minatur utique mortem invaſor, niſi femina ſe ſe ſupponat, aut ſi agitationibus corporis reſiſtat, repellatque invaſorem. Verum eiuſmodi minæ timorem utique incutiunt, minime vero cogunt, aut neceſſitatem imponunt. Ergo femina voluntarie & libere ſe ſe ſubiicit aggreſſori, ſub ipſo quieſcit immobilis voluntarie, & libere negligit reſiſtere corpore, & omnium virium conatu obluctari. Porro hæc voluntaria quies, hæc voluntaria indifferentia eſt interpretativa, & æquivalens cooperatio in turpem congreſſum. Paucis rem clarius explico. Duplex aſſignari poteſt reſiſtentia. Altera eſt interior, ſeu voluntatis. De hac in præſentia non loquimur: ſupponimus enim

enim feminam interius diſſentire turpitudini actionis. Altera reſiſtentia exterior eſt, ſeu corporalis. Mulier igitur, dum exterius permiſſive ſe habet, dum omni conatu exterioribus membris non reſiſtit, dum perpetuis corporis agitationibus non refragatur; ſed libere ob vitandam mortem ingreſſum concedit aggreſſori, iam flagitii particeps efficitur. Accedit quod propter ſummam actus delectationem hic exterior conſenſus ſimpliciter voluntarius, & ſecundum quid involuntarius, ſecum facillime trahit etiam interiorem voluntatis conſenſum.

VIII. Obiicies. Nullum eſt peccatum abſque conſenſu voluntatis; ſed in caſu propoſito femina nullo modo conſentit in turpitudinem actus pravi: ergo non peccat. Quod non conſentiat, patet: quia poſitive diſsentit. Illa exterior quies, & indifferentia permiſſiva phyſica eſt, non moralis. Reſp. Eiuſmodi femina non habet conſenſum formalem, bene tamen interpretativum. Qui non vetat, vetare cum poſſit, iubet. Poteſt, ut ſupponitur, femina corporis agitatione, & niſu reſiſtere: quia, ſi eſset uſquequaque compreſsa, haud foret diſputationi locus: tunc enim ſolum cum ſancta Lucia canere poſset: *Si invitam iuſseris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*. Ergo, dum voluntarie, & libere ad evitandam mortem omittit exteriorem repulſam, interpretative conſentit in ipſum flagitioſum congreſsum. Porro ad peccatum non requiritur conſenſus expreſsus, & formalis voluntatis; ſed ſufficit interpretativus, & æquivalens, qualis habetur in noſtro caſu. Tunc nullus eiuſmodi conſenſus habetur; quando femina exterius undiqueverſum compreſsa, & ad incitas redacta, nullo modo reſiſtere valet. Verum, quoties timore mortis voluntarie permittit corpus ſuum fœdari, illa in hoc exterius opus præſumitur conſentire; periculumque grave eſt ne in ipſius actus turpitudinem conſentiat. At, cum hæc quæſtio ad ſextum Decalogi mandatum pertineat, iterum ibi in examen vocabitur.

CAPUT VIII.

De homicidio caſuali.

I. HOmicidium caſuale illud dicitur quod eſt præter intentionem occidentis: Duplex diſtingui homicidium *caſuale* ſolet. Alterum quod eſt præter voluntatem tum in ſe, tum in ſua cauſſa: & hoc homicidium proprie caſuale dicitur, omnique peccato caret, utpote ex quacumque parte involuntarium. Alterum homicidium *caſuale* illud eſt quod, licet non ſit volitum directe, & in ſe, volitum tamen eſt in ſua cauſſa; vocaturque *caſuale mixtum* ex voluntario indirecto, & ex caſu: & hoc homicidium peccatum eſt.

II. Dupliciter evenire hoc homicidium indirectum poteſt, nempe dando operam

Digitized by Google

ram rei vel licitæ, vel illicitæ. Si des operam rei licitæ, adhibeaſque omnem moralem diligentiam ut caveas homicidium, quod inde ſequi poſſe prævides; nullo inquinaris homicidii crimine. Quare qui proiiciunt tegulas, aut lapides, ex quibus graves percuſſiones, aut occiſiones ſequi prævident, ſi diligenter clament, admoneantque tranſeuntes; nullum peccatum perpetrant, etiamſi poſt diligentem admonitionem ſequatur homicidium. Hac ratione licet ex moderata patris verberatione moreretur filius; licet venator in nemore, ubi nec ſuſpicatur reperiri hominem aliquem, explodens ſclopum occidat hominem, exiſtimans ſe occidere feram, nullum peccatum eſt.

III. Si vero des operam rei illicitæ, ex qua communiter ſequitur homicidium, peccas peccato homicidii. Hanc nobis exhibet doctrinam Angelicus 2. 2. quæſt. lxiv. artic. 8. *Caſus eſt cauſa agens præter intentionem: & ideo ea quæ caſualia ſunt, ſimpliciter loquendo, non ſunt intenta, neque voluntaria. Et quia omne peccatum eſt voluntarium, ſecundum Auguſt. conſequens eſt quod caſualia, inquantum huiuſmodi, non ſunt peccata. Contingit tamen id quod non eſt actu, & per ſe volitum, vel intentum, eſſe per accidens volitum, vel intentum, ſecundum quod cauſa per accidens dicitur removens prohibens. Unde ille qui non removet ea ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat removere, incurrit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit; alio modo, quando non adhibet debitam ſollicitudinem. Et ideo ſecundum iura, ſi aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur, non incurrit homicidii reatum; ſi vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, ſi ex eius opere mors hominis conſequatur.*

IV. Ex D. Thomæ doctrina videtur colligi, danti operam rei illicitæ, quantumvis ex ea homicidium natura ſua nec certo, nec veriſimiliter ſequatur, ſi tamen ſequitur, imputandum fore. Quod difficile eſt, & veritati repugnare videtur. Nam nullum peccatum, niſi voluntarium. Si ergo nullo modo prævideatur in actione turpi homicidium, nec ſit prævidendi obligatio, quia communiter ex illa actione ſequi haud ſolet homicidium; non videtur quod, ſi caſualiter, & præter omnem intentionem ſequatur homicidium, debeat imputari danti operam rei illicitæ.

V. Diſtinguendum igitur eſt. Quando quis exercet opus illicitum, ex quo communiter homicidium conſequitur, licet diligentiam adhibeat, ut illud vitet, reus homicidii evadit. Quia, cum ex una parte opus illud vetitum ſit, & ex alia inde ſequatur communiter homicidium; quoties aliquis vult opus illud illicitum, vult quoque homicidium illud conſequens. Præ oculis tamen habenda eſt Caie-

tani

Digitized by Google

tani doctrina in hunc articulum D. Thomæ. Si opus illicitum, cui das operam, non ſit niſi veniale peccatum, & diligens ſis ad cavendum periculum homicidii quod inde ſequi poſſet; non eris reus niſi venialis culpæ, neque mortaliter homicidium erit tibi imputandum. Affert exemplum Caietanus. Si Religioſo, cui vi ſuæ profeſſionis vetitum eſt equitare, equitanti accideret caſus in *cap. Dilecti*, & *in cap. Significaſti extra de homicidio*, non propterea reus eſſet homicidii; dummodo nullum ex præfata equitatione prævidiſſet periculum. Angelicus ergo loquitur de opere illicito ex quo communiter ſequitur homicidium, ſeu quando opus ipſum eſt via ad mortem. Siquidem voluntas, qua præcavere periculum ſtudes, inefficax eſt, & languida, quando communiter ex tali opere mors conſequitur. Quare tunc iuſte homicidium tibi imputatur, quia eſt reapſe voluntarium in cauſſa. Doctrinam hanc clare confirmat Catechiſmus Concilii Tridentini Part. III. ſect. 7. in 5. præcept. *Quomodo homicidii reus ſit qui caſu cædem fecit. In quo tamen duabus de cauſis peccari poteſt. Altera, ſi quis in re iniuſta occupatus hominem occiderit: exempli cauſa, ſi quis gravidam mulierem pugno, vel calce percuteret; ex quo abortum ſequeretur; fuiſſet quidem illud præter percuſſoris voluntatem, non tamen præter culpam; cum illi non liceret ullo modo gravidam mulierem percutere. Altera, ſi non omnibus circumſpectis, negligenter, & incaute aliquem occiderit.* Hæc eſt tota D. Thomæ doctrina, in cuius intelligentia ne abludas a vero, adverte, homicidium debere eſſe connexum cum actione illicita, ſeu iniuſta.

VI. Quare, ſi raro, & fere numquam ex opere illicito ſequatur homicidium, præcedatque debita, & moralis diligentia, tunc non videtur imputandum. Hinc, ſi Clericus venationi urſorum, aliarumque ferarum operam det, ſed moralem vigilantiam & ſollicitudinem adhibeat ad evitandum homicidii periculum, etiam remotum; reus utique erit præcepti eccleſiaſtici, prohibentis Clericis venationem; ſecus homicidii, ſi caſu inde ſequeretur. Quando igitur opus illicitum nullo modo via eſt ad homicidium, etiamſi inde ſequeretur præter omnem operantis intentionem, homicidium non eſſet eidem imputabile.

VII. Plura hic dicenda forent de irregularitate, & reſtitutionis onere, quæ ex homicidio ſequuntur. Verum hæc omnia ſuis propriis locis diſcutientur.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Animadverſio in ea quæ dicta ſunt de homicidio, & ſuicidio.

I. SErio, & ſumma maturitate ea quæ de homicidio ſcripſi recogitavi, expendi. Laxæ, & efferatæ nonnullorum recentiorum opiniones, quæ licite effundi humanum ſanguinem docent ob vanum honorem, ob inflictam alapam; ob conſervationem unius, decem, viginti aureorum, antievangelicæ mihi ſunt, & humanæ ſocietati perniciofiſſimæ videntur. Auguſtinus defenſionem propriæ vitæ cum occiſione invaſoris improbare videtur. Doctrinam S. Auguſtini interpretatur S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxiv. *art.* 7. locum habere in eo qui intenderet occidere invaſorem. Siquidem Angelicus docet numquam licitam eſſe propriæ vitæ defenſionem cum intentione occidendi aggreſſorem. Concedit dumtaxat poſſe hominem intendere propriæ vitæ conſervationem cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe ſe defendendo, etiamſi præter eius intentionem mors ſequatur invaſoris. Hoc iuſtum inculpatæ tutelæ moderamen, hæc pura intentio vitæ conſervandæ ſeiuncta in illo conflictu (in quo concitatus eſt animus, turbata mens, & inteſtino tumultu omnia fervent) ab intentione occidendi iniuſtum aggreſſorem, difficillima eſt. Idcirco fundendæ preces Deo ſunt, ne ſimiles permittat eventus, noſque a tam graviſſima tentatione liberet.

II. Latronum occiſiones, quas licitas laudati recentiores defendunt, improbas, & cum evangelica lege pugnantes iudico. Numquam ergo licita erit furum occiſio? Extrema vitanda ſunt. Extremum in quod prolapſi præfati recentiores ſunt, cavendum; cavendum quoque & alterum. Quid, ſi latrones domum tuam obſiderent, omnia tua bona rapturi ad vitam, ad familiam totam ſuſtentandam neceſſaria? Quid hoc in caſu diceres? Reum ne homicidii pronuntiares, qui domus tuæ defenſionem intenderet, ex qua præter eius intentionem mors furum ſequeretur? Ego ſane homicidii criminoſi hunc damnare non auderem, dummodo moderamen inculpatæ tutelæ ſervaretur. Sed ſubdo perraros eſſe eiuſmodi caſus, & rariſſime ſervari ea omnia quæ S. Thomas præſcribit ad licitam defenſionem vitæ cum occiſione invaſoris. Cautiſſima igitur ſint conſilia, cautæque deciſiones in ſimilibus controverſiis, quæ acutiſſimæ Auguſtini mentis aciem fugerunt. Patres omnes, & divinæ Scripturæ terrena bona parvi facere, immo contemnenda inculcant. Pro unius, ſicut pro omnium animarum redemptione mortem Chriſtus IESUS oppetiit. Hæc præ oculis habenda, ut quam ſint Evange-

gelio

gelio repugnantes opiniones ſupra recenſitæ, quæ facile permittunt homicidia, comprehendere valeas.

III. Negat S. Auguſtinus licitum eſſe homicidium ob virginitatis defenſionem. Caſum quoque hunc illis accenſeo qui vix ac ne vix quidem eveniunt. Ex hiſtoria eccleſiaſtica legiſſe me non recordor ex tot virginibus ſincero virginitatis amore flagrantibus, ad lupanaria ab ethnicis Principibus damnatis, Deum permiſiſſe ut vel una florem amitteret virginitatis. Legi, plures divino afflatas Numine ſeipſas occidiſſe, ut tantum theſaurum intaminatum cuſtodirent. Nullibi legi, vel unam eo ſpiritu actam, ut irrueret in aggreſſorem, illumque interimeret. Arma caſtitatis ſunt pudor, verecundia, modeſtia, invicta conſtantia, animi fortitudo, qua aggreſſores ſtrenue repellantur; ad cæleſtis ſponſi ſinum receptus, & ardens divinæ gratiæ petitio. Hæc ſi ſervaverint virgines, caſtæque matronæ, numquam deerit ad repellendos impuros aggreſſores divinum validiſſimum præſidium. Si ergo nullibi legitur ſervata virginitas gladio tincto humano ſanguine, non eſt cur nos homicidia concedamus licita virginibus: quia alia via a Deo provideri eiſdem didicimus. Hæc ſunt conſilia noſtra. Ceterum utrum evenire caſus poſſit in quo licita ſit caſtitatis cuſtodia cum occiſione aggreſſoris, penitus ignoramus. Neque regulam certam pro rariſſimo eventu præfinire volumus, tum quod revera quid definiendum ſit, minime tenemus, tum ne hinc recentiores aliqui anſam arripiant, regulam pro aliquo extraordinario caſu conſtitutam extendendi, & dilatandi, uti in more habent, ad quoſcumque fere eventus.

LIBER OCTAVUS
IN DECALOGUM,
SEXTUM, ET NONUM PRAECEPTUM TRACTANS:

Non mœchaberis. Exod. xx. verſ. 14.
Non concupiſces uxorem proximi tui. Ibid. verſ. 17.

PROOEMIUM.

DUO ſunt flagitiorum genera quæ gehennam Chriſtianorum multitudine implent, concupiſcentia carnis, & cupiditas divitiarum. Unumquodque horum criminum duplici præcepto vetitum eſt. Carnis concupiſcentia ſexto, & nono, rerum cupiditas ſeptimo, & decimo prohibentur. Cuiuſque alterius generis vitium unico præcepto vetatur. Et tamen quæ primis Decalogi mandatis adverſantur, graviora ſunt: verum habet. Nihiloſecius, quia vehementiori impetu in hæc duo feruntur homines, ideo concupiſcentiam duplici expreſſo mandato, ſicuti & rerum cupiditatem aliis duobus præceptis cohibere Deus opportunum duxit. Materies ſexti præcepti prohibita ampla eſt, lutulenta, peſtifera, quæ in corporum, non ſecus ac in animarum perniciem ſævit. Omnibus vitiis putidior cum ſit, præ omnibus ſceleribus a Deo puriſſimo ſpiritu animas abducit, illaſque in brutorum gregem præcipites agit; quin brutis hebetiores evadunt libidinoſi. Illa enim ut plurimum ſolius generationis cauſſa coeunt; contra luxurioſi homines, omnibus temperantiæ, & honeſtatis legibus fractis, mulis equiſque inſrunitiores, continenter huic hærent luto. Non corporis ſanitas, non vitæ diuturnitas, non æterna animarum ſalus a lubrico curſu revocare eos valent. Ob oculos habent putrida corpora, libidinis lue inquinata, ſanie, & tabo undique diffluentia: nec propterea reſipiſcunt. Adeo potens eſt veneris opium ad faſcinandos homines libidini deditos. Quo vero univerſalior eſt contagio iſthæc, eo eſt explicatu difficilior: non quod difficile ſit illius cum ratione, divinaque lege repugnantiam oſtendere; ſed quia adeo glutinoſa, adeo nefanda eſt, ut vix haberi ſermo de ea poſſit, quin lingua, mens, aureſque inquinentur. Quare ſapienter Catechiſmus Concilii Tridentini admonet III. Part. de 6. præcepto ſect. 1.

ut

ut in hac re explicanda cautus admodum ſit Parochus, & prudens; & certis verbis rem commemoret, quæ moderationem potius deſiderat quam orationis copiam. Verendum eſt enim ne, dum is late atque copioſe nimis explicare ſtudet, quibus modis homines ab huius legis præſcripto diſcedant, in illarum rerum ſermonem forte incidat, unde excitandæ potius libidinis materia quam extinguendæ illius ratio emanare ſolet. Utinam ſaluberrimam hanc admonitionem executioni mandaſſent Caſuiſtæ plurimi, qui plus iuſto hanc picem ſuo volutarunt calamo. Quid opus erat tot libidinoſorum monſtroſa inventa, tot horridos explendæ libidinis modos, atque conatus ob oculos lectorum ponere? Numquid neceſſe erat ratiocinia inſtituere, auctoritates allegare, ut evincerent eſſe peccata tot congrediendi rationes, quas inſatiabilis luxuriæ ardor excogitavit? Verecundia a natura inſita damnat, execratur, & perhorreſcit magnam illarum quæſtionum partem quas non ſine legentium ſtomacho lato calamo diſcuſſæ occurrunt in quibuſdam recentioris Theologiæ Auctoribus. Hi, ad ſcribendi hac de re rationem quod attinet, prudentiorem, & cautiorem temperantiam deſiderari a ſe paſſi ſunt. Studium auferendi peccata, a quibus vel ipſa abhorret natura, in cauſſa fuit cur ad examen vocarent ea quæ perpetuis tenebris obvolvi debuiſſent. Sobria erit hoc de argumento diſputatio noſtra. Quiſque ſibi hac in re Theologus eſt, ſi rationis ductum ſequatur. Sexto ac ſeptimo præcepto non modo opera externa luxuriæ, & furti Deus vetat, verum etiam actus interiores: ideo nos explicationem ſexti, & noni præcepti coniungimus, quod ambo eodem pertineant.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA.

DE LUXURIA, EIUSQUE SPECIEBUS.

CAPUT I.

Recenſentur propoſitiones tum ab Eccleſia damnatæ adverſus ſextum præceptum, tum quæ nimiam laxitatem, & horrorem præferunt.

§. I.

Propoſitiones damnatæ ab Alexandro Papa VII.

I. *Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ: ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.* Eſt 24.

II. *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens*, Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, *non explicando copulam.* Eſt 25.

III. *Eſt Probabilis opinio quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* Eſt 40.

IV. *Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo* Regalo, *dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Eſt 41.

Propoſitiones proſcriptæ ab Innocentio XI.

I. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.* Eſt 48.

II. *Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Unde, ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Eſt 49.

III. *Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium: adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.* Eſt 50.

IV.

Digitized by Google

IV. *Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur*. Eſt 51.

V. *Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin immo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*. Eſt 61.

VI. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit*. Eſt 62.

VII. *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi*. Eſt 63.

§. II.

Propoſitiones laxæ Caſuiſtarum nondum damnatæ.

I. „ Rogas, utrum fornicatio, & pollutio, aut quæcumque alia non naturalis „ carnis commixtio, habita ſecrete in Eccleſia, ſit ſacrilegium, & hoc „ debeat in confeſſione explicari? Reſpondeo, eſſe probabile quod non." Caramuel in *Regul. diſput.* lxvi. *numer.* 1017. Vaſquez in 1. 2. *D. Thomæ quæſt.* lxxii. *diſp.* xcviii. *cap.* vi. *num.* 6. *pag.* 463.

II. „ Poſſunt famuli tuta conſcientia meretricis, aut pellicis menſæ miniſtrare, „ cibos non ſolum communes, ſed & calidos, & provocantes ad venerem condi„ re, & lectum privatum ſternere. Conſulto non ſolum cibos communes dixi, „ quia ſcio eſſe maiorem difficultatem, ſi eſſent tales qui excitarent venerem. „ Tunc enim iuxta aliquos Theologos deberent famuli a tali ſervitio deſiſtere, ne „ in venerem illicitam cooperarentur indirecte. *At prudentiores credimus* etiam „ tales cibos poſſe ſine culpa condiri." Idem Caramuel in *Theolog. Præterintent. Tom. IV. precep.* vi. *quæſt.* viii. *caſ.* 2. *num.* 2974.

III. „ Poſſunt lectum domino, & amaſiæ ſternere citra culpam venialem, con„ ſono Azorio, & Diana." Idem *ibidem num.* 2976.

IV. „ Non eſſet peccatum mortale domino, & pellici, alias rem habituris, aut „ lectum procurare hoſpitio, aut parare meliorem ſolito, aut floribus fulcire. Ra„ tio eſt, quia aliud eſt fornicari; aliud maiorem in ipſa fornicatione habere de„ lectationem in genere luxuriæ; aliud, & omnino diverſum, habere maiorem „ requiem in genere commoditatis. Sane hanc ultimam domino etiam fornicaturo „ procurare malum non eſt." Idem *ibidem num.* 2977.

V. „ Non eſt peccatum conducere pellicem in domum ſui domini; tametſi eam „ peccaturam prævideas. “ Idem *ibid. num.* 2981.

VI. „ Scio ex verbis amatoriis ſecuturam pollutionem, vel ex curioſo feminæ „ aſpectu, vel ex nimia comeſtione, aut ebrietate. Num ſit mortale? Docet Vaſ- „ quez non eſſe, *etſi prævиſa.* “ P. Antonius Eſcobar *in Sum. tract.* I. *exam.* VIII. *cap.* III. *num.* 80.

VII. „ Circa verba quæſierim, an peccaret mortaliter qui feminam ſollicitaret „ ſine intentione executionis, ob ſolam oſtentationem amoris, ſi ſciat certo illam „ minime ad aſſenſum alliciendam? Peccat plane, quia ad ſcandalum illam ad- „ fert. Quid, ſi tam effrenatæ libidinis ſit qui ſollicitat, tantaque iam infamia „ circa libidinem laboret, ut nullatenus femina ad ſcandalum afferenda ſit? Non „ delinquet mortaliter. “ Idem *loc. cit. num.* 97.

VIII. „ Scit mulier in choreis ſe ab aliquo tangi *intentione prava*; peccat ne „ eiuſmodi tactus admittendo? Reſpondeo negative. “ Idem *loc. cit. num.* 80.

IX. „ Valde probabile eſt, opinionem affirmantem oſcula, & tactus, dummodo „ non ſint in partibus ad generationem deſtinatis immediate, & proxime, ſi fiant „ abſque intentione carnali, non eſſe peccata mortalia, ſed ad ſummum venia- „ lia... Unde colligo, quod Confeſſor ſollicitans in confeſſione ad huiuſmodi oſcu- „ la, & tactus abſque intentione prava, non ſit denuntiandus vi motus proprii „ Gregorii XV. & aliorum ſummorum Pontificum. “ P. Thomas Hurtado *Tom.I. variar. reſol. tract.* III. *cap.* III. *reſol.* 27.

X. „ Dicendum eſt, peccata luxuriæ contra naturam, etiamſi magis turpia ap- „ pareant, & maiori nota infamiæ digna ſint, ex genere tamen ſuo minora eſſe „ quam peccatum furti. “ P. Vaſquez *in* 1. 2. *D. Thomæ Tom. I. quæſt.* LXXIII. *art.* 4. *in notation. num.* 30. *pag.* 480.

XI. „ Habens delectationem veneream, ceſſante tamen periculo conſenſus in „ eam, vel periculo in pollutionem conſenſus, nullo modo peccabit, nequidem „ venialiter, ſi ſolum permittat appetitum delectari, negative ſe habendo. “ Ioan- „ nes Sanchez in *diſput. ſelect. diſp.* XXI. *num.* 3. *pag.* 102. *edit. Venet. ann.* 1639.

XII. „ Qui ederet calida, ut ſomnia immunda haberet, non peccaret: quia ſo- „ mnium *impudicum voluntarium* in cauſſa nullo iure prohibitum eſt. “ Idem *loc. cit. num.* 13. *pag.* 106.

XIII. „ Quando eſt dumtaxat ſolum probabile te ſuccubiturum tentationi, cer- „ te etiam probabile eſt te non ſuccubiturum. Atque ſicut in plurimis aliis ma- „ teriis fas tibi eſt ex utralibet ſententiarum ſpeculative probabilium deducere „ concluſionem tibi gratam; ita licebit tibi argumentari. Occurrunt mihi graves „ tentationes, ob quas vir prudens ſapienter iudicare poteſt me lapſurum in no- „ vum crimen mortale, ſi acceſſero hanc domum. Vice verſa ſunt aliæ rationes

„ etiam

Digitized by Google

„ etiam graves, ob quas alius æque prudens pronuntiaret me non lapſurum. Ergo „ poſſum ſine nota temeritatis, & imprudentiæ me committere illi occaſioni, cer- „ to non commiſſurus, ſi liquido ſcirem me in illa admiſſurum illud grave pecca- „ tum. *Atque adeo fas eſt per ſe loquendo* committere ſe periculo probabili pec- „ candi mortaliter. " P. Georgius Gobat in *Experiment. Theolog. volum.* I. *tract.* VII *caſ.* 16. *num.* 725. *pag.* 595. *edit. Monachii ann.* 1669.

XIV. „ Liquido ſcio crebro fieri, præſertim inter plebeios, & ruſticos, ut eo- „ dem in lecto puella cum proco cubent aliquot horas *induti*, & *exuti*; & tamen „ nihil omnino impudicum agant; vel *nonniſi oſcula*; *&* *turpes attrectationes exer- „ ceant*: unde iudico, non poſſe a Confeſſario negari abſolutionem omnibus illis „ puellis plebeiis.... quæ non videntur habere propoſitum numquam amplius ad- „ mittendi procum in lectum ſuum. " Idem; *Volum. II.* cuius titulus *Quinarius Tra- ctatuum &c. tract.* V. *cap.* XXXII. *ſec.* 2. *num.* 19. *&* 20. *pag.* 552. *&* 553. *Edit. Conſtant. anno* 1670.

XV. „ Si concubinarius nequeat dimittere ſuam concubinam ſine iactura cen- „ tum aureorum, ſeu ducatorum, poterit Confeſſarius pro re nata amplecti ſen- „ tentiam vel Ioannis Sanchez, vel Oviedi, paullo ante relatam. " Idem *tract.* VII. *caſ.* 16. *num.* 530. *pag.* 596.

XVI. „ Si ipſa eſt ita effrons, ut dimiſſa, prolatura ſit occultum concubinatum, „ retinere eam volenti patrocinantur plerique ex citatis; ſed utique muniendus „ erit peculiaribus propoſitis, & aliis mediis: ſicut & patrocinabuntur, ſi ipſa ſit „ eius ancilla, & nequeat aliam adipiſci abſque pari periculo; cum tamen haud „ poſſit ullo modo carere ancilla omni. " Idem *ibid.*

XVII. „ Si ruſticus a viro exiſtimato docto, ac pio audiſſet fornicationem, & „ furtum externa eſſe peccata, aut licere fornicandi, aut furandi deſiderium, qui- „ buſdam *Neotericis doctis* videtur, hanc ignorantiam minime excuſare, quod hic „ libere velit obiectum externum, quod eſſe peccatum novit.... Quamvis hoc pro- „ babile ſit, *probabilius tamen* credo, illum actum internum excuſari omnino a „ malitia. " P. Thomas Sanchez *Lib. I. in Decal. cap.* XVI. *num.* 16. *&* 17.

XVIII. „ Licet Nav. Philiar. Azor. exiſtiment, etiam coniugatum peccare mor- „ taliter, ſi *voluntarie* delectetur commotione ſenſitiva, ac venerea, orta ex con- „ iugis abſentis apprehenſione, eo quod talis commotio tunc ordinari non poſſit „ ad actum coniugalem, ſed potius ordinetur ad pollutionem; oppoſita tamen „ ſententia probabilitate non caret. " P. Paulus Layman *Tom. I. Lib. I. tract.* III. *cap.* VI. *num.* 14.

XIX. „ Peccaſſet Suſanna conſentiendo, & cooperando, puta, commiſcendo ſe „ ſenibus, quod ipſi petebant verſ. 20. Potuiſſet tamen in tanto periculo infamiæ, „ & mortis *negative ſe habere*, ac permittere in ſe eorum libidinem, modo inter-

Digitized by Google

„ no actu in eam non conſenſiſſet, ſed eam deteſtata, & execrata fuiſſet: *quia* „ *maius bonum eſt fama, & vita* quam pudicitia: unde hanc pro illa exponere „ licet. Itaque non tenebatur ipſa exclamare, uti docet Dominicus Soto *Lib. V.* „ *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 5. & Navarrus *Man. cap.* XVI. *num.* 1. Quod ergo exclama- „ verit, nulloque modo libidinem illorum in ſe permiſerit, actus fuit inſignis & „ heroicæ caſtitatis. Talis eſt enim mori malle quam pollui. " Cornelius a Lapide in Danielem *cap.* XIII. *verſ.* 22.

XX. „ An, ſi amicus meus velit ut ego feram munuſcula, & ſimilia, *turpis* „ *ſcilicet amoris incitamenta*, quæ ipſe mittit ad ſuam concubinam, poſſim ego „ ſine peccato deferre?... Fateor, ſi tibi magni ſit eiuſmodi amicitia, ac vere ti- „ meres eam amittere, excuſari te poſſe: quia tunc notabilis nocumenti iuſtus „ metus accedit. Simile quid erit, ſi a te amicus petat ut cubiculum ei accom- „ modes, in quo ſcis eum fornicaturum. " P. Thomas Tamburinus *Lib. V. in Decal. cap.* 1. *§.* 4. *num.* 20.

XXI. „ An ex aliqua iuſta cauſſa licitum ſit commodare cubiculum alicui pe- „ tenti ad fornicandum, vel locare domum meretrici, etiamſi ob loci circumſtan- „ tiam aliquis peccarum admitteret; vel ſi meretrix domnm illam conducens plu- „ rimum feminis honeſtis vicinis noceret? De hoc caſu olim interrogatus fui. „ Nam quidam vir nobiliſſimus inſtanter ab amico domum eius ad meretrican- „ dum petebat. At, ſi hoc illi denegaſſet, in graviſſimum damnum incidebat. „ Conſuluit, an peccaret hoc faciendo. *Et reſpondi negative*, quia abſque detri- „ mento proprio proportionato hoc denegare minime poterat. " P. Antoninus „ Diana *Tom. VII. coordin. tract.* V. *reſol.* 48. *§.* 1. *pag.* 241. *edit. Ven. an.* 1698.

XXII. „ Ex hoc colligitur quid dicendum ſit de aurigis deferentibus meretricem „ ab uno loco ad alium, quam ſciunt illuc petere ad peccandum. Hi enim regu- „ lariter excuſantur a peccato, *quia adeſt cauſa non amittendi lucrum*, quod ex eo „ miniſterio comparant. Ita ille (Merolla) & ego. " Idem Diana *loc. cit. reſol.* 42. *pag.* 239.

XXIII. „ An ſit aliqua cauſſa excuſans præbentem munera concubinæ iudicis, aſ- „ ſiaque petentem ut iudicem in negotio interpellet?... Si negotium grave ſit, „ videaſque iudicem tibi non eſſe propitium, ſperes autem interceſſione concubi- „ næ gratum fore, neque alia via appareat qua poſſis illum ad ſervandum tuum „ ius inflectere; crederem tibi licere petere a concubina ut in tali negotio inter- „ cedat.... Quod vero media illa interceſſione concubina, & iudex periculo pec- „ candi exponantur, non obſtat quominus id licite fieri poſſit, urgente gravi „ cauſſa. " P. Ferdinandus de Caſtropalao *Tom. I. tract.* VI. *diſp.* VI. *punct.* 15.

XXIV. „ Peccant ſine dubio mortaliter, *regulariter loquendo* pictores pingentes „ *valde turpia, & obſcena*, & multo magis hiſtriones eiuſmodi *valde turpia* repræ-

„ ſen-

Digitized by Google

„ ſentantes, ex quibus moraliter certum eſt multos lapſuros graviter quoad caſti-
„ tatem, & pudicitiam... Dico autem, *regulariter loquendo*: nam in caſu raro, ſi
„ tanta eſſet pictoris, vel hiſtrionis neceſſitas, ut *eo lucro indigeret ad victum, ve-*
„ *ſtitum*, vel eiuſmodi *quid neceſſarium*, ſemel aut iterum licere, *donec* alia victus
„ ratio occurrat, permittunt alii DD. cum Tamburino, dummodo abſit periculum
„ mortale impuræ delectationis venereæ. " P. Patritius Sporer *Tom. II. tract.* v.
in 5. *præceptum Decal. cap.* 1. *sect.* 3. *num.* 92.

XXV. „ Utrum pictori liceat pingere imaginem amaſiæ *pro eo* quem pictor
„ *certo* ſcit in illam *turpiter* eſſe affectum; idque extra finem matrimonii, præſer-
„ tim ſi etiam eſſent matrimonii ad invicem incapaces? Reſpond. non licere citra
„ peccatum mortale *regulariter loquendo*, cum præbeat fomentum, & incitamen-
„ tum turpis amoris; *niſi iterum* cauſſa graviſſimæ neceſſitatis pictoris excuſaret:
„ cum enim talis pictura de ſe ſit indifferens, & etiam bono uſui deſervire poſ-
„ ſit, *ob cauſam gravis neceſſitatis poterit pictor permittere* peccatum alterius. "
Idem Sporer *loc. cit. num.* 93.

XXVI. „ Utrum liceat famulo domino aſcendere volenti ad rem habendam
„ cum femina, pedem ſuſtinere, aut ſcalam apponere ad mortem ſibi imminen-
„ tem vitandam? Negabunt forſan aliqui poſt *decretum SS. P. N. Innocentii*. Sed
„ probabilius multo reſpondeo affirmative... Nec obſtat quod ea cooperatio da-
„ mnetur in 51. propoſitione memorata *decreti Innocentii*, quia in eo decreto da-
„ mnatur ea cooperatio facta ob cauſſas in propoſitione ipſa memoratas." Emma-
nuel a Conceptione, ſeu Continuator Leandri a Ss. Sacramento *in* 10. *Decal. præcep.*
Part. IV. in ordin. IX. *tract.* VII. *diſp.* V. *quæſt.* II.

XXVII. „ An famulus ſcribens, vel deferens ſcripta ad venerem provo-
„ cantia ad evadendum mortis, vel gravis nocumenti periculum, peccet
„ mortaliter ...... Probabiliter reſpondeo negative. " Idem *loc. cit. quæſt.*
XXVIII.

XXVIII. „ An liceat famulo concubinam portare, ne a domino male tracte-
„ tur, aut e domo expellatur... Probabilius reſpondeo affirmative... De caſu au-
„ tem huius quæſtionis mentionem nullam fecit *propoſitio damnata* (51. ab Inno-
„ centio XI.) ac proinde non eſt propter illam recedendum ab affirmativa ſen-
„ tentia. " Idem *loc. cit. quæſt.* XXVI.

XXIX. „ Intereſſe comœdiis, *ubi turpes res repræſentantur*, ob ſolam vanam
„ curioſitatem abſque periculo *probabili* lapſus in aliquod mortale, non eſt letale.
„ Immo, quando audiuntur *huiuſmodi turpia* in comœdiis repræſentata *ob ſolam*
„ *delectationem* reſultantem *ex verbis turpibus*, non eſt mortale. " P. Vincentius
Candidus *Tom. I. diſquiſit.* XI. *art.* 2. *dubit.* 5.

XXX. „ In re venerea, ſive in delectatione propria luxuriæ deliberate admiſſa,

Digitized by Google

„ in ſolutis poteſt pratice admitti parvitas materiæ. " Torrecilla *Tom.I. tract.* III. *diſp.* II. *cap.* III. *tota fere ſect.* I. *a num.* 14. *fol.* 514.

XXXI. „ Femina, cui mors, infamia, vel detrimentum in bonis, vel aliud ſi-„ mile immineret, ſub letali non tenetur vociferare, vel cum tanto incommodo „ reſiſtere; ſed, ſecluſo periculo conſenſus, poterit ſe ſinere oppreſſori." Idem Torrecilla *Tom. I. Summ. tract.* III. *diſp.* II. *cap.* III. *ſect.* 2. *num.* 15. *fol.* 524.

XXXII. „ Poſſunt coniuges, ut ſaluti conſulant, vel ne onerentur prole, ceſſa-„ re mutuo conſenſu a copula incepta, ſi abſit periculum pollutionis, ſaltem ut „ voluntariæ ipſis, quin letaliter peccent. " Idem *ibid. ſect.* 5. *num.* 92. *fol.* 550. cum Diana, & aliis.

XXXIII. „ Secluſo periculo pollutionis, ſaltem ut ipſis voluntariæ, gravis cul-„ pa non eſt in coniugatis delectari de copula præterita, vel futura, ut præſenti „ ſibi propoſita, etiam in tempore in quo copulam exercere non valent, etſi ab-„ ſentes ſint." Idem *dict. tract.* III. *diſp.* II. *cap.* III. *ſect.* 5. *num.* 134. *fol.* 554.

XXXIV. „ Secluſo item periculo pollutionis, ſaltem ut ipſis voluntariæ, grave „ non eſt in ſponſis de futuro, aut viduis mente, vel etiam ſenſu delectari in „ copula licite in matrimonio habenda, vel habita." Idem *ibid. num.* 149. & 152. *fol.* 556.

XXXV. „ Secluſo rurſus periculo pollutionis, ſaltem ut ipſis voluntariæ, gravia „ non ſunt in ſponſis de futuro oſcula, & amplexus, & tactus (qui prorſus libi-„ dinoſi non ſint) ob turpem aliquam delectationem. " Idem Torrecilla *Tom. I. Sum. tract.* III. *diſ.* II. *cap.* III. *ſect.* 5. *num.* 165. *fol.* 557.

XXXVI. „ Pollutio præviſa, secluſo periculo conſenſus, & intentionis erga „ ipſam, non eſt ſufficienter voluntaria, & imputabilis ad culpam, ſi proveniat „ ex cauſa, quæ, etſi nec neceſſaria, neque utilis ſit, remote tamen ad pollu-„ tionem ſe habeat, vel in illam notabiliter non influat." Idem *ibid. ſect.* 9. *num.* 39. *fol.* 586.

XXXVII. „ Pollutio, ſecluſo eodem periculo conſenſus, & intentionis, quoties „ cauſa, ex qua provenit, non eſt graviter peccaminoſa in materia luxuriæ; etſi „ illa in ſe ſit graviter peccaminoſa in alia ſpecie, & in illa prævideatur futu-„ ra, non eſt peccatum mortale." Idem *ibid. num.* 63. *fol.* 589.

XXXVIII. „ Pollutio, abſtrahendo a voluntaria, vel involuntaria, intrinſece „ mala non eſt." Idem *ibid. num.* 87. *fol.* 591.

XXXIX. „ In propoſ. 48. damnata ab Innocentio XI. (quæ aiebat : *Tam cla-„ rum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, ut contrarium „ omnino rationi diſſonum videatur*) non damnatur dicere fornicationem non eſſe „ malam ſecundum ſe; ſed modus propoſitionis, quatenus ait : *Tam clarum vide-„ tur.*" Idem *in prop. damn. tract.* VIII. *ad propoſ.* 48. *Innoc. concl.* 2. *fol.* 456.

XL. „

XL. „ In propoſitione 49. damnata ab Innoc. XI. quæ aiebat : *Mollities iure na-* „ *turæ prohibita non eſt* : non venit damnatum dicere, iure naturæ ſub veniali „ tantum eſſe prohibitam." Idem *ibid. ad prop.* 49. *Innoc. concl.* 5. *fol.* 457.

XLI. „ Non eſt grave deſiderare pollutionem quæ vel in ſomniis, vel etiam in „ vigilia, nulla data culpabili opera, eveniat, vel ſanitatis cauſa, vel ob ſedan- „ das tentationes, aut ex alio quovis motivo honeſto." Idem *Tom. I. Sum. tract.* III. *diſp.* II. *cap.* III. *ſect.* 9. *num.* 99. *fol.* 593.

XLII. „ Poteſt uxor, quin graviter peccet, mere paſſive ſe habere [ſaltem ſe- „ cluſo periculo conſenſus] ad ſodomiam , ad quam maritus cogit ſub mortis „ comminatione." Idem *ibid. ſect.* 10. *num.* 9. *fol.* 594.

XLIII. „ Audire, loqui, ſcribere, canereve turpia, & ſimiliter turpia geſticulari „ ob ſolam levitatem, ex ſe non eſt grave." Idem *ibid. ſect.* 12. *num.* 171. *&* 172. *fol.* 610.

XLIV. „ Pari modo choreæ, etſi turpes , ſunt indifferentes, nonque intrinſece „ malæ. Unde ex levitate animi tantum, vanitateve, vel vana recreatione eas „ ducere, vel ſpectare peccatum veniale non excedit." Idem *ibid. num.* 173. *fol.* 610.

XLV. „ Scenis aſſiſtere, illaſque ſpectare de rebus etiam turpibus, & amatoriis, „ ſecluſo periculo conſenſus , gravis culpa non eſt." Idem *ibid. num.* 176. *fol.* 610.

XLVI. „ Similiter gravis culpa non eſt, ſecluſo periculo ſcandali, & prava pro- „ vocandi intentione , tales comœdias turpes repræſentare , aut facere." Idem *ibid. num.* 181. *fol.* 611.

XLVII. „ Fucare ſe feminas, ſi ad maiorem pulchritudinem oſtendendam fiat , „ dummodo prava intentio abſit, ſi iuxta conſuetudinem patriæ fiat, nec veniale „ forſan erit." Idem *ibid. num.* 183. *fol.* 611.

XLVIII. „ Mulier, ſi ſe ornet iuxta conſuetudinem patriæ, non peccat, ut mi- „ nimum graviter, etiam ſi ornatus ſit ſuperfluus, & maximus, licet animadver- „ tat turpiter adamari poſſe, dummodo animo provocandi hoc non fiat." Idem *ibid. diſp.* I. *cap.* I. *ſect.* 3. *num.* 120. *&* 121. *fol.* 250.

XLIX. „ Ornatus muliebris, etſi maxime inſignis, conſuetudinem patriæ non „ excedens, nullam figuram , ſpeciemve mali habet, dummodo non ſit habitus „ peculiaris meretricum." Idem *ibid. num.* 122. *fol.* 250.

L. „ Gravis culpa non eſt in feminis notabilis denudatio ad mamillas ad oſten- „ dendam pulchritudinem, ſi fiat iuxta conſuetudinem patriæ, dum animus pro- „ vocandi deſit." Idem Torrecilla *Tom. I. Sum. tract.* III. *diſ.* II. *cap.* III. *ſec.* 12. *num.* 186. *fol.* 611.

LI. „ Gradus, intra quem committitur inceſtus , etiamſi ſit primus , non venit

Digitized by Google

„ neceſſario in confeſſione exponendus. " Idem *ibid. ſec. 6. num.* 24. *fol.* 562. & „ ſeq. cum Diana, & aliis.

LII. „ Nec eſt circumſtantia inceſtus neceſſario confitenda, impudice tractare, „ vel etiam ſodomitice conſanguineos, vel affines maſculos, vel feminas. " Idem *ibid. num.* 45. *fol.* 564.

LIII. „ Dubitatur hic, an poſſit abſolvi qui in occaſione peccandi proxima ver- „ ſatus eſt, antequam illam tollat, præſertim ſi in alia confeſſione id promiſit, „ & deinde non ſtetit promiſſis. Nonnulli putant abſolvi non poſſe extra caſum „ neceſſitatis .... Communius tamen cum *Suarez*, *Tabiena*, & aliis cenſent, „ poſſe huiuſmodi pœnitentem abſolvi ſemel, ac iterum, ſi apparent hic & nunc „ vera ſigna doloris, & propoſiti efficacis tollendi ſtatim occaſionem proximam. „ Ratio cur videatur poſſe prima, & ſecunda vice abſolvi, eſt, quia potuit pœ- „ nitens aut immediate ante, aut audiendo concionem, aut audiendo ipſius Con- „ feſſarii admonitiones excitari ad verum & efficax propoſitum non peccandi, in „ quo caſu eſt ſufficienter diſpoſitus. Sic paſſim abſolvuntur pœnitentes, per hoc „ quod proponant reſtituere, quamvis ante confeſſionem non reſtituerint, prout „ poterant .... Neque ex propoſitione illa 61. Innocentii XI. eruitur quod ab- „ ſolvi non poſſit. Nam qui proponit occaſionem ſtatim tollere, non poteſt dici „ quod illam velit de præſenti. " P. Dominicus Viva in *ſua Trutina in propoſ.* 41. *Alexandri VII. num.* 16.

LIV. „ Quæritur tertio, an reſervatione afficiatur qui cum Moniali peragat, vel „ attentet actus ſubimpudicos de ſe veniales: v. g. genas vellicare, mamillas „ tangere, & ſolum ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales. Reſp. „ negative. Nam iuxta noſtram regulam octavam non niſi peccata per exter- „ nam malitiam mortalia reſervantur. " *in Diſſertatione in Caſus reſervatos Venetæ diœceſeos.*

CAPUT II.

Senſus genuinus divini mandati, Non mœchaberis.

I. Communis eſt Catholicorum ſententia, præfatis verbis, *Non mœchaberis*; Deum prohibuiſſe non adulterium tantum, quod proprie ſignificat verbum *mœchor*; ſed quemcumque illicitum concubitum, omnemque libidinis actionem. Duo hic ſapienter diſtinguit Auguſtinus in *quæſt. ſuper Exod. quæſt.* lxxi. Primum adulterium tam viris, quam feminis vetitum. *Utique iſta lex non ſolum viris in populo, verum etiam feminis data eſt. Neque enim quia dictum eſt*, Non concupiſces uxorem proximi tui, *nihil ſibi hic præceptum debet putare femina, tam-*

quam

Digitized by Google

quam licite poſſet concupiſcere virum proximæ ſuæ. Si ergo hoc ex illo quod viro dictum eſt, intelligitur, quamvis non dictum ſit, quod etiam ad feminam pertineat; quanto magis ex eo quod dictum eſt, Non mœchaberis, *uterque ſexus conſtringitur, cum & ipſum præceptum poteſt referri ad utrumque, ſicut* Non occides, non furaberis, *& alia quæ ſimiliter non expreſſo uno ſexu utrique videntur ſonare communiter? Tamen, ubi unus exprimitur, honoratior utique exprimitur, ideſt maſculinus, ut ex hoc intelligat etiam femina quid ſibi præceptum ſit.* Alterum, quod nomine *mœchiæ* quamcumque fornicationis, & luxuriæ ſpeciem turpem prohibeat Deus. *Omnis ergo mœchia etiam fornicatio in Scripturis dicitur. Sed, utrum etiam omnis fornicatio mœchia dici poſſit, in eiſdem Scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed ſi non omnis fornicatio etiam mœchia dici poteſt, ubi ſit in Decalogo probibita illa fornicatio quam faciunt viri qui uxores non habent, cum feminis quæ maritos non habent, utrum inveniri poſſit, ignoro. Sed ſi furti nomine bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ: non enim rapinam permiſit qui furtum probibuit; ſed utique a parte totum intelligi voluit quidquid illicite rerum proximi aufertur: profecto & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus probibitus debet intelligi.* Idem docet *Lib. I. de ſerm. Dom. in monte cap.* XXIII.

II. Plura alia tum ex Auguſtino, tum ex ceteris Patribus huc tranſcribere poſſem, quæ brevitatis gratia miſſa facio. Convenit enim, ut dixi, penes Catholicos in hoc mandato, *Non mœchaberis*, quamlibet luxuriæ actionem vetari, tum exteriorem, tum interiorem. Quod ratione ipſa declarare quoque poſſumus. Plures ſunt luxuriæ ſpecies ipſo adulterio neſandiores, ut beſtialitas, ſodomia, inceſtus, & mollities. Porro qui prohibet minus, potiore iure maius malum vetat. Et quamquam fornicationis ſimplicis malitia inferior ſit adulterii iniquitate; tamen, quia natura ſua mala eſt, ut infra videbimus, & illa prohibita intelligitur. Expreſſe vero illam prohibuit Deus Deut. XXIII. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael.* Item Levit. XIX. *Ne proſtituas filiam tuam.*

III. Eadem ratione prohibentur ea omnia quæ antecedunt luxuriæ actionem, ut oſcula, tactus, amplexus, colloquia prava, epiſtolæ amatoriæ, laſciva ornamenta, & cetera id genus, quæ ad concitandam, fovendamque libidinem tendunt. Vetito enim fine, eo ipſo prohibita cenſentur ea quæ fini comparando inſerviunt. Quamobrem quodlibet mandatum Decalogi, qua ratione vetat opera exteriora prava, vetat pariter actus internos. Vitia dumtaxat adverſus ſextum, & ſeptimum mandatum aliis duobus mandatis expreſſe vetantur ob impotentiorem hominum in eadem propenſionem. Cuiuslibet quippe vitii interiores actus, ut dictum eſt, prohibentur implicite. Deſideria vero, delectationeſque contra ſextum, & ſeptimum mandatum nono & decimo prohibuit expreſſe Deus, tum ut validius

Digitized by Google

dius eiuſmodi inclinationes coerceret; tum etiam quia obcæcati Iudæi autumabant, opera dumtaxat externa vetita eſſe.

IV. Paucis rem omnem expedit Catechiſmus Concilii Tridentini *Part. III. in 6. præcep. num.* 5. his verbis. *Præcipue vero ob eam rem adulterium diſerte vetitum eſt, quia præter turpitudinem quæ illi cum aliis intemperantiæ generibus communis eſt, iniuſtitiæ quoque peccatum non ſolum in proximum, ſed etiam in civilem ſocietatem adiunctum habet. Eſt illud item certum, qui ſe a libidinum ceterarum intemperantia non abſtinet, eum ad hanc, quæ adulterii eſt, incontinentiam facile labi. Quare hoc adulterii interdicto facile intelligimus omne impuritatis, & impudicitiæ genus, quo polluitur corpus, prohiberi. Immo vero omnem intimam animi libidinem hoc præcepto vetitam eſſe, tum ipſius legis vis ſignificat, quam ſpiritualem eſſe conſtat; tum Chriſtus Dominus docuit illis verbis*: Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis: ego autem dico vobis, quod omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. *Hæc ſunt quæ fidelibus publice tradenda duximus.*

C A P U T III.

Quid ſit luxuria, & quænam illius ſpecies.

I. HAEC eſt vitii luxuriæ finitio quam tradit D. Thomas 2. 2. quæſt. cliii. art. 3. *Hoc pertinet ad rationem luxuriæ, ut ordinem, & modum rationis excedat circa venerea.* Quod paucioribus verbis explicari poteſt: *Eſt uſus venereorum contra rationem.* Venerea licita eſſe queunt, ſi rationis ordo ſervetur; quemadmodum cibus & potus. Nam ſicut cibus ad individui, ita illa ad ſpeciei conſervationem deſtinata ſunt, ut idem Angelicus *loc. cit. art.* 2. peroptime explicat, inquiens: *Et ideo ſicut uſus ciborum poteſt eſſe abſque peccato, ſi fiat debito modo, & ordine, ſecundum quod competit ſaluti corporis; ita etiam & uſus venereorum poteſt eſſe abſque omni peccato, ſi fiat debito modo, & ordine, ſecundum quod eſt conveniens ad finem generationis humanæ.*

II. Quæſt. I. *Sit ne luxuria vitium genere ſuo mortale, & capitale?* Reſp. Adfirmant omnes cum D. Paulo ad *Galat.* v. ubi teſtatur: *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Ratio ipſa id evincit. Venerea enim ad generis humani propagationem ordinata ſunt. Ergo hæc pervertere, & in alium finem detorquere, eſt enormis ordinis a natura, & a Deo præſtituti perturbatio. Suo itaque genere gravis culpa erit. Quod evidentius oſtendit Angelicus, dum probat vitium iſtud

Digitized by Google

iſtud inter capitalia crimina enumerari. Quandoquidem inquit 2. 2. quæſt. CLIII. art. 4. *Vitium capitale eſt quod habet finem multum appetibilem; ita quod ex eius appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda: quæ omnia ex illo vitio, tamquam ex principali, oriri dicuntur. Finis autem luxuriæ eſt delectatio venereorum, quæ eſt maxima. Unde huiuſmodi delectatio eſt maxime appetibilis ſecundum appetitum ſenſitivum, tum propter vehementiam delectationis, tum etiam propter connaturalitatem huiuſmodi concupiſcentiæ. Unde manifeſtum eſt quod luxuria eſt vitium capitale*. Si praxim ſpectes, luxuria non capitalis modo culpa eſt, ſed etiam inter capitalia ſcelera facile princeps. Communiter homines propter luxuriam, aut rerum cupiditatem cetera crimina perpetrant.

III. Quæſt. II. *Quæ ſunt luxuriæ filiæ?* Reſp. Octo, reſpondet idem D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLIII. *art.* 5. ſuntque ſequentes: *cæcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, & horror futuri*. Priores quatuor mentem, poſteriores voluntatem inquinant. Nemo Angelico Doctore clarius rem hanc expedivit. Quare eiuſdem verba, quæ ibidem habet, transſcribo. *Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. Primo quidem ſimplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum: & hic actus impeditur per luxuriam, ſecundum illud Daniel.* XIII. Species decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum: *& quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis. Secundus actus eſt conſilium de his quæ ſunt agenda propter finem: & hic etiam impeditur per concupiſcentiam luxuriæ. Unde Terentius dicit in Eunucho, loquens de amore libidinoſo*: Quæ res in ſe neque conſilium, neque modum habet ullum, eam conſilio regere non potes: *& quantum ad hoc ponitur præcipitatio, quæ importat ſubtractionem conſilii. Tertius actus eſt iudicium de agendis: & hic etiam impeditur per luxuriam: dicitur enim Daniel.* XIII. *de ſenibus luxurioſis*: Averterunt ſenſum ſuum, ut non recordarentur iudiciorum iuſtorum: *& quantum ad hoc ponitur inconſideratio. Quartus autem actus eſt præceptum rationis de agendo; qui etiam impeditur per luxuriam, inquantum ſcilicet homo impeditur ex impetu concupiſcentiæ ne exequatur id quod decrevit eſſe faciendum: & quantum ad hoc ponitur inconſtantia*. Obnubilato autem mentis lumine neceſſario conſequitur cæcam voluntatem in ſuis actibus aberrare. Hanc quoque actuum voluntatis perturbationem perſpicue explicare Angelicus ibidem pergit hoc pacto. *Ex parte autem voluntatis conſequitur duplex actus inordinatus. Quorum unus eſt appetitus finis: & quantum ad hoc ponitur amor ſui, quantum ſcilicet ad delectationem, quam inordinate appetit; & per oppoſitum ponitur odium Dei, inquantum ſcilicet prohibet delectationem concupitam. Alius autem eſt appetitus eorum quæ ſunt ad finem: & quantum ad hoc ponitur affectus præſentis ſæculi, in quo ſcilicet aliquis vult frui voluptate: & per oppoſitum ponitur deſperatio futuri ſæculi: quia dum*

dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad ſpirituales, ſed faſtidit eas.

IV. Luxuria ergo ſimplicem mentis *intelligentiam*, quæ finem ut bonum apprehendit, *conſilium* de his quibus finis comparatur, *iudicium* de his quæ agenda occurrunt, & *rationis præceptum*, quod executionem imperat, involvit, perturbat, vitiat, depravatque quatuor recenſitis impedimentis, *cæcitate mentis*, *inconſideratione*, *præcipitatione*, *inconſtantia*. Voluntatis actuum ſimiliter œconomiam confundit, pervertitque immanis libido. Deſtruit enim *finis intentionem* amore ſui, in quo finem conſtituit. Ex hoc amore proprio oritur *odium Dei*, qui voluptates carnales prohibet. *Electionem* denique mediorum perturbat, inſeritque *amorem præſentis ſæculi*: & tandem hunc amorem conſequitur *horror*, ac *deſperatio* æternæ felicitatis: quoniam voluptates carnales vitæ præſentis faſtidium pariunt cæleſtium deliciarum. Hæc omnia experiuntur libidinoſi, & voluptatibus dediti homines: eodem ſemper luto hærent, & in fæcibus ſuis volvuntur, ut ſues: vix in cælum erigere mentis oculos audent: Deum blaſphemant, quod tam ſuaves voluptates prohibuerit: mortis, futuræque vitæ recordationem excutiunt, ne amaritudinem ullam ſuis delectationibus aſpergant. Vides illos in conſiliis cæcos, præcipites, inconſideratos, numquam ſibi conſtantes, & bona omnia dilapidantes ad luxuriam explendam. Diſplicent ſibi ipſis, & vehementi, ac perpetua ſiti ardentes, lutulentas aquas quærunt, ut ipſam extinguant. At quo plus bibunt, eo plus æſtuant, quin refrigerium aliquod umquam aſſequantur. Quam ſint libidinoſi ad publica officia, & regimina inepti, nemo non videt. Nulla in ipſis prudentia, conſilium nullum: ut ſuis pravis cupiditatibus morem gerant, omnia tum divina, tum humana conculcant. Quod ſi proprium patrimonium, corporis ſanitatem, & animam ipſam prodigunt; numquid publicam aliorum felicitatem promovebunt? Quare, ſi illi ipſi ſibi rationem adimunt, ſeque in iumentorum gregem ſponte coniiciunt, iure & merito a quacumque dignitate, officio, atque regimine, ut ſtupidi, & furentes, repelli omnino deberent. Nec opponas, luxurioſos te agnoviſſe conſilio, & prudentia præditos. Nam, quod perrarum eſt, communem legem non tollit.

V. D. Thomas *loc. cit. ad* 4. præter enumeratos octo luxuriæ fetus, partim ad intellectum, partim ad voluntatem ſpectantes, atque inficientes utramque hanc hominis facultatem, quatuor alia iſtius hydræ monſtra recenſet, quæ externa ſunt, & locutionem ipſam inquinant, nimirum turpiloquia, ſcurrilia, ludrica, & ſtultiloquia. *Dicendum, quod illa quæ Iſidorus ponit, ſunt quidam inordinati actus exteriores, & præcipue ad locutionem pertinentes: in qua eſt aliquid inordinatum quadrupliciter. Uno modo propter materiam: & ſic ponuntur turpiloquia: quia enim ex abundantia cordis os loquitur, ut dicitur Matth.* XII. *luxurioſi, quorum cor* *eſt*

eſt turpibus concupiſcentiis plenum, de facili ad turpia verba prorumpunt. Secundo ex parte cauſæ: quia enim luxuria inconſiderationem, & præcipitationem cauſat, conſequens eſt quod faciat prorumpere in verba leviter, & inconſiderate dicta, quæ dicuntur ſcurrilia. Tertio quantum ad finem: quia enim luxurioſus delectationem quærit, verba ſua ad delectationem ordinat; & ſic prorumpit in verba ludicra. Quarto quantum ad ſententiam verborum, quam pervertit luxuria propter cæcitatem mentis quam cauſat; & ſic prorumpit in ſtultiloquia; utpote cum ſuis verbis præfert delectationes quas appetit, quibuſcumque aliis rebus. Hactenus pulcherrime Angelicus Doctor.

VI. Quæſt. III. *Quot ſint luxuriæ ſpecies?* Reſp. Gratianus in *Decret. cauſ.* XXVI. *quæſt.* I. *cap.* II. *§. Cum ergo hæc* quinque tantum enumerat. Alii ſex deſignant. Communis ſententia ſeptem eſſe docet. Sunt autem *ſimplex fornicatio*, *adulterium*, *inceſtus*, *ſtuprum*, *raptus*, *vitium contra naturam*, *ſacrilegium*. Quamvis D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLIV. *art.* I. ſex tantum enumeret, *ſacrilegium* ad adulterium revocans, quod adulterium ſpirituale nuncupat; tamen *artic.* 10. eiuſdem quæſtionis ſacrilegium conſiderat ut peculiarem luxuriæ ſpeciem.

VII. Ratio diverſitatis ſpecificæ ſumitur a materia, ſeu obiecto, ſecundum quod rationi opponitur. Venereæ delectationis obiectum duplici via rationi repugnat. Primo modo, cum aut finem delectationis impedit, qui eſt prolis generatio, & hoc eſt vitium *contra naturam*; aut impedit prolis educationem, & eſt *ſimplex fornicatio*. Altero modo repugnare delectationis venereæ materia ſeu obiectum recte rationi poteſt, prout refertur ad alios homines: quod duobus evenire modis poteſt. Primo ob feminæ qualitatem, cui debitus honor non ſervatur, ut ſi ſit aut affinis, aut conſanguinea: cui ſi vir miſceatur, perpetrat *inceſtum*. Secundo ob poteſtatem cui femina ſubiacet: ſi enim ſubdita marito ſit, qui eam agnoſcit, *adulterium* committit; ſi vero ſub paterna poteſtate conſtituta ſit, commixtio *ſtuprum* eſt; ſi e domo paterna auferatur, & vis adſit, *raptus* dicitur; denique ſi Deo per votum dicata fuerit, *ſacrilegium* eſt. Hæ ſunt luxuriæ ſpecies quæ ſingularem produnt repugnantiam cum recta ratione, ſuntque genere ſuo peccata mortalia.

VIII. Quæſt. IV. *Diſtinguuntur ne omnes ſpecies luxuriæ intra proprium genus eſſentialiter, vel tantum accidentaliter?* Reſp. Prolixam, & valde implicatam Scholaſtici diſputationem habent ſuper quæſtione propoſita. Convenit penes omnes, fornicationem, pollutionem, beſtialitatem, & ſodomiam eſſe ſpecies atomas, maxime poſt 24. *propoſitionem* ab Alexandro VII. damnatam. Id in quæſtionem vertunt, idem ne dicendum ſit de adulterio, inceſtu, ſtupro, raptu, ſacrilegio. Affirmant plures: negant alii, quos inter Salmanticenſes *tract.* XVI. *cap.* I. *punct.* 3. Quam ſit ad praxim inutilis diſputatio iſthæc, nemo non videt. Prior ſententia ſu-

ſuſtinet, adulterium, ſtuprum, &c. ita contrahere eſſentialiter genus luxuriæ, ut ſpecie atoma diſtinguantur a ſimplici fornicatione. Iuxta hanc ſententiam in adulterio non ſunt duæ malitiæ ſpecie diſtinctæ, altera fornicationis, altera iniuſtitiæ, quæ adulterium conſtituit; ſed eſt una ſola ſpecies, conflata ex fornicatione, & adulterio; eſt una malitia, utramque malitiam fornicationis, & adulterii continens. Secunda ſententia negat, intra genus luxuriæ eſſentialiter diſtingui adulterium a fornicatione; ita ut adulterium ſit ultima ſpecifica differentia, contrahens eſſentialiter genus luxuriæ, & conſtituens unam ſpeciem atomam, quæ eminenter continet utramque malitiam fornicationis, & adulterii: ſed contendit, in adulterio eſſe duas malitias ſpecie diſtinctas, quæ nequeant unam tertiam malitiam ex utraque conflatam efficere, eo quod adulterium ſit circumſtantia accidentaliter adveniens luxuriæ generi. Siquidem adulterium peculiarem iniuſtitiæ ſpeciem prodit, quæ ad genus luxuriæ revocari nequit; ſed eſt omnino diſparata, & ad aliud genus omnino diverſum pertinens, nimirum iniuſtitiæ. Porro tunc ex genere, & differentia una ſpecies atoma coaleſcit, quando differentia intima eſt, ſuaque natura contrahens, limitanſque generis poteſtatem. Iniuſtitia autem adulterii extima prorſus eſt generi luxuriæ, & ad aliud genus pertinens. Ergo nequit ita genus luxuriæ contrahere, ut efficiat unam ſpeciem atomam, continentem eminenter utramque malitiam adulterii, & fornicationis; ſed ſunt duæ malitiæ ſpecie diſtinctæ, & accidentaliter copulatæ. Satis compertum eſt quam inutilis ſit hæc metaphyſica diſputatio. Utcumque enim res ſe ſe habeat, utraque ſententia docet, duplicem in adulterio, in inceſtu &c. reperiri malitiam in confeſſione exprimendam. Quod porro hæ duæ malitiæ unam tertiam per modum generis, & differentiæ conflent, utrique æquivalentem; aut quod duæ remaneant accidentaliter coniunctæ, tamquam duo ad diverſa genera pertinentia: mera ſpeculatio metaphyſica eſt, nullius prorſus utilitatis. Utraque opinio non contemnenda argumenta pro ſe habet, quæ expendere minime convenit, cum nullum inde emolumentum ſperetur.

CAPUT IV.

De caſtitate, quæ hoc ſexto mandato iubetur.

I. QUodlibet præceptum, dum vitium prohibet, contrariam virtutem iubet. Ideo Deus luxuriam vetat, ut caſtitatem colamus. Hoc theologicum principium certiſſimum altius memoriæ commendandum eſt, utpote ſummi momenti. Si in hanc luculentiſſimam doctrinam collapſæ diſciplinæ Regulares animum,

mum intenderent, extemplo intelligerent quam ſit enormis illorum error qui autumant, votum paupertatis non præcipere communitatem, dum vetat proprietatem; ſi ideo votum prohibet proprietatis vitium, ut virtus excolatur communitatis. Verum de hoc obiter, cum hac de re ſuſius alibi diſputatum ſit. Ad noſtra igitur regrediamur. Catechiſmus Concilii Tridentini *III. Part. in 6. præcept. num.* 2. hanc doctrinam confirmat his verbis: *Hoc præcepto multa continentur... Eius duplex vis eſt: altera, quæ diſertis verbis adulterium vetat; altera, quæ eam ſententiam incluſam habet, ut animi corporiſque caſtitatem colamus*. Duo ergo ſpectat mandatum iſtud. Primum ſub nomine *adulterii* quamcumque delectationem veneream illicitam prohibet. Secundo iubet ut quiſque virtutem caſtitatis animi, & corporis colat. Animi igitur deſideria, & delectationes pravas coercere quiſque debet; corpus vero purum, & intaminatum ab omni immunditia cuſtodire. Id enim prodit vel ipſum caſtitatis nomen, quod a *caſtigando* tum animum, tum corpus nuncupatur.

II. Duplici in ſenſu caſtitatem accipit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clı. *art.* 2. Primum in ſenſu minus proprio, ſeu metaphorico, prout ſignificat animi puritatem, nulla peccati labe inquinatam: quo in ſenſu loquitur D. Paulus II. ad Corint. xı. *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*. Hæc caſtitas ſpiritualis eſt, in cæleſtium contemplatione ſita, oppoſita fornicationi ſpirituali, vi cuius mens delectatur in rebus creatis contra ordinem a Deo præſcriptum, iuxta illud Hieremiæ ııı. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te*. In hac acceptione caſtitas virtus generalis eſt.

III. Caſtitas proprie accepta peculiaris virtus eſt, quæ concupiſcentiam compeſcit in delectationibus venereis, ne limites excedat aut loci, aut temporis, aut ſtatus cuiuſcumque perſonæ. Quare ſicut abſtinentia moderatur uſum in eſculentis, & ſobrietas in poculentis; ita caſtitas cohibet uſum voluptatis in rebus venereis. Audiamus Angelicum 2. 2. quæſt. clı. artic. 2. *Nomen caſtitatis dupliciter accipitur. Uno modo proprie; & ſic eſt quædam ſpecialis virtus, habens ſpecialem materiam, ſcilicet concupiſcentias delectabilium, quæ ſunt in venereis. Alio modo nomen caſtitatis accipitur metaphorice. Sicut enim in corporis commixtione conſiſtit delectatio venereorum, circa quam proprie eſt caſtitas, & oppoſitum vitium, ſcilicet luxuria; ita etiam in quadam coniunctione ſpirituali mentis ad res aliquas conſiſtit quædam delectatio, circa quam eſt quædam ſpiritualis caſtitas metaphorice dicta, vel etiam ſpiritualis fornicatio ſimiliter metaphorice dicta. Si enim mens hominis delectetur in ſpirituali coniunctione ad id cui debet coniungi, ſcilicet ad Deum, & abſtineat ſe ne delectabiliter aliis coniungatur contra debitum divini ordinis, dicitur caſtitas ſpiritualis... Si autem delectabiliter contra debitum divini or-*

ordinis coniungatur mens quibuſcumque aliis rebus, dicetur fornicatio ſpiritualis. Et hoc modo accipiendo caſtitatem, caſtitas eſt generalis virtus.

IV. Caſtitas proprio in ſenſu accepta duplex eſt. Altera perfecta, imperfecta altera. Illa ab omnibus voluptatis carnis, ſive licitis, ſive illicitis, abſtinet, nuptiis excluſis; & appellatur *virginalis*. Hæc ſolas voluptates carnis illicitas reiicit: quæ dividitur in *coniugalem*, & *vidualem*. *Coniugalis* abſtinet ab omni copula illicita, ſervatque in uſu matrimonii regulas loci, temporis, finis, a recta ratione præſcriptas. *Vidualis* eſt quæ poſt matrimonium ſibi temperat ab omni carnali copula.

V. Diſputant Theologi, ſit ne diviſio iſthæc caſtitatis in virginalem, coniugalem, & vidualem generis in ſpecies. Reſpondet D. Thomas 2. 2. quæſt. clii. artic. 3. ad 5. *Caſtitas coniugalis ex hoc ſolo habet laudem quod abſtinet ab illicitis voluptatibus. Unde non habet aliquam excellentiam ſupra communem caſtitatem. Vidualis autem addit quidem aliquid ſupra caſtitatem communem, non tamen pervenit ad id quod eſt perfectum in materia iſta, ſcilicet ad omnimodam immunitatem venereæ voluptatis, ſed ſola virginitas: & ideo ſola virginitas ponitur virtus ſpecialis ſupra caſtitatem, ſicut magnificentia ſupra liberalitatem.* Paucis ergo habes, nec coniugalem, nec vidualem caſtitatem eſſe virtutem a communi caſtitate diſtinctam, ſed tantum modos eiuſdem.

CAPUT V.

In quo ſita ſit virginitatis notio, & qua ratione a caſtitate diſtinguatur.

I. REM hanc paucis expedit Angelicus 2. 2. *quæſt.* clii. *artic.* 1. ubi & nomen, & eſſentiam virginitatis declarat his verbis. *Nomen virginitatis a virore ſumptum videtur: & ſicut illud dicitur virens, & in ſuo virore perſiſtere quod non eſt ex ſuperabundantia caloris aduſtionem expertum; ita etiam virginitas hoc importat quod perſona cui ineſt, immunis ſit a concupiſcentiæ aduſtione, quæ eſſe videtur in conſummatione maximæ delectationis corporalis, qualis eſt venereorum delectatio. Unde Ambroſ. dicit in Lib. I. de virginib. quod caſtitas virginalis eſt expers contagionis integritas. In delectatione autem venereorum tria eſt conſiderare: unum quidem, quod eſt ex parte corporis, ſcilicet violatio ſignaculi virginalis: aliud autem eſt, in quo coniungitur id quod eſt animæ, cum eo quod eſt corporis, ſcilicet ipſa reſolutio ſeminis delectationem ſenſibilem cauſans: tertium autem eſt ſolum ex parte animæ, ſcilicet propoſitum perveniendi ad talem delectationem. In quibus tribus id quod primo poſitum eſt, per accidens ſe habet ad moralem*

actum

Digitized by Google

actum, qui non conſideratur per ſe, niſi ſecundum ea quæ ſunt animæ: ſecundum vero materialiter ſe habet ad actum moralem : nam ſenſibiles paſſiones ſunt materia moralium actuum : tertium vero ſe habet formaliter, & completive : quia ratio moralium in eo quod eſt rationis, completur. Quia ergo virginitas dicitur per remotionem prædictæ corruptionis, conſequens eſt quod integritas membri corporalis per accidens ſe habeat ad virginitatem : ipſa autem immunitas a delectatione, quæ conſiſtit in ſeminis reſolutione, ſe habet materialiter : ipſum autem propoſitum perpetuo abſtinendi a tali delectatione, ſe habet formaliter, & completive in virginitate.

II. Duplex ergo virginitas. Altera *naturalis*, ſeu materialis, in carnis integritate a cuiuſque impuræ contagionis labe immuni ſita, quæ amitti per matrimonium poteſt abſque peccato : ideo virtus non eſt. Altera *moralis*, quæ præter naturalem virginitatem adfert propoſitum conſtans firmumque perpetuo eamdem cuſtodiendi integritatem. Si propoſitum hoc non includat *perpetuam* abſtinentiam a quacumque re venerea, ſed ſolum ſit temporarium, uſque dum matrimonii occaſio occurrerit; non habetur virtus virginitatis. Heinc puellæ quæ integritatem virginalem ad matrimonium uſque ſervant, virgines quidem nuncupantur; virginitatis tamen virtute præditæ minime ſunt, ob defectum propoſiti deliberati *perpetuo* ſervandi ſuam integritatem.

III. Quæſt. I. *Eſt ne virginitas hæc virtus a caſtitate diſtincta?* Reſp. Adfirmat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clii. *art.* 3. hac ratione. *Manifeſtum eſt quod ubi eſt ſpecialis materia boni habens ſpecialem excellentiam, ibi invenitur ſpecialis ratio virtutis; ſicut patet in magnificentia, quæ eſt circa magnos ſumptus, & ex hoc eſt ſpecialis virtus a liberalitate diſtincta, quæ communiter ſe habet circa omnem pecuniarum uſum. Hoc autem quod eſt conſervare ſe immunem ab experimento venereæ voluptatis, habet quamdam excellentiam laudis ſupra hoc quod eſt conſervare ſe immunem ab inordinatione venereæ voluptatis. Et ideo virginitas eſt quædam ſpecialis virtus, habens ſe ad caſtitatem, ſicut magnificentia ad liberalitatem.*

IV. Diſputant in utramque partem Theologi, ſit ne neceſſarium votum, an ſufficiat ſolum propoſitum, ut virginitas ſit ſpecialis virtus a caſtitate diſtincta. Votum requiri, propoſitum firmans, docere videtur D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clii. *art.* 3. *ad* 4. his verbis. *Virginitas, ſecundum quod eſt virtus, importat propoſitum voto firmatum integritatis perpetuo ſervandæ. Dicit enim Auguſtinus in Lib. de virginitate, quod per virginitatem integritas carnis ipſi Creatori animæ, & carnis vovetur, conſecratur, ſervatur. Unde virginitas, ſecundum quod eſt virtus, numquam amittitur, niſi per peccatum.*

V. Salmanticenſes *tract.* xxvi. *cap.* 1. *punct.* 5. *§.* 1. *num.* 57. reſpondent, D. Thomam nomine *voti* ſignificare dumtaxat, quod propoſitum integritatis virginalis ſervandæ debeat ſpectare divinum obſequium Deo liberius præſtandum. Quamobrem

Digitized by Google

rem virginitas Veſtalium virtus non erat, quia ob finem vanum, & humanum ſervata. Quod declarat Angelicus ipſe ibidem in *corp. articuli* ſic inquiens: *Quod quidem propoſitum laudabile redditur ex fine, inquantum ſcilicet hoc fit ad vacandum rebus divinis*. Confirmant laudati Salmanticenſes non requiri votum, ſed ſatis eſſe propoſitum, ut virginitas ſit peculiaris virtus, pluribus aliis D. Thomæ auctoritatibus, potiſſimum ex *IV. Sent. diſt.* XXXIII. *quæſt.* III. *art.* 2. & ex 2. 2. *quæſt.* CLII. *art.* 3. ubi ſolius propoſiti mentionem Angelicus facit: quod verum habet. At res tanti non eſt, ut longiorem requirat diſquiſitionem. Mihi tamen probabilior ſententia eſt, D. Thomam requirere votum, propoſitum firmans: quia ratio quam adducit, ineluctabilis videtur, videlicet virtutem non amitti, niſi per peccatum. Propoſitum autem abſque peccato violari poteſt. Ideo enim quis proponit, & a voto abſtinet, ut liber ſit ad nuptias ineundas. Et ſic docent Caietanus 2. 2. *quæſt.* CLII. *art.* 3. *ad* 4. Ioannes a S. Thoma 1. 2. *diſp.* XV. *art.* 2. *num.* 11. Communis quoque ſenſus id habere videtur. Nam tam homines, quam mulieres, quæ virginitatis amore flagrant, eam voto Domino conſecrant.

VI. Quæſt. II. *Eſt ne virginitas excellentior matrimonio?* Reſp. Adfirmant omnes Catholici cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* CLII. *art.* 4. ubi hoc pacto huiuſmodi veritatem, quæ fidei eſt, evincit. *Dicendum, quod, ſicut patet in Lib. I. Hieronymi contra Iovinianum, hic error fuit Ioviniani, qui poſuit, virginitatem non eſſe matrimonio præferendam. Qui quidem error præcipue deſtruitur & exemplo Chriſti, qui & matrem virginem elegit, & ipſe virginitatem ſervavit; & ex doctrina Apoſtoli, qui I. ad Cor.* VII. *virginitatem conſuluit, tamquam melius bonum: & etiam ratione; tum quia bonum divinum eſt potius humano bono; tum quia bonum animæ præfertur bono corporis: tum etiam quia bonum contemplativæ vitæ præfertur bono activæ. Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ ſecundum vitam contemplativam, quod eſt cogitare ea quæ ſunt Dei; coniugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod eſt corporalis multiplicatio generis humani, & pertinet ad vitam activam: quia vir, & mulier in matrimonio viventes neceſſe habent cogitare quæ ſunt mundi, ut patet per Apoſtolum I. ad Cor.* VII. *Unde indubitanter virginitas præferenda eſt continentiæ coniugali.*

VII. Advertendum, comparationem fieri ſtatus virginalis cum ſtatu matrimoniali; ſecus inter ſacramentum & virginitatem: nam patet ſacramentum præſtare virginitati.

VIII. Adverſus præfatam catholicam veritatem obiiciunt hæretici recentiores, Lutherani & Calviniſtæ, Ioviniani aliorumque hæreticorum aſſeclæ, præceptum a Deo primis parentibus impoſitum Geneſ. 1. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Huic divino mandato adverſatur virginitas. Ergo aut eſt a Deo prohibita, aut inferioris excellentiæ matrimonio.

IX.

IX. Sophiſma iſtud pluribus ſæculis ante Lutherum, & Calvinum diluerat Angelicus 2. 2. quæſt. CLII. art. 2. ad I. *Præceptum habet rationem debiti, ut ſupra dictum eſt. Dupliciter autem aliquid eſt debitum. Uno modo, ut impleatur ab uno; & hoc debitum ſine peccato præteriri non poteſt. Aliud autem eſt debitum implendum a multitudine; & ad tale debitum implendum non tenetur quilibet de multitudine. Multa enim multitudini ſunt neceſſaria, ad quæ implenda unus non ſufficit; ſed implentur a multitudine, dum unus hoc, alius illud facit. Præceptum igitur legis naturæ homini datum de comeſtione, neceſſe eſt quod ab unoquoque impleatur: aliter enim individuum conſervari non poſſet. Sed præceptum datum de generatione reſpicit totam multitudinem hominum, cui neceſſarium eſt, non ſolum quod multiplicetur corporaliter, ſed etiam quod ſpiritualiter proficiat. Et ideo ſufficienter providetur humanæ multitudini, ſi quidam carnali generationi operam dent, quidam vero ab hac abſtinentes, contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem, & ſalutem. Sicut etiam in exercitu quidam caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gladiis decertant: quæ tamen omnia debita ſunt multitudini, ſed per unum impleri non poſſunt.* Aliqui contendunt, Deum citatis verbis non impoſuiſſe præceptum, ſed tantum benedixiſſe hominibus, & approbaſſe matrimonium: pro qua opinione adducitur Auguſtinus *Lib. XXI. de Civ. Dei cap.* XXII. & *Lib. XIV. cap.* XXI. ubi explicat laudatum textum; ſed nec in quæſtionem vocat, fuerit ne illud præceptum, vel non. Ceterum D. Thomæ reſponſum plane evacuat argumenti difficultatem; & præceptum, quod admittit, rationi magnopere congruit. Neque enim minus neceſſaria eſt ſpeciei quam individui conſervatio. Porro, ſi comeſtura ad individuum alendum ſub præcepto cadit, potiori iure commixtio maris & feminæ præcepto imponenda erat, ut naturæ humanæ ſpecies conſiſteret.

X. Opponunt iterum Lutherani, & Calviniſtæ. Virginitas a Deo præcepta non eſt: ergo ſuperſtitionem ſapit, eam per votum Deo conſecrare. Ille enim cultus ſuperſtitioſus habetur qui a Deo non præcipitur, ut patet ex Deuter. cap. XII. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.*

XI. Falluntur turpiter Lutherani, & Calviniſtæ, autumantes id ſolum Deo gratum eſſe quod ab eo præcipitur. Quin, quo liberior eſt victima, eo eſt gratior, dummodo honeſta ſit. Virginitas ſuapte natura hoſtia pura eſt, & immaculata. Libera quoque eſt, cum cuique liceat matrimonium contrahere. Ergo Deo gratiſſima. Superſtitioſa ne fuit virginitas, quam Chriſti mater Deo obtulit? Diſputant quidem Theologi, ſit ne congrua voti materies res a Deo præcepta. Et quamvis communior adfirmet ſententia, non deſunt tamen qui negent. Nemo autem unus in diſcrimen adduxit, rem honeſtam, nulloque mandato præſcriptam, ſed ſolo Dei conſilio probatam idoneam eſſe voti materiem; adeoque licitum eſſe, immo laude, meritoque dignum, eam Deo voto nuncupare.

Digitized by Google

XII. Obtrudunt textum D. Pauli I. ad Timoth. cap. v. *Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia*. Ergo, S. Paulo teſte, matrimonium præferendum eſt virginali continentiæ.

XIII. Reſp. Sermonem ibi S. Paulus habet de viduis adoleſcentioribus, laſcivis, otioſis, loquacibus, quæ per domos diſcurrentes, aliis occaſioni erant libidinis. His omnibus melius eſt nubere quam uri. Et ita verum habet quod virginitas non ſit neceſſaria. At, ſi in multis dominatur ſpiritus laſciviæ, in aliquibus etiam ardet virginitatis amor. Proferamus ipſum D. Pauli textum. *Adoleſcentiores autem viduas devita: cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem & otioſæ diſcunt circuire domos, non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet. Volo autem* &c. Facta hypotheſi quod mulieres his inclinationibus ſint affectæ, nemo erit prudens qui eiſdem virginitatis votum ſuadeat; quin cum Apoſtolo, ut matrimonium contrahant, conſulendum ipſis erit. Quod ſubdunt, bonum commune præferendum eſſe bono privato: virginitatem autem bonum privatum eſſe, & matrimonium commune bonum ſpectare: hoc argumentum, quod prolixo ſermone Calvinus exaggerat *Lib. IV. inſtit. cap.* VI. & XVII. & *ſeqq.* paucis verbis reſolvit D. Thomas 2. 2. quæſt. clII. art. 4. ad 3. *Bonum commune* (inquit) *potius eſt bono privato, ſi ſit eiuſdem generis; ſed poteſt eſſe quod bonum privatum ſit melius ſecundum ſuum genus. Et hoc modo virginitas Deo dicata præfertur fecunditati carnali. Unde Auguſtinus dicit in Lib. de virginitate, quod fecunditas carnis, etiam illarum quæ in hoc tempore nihil aliud in coniugio quam prolem requirunt, quam mancipent Chriſto, promiſſa virginitate compenſari non poſſe credenda eſt.*

XIV. Quæſt. III. *Sit ne in viris æque ac in feminis virtus virginitatis?* Reſp. Virginitas materialis, in clauſtro virginali incorrupto ſita, feminarum dumtaxat propria eſt: quia illæ ſolæ clauſtrum virginale habent aperiendum, aut integrum ſervandum. Virginitas formalis, quæ propoſitum perpetuo abſtinendi a quacumque venerea delectatione voto firmatum prodit, non minus viris quam mulieribus congruit.

XV. Quæſt. IV. *Qua ratione virginitas amittatur?* Reſp. In puellis flos virginitatis perit irreparabiliter ob voluntariam virginalis clauſtri violationem; ſive clauſtrum aperiatur copula carnali, ſive actis turpibus. Vir ſuam amittit virginitatem ob voluntariam carnalem copulam. Hoc ex virginitatis explicatione patet. In feminis tria neceſſaria ſunt ad virtutem virginitatis, nimirum clauſtrum virginale incorruptum, privatio delectationis venereæ, & propoſitum perpetuæ abſtinentiæ. Hæc tria pereunt, quoties clauſtrum virginale infringitur copula, aut tur-

Digitized by Google

turpibus actibus, quibus delectatio venerea delibatur, & propoſitum abſtinendi frangitur. Vir autem virginitatis iacturam patitur per voluntariam copulam, aut pollutionem voluntarie procuratam, in qua & delectationem veneream experitur, & propoſitum ab ea ſibi temperandi violat. Irreparabilis vero hæc amiſſio eſt. Si enim ſemel anima inquinata fuerit, fieri nec divinitus poteſt quin fuerit inquinata. Corpus læſum, & ſauciatum utique ſanari poteſt. At, quod vulnus reapſe inflictum, non fuerit inflictum, fieri nequit, ut peroptime docet D. Thomas 2. 2. quæſt. clii. art. 3. ad 3. *Illud autem eſt quod nec miraculoſe reparari poteſt, ut ſcilicet qui expertus eſt voluptatem veneream, fiat non expertus. Non enim Deus facere poteſt ut ea quæ facta ſunt, non ſint facta; ut in primo habitum eſt.*

XVI. Quæſt. V. *Amitti ne virginitas poteſt extra matrimonium abſque culpa?* Reſp. Communis, veraque ſententia negat, quam docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clii. *art.* 1. *ad* 4. inquiens: *Delectatio quæ eſt ex ſeminis reſolutione, dupliciter poteſt contingere. Uno modo ut procedat ex mentis propoſito; & ſic tollit virginitatem; ſive fiat per concubitum, ſive abſque concubitu . . . Alio modo poteſt provenire præter propoſitum mentis, vel in dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non conſentit, quamvis caro delectationem experiatur, vel etiam ex infirmitate naturæ, ut patet in his qui fluxum ſeminis patiuntur; & ſic non perditur virginitas: quia talis pollutio non accidit per impudicitiam, quam virginitas excludit.* Ratio ex dictis patet. Quoniam virtus virginitatis in propoſito firmo, perpetuoque abſtinendi a re venerea ſita eſt. Corporis integritas materia eſt talis virtutis. Hac materia pereunte, non perit animi virtus, non accedente voluntatis conſenſu. Hinc eſt quod Heroina illa S. Lucia tyranno improperavit: *Si invitam iuſſeris violari, caſtitas mibi duplicabitur ad coronam.*

XVII. Quæſt. VI. *Quot modis tum in feminis, tum in viris virginitas naturalis amittatur?* Reſp. Primo per copulam voluntariam cum viro, ſive intra, ſive extra matrimonium habitam. Secundo per copulam involuntariam, quæ, licet virtutem virginitatis non lædat, lædit tamen ſignaculum virginitatis in feminis. Tertio virilis inſtrumenti intruſione, tametſi pollutio non ſequatur: quia ſatis eſt ut actio iſthæc apta ſit pollutionem parere, & interea rumpitur virginale ſignum; potiſſimum, ſi feminæ puberes ſint. In viris tamen virginitas naturalis non amittitur per actus turpes, ſi non ſequatur ſeminis effuſio: quia viri non habent, ſicut feminæ, virginitatis ſigillum. Quare iſti virginitatem naturalem irreparabiliter non amittunt, niſi per voluntariam ſeminis effuſionem. Num vero amittatur virginitas naturalis per ſodomiam, tam in feminis, quam in viris, quando nulla ſequitur pollutio, diſputant in utramque partem Theologi. Amitti virtutem virginitatis certum eſt. Quod vero non amittatur virginitas naturalis in feminis, inde colligunt quod ſigillum virginitatis non infrangatur. In viris vero, cum

Digitized by Google

cum nullum virginitatis naturalis ſignaculum ſit, id clarius apparet. Ceterum, licet hæc phyſice vera eſſe queant; tamen abſolute, & theologice loquendo natura ipſa horret eos reputare virgines, etiam corporis integritate ſpectata, qui tam nefando ſcelere ſunt contaminati.

CAPUT VI.

De ſimplici fornicatione, ſit ne iure naturæ, nedum divino, vetita.

I. VAria eſt in ſacra Scriptura fornicationis uſurpatio. Interdum ſumitur pro idololatria, & infidelitate, ut habetur Hierem. III. *Abiit ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi.* Interdum pro quocumque peccato mortali, quo anima a Deo recedit, ut colligitur ex Oſee IV. *Separatum eſt convivium eorum, fornicatione fornicati ſunt.* Doctores plures fornicationis nomen a verbo *fornicor* repetunt: quoniam meretrices olim in fornicibus ad formam arcus extructis morabantur, ibique in fornicum proſpectu, appoſito ſcortationis nomine, pretium præfinitum oſtendebant. Alii contendunt, fornicationem ſignificare *formæ necationem*: quia anima rationalis, ad Dei ſimilitudinem effecta, myſtice occiditur. Sed, his variis uſurpationibus miſſis, fornicationis, quæ noſtræ ſubeſt diſputationi, finitio eſt exhibenda.

II. Hæc eſt fornicationis definitio: *Concubitus humanus naturalis ſoluti cum ſoluta corrupta.* Duæ primæ particulæ diſtinguunt fornicationem a concubitu beſtiali; idcirco dicitur *humanus*: & a mollitie, quæ eſt contra naturam; ideoque dicitur *naturalis*. Duæ ultimæ *ſoluti cum ſoluta* ſecernunt fornicationem tum a concubitu matrimoniali, tum a concubitu cum perſona affine, vel conſanguinea; aut voto continentiæ per Religionem, vel Ordinem ſacrum ligata. Ultima particula *corrupta* diſtinguit fornicationem a ſtupro, quod fit cum virgine. Quare D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLIV. *art.* 6. *ad* 1. definit fornicationem his verbis: *Fornicatio eſt concubitus qui fit cum mulieribus iam corruptis.* Hæc omnia communia ſunt, nullamque præferunt difficultatem. Illud negotium quibuſdam faceſſere videtur, ſit ne iure naturæ vetita.

III. Dogma fidei eſt, fornicationem grave ſcelus eſſe a Deo ſeveriſſime vetitum pluribus in locis tum veteris, tum novi teſtamenti. Deut. cap. XXIII. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael.* Idem mandatum repetitur in Lev. cap. XIII. *Nec proſtitues filiam tuam.* Item Tobiæ IV. *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire.* Eccleſiaſtici cap. XLI. *Erubeſcite ... a reſpectu mulieris fornicariæ.* In novo autem fœdere

dere

dere I. ad Cor. v. *Ne commiſceamini fornicariis* : & vi. *Neque fornicarii regnum Dei poſſidebunt*. Item ad Epheſ. v. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos*. Ad Theſſalon. I. cap. iv. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos a fornicatione*. Plures alios textus brevitatis gratia prætereo, ut ad id quod in diſcrimen vocatur, fuſius explicandum accedam.

IV. Itaque Martinus de Magiſtris *tract. de temp. quæſt.* 11. contendit, fornicationem determinati viri cum determinata femina non eſſe contra ius naturæ; quod nec certitudo prolis, nec educatio conveniens impediatur. Durandus in *IV. diſt.* xxxiii. *quæſt.* ii. *num.* 10. fatetur fornicationem iure naturali prohiberi; at non tanta ſeveritate, ut dicenda ſit peccatum mortale æterna morte dignum. Hoc tamen aſſerit de fornicatione non vaga, ſed ſimplici, quæ ſcilicet habeatur inter duas perſonas quæ extra matrimonium ex pacto mutuo vivere velint cum onere alendæ, & educandæ ſobolis. Ioannes Caramuel latius habenas remiſit. Nullam ipſe fornicationem, ſive vagam, ſive certam contendit eſſe peccatum ſolo naturæ iure ſpectato. Illius argumenta, ſeu ſophiſmata infra dabimus. Thomas Tamburinus, quamquam fateatur iure naturæ vetitam fornicationem, tamen, ne omnino a ſuo Caramuele recedat, ſubdit exploratam nobis haud eſſe rationem naturalem quæ id evincat. *Dicendum* (inquit Lib. VII. cap. 1. §. 2. num. 1.) *nobis eſt, dari rationem naturalem id certo probantem; ſed ingenue fateri nos decet, eam a priori nondum clare eſſe compertam*. Qua facta poſitione, energia Probabiliſmi ultra progredi quiſque valet. Ut rationes iſtas compertas efficiam, eas ſequentibus paragraphis partite explicabo.

V. Sub oculos revocandæ primum omnium ſunt duæ propoſitiones ab Innocentio XI. proſcriptæ. Sunt autem ſequentes. 48. *Tam clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium rationi diſſonum videatur*. 49. *Mollities iure naturæ prohibita non eſt: unde, ſi eam Deus non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali*. Ambas propoſitiones docuit Caramuel, ut infra palam fiet. Rationum momenta quæ earum falſitatem evincunt, promenda nunc ſunt. Nec quiſquam reputet levioris eſſe momenti, aut ſolius metaphyſici diſſidii cauſſam iſtam. Quoniam, poſita expreſſa prohibitione vi legis naturalis, evidentius patet malitiæ gravitas.

Digitized by Google

§. I.

Rationes quibus S. Paulus Apoſtolus improbat præfatas propoſitiones, explicantur.

I. D. Paulus Apoſtolus *I. ad Cor.* VI. primum *verſ.* 9. teſtatur fornicationem vetitam eſſe, atque a regno Dei excludere. *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores* &c. Deinde rationes promit, cur prohibita ſit fornicatio verſ. 13. & 14. *Eſca ventri, & venter eſcis.... Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori. Deus vero & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.*

II. D. Thomas hoc Pauli teſtimonium exponens inquit lect. III. *Improbat autem fornicationem quatuor rationibus.* Harum rationum aliæ ex præſuppoſitis fidei principiis vi naturalis ratiocinii, aliæ ſolo naturæ lumine deformitatem evincunt fornicationis; ut ex earumdem declaratione palam fiet.

III. Prima ergo D. Pauli ratio ex ordinis ab ipſa natura inſtituti inverſione eruitur. *Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori. Deus vero & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.* Corpus ergo ſua primaria inſtitutione non ad fornicandum creatum eſt, ſed ad glorificandum Dominum, ſeu ut ſit particeps glorificationis corporis Chriſti Domini. Deus ſuſcitavit Chriſtum, ut ſit pignus, & ſpes ſuſcitationis noſtrorum corporum, quæ pariter ſuo tempore ſuſcitabit, & reformabit configurans corpori claritatis Chriſti. Quis porro inficiabitur, dedecere, rationique admodum repugnare, inquinari corpus illud quod in finem adeo ſublimem elevatum eſt? Diſſonat ergo rationi, lumine fidei illuſtratæ, corpus fornicatione pollui. Hæc eſt ratio quam ex Paulino textu eruit D. Thomas in I. ad Cor. cap. VI. lect. III. *Corpus autem hominis non fornicationi, ideſt non eſt ordinatum ad fornicandum*, ſed Domino, *ideſt ad hoc eſt ordinatum ut ſit Domini noſtri Ieſu Chriſti:* & Dominus corpori; *ideſt, Dominus Ieſus Chriſtus ad hoc datus eſt hominibus, ut humana corpora ſuæ gloriæ conformet..... Sed contra hoc videtur eſſe quod ſicut venter ordinatus eſt a Deo ad uſum ciborum, ita quædam membra humani corporis ſunt ordinata a Deo ad uſum generationis, quibus fornicatio exercetur. Sed attendenda eſt differentia quantum ad duo. Primo quidem quod Apoſtolus ſupra locutus eſt de uno corporis membro, ſcilicet de ventre; hic autem loquitur de toto corpore, quod ſicut non eſt ordinatum ad fornicandum, ita nec ad eſcas ſumendum; ſed potius uſus eſcarum eſt propter corpus; corpus autem propter animam, a qua percipit vitam ſecundum eius conditionem: & quia omnia ordinantur*

in

Digitized by Google

in Deum ſicut in finem, ideo corpus debet eſſe ſubiectum Domino, & ei dedicatum. Et quia ſupra locutus eſt de uſu eſcarum in communi abſque inordinatione; fornicatio autem eſt uſus inordinatus ex membro fornicatoris. Unde nec ipſa membra ſunt propter fornicationem, ſed propter uſum generationis ordinata ratione, cui omnia membra corporis deſervire debent; ſicut etiam venter non propter crapulam, & ebrietatem, ſed propter convenientem uſum ciborum. Deinde cum dicit, Deus vero &c. *ponit finem ordinationis prædictæ... Unde patet quod non eſt utendum corpore ad fornicationem, quæ impedit futuram incorruptionem*. Plurima alia ibidem Angelicus habet, quibus evincit ſecundum D. Pauli doctrinam fornicationem interturbare, & pervertere ordinem naturæ, rationi adverſari, atque adeo ſuapte natura malam eſſe. Interpretationem Angelici confirmant antiquiores Patres, potiſſimum Chryſoſtomus in hunc locum. Sed perſequamur exponere rationes D. Pauli.

IV. Alia D. Pauli ratio habetur ibidem verſ. 18. *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*. Hoc ergo inter fornicationem & cetera peccata diſcrimen eſt, quod alia peccata extra proprium corpus divagantur, contra fornicatio proprium corpus inficit, ut optime Hieronymus explicat epiſt. ad Amandum. *Cetera peccata forinſecus ſunt: quidquid enim egerimus, in alios agimus: fornicatio non ſolum conſcientiam fornicantis, ſed & corpus maculat.*

V. Eamdem interpretationem nobis exhibet Angelicus *loc. cit.* inquiens: *Ponit tertiam rationem, quæ ſumitur ex corporis inquinatione... Vel aliter ſecundum Auguſtinum hic in Gloſſa. Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat: quia anima eius totaliter carni in illo actu ſubiicitur, ita quod non poſſit aliud ibi cogitare. Unde in Pſal.* XXXI. *dicitur: Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*. Quid autem tam diſſonum rationi quam proprium corpus inquinare, & fœdare, illudque ab eo ordine avertere ad quem inſtitutum fuit a Deo. Facile mihi eſſet communi Patrum auctoritate hanc firmare interpretationem, potiſſimum Ambroſii, Theophilacti, Athanaſii, Bedæ, aliorumque.

VI. Non minus efficax eſt hæc alia Apoſtoli ratio, quam prodit ibidem verſ. 15. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una*. Hanc Apoſtoli luculentiſſimam argumentationem aliis verbis Angelicus vertit. Cum ratione, ipſoque naturæ lumine pugnat quod membra Chriſti Domini fiant meretricis membra. Membra noſtra, membra ſunt Chriſti Domini. Qui autem meretricatur, corpus ſuum membrum efficit meretricis. Copula quippe carnali duo evadunt caro una. Quid porro rationi infeſtius? Quid repugnantius? Hæc ſunt S. Thomæ verba in cit. lect. III. *Deinde cum dicit*, Neſcitis &c. *ponit ſecundam rationem, quæ ſumitur ex affini-*

Digitized by Google

affinitate humani corporis ad Chriſtum, quæ talis eſt. Membra hominis fornicantis membra ſunt meretricis; ſed membra hominis ſunt membra Chriſti : ergo per fornicationem fiunt membra Chriſti, membra meretricis; quod eſt inconveniens.

VII. Nec opponas, hanc Apoſtoli argumentationem minime probare, iure naturæ vetitam fornicationem omnibus, ſed ad ſummum fidelibus; ſecus infidelibus, qui membra Chriſti non ſunt. Quare ius naturæ, ſi quod eſt, ex hypotheſi tantum quod homines per fidem ſint membra Chriſti, efficacitatem habet; ſecus abſolute. Futilis eſt oppoſitio hæc. Quoniam corpora humana omnia ex ſua primaria inſtitutione & creatione deſtinata ſunt in templum Dei. Deo, ut proprio Domino, ſubdita ſunt, & omnia redempta, ut Chriſto coniungantur. Hic eſt finis propter quem creata ſunt. Quis vero inficias ierit, non adverſari rationi naturali eiuſmodi corpora a tam ſublimi fine abducere? Nonne ſecundum, quod ex Apoſtolo allegavimus, argumentum reſpectu omnium vim habet? *Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Si enim rationi repugnat proprium fœdare, & deturpare immundis voluptatibus corpus; potiori iure diſſonat rationi obſcenis actionibus maculare corpus, quod non modo proprium eſt, ſed Domino Deo ſubiectum, & in illius tabernaculum deſtinatum. Quænam horrendior ordinis perturbatio, quam quod corpora illa quæ templa ſunt Spiritus ſancti, fiant ſcortationum ſtabulum? Subdit enim ibidem D. Paulus verſ. 19. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

VIII. Quæ verba Apoſtoli ſic interpretatur S. Thomas cit. lect. 111. *Deinde cum dicit Apoſtolus,* An neſcitis &c. *ponit quartam rationem, quæ ſumitur ex dignitate gratiæ: quæ quidem ex duobus conſurgit, ſcilicet ex gratia Spiritus ſancti, & ex redemptione ſanguinis Chriſti. Circa hoc igitur tria facit. Primo proponit dignitatem corporis noſtri, quam habet ex gratia Spiritus ſancti dicens :* An neſcitis &c. *quaſi dicat: Ignorare non debetis* quoniam membra veſtra, *ſcilicet corporalia*, templum ſunt Spiritus ſancti : *ſicut ſupra tertio dictum eſt :* Neſcitis quia templum Dei eſtis? *Et huius rationem aſſignat, ſubdens*, Qui in vobis eſt. *Dicitur autem templum domus Dei. Quia igitur Spiritus ſanctus Deus eſt, conveniens eſt quod in quocumque eſt Spiritus ſanctus, templum Dei dicatur. Eſt autem Spiritus ſanctus principaliter quidem in cordibus hominum, in quibus caritas Dei diffunditur per Spiritum ſanctum, ut dicitur Rom.* v. *Sed ſecundario eſt in membris corporalibus, inquantum exequuntur opera caritatis.... Secundo ponit dignitatem, quam habent corpora noſtra ex redemptione ſanguinis Chriſti, dicens :* Et non eſtis veſtri, *ſed Ieſu Chriſti, ſecundum illud Rom.* XIV. Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. *I. Cor.* v. Qui vivit, iam non ſibi vivat. *Rationem huius aſſignat dicens :* Empti enim eſtis pretio magno : *& ideo ſervi eſtis eius qui vos redemit de ſervitute peccati... Tertio infert conclu-*

cluſionem intentam, dicens : Glorificate ergo, & portate Deum in corpore veſtro. *Quia enim membra veſtra ſunt templum Dei, in corpore veſtro nihil debet apparere, niſi quod ad gloriam Dei pertinet, & hoc eſt glorificare Deum in corpore veſtro: quia in Pſal.* XXVIII. *dicitur:* In templo eius omnes dicent gloriam... *Ergo homo debet vitare ne in corpus ſuum peccet fornicando, quod eſt contra gloriam Dei, & contra miniſterium quod corpus noſtrum debet Deo.*

§. II.

Ratio quam a priori adfe t S. Thomas, evidenter demonſtrat fornicationem eſſe ſuapte natura malam, atque adeo iure naturæ vetitam.

I. HActenus S. Thomas rationes S. Pauli expoſuit : quæ rationes, cum fuerint a Deo ipſo dictatæ, veræ ſint oportet : & eiuſmodi ſunt, ut probent fornicationem ordini a Deo præſtituto repugnare. Præter has autem rationes ab ipſa Scriptura petitas, & quæ ſunt veluti a poſteriori, alias, quas a priori appellant, Angelicus promit 2. 2. *quæſt.* CLIV. *artic.* 2. his verbis. *Ad huius evidentiam conſiderandum eſt, quod peccatum mortale eſt omne peccatum quod directe committitur contra vitam hominis. Fornicatio autem ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius qui eſt ex tali concubitu naſciturus. Videmus enim in omnibus animalibus in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris, & feminæ, quod in eis non eſt vagus concubitus, ſed maris ad certam feminam, unam, vel plures; ſicut patet in avibus : ſecus autem eſt in animalibus in quibus ſola femina ſufficit ad educationem fetus, in quibus eſt vagus concubitus; ut patet in canibus, & huiuſmodi aliis animalibus. Manifeſtum eſt autem quod ad educationem hominis non ſolum requiritur cura matris, a qua nutritur, ſed multo magis cura patris, a quo eſt inſtruendus, & defendendus, & in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis eſt quod utatur vago concubitu; ſed oportet quod ſit maris ad determinatam feminam, cum qua permaneat, non per modicum tempus, ſed diu, vel etiam per totam vitam. Et inde eſt quod naturaliter ineſt maribus in ſpecie humana ſollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Hæc autem certitudo tolleretur, ſi eſſet vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ feminæ matrimonium vocatur : & ideo dicitur eſſe de iure naturali. Sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadunt ſub determinatione legis, ut ſupra habitum eſt, conſequens eſt quod iſta coniunctio maris ad feminam, quæ matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur . . . Unde*

cum

cum fornicatio ſit concubitus vagus, utpote præter matrimonium exiſtens, eſt contra bonum prolis educandæ: & ideo eſt peccatum mortale. Nec obſtat, ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens ſufficienter provideat proli de educatione: quia id quod cadit ſub legis determinatione, iudicatur ſecundum id quod communiter accidit, & non ſecundum id quod in aliquo caſu poteſt accidere.

II. Tria argumenta una fere periodo claudit Angelicus, ut animadvertit Caietanus in hunc articulum. *Primum eſt. Fornicatio ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ naſcituri ... Secundum eſt, quod fornicatio privat prolem cura patris ... Tertium eſt, quod fornicatio, ſeu vagus concubitus tolleret certitudinem prolis.* Quæ tria argumenta enervare adnititur Martinus de Magiſtris; ſed quam infelici conatu, patebit, cum eiuſdem, & Caramuelis ſophiſmata diluentur.

III. Paucis ergo ratio D. Thomæ explicatur. Concubitus humanus, ſeu omnis ſeminis emiſſio a natura inſtituta eſt ad prolem generandam, alendam, inſtruendamque. Quare, ſi homo ſperma effundat aut extra vas a natura præſtitutum, aut in vas indebitum, aut alio quocumque modo, qui aut generationem, aut prolis genitæ educationem, nutritionemque impediat; peccat contra naturæ ordinem. Atqui fornicatio, quæ eſt humani ſeminis emiſſio, non ordinatur natura ſua ad educationem, inſtructionemque prolis. Ergo adverſatur naturæ ordini. Evincitur ſecunda propoſitio. Fornicatores duæ perſonæ ſunt, nullo naturali vinculo copulatæ. Ergo actio fornicationis caret debito ordine a natura inſtituto, quo proles genita alatur, & inſtruatur. Nam utraque perſona, videlicet maris, & feminæ, requiritur ad hominis educationem, ut ipſa experientia conſtat. Lac matris exigitur; ſed non ſufficit: neceſſarium eſt fortius alimentum. Requiritur patris cura, qua inſtruatur, defendatur, nedum quantum ad corpus, verum etiam, quod maxime intereſt, quantum ad animam. Fornicatores autem, coitu peracto, vi talis actionis ſimul commorari non adſtringuntur. Ergo talis actio deſtituta eſt ordine a natura impoſito, quo genitores teneantur ad prolis educationem, & inſtructionem. Quid quod coitus fornicarius non modo educationem, inſtructionemque impedit, ſed inſuper vitæ prolis aut generandæ, aut genitæ inſidias ſtruit? Vagus quippe concubitus impedit prolis generationem, ut experientia meretricum compertum eſt. Quot vero pericula imminent proli genitæ? Quot fetus ſuffocantur, antequam anima formati ſint? Quot enecantur animam iam adepti? Quot æternum pereunt, quia baptiſmate non abluti? Quot hoſpitalibus traduntur, extraneis nutricibus alendi? Quis ergo dixerit, in hoc ſupremo negotio, quale eſt humani generis conſervatio, naturæ conditorem non definiiſſe certum atque conſtantem ordinem, quo tot mala huiuſmodi impedirentur? Neque reponas, nos ita confugere ad legem poſitivam, quæ ordinem, ſeu vinculum

præ-

Digitized by Google

præſcribat indiſſolubile, quo iuncti genitores maneant ad prolem educandam, imbuendamque. Quoniam ante quamcumque poſitivam legem ratio naturalis hunc ordinem exigit. Lex matrimonii, quam Deus inſtituit, hunc ordinem ſupponit. Quin hæc lex non adeo neceſſaria erat, cum potuiſſet Deus vinculo etiam mitiori ſtringere genitores. Idcirco Angelicus ſcite poſuit illam disiunctionem: *Cum qua permaneat, non per modicum tempus, ſed diu, vel etiam per totam vitam.* Alterutro enim modo poterat Deus inſtituere matrimonium. Nam, etſi perpetuum non eſſet, ſed diuturnum; nihilominus, inquit Angelicus, ſatis fuiſſet ad generationem, educationem, & inſtructionem prolis. Hinc apparet S. Thomæ ratiocinationem vim ſuam habere ante quamcumque legem poſitivam.

§. III.

Diluuntur argumenta Martini de Magiſtris, & Caramuelis.

I. Antequam ſophiſmata, & argutationes Caramuelis refero, lubet nonnulla tranſcribere eorum quibus feſtivam canit lamentationem adverſus ſuum P. Antoninum Dianam, quem in hac cauſſa excandeſcentem adverſarium expertus eſt: quod magno ſibi & infortunio, & dolori vertit. Pauca illius verba tranſcribamus ex *I. Tom. Theolog. fundam. fundam.* XII. *num.* 569. *Legit hanc receptiſſimam, & communiſſimam doctrinam DIANA, & reſol. cit. excandeſcit, & ait:* Hic fuit error Martini de Magiſtris . . . . *Quarto ad fulmina & minas recurrit. Sed quid Caramuel contra? Elevabit ad Deum, & cælum oculos, & inclamabit:* Tantæ ne animis cæleſtibus iræ? *Voletque examinari, quis, quid, contra quem pientiſſimus* Diana *obloquatur? Porro loquitur* Diana *ille meus, vir doctiſſimus, & moderatiſſimus, qui a cenſurandis aliorum opinionibus abſtinet, qui tantum cenſura digna inurere ſolet immoderatas iuniorum aliquorum cenſuras. Et contra quem hæc omnia? Contra* Caramuelem, *diſcipulum, amicum, defenſorem, a quo non ſemel fuit contra cenſores ignorantes protectus: a quo fuit in ſcholis excellentiſſimis prælectus, & dilucidatus: cui amicitiæ fœdere fideliſſime, & arctiſſime eſt iunctus, & ut in litteris ſuis loquitur,* uſque ad effuſionem totius ſanguinis: *pro quo viciſſim vitam, ſi ſuccurrat occaſio, expendet libenter* Caramuel? *Sed dicet:* Amicus ille; ſed magis amica veritas. *Quæ autem veritas? Hic vigilantiſſimus vir dormitat: oculatiſſimus cæcutit: amiciſſimus ſui ipſius obliviſcitur: & doctiſſimus rem non vult ſapere. Quis enim negabit viro tanto poſſe, ſi velit? At quis negabit amico tanto velle, ſi poſſit? Quid ſcio? In DIANA, etiam nunc, & in æternum meo, pietatem veneror, ingenium veneror. Et tamen totam Scoti ſcholam mecum graviſ-ſime*

Digitized by Google

ſime vulneratam ab eo video : & tamen ita illum amo, ut contra nil opponere poſſim. Patere igitur, eximie domine Magiſter mi, ut qui nolo dicere, te ingenio, aut voluntate deliquiſſe, dicam ſaltem, te nimis feſtinum in illius libri mei lectione properaſſe; & ideo me non bene audiviſſe : ſi enim audiviſſes exacte; tanto es ingenio & doctrina ſuffultus, ut etiam intelligeres bene. Patere igitur, ut intacta perſona tua (ſum enim verus amicus tuus, amo me tibi, nec tanti mihi eſt perſona mea ut eam velim defendere cum damno tuæ) verba tua recognoſcam. Hæc reſcribere libuit, ut hinc compertum habeas genium, & indolem duorum Probabiliſſimi patronorum, & laxitatis fautorum. His aſſentationibus mutuo ſibi plaudebant, & viciſſim ad arma ſe ſe excitabant, accendebantque adverſus ſaniorem doctrinam. Argumenta ſua Caramuel ex Martino de Magiſtris deprompſit, ut quiſque videre poteſt apud Cardinalem Caietanum in 2. 2. *quæſt.* CLIV. *art.* 2. ubi fuſe, & diſtincte omnia Martini argumenta ſibi opponit, diluitque.

II. Obiicit itaque Caramuel 1. in ſua Theolog. intentional. Lib. IV. num. 1960. *Dico igitur primo* (inquit) *ſi Deus fornicationem non interdixiſſet, non eſſet mala, nec peccatum : &, puto, evidenter oſtendam. Quia duorum commixtio ſecundum ſe peccaminoſa eſt, vel quia naturaliter mala ipſis, vel quia naturaliter mala proli. Neutrum poteſt dici. Ergo. Non primum, quia ſæpe contingit eſſe utrique ſalubrem; & in tali caſu non eſt utrique naturaliter mala. Accedit quod, ſi quando inſalubris dicatur, cum graviter inſalubris non ſit, non poſſit eſſe graviter peccaminoſa. Nec poterit dici ſecundum. Fornicatio enim mala proli non eſt. Primo enim non poteſt dici mala phyſice, quæ in cauſa eſt ut homo, qui alias in rerum natura non eſſet, producatur. Quia, ſi iniurius homini, qui illum occidit; beneficus omnino, qui illum generat. Immo beneficentior genitor, quam iniurius occiſor. Iſte enim non poteſt facere quod homo, qui eſt, omnino non ſit; at ille efficit ut qui omnino non eſt, eſſe incipiat.*

III. Reſp. Tam peccat ille qui proximo malum infert, quam qui beneficium male confert. Beneficinm eſt efficere ut homo, qui non eſt, eſſe incipiat; at contra naturæ ordinem eſt eiuſmodi beneficium impertire multis gravibuſque malis admixtum; ut ſunt privatio educationis, inſtructionis &c. Nonne ipſi coniuges peccarent, ſi tali uterentur copula qua generarent filios monſtroſos, cæcos, mutilos membrorum, quales generari ſolent qui tempore fluxus menſtrui concipiuntur? Aut ergo abſtinendum a beneficii collatione; aut conferendum iuxta naturæ ordinem. Inſalubris & noxia eſt fornicatio tum ipſis fornicatoribus, qui propria corpora, quæ Dei templum ſunt, polluunt; tum proli naſcituræ, quam gravium malorum periculis exponunt. Mala hæc gravia ſunt. Grave ergo crimen fornicatio.

IV. Obiicit 2. Caramuel loc. cit. num. 1691. *Aliqui* (inquit) *ad educationem recur-*

Digitized by Google

currunt . Fatentur enim ipſam fornicationem eſſe proli phyſice utilem ; ſed nocivam moraliter . Sed hoc eſt verbis obludere . Proles , antequam efficitur , ubi eſt ? In omnipotentiæ theſauris . Quid illa ? Actu nihil . An homo exiſtens iniuriam facere poteſt nihilo ? An nihilum habet iura , & dominium ?

V. Reſp. Propria Caramuelis eſt hæc ſophiſticandi ratio . Hoc ſophiſma evincit , fornicationem non eſſe completum iniuſtitiæ crimen ; minime vero concludit , quamdam iniuſtitiæ ſpeciem non præferre . Nam proli generandæ damnum affert fornicator, quod præter naturæ leges fetum generare velit . Dominicus Soto, qui *Lib. V. quæſt.* III. *art.* 3. ſibi hoc opponit argumentum , quamquam concedat , fornicationem non eſſe veram iniuſtitiam ; contendit tamen eam aliquo modo adverſari iuſtitiæ quæ erga futuram prolem ſervanda eſt . Conſtituitur autem fornicatio principaliter in ſpecie intemperantiæ : quia non eſt contra perſonam quæ actu exiſtat . Argumentum Caramuelis ſibi opponit D. Thomas *cit. quæſt.* CLIV. *art.* 2. quarto loco , cui ad 4. ſic reſpondet . *Fornicatio contrariatur dilectioni proximi quantum ad hoc quod repugnat bono prolis naſcituræ , dum ſcilicet dat operam generationi , non ſecundum quod convenit proli naſcituræ .*

VI. Opponit 3. *S. Auguſtinus dixit , melius eſſe damnari quam annihilari . Item diceret , melius eſſe proli male educari quam abſolute in rerum natura non eſſe .*

VII. Reſp. Auguſtinus phyſice , non moraliter loquitur : quod conſtat ex oraculo Chriſti Domini *Matth.* XXVI. *Bonum erat ei , ſi natus non fuiſſet homo ille* ; nimirum Iudas Iſcariotes . Pugnantes videntur duæ hæ propoſitiones, ſi abſolute ſpectentur . Ceterum ambæ veræ ſunt . Illa Auguſtini in ſenſu phyſico, in quo melius eſt damnari quam annihilari ; hæc Chriſti Domini in ſenſu morali . Similiter dicimus, melius eſſe prolem male educari quam non eſſe, in ſenſu phyſico , ſecus in ſenſu morali.

VIII. Obiicit 4. *Ex paupertate potius quam ex fornicatione proficiſcitur mala prolis educatio . Videmus enim Principum nothos optime educatos , & contra indiſciplinatos mores inter coniuges viles , & mendicos . Potius ergo pauperum matrimonia condemnanda ſunt quam divitum fornicationes . Sed , inquiunt , eſſe per accidens , quod filii illegitimi Principum bene educentur . Dicunt ; non tamen probant . Vero ſimilius enim videtur eſſe per ſe , quod filii pauperum male educentur . Sed eſto . Sit inter divites bona nothorum educatio omnino per accidens . Ergo , ſi per accidens contingit quod filii fornicarii Principum bene educentur ; etiam per accidens contingit quod parentes fornicantes non peccent . Et probo ſic . Ideo fornicatio interdicitur , quia ex illa mala prolis educatio ſequitur . Ergo , ſi hæc non ſequeretur , non interdiceretur illa . Finis igitur huius inhibitionis bona educatio eſt . Atqui probabile eſt quod , quando finis ceſſat per accidens in particulari , lex etiam ceſſet per accidens in particulari . Ergo , ſi quidem admittitur quod finis legis for-*

ni-

Digitized by Google

nicationem prohibentis ſoleat in aliquo particulari ceſſare per accidens ; admittendum omnino eſt, ipſam legem ceſſare. Hactenus totidem verbis Caramuel.

IX. Hoc idem argumentum oppoſuit prius *Martinus de Magiſtris*, quem inſcitiæ, & erroris turpiſſimi arguit acutiſſimus Caietanus in commentariis ad hunc articulum, ubi pleno in lumine collocat ſolutionem datam a S. Thoma in ipſo corpore articuli. Ut itaque plenius teneatur ſenſus diſtinctionis datæ ab Angelico, videlicet per accidens eſſe quod filii fornicatorum divitum bene educentur ; animadvertendum, inquit Caietanus, actus morales ſpeciem bonitatis, aut malitiæ minime capere ex iis quæ per accidens, ſed ex iis quæ per ſe occurrunt. Spectanda ergo eſt actio fornicationis, ſeu coitus ipſe fornicarius abſolute & ſecundum ſe. Hic natura ſua privatus eſt vinculo indiſſolubili, quo perſonæ fornicantes conſtringantur. Ergo natura ſua caret ordine debito, ſeu obligatione prolis educandæ. Contra, quando perſonæ iunctæ ſunt vinculo aut permanenti, ut dictum eſt, aut indiſſolubili; iam tum coitus ſuapte natura recto ordine præditus eſt, prolemque generat cum onere fixo educationis. Et hoc eſt quod per ſe in morum actionibus ſpectatur. Dicat Caramuel : ſunt ne improbanda matrimonia ſive divitum, ſive pauperum ? Affirmare non audebit. Et tamen coniuges, ſive divites, ſive pauperes, ut experientia liquet, ſæpe male educant ſobolem ſuam. Qua ergo ratione nequeunt reprobari matrimonia divitum, quod peſſime educent filios ſuos, quia per accidens id contingit ; eadem ratione nequit approbari divitum fornicatio, quia optime educant prolem, eo quod accidentalis eſt educatio iſta. Ineptum omnino eſt quod ſubdit Caramuel, nempe ceſſare legem in particulari, dum per accidens ceſſat eiuſdem finis. Hæc Caramuelis argutatio ex falſa quæſtionis, & diſtinctionis angelicæ intelligentia proficiſcitur. Siquidem Caramuel ita argutatur, quia in fornicatione eventum accidentalis educationis ſpectat, minime vero ordinem debitum ipſi actioni fornicariæ. Coitus fornicarius ſecum natura ſua adfert periculum pravæ educationis, aliorumque malorum proli imminentium. Hoc periculum eſt quod lex prohibens fornicationem per ſe ſpectat. Negamus vero, hoc periculum aliquando ceſſare, cum ponitur coitus fornicarius. Atque adeo numquam ceſſat lex. Quamobrem Angelicus ſemper in ſuo articulo conſiderat non eventum, ſeu *actuale infortunium* prolis ; ſed illam fornicationis inordinationem quæ natura ſua apta eſt eiuſmodi mala parere. Sic enim loquitur. *Fornicatio autem ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius*. Porro in nocumentum vergunt non ea tantum quæ reapſe nocent (nam & bona quandoque nocumentum inferre valent) ſed ea potiſſimum quæ periculum intrinſecus inſitum habent inferendi detrimentum. Hæc omnia paucis verbis angelica perſpicuitate docet S. Thomas. Quare Caietanus, qui hæc omnia profunde interpretatus eſt, inquit : *Et gratias agemus D. Thomæ*,

qui

Digitized by Google

qui nos hæc docuit. Sed quod multos in hac, & in aliis moralibus materiis decipit, eſt, quia non penetrant, quod rectitudo naturalis in humanis actibus non eſt ſecundum ea quæ per accidens contingunt, & quod certitudo mathematica non expetenda eſt in moralibus: ſed demonſtrationes morales tunc ſunt certæ, cum oſtendunt id quod per ſe, & ut in pluribus rectum, aut non rectum eſt: & hæc ad conſtructionem univerſalis in moralibus ſufficiunt, niſi apud diſciplinæ incapaces. Quo fit ut ſatis inerudite dicatur, quod privatio ordinis ad generationem non eſt adæquata, & propria ratio quare concubitus reddatur illicitus: quia concubitus cum ſterili uxore non eſt aptus ad generationem, & tamen eſt licitus: ita quod non erubeſcunt dicere, quod quantumcumque concubitus cum ſterili per accidens ſit ineptus ad generationem, ex hoc ſequitur quod non ordinari ad generationem, non eſt præciſa, & adæquata ratio illiciti: quia ubicumque inveniretur, ex quocumque accidente conſtitueret illicitum. Hic enim Martini error intolerabilis, deſtructivus totius Philoſophiæ moralis, miſcendo per ſe, & per accidens, & ex his quæ ſunt per accidens, falſificans univerſale ex his quæ ſunt per ſe, ſatis excluſus eſt ab Ariſtotele docente, qualis in moralibus certitudo, qualia ſint moralia univerſalia; prævifus, & excluſus eſt ab Auctore in libro contra Gentiles, & hic. Perit omnis doctrina, niſi ſiſtatur in his quæ ſunt per ſe. De ratione ſeminationis voluntariæ eſt quod ſecundum ſe ordinetur ad generationem, nec hoc umquam auferri poteſt; ſed ex accidentibus ægritudinis, vel ætatis &c. fit per accidens ut in hac non ſortiatur effectum generationis. Hoc autem non accuſat concubitum conjugalem, quia per accidens eſt; ſicut nec id quod per accidens excuſat concubitum fornicarium.

X. Hinc etiam patet quam ſit efficax ratio ab incertitudine prolis petita. Siquidem concubitus ſoluti cum ſoluta natura ſua non excludit, immo adfert acceſſum ad multos. Nam ex quo mulier ſoluta ſit, poteſt ſe communicare pluribus. Nullo quippe naturali, & indiſſolubili vinculo ab hac communicatione coercetur. Natura fornicationis eſt quod ſit concubitus liberi cum libera, ſeu ſoluti cum ſoluta. Pugnant autem directe hæc duo, nempe quod fornicatores ſint ſoluti, & ligati eodem tempore. Porro in generatione humana pater ſollicitus eſt de certitudine prolis. Nulla eſſe poteſt certitudo prolis ſine certitudine excludente alienum concubitum cum muliere fornicaria. Sed eo ipſo quod ſit fornicaria, & ſoluta, libertatem habet concumbendi cum aliis, ut dictum eſt. Ergo coitus fornicarius excludit certitudinem prolis. Ergo excludit debitum certum educationis.

XI. Futile eſt quod obiicit Martinus de Magiſtris, nempe inſtitui poſſe legem, qua ſufficienter habeatur certitudo prolis; atque adeo debitum educationis: quia, ſi mulier fornicaria paucis ſe ſe communicet, facilis erit certitudo; ſi multis, rara erit proles.

XII. Obiectio confirmat ſententiam traditam. Nam, ſi neceſſaria lex eſt qua provideatur certitudini prolis, iam conceditur malam eſſe natura ſua fornicationem, utpote inducentem prolis incertitudinem. Si lex remedii creditur neceſſaria; ergo morbus ſupponitur. Quamdiu autem fornicatores ſunt ſoluti (ſunt autem ſoluti, uſque dum ſunt fornicatores) nulla lex efficere valet ut pater habeat prolis certitudinem, excludentem alienum concubitum. Hæc incertitudo eſt naturalis effectus concubitus fornicarii. Idcirco (inquit Caietanus) D. Thomas aſſignat hanc prolis incertitudinem, tamquam effectum annexum coitui vago, non tamquam fundamentum principale: hoc quippe in eo ſitum eſt quod coitus vagus careat debito ordine iam explicato; ex quo ſequitur prolis incertitudo. Perridiculum autem eſt (ſubdit Caietanus) quod obtrudit Martinus, videlicet facilem eſſe certitudinem, ſi communicetur cum paucis. Nam ad tollendam certitudinem ſatis eſt quod libera ſit mulier ad ſe commiſcendum cum altero uno. Nam, ſi coniugatæ cum uno altero a marito coeant, incertæ ſtatim evadunt, cuiuſnam ſit ſoboles. Si vero multis communicetur, rara erit proles. Non raritas, aut frequentia prolis culpam inducit; ſed perverſio naturalis ordinis a debito, naturalique fine.

XIII. *Ex omnibus autem* (concludit Caietanus in laudem D. Thomæ) *dictis patet quam vera, ac ſolida ſit Auctoris doctrina, ac ratio, docens fornicationem eſſe mortale peccatum ſecundum ſe, cum faciliime ſine omni fuco, ſine adminiculis omnes difficultates accidentes ex illo uno fundamento ſolutæ ſint. Dicitur enim in IV. Phyſic. quod quid eſt ſolvit omnes difficultates*. Et revera ita ſe res habet. Quoties perſpicue rei naturam compertam, exploratamque tenes, toties nullo negotio diluis omnes ſophiſticas argutationes. Diffidia in concertationibus ſcholaſticis ut plurimum ex obſcura, vel confuſa notitia naturæ rei de qua diſputatur, ortum ducunt. In qualibet ergo controverſia primum omnium *quid eſt*, ſeu rei diſputationi ſubiectæ naturam peſpectam habere curato.

XIV. Obiiciunt ultimo ex Scriptura. Nam Oſee 1. dicitur: *Vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac. tibi filios fornicationum*. Ergo fornicatio non eſt iure naturæ vetita. Item Abraham acceſſit ad Agar, Iacob ad Balam, & Zelpham, Iudas ad Thamar. Ergo.

XV. Hæc omnia ſibi obiicit Angelicus, quibus reſpondet *loc. cit. ad* 2. & *ad* 3. *Sicut Abraham non peccavit, filium innocentem volendo occidere, propter hoc quod obedivit Deo.... Ita etiam Oſee non peccavit fornicando ex præcepto divino. Nec talis concubitus proprie fornicatio dici debet; quamvis fornicatio nominetur referendo ad curſum communem*. Deus ergo, cum ſit ſupremus omnium dominus, rerum dominia permutare valet, & efficere ut mulier, quæ Oſee non erat, illius fiat; quemadmodum Abraham conſtituit dominum filii ſui., ut poſſet abſque culpa il-

lum

Digitized by Google

lum occidere ; & bona AEgyptiorum in poteſtatem tranſtulit Iudæorum . *Abraham, & Iacob ad ancillas acceſſerunt, non quaſi fornicario concubitu... Iudam autem non eſt neceſſarium a peccato excuſare*, inquit Angelicus *ad 3*. Hæc omnia comperta ſunt. Ad id vero quod obiicitur ex S. Iſidoro *diſ.* XXXIV. ubi dicitur, quod Chriſtianus, ſi coniux deeſt, habeat concubinam ; reſpondetur, ut notat Gloſſa, nomine concubinæ ibi intelligi uxorem abſque ſolemnitate legali, dote, inſtrumento, & teſtibus; ſecus mulierem fornicariam. Interpretatio communis, & manifeſta.

XVI. Quæres, *ſit ne fornicatio gravior ceteris peccatis?* Reſp. Dictum iam ſupra eſt, fornicationem genere ſuo peccatum eſſe mortale: quia graviter lædit ordinem qui generis humani conſervationem ſpectat. Facta autem comparatione eius cum aliis peccatis, communis ſententia eſt, malitiam fornicationis graviorem eſſe furto; leviorem tamen malitia homicidii, & eorum criminum quæ ſunt contra Deum. Ratio in promptu adeſt. Gravitas criminis petitur ex magnitudine boni cui opponitur. Bonum divinum infinite excedit omnia bona creata. Ergo peccata, oppoſita bono divino, ſeu virtutibus theologicis, ſuperant in malitia cetera omnia flagitia quæ ſunt contra bonum creatum proximi. Inter bona creata eminet vita humana. Vita hominis nati excellentior eſt vita hominis naſcituri. Ergo homicidium, quod aufert vitam hominis nati, gravius eſt fornicatione, quæ impedit vitam hominis naſcituri. Eſt autem fornicatio gravior furto, & ceteris culpis, quæ ſunt contra bona exteriora hominis: quia vita etiam, ut dicitur, in potentia, præſtantior eſt bonis exterioribus. Hæc omnia docet Angelicus 2.2.quæſt. CLIV. art. 3. & quæſt. II. de malo art. 10. *Maximum*, inquit, *bonum proximi eſt ipſa vita hominis, cui opponitur peccatum homicidii, quod tollit actualem hominis vitam, & peccatum luxuriæ, quod opponitur vitæ hominis in potentia : quia eſt inordinatio quædam circa actum generationis humanæ. Unde inter omnia peccata quæ ſunt in proximum, gravius eſt homicidium ſecundum ſuum genus; & ſecundum locum tenet adulterium, & fornicatio, & huiuſmodi peccata carnalia; tertium autem locum tenet furtum, & rapina, & huiuſmodi, per quæ in exterioribus bonis læditur proximus.*

XVII. Ex hac Angelici doctrina evaneſcit obiectio Martini, inquientis, furtum opponi iuſtitiæ, quæ virtus præſtantior eſt temperantia, cui opponitur luxuria. Porro peccatum illud gravius eſt quod excellentiori virtuti opponitur. At hoc verum habet abſolute. Ceterum, ſi vitium oppoſitum virtuti inferiori, ſimul opponatur aliquo modo virtuti ſuperiori, tum ratione iſtius circumſtantiæ gravius eſſe poteſt peccato oppoſito virtuti ſuperiori tantum. Luxuria contra dilectionem proximi eſt, ut ex D. Thoma ſupra adnotavimus, & directe opponitur virtuti temperantiæ. Ceterum aliquo modo eſt etiam contra iuſtitiam, ideſt contra vitam hominis, non iam nati, ſed naſcituri. Qui impedit terram, plantas &c. ne pariant,

 lædit

lædit proximum, non in bonis quæ actu poſſidet, ſed in iis quæ poſſidere valet. Fornicator ſuo inordinato coitu lædit genus humanum, edendo in lucem perſonam debito ordine deſtitutam. Quare licet non directe, oblique tamen fornicatio opponitur etiam virtuti iuſtitiæ, ut obſervavit Dominicus Soto *Lib. V. de iuſt. quæſt.* 111. *art.* 3. Idcirco gravior eſt peccatis aliis, quæ noxia ſunt bonis externis proximi.

XVIII. De altera propoſitione in hac materia proſcripta ab Innocentio XI. quæ ſpectat mollitiem & ſodomiam, infra ſermo erit contra Caramuelem, qui etiam præfatam propoſitionem damnatam docuit.

CAPUT VII.

De concubinatu. Laxitas quorumdam Moraliſtarum in abſolutione concubinariorum, & fornicatorum.

I. QUæſt. I. *In quo differat concubinatus a fornicatione?* Reſp. Fornicatio eſt concubitus ſoluti cum ſoluta femina quacumque, modo una, modo altera. Contra concubinatus eſt continuata, ſeu frequens fornicatio cum determinata muliere, ſive ſoluta ſit, ſive matrimonio, aut alio vinculo ligata. Quare enormitatem prodit peculiarem ſupra fornicationem, & adulterium; cum per omnes luxuriæ ſpecies divagetur. Quia tamen concubinarii plerumque perſonæ ambæ ſolutæ ſunt, ad fornicationem continuatam concubinatus revocatur.

II. Diverſa eſt concubinatus uſurpatio in iure civili, ac canonico. Ius civile ad rationem concubinatus plura requirit, ut communiter Doctores obſervant. I. Ut mulier in domo concubinarii alatur, & cohabitet: ſi foris degat, filii ex eadem nati nec *naturales* reputantur, nec per ſubſequens matrimonium *legitimi* fiunt. II. Ut ex conſuetudine carnaliter commiſceantur. III. Ut concubinarii ſint ita liberi, ut matrimonio iungi valeant. IV. Ut mulier ſit cognita, tamquam concubina. V. Ut ſit unica. VI. Ut ſit in habitu concubinæ, qui ab habitu uxoris debet eſſe diſtinctus.

III. Canoniſtæ hoc deſcribere pacto ſolent concubinatum. *Eſt concubitus viri cum femina ſoluta, quam quis vel in domo propria, vel extra retinet, & ad quam frequenter, vel ex conſuetudine accedit, ſive retineat ut concubinam, ſive ut pediſſequam, ſive quocumque alio titulo.* Hæc deſcriptio graviſſimam prodit concubinatus malitiam. Præter enim iniquitatem fornicationis adfert permanſionem in peccato. Vetitus eſt concubinatus non ſolum lege naturali, & divina, ut probatum eſt; verum etiam iure civili, & canonico. Et quamvis aliqui Leguleii contendant, iure civili vetitum non eſſe; tamen communior, immo communiſſima, eſt ſententia oppo-

oppoſita. Quod ſi aliqua civilis lex permitteret concubinatum, reprobanda, ut error, eſſet. De canonico iure nemo dubitavit; cum compertum immo ſit graviſſimas pœnas conſtitutas fuiſſe adverſus concubinarios. Gravitatem concubinatus exprimit Tridentinum Concilium *ſeſſ.* XXIV. *de reform. matrimon. cap.* VIII. inquiens: *Grave peccatum eſt homines ſolutos concubinas habere, graviſſimum vero, & in huius magni ſacramenti ſingularem contemptum admiſſum, uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, & retinere. Quare, ut huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remediis provideat, ſtatuit huiuſmodi concubinarios, tam ſolutos, quam uxoratos, cuiuſcumque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſeiunxerint, excommunicatione feriendos eſſe.* Plures alias pœnas a ſacris canonibus conſtitutas adverſus concubinarios prætereo.

IV. Quæſt. II. *Abſolvendus ne ſit concubinarius, antequam concubinam dimittat?* Reſp. Quo facilior eſt propoſitæ quæſtionis reſolutio, eo eſt in executione difficilior. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem, quæ eſt 41. *Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo, *dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Hanc monſtroſam opinionem docuit Ioannes Sanchez, unus e laxioribus Caſuiſtis valde celebris *diſput.* x. *numer.* 20. Tres alias propoſitiones valde affines proſcripſit Innocentius XI. nempe *61. Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit. 62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit. 63. Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.*

V. Fuſiorem iſtius materiæ tractationem remitto ad diſſertationem de occaſione proxima, propinqua, & remota. Quare paucis nunc ab eadem me expediam. Quæ ſunt graviora, & praxi utiliora, preſſe indicabo. Incauta plurium Caſuiſtarum ſcribendi de hac materia ratio fovet illam quam lugemus univerſalem corruptelam. Damnatas ſententias vanis ratiunculis, & diſtinctiunculis ita extenuant, ut ad nihilum fere eas redigant. Omnes nunc fatentur concubinarium abſolute abſolvi non poſſe; ſed proponunt ſequentes quæſtiunculas.

VI. Quæſt. III. *Si concubinarius promittat ſe dimiſſurum concubinam, poteſt ne, antequam eam dimittat, abſolvi?* Reſp. P. Matthæus Moya in ſelectis *Tom. I. diſput.* VII. *tract.* III. Hozes in expoſitione *propoſit.* 61. ab Innocentio XI. proſcri-

 ptæ,

ptæ, docent, ſemel, & bis, ſecus ter, abſolvendum concubinarium promittentem ſe dimiſſurum concubinam. Idem docet Antonius a Spiritu ſancto *in Director. Confeſs. tract. v. diſp. 111. ſect. 1. num. 14.*

VII. PP. Salmanticenſes diſtinguunt concubinarium publicum a privato *tract.* xxvi. *cap.* 11. *punct.* 2. *§.* 1. *num.* 32. *& ſeq.* Primum numquam abſolvendum docent; neque ſecundum communiter loquendo, donec concubinam dimiſerit. At in aliquo raro caſu hunc ſecundum abſolvendum pro prima vice defendunt; ut ſi concubinarius lacrymas funderet, contritionem magnam concepiſſet ex alicuius concionis auditione, & alia ſimilia ſigna præſerret, vi quorum Confeſſarius prudens iudicium efformare poſſet de firmo, ac conſtanti propoſito eiiciendi concubinam. *Quia* (inquiunt num. 34.) *licet communiter concubinario non ſit credendum; tamen, ſi eſt aliqua nobilis perſona ex his quæ potius mortem quam fractionem fidei datæ eligunt, & alias concurrant aliæ circumſtantiæ ex ſupra relatis, temerarium eſſet illi non credere: quia his circumſtantiis munitus, eſt fortior ad expellendam concubinam quam antea erat; maxime cum ſimilem perſonam non lateat, quod ſi ficte promittit, nova peccata facit, ſacrilege confitendo, & communicando. Ergo in his circumſtantiis poteſt pro prima tantum vice concubinarius abſolvi, ſi promittat concubinam ſtatim dimiſſurum, aut ulterius ad eam non acceſſurum, quando foris habet.*

VIII. Moyæ, Sanchez, Antonii a Spiritu ſancto verba tranſcribere nolui, quod notæ laxitatis fautores ſint, potiſſimum duo primi, qui propterea proſcripti ſunt. Verba Salmanticenſium reſcribere ſincere placuit, quia Theologos iſtos in re morali, & potiſſimum in ſcholaſtica Theologia, magni facio, tum ob doctrinæ integritatem, tum ob obſequium quo S. Thomæ doctrinam colunt, eamque erudite, & perdocte propugnant. Idcirco non exiguæ Theologi iſti auctoritatis iure ac merito ſunt: atque adeo, ſi quid laxius docerent, eorum auctoritas promovendæ laxitati inſerviret. Porro, ſalvo ſemper erga perdoctos viros obſequio, officioque, laudata eorum opinio, quamquam caute prudenterque expoſita, mihi falſa eſt, & periculi plena ob abuſum qui neceſſario ferme illam conſequitur, evidentiſſima experientia teſte.

IX. Confeſſarii, præfata doctrina imbuti, prima vice communiter concubinarios abſolvunt. Lacrymulas aut vere prolabentes, aut apparentes in vultu vident concubinarii. Nobilitas, ſplendor, divitiæ (pauperes enim raro concubinas alunt) & cetera humanitatis præſtigia ultro ſe ſe in animum Confeſſarii ingerunt, cor emolliunt, mentem inflectunt, doctrinæ rigorem deliniunt, &, relatæ opinionis auctoritate adiecta, abſolutionis beneficium faciliime obtinent concubinarii. Abſolutione obtenta, poſt annum adeunt quempiam alium confeſſarium, & præfatis lenociniis ſimiliter abſolutionem percipiunt. Et en inundantis laxitatis ſcaturiginem;

nem;

Digitized by Google

nem : quam certum eſt a præfatis Theologis nec intendi, nec prævideri ; ſed experientia teſtis eſt eam quoquo verſus graſſari. Nec dicas, hæc ex Confeſſarii imperitia, ſecus ex doctrina proficiſci : quoniam repono ego, ex utroque certiſſime derivari.

X. Quare recitata ſententia non modo periculi plena eſt ob abuſum qui eam communiter in praxi conſequitur, ſed etiam falſa mihi eſt. Duæ ſunt rationes quibus eam fulciunt laudati Theologi. Altera eſt nobilitas perſonæ, quæ mortem potius ſubiret quam oppignoratam violaret fidem. Mirum eſt hanc potuiſſe a doctiſſimis viris obtrudi rationem. Sint, per me licet, in civili commercio tam firmæ fidelitatis concubinariorum aliqui. At quomodo in æternæ ſalutis negotio illorum conſtans, & firma fidelitas allegari valet? Nonne concubinarii ſunt? Ergo oppignoratæ in baptiſmate ſolemni ritu fidei fractores. Quid quod nemo repente fit concubinarius; ſed communiter poſt centenas ſponſionum Deo factarum violationes, in teterrimum vitium prolabuntur concubinatus ? Quare, tametſi in mundanis negotiis ob plures humanos reſpectus, ob ſpem, & timorem rerum terrenarum, ſoliti eſſent fidelitatem in promiſſis ſervare; adhuc tamen nullius fidelitatis in animæ negotio habendi forent, eo ipſo quod ſint concubinarii. Altera ratio non minus futilis eſt. Utique eiuſmodi nobilem concubinarium non latet, novum ſe ſcelus committere, ſi ficte promittat; quin paucos Chriſtianos id latet. Sed animadvertendum, concubinarios communiter exiſtimare ſe ſincere, non ficte promittere. Verum hic ſcopulus latitat. Hæc ſinceræ promiſſionis apparentia ea eſt quæ tum Confeſſarios, tum concubinarios, & omnes in occaſione perſiſtentes decipit. Reputent concubinarii ſe ſincere promittere, iurent etiam ſe habere propoſitum firmum eiiciendi concubinam. Hac ſincera voluntate ſe affectos exiſtimant reipſa. Et his fucis decipiuntur miſeri Confeſſarii. Hæc ſinceritas, obtenta abſolutione, continuo ad aſpectum concubinæ evaneſcit. Nec opponas, valide abſolutionem impertiri, quoties peccator, dum confitetur, ſincere dolet de peccatis. Verum habet. Sed id quod nego, eſt, Confeſſarium poſſe prudens formare iudicium, concubinarium ſincere dolere, niſi prius concubinam expulerit. At Confeſſarius nequit pœnitentis intimos cordis receſſus pervadere; ſed ex ſolis externis indiciis interiorem debet animi dolorem percipere. Sed, inquam ego, tum apparent vera doloris ſigna, & prudenter reputari poteſt cor contritum, cum proxima ablata fuerit peccandi occaſio; ſecus, ſi deliberate peccandi fomenta retineantur.

XI. Quæſt. IV. *Abſolvendus ne eſt, ut contendit* P. Viva, *prima, & ſecunda vice qui perſiſtit in occaſione proxima, antequam eam dimittat?* Reſp. P. Dominicus Viva in ſua *trutina in propoſ.* 41. Alexandri VII. *num.* 16. hanc quæſtionem proponit ſub his terminis. „ Dubitatur hic, an poſſit abſolvi qui in occaſione peccandi

Bb iiij „ pro

„ proxima verſatus eſt, antequam illam tollat, præſertim ſi in alia confeſſione „ id promiſit, & deinde non ſtetit promiſſis? Nonnulli putant abſolvi non poſſe „ extra caſum neceſſitatis . . . Communius tamen cum *Suarez*, *Tabiena*, & aliis „ cenſent, poſſe huiuſmodi pœnitentem abſolvi ſemel, ac iterum, ſi apparent hic „ & nunc vera ſigna doloris, & propoſiti efficacis tollendi ſtatim occaſionem „ proximam. Ratio cur videatur poſſe prima, & ſecunda vice abſolvi, eſt, quia „ potuit pœnitens, aut immediate ante, aut audiendo concionem, aut audiendo „ ipſius Confeſſarii admonitiones, excitari *ad verum & efficax propoſitum non pec-* „ *candi*; *in quo caſu eſt ſufficienter diſpoſitus*. *Sic paſſim abſolvuntur pœnitentes per* „ *hoc quod proponant reſtituere*; *quamvis ante confeſſionem non reſtituerint*, *prout po-* „ *terant* . . . . Neque ex propoſitione illa 61. Innocentii XI. eruitur quod abſol- „ vi non poſſit. Nam qui proponit occaſionem ſtatim tollere, non poteſt dici, „ quod illam velit de præſenti.“

XII. Hæc P. Viva doctrina, ut mea præfert opinio, ſalvo ſemper erga doctum piumque virum officio, omnium laxitatum origo eſt, & invalidarum abſolutionum radix. Comprehendit duo vitiorum genera, *luxuriæ* nempe, & *iniuſtitiæ*, quæ ſunt duo ſcopuli, ad quos maior Chriſtianorum pars allidit, & naufragio perit. Ut probet abſolvendos libidinoſos, in occaſionis luto hærentes, exemplum affert debitorum, qui *paſſim abſolvuntur per hoc quod proponant reſtituere, quamvis ante confeſſionem non reſtituerint*, *prout poterant*. Næ egregium rationis momentum. Abſolvuntur paſſim debitores, antequam, cum poſſint, ſatisfaciant. Quid hinc? Ergo abſolvendi pariter qui in occaſione peccandi proxima verſantur, antequam ipſam auferant? Ergo etiam concubinarii priuſquam concubinam expellant? Sacrilege abſolvuntur primi. Ergo & ſecundi. Lugent miſeri artifices, mercatoreſque, qui debitorum ſolutionem aſſequi nequeunt. Scandalum patiuntur, quod debitores immanes in Paſchate quotannis confiteantur, abſolvanturque nulla debitorum ſatisfactione peracta. Quænam tot ſacrilegiorum, atque ſcandalorum cauſſa? Malitia utique debitorum. Sed hanc debitorum pravitatem fovent Confeſſarii, iiſdem abſolutionis beneficium impartientes. Et Caſuiſtæ opinionum laxitate prævaricatores miniſterii Confeſſarios efficiunt. Multis opus haud eſt ut quam ſit periculi, & laxitatis plena doctrina Patris Viva, palam fiat.

XIII. Damnata ab Innocentio XI. propoſitio 61. hæc eſt. *Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin immo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*. Damnata theſis non abſolute abſolvendum peccatorem proxima irretitum occaſione aſſerit; ſed *aliquando*, videlicet aliqua vice. Ergo iuxta doctrinam Eccleſiæ numquam abſolvendus eſt, niſi prius dimittat, ſi poſſit, occaſionem. Quæ ſubdit P. Viva, in examen veniant. *Qui proponit occaſionem ſtatim tollere, non poteſt dici quod illam velit de præſenti*. Pe-

Digitized by Google

Peregregie. Nullus eſt inter Catholicos adeo ſceleſtus qui, dum confitetur, velit de *præſenti* occaſionem, & peccatum, quod confitetur. Deteſtatur illud utique de *præſenti*. At impoſterum illud velle convincitur, cum occaſionem ad illud impellentem dimittere recuſat. Numquid, antequam damnaretur propoſitio, quiſquam docuit abſolvendum peccatorem qui de præſenti occaſionem peccandi vellet? *Qui proponit occaſionem ſtatim tollere, non poteſt dici quod illam velit de præſenti.* Immo contra. Qui occaſionem illico, cum poſſit, non dimittit, prudentiſſime dici debet quod illam velit & de præſenti, & de futuro. Hæc eſt præſumptio quam quiſque prudens formare debet. Sed, ut magis pateat quam pernicioſa ſit hæc recenſita interpretatio, notandum eſt, nihil magis adverſari Eccleſiæ definitioni, quam aſſerere, abſolvi poſſe peccatorem, antequam ab occaſione recedat. P. Viva inquit: Potuit pœnitens aut audiendo concionem, aut Confeſſari admonitionem excitare in ſe efficax propoſitum non peccandi, & dolorem de peccato præterito. Nemo negat hoc poſſibile eſſe. At numquid poſſibilitas, ut ſic loquar, regula eſt prudentis iudicii? Soli Deo cor hominis patet. Pœnitens ipſe non valet dignoſcere ſui propoſiti, & doloris ſinceritatem. Frequentiſſime mentitur iniquitas ſibi. Deformitas ac turpitudo peccati, æterna ſupplicia peccato divinitus conſtituta, cum peccatoris menti occurrunt, lacrymas aliquas extorquent. Verum, niſi peccator præcidat manum, eruatque oculos, ideſt niſi occaſionem relabendi auferat, præſata ſigna fallacia eſſe arguuntur. Quapropter Eccleſia definivit, non eſſe abſolutionem impertiendam, niſi occaſione ſubmota. Quid ergo obtundis: Poteſt pœnitens ſincere proponere emendationem; poteſt dolere de culpa; atque adeo eſt capax abſolutionis? Nonne hæc erant ratiocinia Theologorum qui damnatam theſim propugnabant? Ediſſerat P. Viva, quas alias ratiunculas excogitaverint, & protulerint illi qui damnatas opiniones docuerunt. Non alias ſane præter has quas nunc ille reproducit in medium tamquam recoctam crambem. Quid poſſit pœnitens, ſoli Deo notum eſt. Quid hic & nunc te agere conveniat, decernendum. Non eſſe abſolvendum pœnitentem, niſi prius, cum poſſit, occaſionem dimittat, Eccleſia docet. Cur? Quia iuxta veræ prudentiæ chriſtianæ regulas iudicatur ſincere non deteſtari peccatum qui peccati illicia non abigit. Sic decernit Romana Sedes. Quid ergo, ut definitionem Eccleſiæ eludas, ad poſſibiles caſus confugis? Quid coram Deo præſtare pœnitens valeat, ad tuum tribunal non ſpectat. Tuum iudicium ex iis formari coniecturis debet quæ humanæ ſubiacent prudentiæ.

XIV. Quæſt. V. *Si quis ita ſtupidus ſit, ut ignoret ſe debere concubinam dimittere, priuſquam abſolvatur, ſit pro prima vice abſolvendus?* Reſp. Affirmant Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* II. *punct.* 2. *§.* 1. *num.* 40. quia hoc ex ignorantia, inquiunt, procedit. Hæc opinio nobis falſa apparet. Si enim adeo ſtupidus eſt, ut nequeat

tam

tam perſpicuam veritatem percipere, qualis eſt obligatio recedendi a proximo peccati periculo; eo ipſo minus ceteris capax abſolutionis eſt reputandus. Diſſipanda igitur prius foret in iſto homine tantæ ignorantiæ caligo; eiuſque mens illuſtranda cæleſtis doctrinæ luce, ut in eo excitaretur vera cordis contritio, odiumque peccati. Huc tendant Confeſſarii curæ, ſtudium, & ſollicitudo. Quibus peractis, beneficium abſolutionis impertiat.

XV. Quæſt. VI. *Quænam ergo regula ſervanda in abſolutione concubinarii, & in occaſione proxima extantis?* Reſp. Ea ſervanda adamuſſim regula eſt quam Eccleſia præſcribit. Numquam, &, iterum dico, numquam abſolvendus concubinarius eſt, niſi prius, cum poſſit, occaſionem reapſe dimittat. Sola phyſica, & realis impotentia, ut foret mors ſtatim imminens, aliudque ſimile impedimentum efficere poſſet ut ordo iſte non ſervaretur, & abſolutio impertiretur, concubina non amota. Ratio evidens. Cur abſolvendus vel unica vice concubinarius qui, cum poſſit, non dimittit concubinam? Quænam non dimittendi ratio, niſi amor, & affectus, ſeu deſiderium eamdem habendi? Falſum, inquis. Quænam ergo? Poteſt eam dimittere, ut ſupponimus. Cur ergo eam non dimittit? Quia hic & nunc ex mortis cogitatione, aut ex concionis auditione, vel ex amici, aut Confeſſarii ferventi perſuaſione ſe contritum experitur, & conſtans propoſitum ſe habere ſentit concubinam ſtatim dimittendi poſt confeſſionem. Quare, ne opportunam confeſſionis peragendæ commoditatem amittat, &, ut robuſtior evadat voluntas ſacramenti gratia munita, abſolvendus videtur, ut poſtea ſecurius concubinam expellat.

XVI. Hæc, & ſimilia puræ, putæque illuſiones ſunt, & fuci, quibus & Caſuiſtæ, & Confeſſarii, & pœnitentes decepti ſacrilegia multiplicant. Olim diuturna temporis pœnitentia probabantur fornicatores, antequam ad ſacram menſam admitterentur. Mitior nunc diſciplina viget. At videndum., providendumque ne in extremum laxitatis recidat. Porro quænam maior laxitas quam ſi pœnitens, antequam peccandi occaſionem abigat, abſolvatur? Nec pœnitens fidere ſuis lacrymis, nec Confeſſarius eiſdem fidem adhibere debet. Sed in negotio adeo gravi adamuſſim Eccleſiæ doctrinæ, quæ dimittendam ante abſolutionem concubinam, occaſionemque iubet, inſiſtendum. At experientia, inquis, compertum habemus, eiuſmodi peccatores, ſi dimittantur abſque abſolutione, ut prius concubinam expellant, non reverti ad Confeſſarium; ſed, opportuna illa confitendi commoditate neglecta, in luto concubinatus diu ac multum hærere. Ergo, ſubdo ego, experientia compertum eſt eiuſmodi pœnitentes reipſa ſincere contritos non eſſe. Si vere contriti eſſent, & concubinam pellerent, & ad pœnitentiæ tribunal redirent. En quomodo argutatio quam obtrudunt Caſuiſtæ pro ſacrilegis abſolutionibus fucandis, futilem illorum opinandi rationem revincit. Si concubinarii abſque abſolutione dimiſſi non eiiciunt pellicem, evidens eſt illos non eſſe ſincere contritos.

tos. Et idem dicendum de debitoribus qui debita ante abſolutionem ſolvere recuſant. Doctrina Caſuiſtarum directe cum evangelica pugnat. Evangelium clamat Matth. v. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade PRIUS reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Debitores ſanguine mercenariorum, artificum, mercatorum madent. Concubinarii ſuis offendiculis, publicisque ſcandalis integram civitatem inficiunt, anſam peccandi iuvenibus porrigunt. Evangelium Chriſti *PRIUS* auferenda offendicula iſta iubet. Caſuiſtæ plures contra ſuis cogitatiunculis nixi oppoſitum docent. Mortis periculum quod obtrudere ſolent, ſi abſque abſolutione dimittantur, dæmonis aſtutia eſt. Quid? Mortis periculum minime timent, dum in peccatorum fæcibus volutantur; morte vero ſubita corripi verentur, dum propriæ converſionis negotium ſerius tractant? Præſtigia ſunt hæc a dæmone ipſo conficta, ut ſacrilega, aut inutili ſacramentorum frequentia fortius vinculis peccatorum conſtrictas teneat animas. Tu ergo noli his decipi illuſionibus, ſed Eccleſiæ præceptum exequere, abſolutionem differendo, donec pœnitens concubinam, cum poſſit, expulerit. Sacramenta non humanis affectibus, falſa indulgentia, & fucata miſericordia, quæ frequentiſſime indolis, & mollioris temperamenti, ut dicitur, effectus ſunt, ſed cæleſti prudentia ſunt adminiſtranda.

XVII. Quæſt. VII. *Abſolvendus ne eſt concubinarius, aut concubina, ſi poſt ſeparationem mutuo ſe viſitent?* Reſp. Præcidendum omnino eſt quodcumque commercium. Praxis illa qua interdum permittitur, concubinam dimiſſam inſervire ægrotanti concubinario, aut concubinarium inviſere concubinam caritatis, & temporalis ſubſidii prætextu, omnino reprobanda eſt, atque exterminanda. Periculum ſuapte natura parit hæc reciproca viſitatio. Falluntur frequentiſſime tum Confeſſarii, tum pœnitentes qui nullum periculum reputant, propterea quod aliquo temporis intervallo nullum perpetratum fuerit peccatum. Luxuriæ ignis aliquando videri poteſt extinctus, cum ſit tantum ſopitus; vel, etiamſi vere fuerit extinctus, repente iterum per eiuſmodi mutua commercia poteſt accendi. Præterquamquod quænam ſecuritas, ſi gratia Dei deſit? Qua vero ratione a Deo perſeverantiæ gratiam ſe obtenturos ſperare iſti valent, qui renuunt ſe iſtius mutuæ viſitationis qualicumque guſtu in Dei obſequium, & in peccatorum ſatisfactionem privare? Accedit ſcandalum, quod tale commercium conſequeretur. Penitus ergo atque penitus reſcinde quodcumque iſtius mutuæ communicationis vinculum. Eorum chriſtianæ benevolentiæ officia tota ſint in mutua precum oblatione ad Deum pro peccatorum remiſſione.

XVIII. Quæſt. VIII. *Abſolvendus ne filiusfamilias qui domi concubinam habet?* Reſp. Affirmant communiter Theologi, dummodo conſueta exequatur remedia.

Hæc

Hæc porro ſunt præteritorum criminum congrua pœnitentia, & ſatisfactio; cautio ſumma vitandi concubinæ familiarem aſpectum, & colloquium; firma, & conſtans voluntas non peccandi; iuges preces, ieiunia, librorum piorum lectio, quotidiana noviſſimorum meditatio plus minuſve, prout prudens Confeſſarius iudicaverit. Curare inſuper omni ſtudio debet, ut mulier ipſa domo recedat, ſicuti recedere tenetur. Docto, ac pio Confeſſario ſimiles pœnitentes opus habent, qui dignoſcere valeat, ſit ne occaſio omnino neceſſaria, & quæ remedia ſint opportuna.

XIX. Advertendum, quod, licet Confeſſarius cogere non valeat, ut domo paterna filius recedat, ob iniuriam quam patriæ poteſtati eiuſmodi fuga inferret; filius tamen, ſi inutilia remedia omnia experiretur, conſulere animæ ſuæ deberet, etiam fugam arripiendo. Confeſſarius ſuo muneri ſatisfacit, ſi nullam videns emendationem, abſolutionem ſuſpendat. Filius vero, ſi tantæ fragilitatis exiſtat, ut in conſpectu concubinæ nequeat ſe continere, tum abire domo debet. Prius tamen expulſio mulieris tentanda. Paterfamilias, ſi prudens ſit, & vere chriſtianus, facti certior fieri poteſt, ut ſpirituali filii ruinæ remedium paret. Hæc omnia exquiſitam requirunt prudentiam, non humanam, ſed evangelicam, quæ cum primis æternam animæ ſalutem præ oculis habeat; deinde humanis rebus, quoad fieri poteſt, & quantum animæ ſalus permittit, conſulat. Frequentiſſime ordo invertitur, & maior humanarum quam divinarum rerum ratio habetur. Primi Chriſtiani, quos noſtræ vitæ exemplaria Deus non ſine peculiari providentia conſtituit, domum, patriam, divitias, & terrena quæque conculcarunt, ut in tuto animæ ſalutem collocarent. Non ſeverior tunc iuſtitia divina, non durior lex, non arctior via, non anguſtior cæli ianua, non difficilior ingreſſus quam nunc: nec nunc ditior Dei miſericordia, aut mitior lex, aut latior via, aut facilior aditus.

XX. Quæſt. IX. *Mulier paupercula, quæ aut conſanguineo, aut diviti inſerviens, illorum efficitur pellex, abſolvenda ne eſt, niſi prius recedat?* Reſp. Negans ſententia vera eſt. Ratio obvia. Mulier poteſt occaſionem dimittere, ſi velit. Ergo, ſi non dimittat, recedatve domo illa, abſolutionis capax minime eſt. Neque commodum, & utilitas quam percipit ex ſua ſervitute, ſatis eſt ut perſiſtere poſſit in proxima illa peccandi occaſione. Ergo alios dominos quærere cogitur, ut vitæ ſuſtentationem abſque æternæ ſalutis diſpendio lucrari valeat. Quid, ſi ſcandalum, & infamia gravis ex receſſu contingerent? Hic eſt uſitatiſſimus diaboli laqueus, quo animas capit, & ſuſpenſas in patibulo pellicatus tenet. Paucis rem expedio. Si ſcandalum, & infamia reapſe diſceſſum conſequerentur; tum remedia quæ pro filiofamilias præſcripta ſunt, exequenda iubeantur. Si hæc inutilia ſint, recedendum omnino erit. Vix excogitabilis caſus eſt in quo recedere mu-

Digitized by Google

mulier nequeat abſque ſcandalo, & infamia. Innumeri erunt prætextus ſine ſcandalo abeundi, quando ſincere & ex animi ſententia mulier animæ ſaluti proſpicere velit. Quare fere ſemper hoc quod obtruditur ſcandalum commentitium eſt, infamia chimærica.

XXI. Multo minus abſolvendus eſt concubinarius, qui domum concubinæ dimiſſæ ingreditur ad alendos filios ex eadem ſuſceptos; quando ex tali ingreſſu novæ fornicationes cum eadem ſequantur. Voluntaria quippe occaſio eſt; cum alterius perſonæ auxilio alimenta filiis præſtari poſſint.

XXII. Quæſt. X. *Abſolvendi ne ſunt qui exercentes artes honeſtas, & Reipublicæ neceſſarias, ſunt in occaſione proxima peccandi?* Reſp. Affirmant communiter Theologi recentiores. Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* 11. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 46. *& ſeq.* ubi citant *Caietanum*, *Suarez*, *Candidum*, *Lopez*, *Graſſium*, *Antonium a Spiritu ſancto*, alioſque. Quoniam ars, cum de ſe licita ſit, non eſt ſuapte natura occaſio peccandi. Ergo, quoties eiuſmodi artifices exequuntur remedia quæ a prudenti Confeſſario præſcribi ſolent, abſolvendi ſunt.

XXIII. Rem paucis expedio. Utique cogendi non ſunt ad officium deſerendum qui artes omnino licitas, puta medicam, chirurgicam, ſimileſque profitentes ob illarum exercitium in occaſione proxima peccandi verſantur, ſi remediorum uſu peccatis abſtineant. At quid, ſi remedia inutilia ſint? Nec tunc, inquiunt adverſarii, cogendi ſunt ut artes honeſtas deſerant. Bene habet. At numquid abſolvendi, ſi nulla ſit emendatio? Hic aqua hæret. Dico itaque, ſi ſalubrium remediorum uſu a peccatis ſe temperent eiuſmodi artifices, ſunt abſolvendi. Si vero remedia nihil proſint, ſuſpendenda abſolutio eſt. Ipſi artifices, dum experiuntur artes ſuas ſibi eſſe occaſiones proximas prolabendi, tenentur eaſdem dimittere, quoties alia via a peccatis quæ ob earumdem exercitium perpetrant, liberari nequeunt. Quare, dum dicunt adverſarii, non poſſe Confeſſarium cogere hos artifices ad deſerendas artes honeſtas, reponendum eſt, neque artifices cogere poſſe Confeſſarium ad impertiendam abſolutionem. In his caſibus alterutrum artifices præſtare debent: aut ſevera pœnitentia, ieiuniorum, ſacramentorum, precum frequentia, aſſidua librorum ſacrorum lectione, aliorumque remediorum uſu ſubigere appetitiones ſuas, carnem domare, concupiſcentiam cohibere, ut a culpis abſtineant; aut, ſi hæc omnia inepta fuerint, artes ipſas deſerere, quoties eædem cauſſa proxima peccandi ſint. Prudentia opus eſt. Si relapſus in peccata ſit, non artis, ſed fragilitatis cauſſa; ſi non ſit frequens; ſi pœnitens ſincere utatur remediis præſcriptis: ſecurior in ſimilibus caſibus regula hæc eſt, ut Confeſſarius diſponat pœnitentem ad abſolutionem. Si experientia deprehendat medicinam prodeſſe, & ſacramenta optatum fructum inducere; tunc ad ſacramenta frequentanda inducat eiuſmodi pœnitentes. Si contra depre-

Digitized by Google

prehendat illos ex ſacramentorum frequentia proficere nihil, tum a ſacramentis eoſdem arceat.

XXIV. Quæſt. XI. *Abſolvenda ne hoſpita eſt quæ, quoties excipit hoſpites, rem cum iiſdem habet?* Reſp. Adfirmant Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* II. *punct.* 2. *ſ.* 2. *num.* 49. Quia, inquiunt, eiuſmodi hoſpitæ habent diverſoria conducta, carentque alio vivendi modo, & nequeunt ſine magno incommodo hoſpites reiicere. Proponere tamen hoſpita firmiter debet ſe numquam cum ullo hoſpite ſolo in aliquo cubiculo collocuturam, aut cum eodem ibidem commoraturam. Citant pro hac opinione *Trullenchum*, *Navarrum*, *Thomam Hurtadum*, *Antonium a Spiritu ſancto*, alioſque.

XXV. Laxa & falſa mihi eſt ſententia iſthæc. Hoſpitum acceſſus ſunt hoſpitæ occaſio proxima; aut contra ipſa eſt hoſpitibus cauſſa peccandi proxima. Qua ergo ratione abſolvi poteſt, niſi prius occaſionem removeat, hoſpites illos excludendo qui ſibi ſint peccandi occaſio? Quod ſi hoſpites indiſcriminatim ſint fornicandi, aut adulterandi occaſio; tum caupona dimittenda, aut a peccato abſtinendum. Sententia certa videtur. Incommodum, & detrimentum temporaneum, quod hoſpita pateretur, debet ſibi imputare. Ab eius voluntate pendet emendatio, ſi cæleſtibus uti pharmacis velit, ſuaſque appetitiones cohibere. Nullo ergo modo audiendi ſunt Theologi illi qui abſolvendam hoſpitam talem aſſerunt ob detrimentum quod ex cauponæ dimiſſione perciperet. Sed evangelicum oraculum eſt attendendum: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Matth. XVI.

XXVI. Oppido minus audiendus eſt Thomas Hurtado in hac materia laxiſſimus, qui docet, abſolvendam eſſe hoſpitam, quæ ancillas in caupona retinet malæ famæ, quæque advenientes hoſpites ad meretricandum ſollicitant. Tam hoſpita quæ ancillas eiuſmodi non expellit, quam ancillæ ipſæ arcendæ omnino ſunt a ſacramentis, donec, occaſione reapſe dimiſſa, redeant ad meliorem frugem. Detrimentum autem temporale quod ex eiectione ancillarum hoſpita patitur, inepte obtruditur ad excuſandam hoſpitam, ut ex iis quæ dicta ſunt, patet. Plures alias laxiſſimas opiniones confutabo diſſertatione ſequenti.

CA-

CAPUT VIII.

De pœnis latis in concubinarios laicos, & Clericos.

I. PEllicatus crimen eſt utriuſque fori, eccleſiaſtici, & ſæcularis. Quapropter ab utroque puniri iudice poteſt. Concilium Tridentinum *ſeſs.* XXIV. *cap.* VIII. *de refor. matrim.* decernit, concubinarios, ſi ter admoniti concubinas non eiecerint, excommunicatione plectendos eſſe. Quod ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab Ordinario ſevere pro qualitate criminis procedendum iubet.

II. Severiores ſunt pœnæ in Clericos concubinarios conſtitutæ, quarum principales ſunt depoſitio, aut ſuſpenſio ab officio. Si poſt trinam admonitionem Clericus concubinarius non reſipiſcat, poteſt ſæculari poteſtati ab Epiſcopo tradi, ut colligitur ex *cap.* Presbyter *diſt.* XVII. Ipſo iure excommunicatus eſt, ut patet ex *Clementina* I. *de conſang. & affinit.* Verum, vetuſtis canonibus miſſis, recenſendæ ſunt pœnæ latæ in Concilio Tridentino ſeſs. XXV. cap. XIV. de reform. *Prohibet ſancta Synodus quibuſcumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo, vel extra detinere, aut cum illis ullam conſuetudinem habere audeant: alioquin pœnis, ſacris canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis, puniantur. Quod ſi a ſuperioribus moniti ab iis non ſe abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum ipſo facto ſint privati: quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco applicetur. Si vero in delicto eodem cum eadem, vel cum alia femina perſeverantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint; non tantum fructus omnes, ac proventus ſuorum beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur; ſed etiam a beneficiorum ſuorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur. Et, ſi ita ſuſpenſi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & penſionibus quibuſcumque eccleſiaſticis perpetuo priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in poſterum reddantur; donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum ſuperioribus cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi, poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias huiuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adiungere auſi fuerint; præter dictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat .... Clerici vero beneficia eccleſiaſtica, aut penſiones non habentes, iuxta delicti, & contumaciæ perſeverantiam, & qualitatem, ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpen-*

ſio-

ſione ab ordine, aliiſve modis, iuxta ſacros canones, puniantur. Epiſcopi quoque (quod abſit) ſi ab huiuſmodi crimine non abſtinuerint, & a Synodo provinciali admoniti, ſe non emendaverint; ipſo facto ſint ſuſpenſi: &, ſi perſeveraverint, etiam ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, ſi opus fuerit, in eos animadvertat.

III. Quæſt. I. *Clericus, qui ſemel cum muliere fornicatur, amittit ne beneficii fructus?* Reſp. Adfirmat Navarrus *Tom. I. conſilior. de cohabit. Cleric. & mulier. conſil.* 1. dummodo poſt ſuperioris admonitionem, conſtet iuridice de fornicatione commiſſa. Huic ſententiæ adhæret Sayrus in *Clavi Regia Lib. VIII. cap.* 11.

IV. Oppoſita ſententia probabilior videtur. Quoniam tam vetuſti canones, quam Concilium Tridentinum loquuntur de Clericis concubinariis, ſeu conſuetudine luxuriæ, & fornicationis irretitis. Porro qui ſemel fornicatur, & poſt ſuperioris admonitionem, conſuetudinem non habet fornicandi, concubinarius dici nequit. Ergo ob unicam fornicationem fructibus beneficii privandus non eſt.

V. Quæſt. I. *Quos nomine* Clericorum *comprehendat Concilium in ſuo decreto?* Reſp. Communis ſententia eſt, comprehendi omnes Clericos, etiam non inſignitos ordine ſacro. Ratio evidens eſt: quia id conceptis verbis docet Concilium ipſum Tridentinum: *Prohibet ſancta Synodus quibuſcumque Clericis*: quæ ſane clauſula omnes Clericos comprehendit, qui divino cultui ſint addicti.

VI. Quæſt. III. *In tertia parte fructuum, qua iuxta Tridentinum privandi ſunt Clerici concubinarii, comprehenduntur ne etiam quotidianæ diſtributiones?* Reſp. Probabilior mihi eſt ſententia adfirmans. Quia diſtributiones quotidianæ ſunt revera beneficii proventus. Ergo, ſi tertia pars proventuum beneficii amittenda eſt, neceſſario conſequitur in hac parte comprehendi etiam fructus diſtributionum quotidianarum. Hanc ſententiam defendit Navarrus *Lib. V. Conſilior. de verb. ſignif. conſil. 6.* Ledeſma *II. Part. tract.* XXVII. *cap.* XVIII. *concluſ.* 1. *diff.* 2. Barboſa in *cap.* XIV. *Trident. Concil.* & alii plures.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE MERETRICIO, MULIERUM ASPECTU, CHOREIS, TACTIBUS, ALIISQUE HUIUSMODI.

CAPUT I.

De meretricum permiſſione.

I. PErdifficilem quæſtionem, quam in utramque partem Doctores verſant, expoſui *Tom. II. diſſ. de ſcandalo*, & utriuſque ſententiæ argumenta in medium attuli, parum de deciſione ſollicitus, quod nulla fere ſubſit profectus fiducia. Ubi conſuetudo inveteravit meretricium permittendi, vix concipi ſpes ulla valet ut auferatur. Tamen quia nunc argumentum de meretricibus tracto, operæ pretium exiſtimavi pauca hic quoque alio ſub aſpectu adiicere, ut controverſia pleno in lumine collocetur.

II. *Meretrix* eſt, ut communi fertur definitione, *cuius venalis eſt turpitudo*, ſeu quæ multorum libidini patet. Quare mulier quæ uni, aut alteri tantum corporis ſui copiam facit, fornicaria eſt; ſed meretrix proprie non dicitur. Communior itaque ſententia docet, illam vere appellari meretricem quæ pluribus quam duobus ſe proſtituit, ſive quæſtus, ſive libidinis, aut amoris gratia. Id convenit penes omnes, minora permittenda mala, ut graviora impediantur. Eo ergo recidit quæſtio, utrum publica meretricum permiſſione graviora impediantur flagitia.

III. Adfirmat prima ſententia, hiſque argumentis innititur. D. Auguſtinus Lib. II. de ordine cap. IV. *Quid ſordidius, quid inanius decoris, & turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, ceteriſque hoc genus peſtibus dici poteſt? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. Conſtitue matronarum loco, labe ac dedecore dehoneſtaveris*. Eiuſdem ſententiæ eſt D. Thomas 2. 2. quæſt. X. art. 11. *Sic ergo & in regimine humano illi qui præſunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur; ſicut Auguſtinus dicit in Lib. de ordine. Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus*. Hanc eamdem ſententiam latius explicat D. Thomas *opuſ.* XX. *de regim. Princip. Lib. IV. cap.* XIV. Auguſtinus dicit, quod hoc facit meretrix in mundo quod ſentina in navi, vel cloaca in palatio. Tolle cloacam, & replebis fœtore palatium. Tolle meretrices de mundo, & replebis ipſum ſodo-

 mia.

mia. Propter quam cauſſam idem Auguſtinus ait in *XIII. Lib. de Civitate Dei*, quod terrena civitas uſum ſcortorum licitam turpitudinem fecit.

IV. Ratio unica qua hæc ſententia fulcitur, eiuſmodi eſt. Licita eſt minoris mali permiſſio, ut maiora mala vitentur. Meretricii permiſſio impedit graviora flagitia, nempe adulteria, ſtupra, ſodomiam, mollitiem, idque genus ſimilia, quæ certo graſſarentur, meretricibus ſublatis. Ergo expedit meretrices permittere. Secunda propoſitio ex humanæ naturæ corruptione colligitur. Nam, ut habetur Gen. VI. *Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram*. Porro quo magis natura tendit in finem ſuum, eo corruptior, & ad ſcelera pronior evadit; quemadmodum rivulus ex longiori a fonte receſſu turbulentior fit. Homines innupti libidinis æſtu ardent; paucique tanta ſunt virtute præditi, ut has extinguere flammas valeant. Caſtitas quippe donum peculiare Dei eſt, adeo rarum, ut, experientia teſte, in pauciſſimis reperiatur. Admiſſa igitur hypotheſi quod, attenta naturæ pravitate, homines nolint concupiſcentiam cohibere, & luxuriæ impetus comprimere, minus malum eſt quod fornicatione cum meretricibus impurus ignis extinguatur, quam adulteriis, ſtupris, & vitiis contra naturam. Poteſtas humana divinæ poteſtatis refert imaginem. Si Deus ipſe, qui omnia mala impedire poſſet, multa permittit peccata; quidni tolerare eadem poterit poteſtas creata?

V. Alteram ſententiam propugnant Navarrus in *Manuali cap.*XVII. *numer.* 195. Ioannes Mariana *Lib. de ſpectac. cap.*XVI. Lorinus in *Deuter. cap.*XXIII. *verſ.* 17. Guttierrez in *canon. qq. Lib.II. cap.*VII. *num.* 29. Claudius Sponcæus *Lib. III. de contin. cap.* IV. Ricciulius *tractat. de perſon. quæ in ſtatu reprobo verſantur Lib.II. cap.*VI. Cornelius a Lapide in hanc propendet ſententiam *cap.*XIX. in Eccleſiaſt. *verſ.* 3. ubi ſequentia refert argumenta.

VI. Deus populo Iſraelitico meretrices prohibuit. Deuter.XXIII. verſ.17. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael*. Idque reipſa obſervatum fuiſſe, teſtatur Origenes Lib.IV. contra Celſum. *Nullæ fuere meretrices iuventutis peſtes in eorum Republica*. Philo teſtatur *Lib.I. de ſpecial. leg.* capitale crimen fuiſſe apud Iudæos corpore quæſtum facere. Idemque adfirmat Clemens *Lib.III. Strom.* Quanto ergo ſeverius expelli meretrices debent a Republica chriſtiana, cuius ſanctitas excellentior eſt ſanctitate Reipublicæ Iudaicæ?

VII. S. Hieronymus ad Oceanum inquit: *Cæſarem, non Chriſtum, Papinianum, non Paulum viris impudicitiæ frena laxare, & lupanaria permittere*. Lactantius *Lib.VI. cap.*XXIII. lupanaria a dæmone invecta docet: *Ac ne quis pœnarum metu abſtineret alieno, lupanaria quoque conſtituit, & pudorem infelicium mulierum publicavit, ut ludibrio haberet tam eos qui faciunt, quam quas pati neceſſe eſt*. D. Auguſtinus in opere *de Civit. Dei*, quod ſapientior factus compoſuit, *Lib.XIV. cap.*XVIII. videtur lupanaria improbare: *Verum etiam in uſu ſcortorum, quam terrena civitas*

lici-

Digitized by Google

licitam turpitudinem fecit, quamvis id agatur quod eius civitatis nulla lex vindicat &c. Terrena, inquit, civitas, ideſt malorum ſocietas, ſecus bonorum, ſcorta permittit, ſeu licitam permiſſionem facit: Non enim de licito coitu, ſeu fornicatione loquitur: quoniam nec Romani fornicationem licitam agnoſcebant. Lupanaria ergo a terrena, ſecus a chriſtiana civitate permitti aſſerit.

VIII. Accedit ſanctorum virorum exempla. Nam S. Ludovicus ex univerſa Gallia pelli meretrices præcepit, ut refert AEmilius *Lib. VII.* Philippus IV. Rex Hiſpaniarum ex tota Hiſpania publica lege meretrices eiecit.

IX. Citata *differt.* ſancti Pii V. Pontificis ſummi factum narravimus celeberrimum; qui non Roma modo, verum etiam omni ſtatu eccleſiaſtico excedere intra quindecim dies meretrices omnes iuſſit, paucis Romæ manere permiſſis, eiſque in loco ſeparato, & remoto concluſis, ſevero interdicto, ne per urbem ſive diu, ſive noctu diſcurrerent, ſacello inſuper eiſdem erecto, in quo concionem audirent. Et revera, ſi ex qualibet urbe chriſtiana exulare deberent meretrices; quanto magis ab urbe illa ſancta, Apoſtolorum Petri & Pauli, & innumerabilium Martyrum ſanguine conſecrata, quæque eſt ſanctiſſimæ religionis noſtræ ſedes, & caput, abeſſe decet? Si ex univerſa urbe qui coniugii vinculo, & ſacro caſtitatis voto devincti ſunt, excipiantur, quorum intuitu nemo dixerit lupanaria permitti licite poſſe; quæ & quanta gens ſupereſt ob quam permitti meretrices Romæ debeant?

X. Verum rationes afferendæ, quæ evincunt nullibi permittendas meretrices eſſe. Et primo adverſæ ſententiæ unicum fundamentum conſiſtere minime videtur. Permittenda eſſe minora, ut graviora vitentur mala, nemo eſt qui inficietur. Verum, quod meretricium publicum idoneum ſit gravioribus vitandis flagitiis, hoc eſt quod nec percipi, nec ulla ſuaderi ratione valet. Omnes docent, ignem libidinis libidine non extingui, ſed contra magis accendi. Idque verum habet in quolibet vitio, nedum in luxuria. Numquid avaritiæ ſitis pecuniarum uſu, aut ambitio luxus & faſtus acceſſione ſedatur? Inſuper hoc peculiare luxuriæ eſt quod abſtinentia, & occaſionum fuga reprimatur. Quo frequentius coitur, eo voracior, robuſtiorque libido fervet. Idque omnium fornicatorum experimento conſtat. Hi quippe ſemel hac pice inquinati, undique impuras flammas exhalant, quas ut aliquo modo reſtinguant, veluti furentes ſues in luto volutantur, & ex uno in aliud ſe immergunt cœnum. Quo abundantius lutulentas bibunt aquas, eo ardentiore cruciantur ſiti. Novaas deunt ciſternas, ut ſitim expleant. Nullibi tamen refrigerium comperiunt; ſed ubique ardor, ubique furor, & inſania. Et quemadmodum helluonibus inſipidæ ſunt communes dapes; ita hæc libidinis, & ſcortationum mancipia, luxuriam omni ex parte crepantia, faſtidiunt coitus a natura inſtitutos, fornicationem ſimplicem nauſeant; adeoque varios ſe polluendi modos, concubitus

 mon-

monſtroſos, horrendoſque exercent, & femineorum amplexuum pertæſi, in maſculos furunt, atque velut equi, & muli, quibus non eſt intellectus, ea perpetrant ſine pudore ullo, quæ ſcribere valde pudet. Hæc omnia exprimit Salomon Prov. xxx. verſ. 15. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes: Affer, affer. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum, quod numquam dicit, Sufficit. Infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non ſatiatur aqua: ignis vero numquam dicit, Sufficit.* Falſum ergo eſt, fornicationum frequentia, & ſcortorum contubernio maiora evitari mala, vel in ipſis qui luxuria ardent.

XI. Quid porro quod lupanaria ſunt innocentum iuvenum laquei? Quandoquidem non modo meretrices cauſſa non ſunt ut lue libidinis inquinati a peccatis contra naturam abſtineant; ſed ipſæ inſuper peſtem in ſanam iuventutem effundunt. Quot iuvenes lupanarium occaſione pereunt corpore, & anima? Comparentur iuvenes civitatum a quibus exulant meretrices, cum iuvenibus civitatum quæ lupanaria permittunt. Continentiores ſane illi quam iſti. Rariora ſunt adulteria, ſtupra, inceſtus, mollities ibi unde abſunt, quam ibi ubi degunt meretrices. Id experientia locupletiſſima compertum eſt.

XII. Accedit lupanaria publica vili popello, gentique plebeiæ inſervire. Divites, nobileſque, ut corporis ſanitati conſulant, honeſtas, & uxoratas quærunt. Ad ſummum cum meretricibus mollitiei flagitia perpetrant. Accenſa vero ex meretricio commercio libidinis flamma paſcua ſelectiora pervadere ſtudent. Amiſſo cum meretricibus pudore, fronteque fracta, infrunitiores fiunt iuvenes, & ad expugnandam honeſtarum mulierum caſtitatem audaciores, ſagacioreſque.

XIII. Tantum abeſt præterea meretricum permiſſione ſartam tectam cuſtodiri puellarum, nuptarumque caſtitatem, ut ipſæ meretrices honeſtarum mulierum caſtitati inſidientur. Flore ſiquidem iuventutis in lupanari tranſacto, ad ſenectutem vergentes, lenæ fiunt, & proxenetæ, ut puellas, & uxores pervertant. Amatorias epiſtolas deferunt, impurum amoris commercium ſovent, flammas concitant, igniculos accendunt ex utraque parte. *Accenditur*, inquit alicubi Hieronymus, *ignis luxuriæ flatu follium, ideſt ſuggeſtione vetularum, quæ ſunt ſufflatorium diaboli ad accendendum ignem luxuriæ.*

XIV. Tandem lupanaria bono publico, nempe humanæ propagationi, infeſta ſunt. Graviſſima ſunt matrimonii onera. Si iuvenes habeant meretrices, quibuſcum concupiſcentiam expleant, a matrimonio ineundo abſtinebunt, illud veluti faſtidientes; aut tandem illud contrahent, poſtquam ſpiritus, robur, & ſanitatem ipſam cum meretricibus inſumpſerunt. Utinam iſtorum omnium experientia deeſſet, ſicut reapſe communiter deeſt iis in urbibus a quibus exulant meretrices.

XV. Sed multa paucis complectamur. Nulla civitas eſt, nulla hominum ſimul & mulierum congregatio ſine caſtitatis læſione, humanæ naturæ infirmitate ſpe-

ctata.

Digitized by Google

ſtata. Sint meretrices, vel abſint a civitatibus, fornicationes, adulteria, mollities, ſodomiæ ubique graſſantur. Illud ſerio perpendendum, num lupanarium publica permiſſio augeat, an minuat flagitia hæc. Augeri ex tali permiſſione, & rationum momenta, & compertiſſima experientia evincunt. Iſtius controverſiæ deciſio potiſſimum ab experientia pendet. Hæc porro evidenter adverſari videtur meretricum permiſſioni. Nam exploratum eſt continentiores eſſe civitates illas quæ meretricibus carent. Novi ipſe civitates meretricibus vacuas, quarum iuvenes plerumque caſti, in quibus matrimonii iura ſine violatione fidei ſervata. Invectis ſcortis, luxuriæ aditus patet, ut quoquoverſus graſſetur: unde ſtupra, ſacrilegia, adulteria, & inordinati concubitus plurimi. Meretrices ad irritandam, provocandamque libidinem cum honeſtis feminis exercendam deſerviunt: neſandæ pollutiones, ſodomiæ, & horrenda ſcelera in lupanaribus perpetrantur.

XVI. Quid ergo inferendum? Procul arcendas meretrices? Utinam id ſperari prudenter poſſet. Illud ſaltem præſtare ſub graviſſima culpa civitatum magiſtratus debent, ut meretrices, quas ipſi prudenter permittendas iudicant ad maiora ſcelera præcavenda, in locis a populi frequentia ſeiunctis veluti concluſæ maneant. Tenentur ſeveriſſime prohibere ne ſive diu, ſive noctu lupæ iſtæ plateas, loca publica, tabernaſque adeant ad capiendas animas. Tenentur ſevere punire quas effrontes interdicti violatrices invenerint. Hoc & Dei honor, & religionis decus, & publicum civitatis bonum, & propriæ iuventutis ſalus animæ corporiſque depoſcit.

XVII. Adverſæ ſententiæ argumenta quanti ſint ponderis, quiſque percipere facile valet. Potiſſimum fundamentum maiora evitandi mala ex iis quæ dicta ſunt, conſtat quam ſit ſolidum.

XVIII. Auctoritas Auguſtini, & Thomæ faceſſere negotium poſſet. At obſervandum eſt, obiter Auguſtinum laudato *Lib. de Ordine* de meretricum permiſſione loqui; &, quod caput eſt, ibi non explicare, an in civitatibus paganorum, vel Chriſtianorum permittendæ meretrices ſint. Fortaſſe minus malum meretricum permiſſio erit apud Ethnicos, fidei lumine, ſacramentorum remediis, aliiſque optimis ad recte vivendum ſubſidiis deſtitutos. At oppoſitum docere videtur Auguſtinus *Lib. XIV. de Civit. Dei cap.* XVIII. de civitatibus Chriſtianorum, quæ civitates cæleſtes ſunt, Hieruſalem cæleſtem referentes. Civitates autem Ethnicorum, aut malorum ſocietates terrenas vocat. Porro terrenis civitatibus meretricum permiſſionem expedire aſſerit; ſecus civitatibus chriſtianis, quarum incolæ ſunt gens ſancta, regale ſacerdotium, genus electum, filii Altiſſimi, ſanctitate baptiſmatis ad divinum ordinem evecti, ſaluberrimis præſidiis gratiæ divinæ, ſacramentorumque muniti, & roborati adverſus concupiſcentiæ impetus. D. Thomas auctoritatem refert Auguſtini obiter, & aliud agens in Summa. Liber vero *IV. de reg. Princ.* non eſt D. Thomæ; adeoque au-

auctoritas ex illo adducta nullius ponderis eſt. Accedit hanc cauſſam totam ab experientia pendere. Si minus malum eſt lupanarium permiſſio, licite meretrices permitti poſſunt; ſecus, ſi maiora ſequantur ſcelera. Hoc penes omnes inconcuſſum eſt. Accidere autem poteſt aliqua in civitate minus malum eſſe, ſecus in aliis. Communiter tamen graviorum ſcelerum cauſſam eſſe meretrices, allata argumenta probant. Et D. Thomas pluribus in locis oſtendit, libidinem libidine non vinci, ſed fuga, & abſtinentia.

XIX. Quæres: *Licitum ne eſt e meretricibus tributum ob meretricium ſolvendum exigere?* Reſp. Opus haud eſt multis ad oſtendendam iſtius tributi pravitatem, quoniam ſuapte natura horrorem ingerit. Scriptura ſacra eiuſmodi vectigal, ut ſcelus turpiſſimum, deteſtatur. Deut. xxiii. verſ. 18. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium carnis in domo Domini Dei tui, quidquid eſt illud quod voveris: quia abominatio eſt utrumque apud Dominum Deum tuum.* Propheta Michæas hoc idem tributum improbat cap. 1. verſ. 7. *Et omnia ſculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata ſunt; & uſque ad mercedem meretricis revertentur.* Scandali ingentis plenum eſſet eiuſmodi tributum ex iniquo meretricio collectum. Occaſio quippe ſuſpicandi occurreret, lupanaria permitti non ob vitanda graviora mala, ſed ob colligenda pinguiora tributa.

XX. Plurimas alias quæſtiunculas, quæ reſolvendæ forent, diſcuſſas invenies ſupra *diſſert.* ix. de ſcandalo, ubi, ut iam admonui, hæc eadem quæſtio ſub examen inducta fuit.

CAPUT II.

De aſpectibus mulierum, rerumque turpium.

I. QUA ratione in arce qualibet, ut ab hoſtium inſidiis, & obſidione ſarta tecta ſervetur, valla, foſſæ, ianuæ, & cetera omnia exteriora propugnacula ſtrenue defendenda ſunt; eadem cuſtodiri oportet vigilantia ſumma ſenſus noſtros, qui arcis animæ ianuæ ſunt, ut hoſtium inſidiæ repellantur. Porro ianua prima per quam animam noſtram hoſtis invadit, oculi ſunt. Hinc eſt quod Prophetæ, Evangeliſtæ, & Patres omnes primum omnium oculos ſevere cuſtodiendos admonent ab aſpectu mulierum, ut intaminata, & integra caſtitas conſiſtat. Hieremias Propheta *cap.* ix. mala gentis ſuæ deplorans, feneſtras indigitat per quas mors ingreſſa eſt. *Deducant oculi noſtri lacrymas, & palpebræ noſtræ defluant aquis... quia aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras, diſperdere parvulos de foris, iuvenes de plateis.* Eccleſiaſticus cap. ix. *Non reſpicias mulierem multivo-*

tivolam, ne forte incidas in laqueos illius... Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius.... Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt. Item ſanctus Iob cap. XXXI. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Evangeliſta Matthæus cap. V. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice abs te.* Hæc eadem verba repetit *cap.* XVIII. & eadem habet Marcus *cap.* IX. Non huius loci eſt tranſcribere Patrum interpretationes in laudatos textus. S. Ioannes Chryſoſtomus quærit, cur oculum dexterum potius quam ſiniſtrum Chriſtus nominaverit. Reſpondet *homil.* XVII. in Matthæum, ut ſignificaret ab iis potiſſimum oculos avertendos quæ nobis cariora ſunt. Dexter vero oculus, & dextera manus perſonas nobis intime amicas, benevolas, amabileſque produnt; cum vel communi proverbio dicatur: Ille, & illa mihi oculus dexter eſt, manus mihi dextera eſt. Non ergo, inquit S. Præſul, mandat Dominus eruenda eſſe oculorum, aut abſcindenda manuum membra: id enim ſi mandaret, æque ſiniſtra, ac dextera membra comprehenderet in mandato ſuo: ſed hac emphaſi loquitur, ut graviſſimam exprimat neceſſitatem evitandi familiares aſpectus, & multo magis colloquia, & contubernia mulierum, ad quas natura propendet. Rem totam ſequentibus quæſtiunculis declarabo.

II. Quæſt. I. *Quandonam peccari contingat in mulierum aſpectu?* Reſp. Aſpectus mulierum ſuapte natura malitia caret; quin in civili ſocietate neceſſarius eſt. Nec noxius aſpectus evadit ex eo quod mulier formoſa ſit, & pulchra; ſed abſolute æque deformes, ac ſpecioſæ ſpectari queunt. Nec culpa eſt quod libentius pulchræ quam deformes videantur: quoniam omnes res creatæ, ſingulari pulchritudine ornatæ, natura ſua maiorem ingerunt ſpectatoribus oblectationem præ iis quæ ſua deformitate, aut turpitudine quodammodo aſpicientes reiiciunt. Id ſolum conſiderandum hic eſt, pulchritudinem mulierum, ob humanæ naturæ aut malitiam, aut infirmitatem, periculum adferre, ut in intuentibus accendatur concupiſcentia, excitenturque motus venerei. Uſque dum delectatio in ſolo viſu ſiſtit, innocens eſt. Ceterum, ſi diuturna fuerit, vix umquam immunis a culpa erit: vel quod homo hac aſpectus diuturnitate periculo ſe exponit peccandi; vel quod reapſe peccat aut delectatione venerea, aut curioſitate carnali.

III. Innoxie ergo mulieres, ſive ſpecioſæ, ſive deformes, ſpectantur urbanitatis, ſocietatis civilis, & neceſſitatis gratia. Præter has cauſſas pulchrarum mulierum viſus aut periculi, aut peccati plenus eſt. Porro, ut in praxi ſciatur, quando in hoc culpa contingat, quiſque expendere ſerio debet proprias inclinationes. Nam, licet diuturnus ſpecioſæ mulieris aſpectus natura ſua periculi plenus ſit; tamen

reſpectu unius poterit eſſe venialis, mortalis vero reſpectu alterius, iuxta cuiuſque maiorem, aut minorem dominantis concupiſcentiæ propenſionem. Omnes ergo tenentur cavere ſibi a longiore mulierum obtutu; ſed ſingularis diligentiæ debito aſtringuntur illi qui, propriæ infirmitatis conſcii, facilius in ſe accendi experiuntur libidinis ignem, carnemque, & ſenſum adverſus rationem inſurgere. Quandonam culpa gravis ſit nec ne, vix aſſignari regula generalis poteſt. Qui ex pulchræ mulieris aſpectu aut in moroſam labitur delectationem, aut pollutionem experitur, aut vehementiſſime tentari, & urgeri ſe ſentit; proculdubio mortaliter peccat, niſi oculos, & cogitationes a talis mulieris aſpectu divertat. Peccant quoque letaliter omnes qui mulieres ſpectant ad eas concupiſcendas, teſte Evangeliſta Matthæo cap. v. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Neque de hoc difficultas aliqua eſt.

IV. Quæſt. II. *Culpa ne gravis eſt aſpectus membrorum turpium ſive mulieris, ſive viri?* Reſp. Sanchez *Lib. IX. de matrim. diſp.* xlvi. *num.* 21. Navarrus in *Manual. cap.* xvi. *num.* 11. & alii negant, tales aſpectus ob captandam delectationem ſenſitivam noxios graviter eſſe: quia aſpectus tantæ efficacitatis non ſunt, ut inducant, ſicut tactus, ad delectationem veneream. Alii diſtinguunt duplicem delectationem: alteram, quæ conſurgit ex viſu qualitatum, proportionum, partiumque tali ordine diſpoſitarum; & hanc vocant naturalem, & ſenſitivam: alteram, ſitam in viſu rei turpis, prout ordinatæ ad copulam veneream; & hanc vocant carnalem, & noxiam. Tertiam etiam delectationem addunt, quam ſpiritualem appellant, quia aſpiciendo res creatas mens extollitur in Deum, ut habetur Pſal. xci. *Quia delectaſti me, Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.*

V. Quis ſe commoveri non experitur, dum ſimiles in Caſuiſtis offendit diſtinctiunculas, ſane imprudentes? Eaſdem abſolute reiicio; & dico, aſpicere deliberate verenda mulieris eſſe peccatum mortale: quia hæc, cum ſint valde turpia, natura ſua graviter ad venerem provocant. Idem de muliere, verenda viri ſpectante deliberato animo, dicendum. Excipiendi autem ſunt viſus fortuiti, & indeliberati, aut qui neceſſitatis cauſſa fiunt; ut quando medici, & chirurgi artem ſuam exercentes eiuſmodi inſpiciunt. Quæ omnia potiori iure locum habent in aſpectu concubitus viri cum femina. Peccatum quoque grave eſt deliberate ſpectare verenda alterius ſexus, veſtibus ita ſubtilibus tecta, ut oculis pateant: quia tum plus provocant, irritantque quam ſi omnino nuda paterent.

VI. Ab iis quæ dicta ſunt, aliqui caſus excipiendi videntur. Primo, cum aſpiciuntur puerorum, ac puellarum infantilis ætatis membra. Senes quoque excipi poſſunt, conſiderata tamen aſpicientium conditione. Nam accidere poteſt ut aſpectus unius, ſecus alterius, culpa careat. Animus quoque, & finis aſpicientium con-

Digitized by Google

conſiderandus eſt. Aſpicere perſonas eiuſdem cum vidente ſexus, ut quando homines natant, verendis nullo modo tectis, peccatum grave non eſt, præciſis circumſtantiis pravæ inclinationis, periculi conſenſus, aut delectationis venereæ. Similiter culpa gravis non eſt aſpicere brutorum verenda, etiam commota, aut eorumdem concubitus, ſublato, ut dixi, periculo delectationis veneteæ, eo quod hæc graviter ſuapte natura ad venerem non provocent. Hæc abſolute vera cenſentur. Ceterum quis puritatis, & caſtitatis cultor oculos in eiuſmodi concubitus deliberate figet, niſi aliqua neceſſitas, honeſtaque cauſſa occurrat? Abſtinendum ab eiuſmodi aſpectibus honeſtas, & pudor naturalis docet. Antequam tamen culpæ magnitudo definiatur, ad intentionem, inclinationem, conditionemque perſonæ videntis reſpiciendum eſt: nam ſæpe reſpectu unius culpa gravis erit quod non erit reſpectu alterius, qui nullam experitur commotionem, nullamque vel minimam tentationem. Vix tamen umquam aliquis a peccato ſaltem veniali curioſitatis excuſari poterit. Quare omnes ab eiuſmodi aſpectibus ſibi prudenter caveant.

CAPUT III.

De choreis, ſeu ſaltationibus promiſcuis virorum ac mulierum.

I. NON levis momenti quæſtio verſanda ſuſcipitur. Sed, antequam eam diſcutio, tria mihi ſunt chorearum genera diſtinguenda. Primum eſt quod inter eiuſdem ſexus, aut marium, aut feminarum, perſonas exercetur, omni impudico actu, geſtu, verboque ſemoto. Has choreas egit David ante arcam Domini *II. Reg. cap.* VI. in Dei cultum. Similes egit Maria Aaronis ſoror *Exod.* XV. cum ceteris mulieribus, abſque maribus ad teſtificandam lætitiam ob Pharaonis ſubmerſionem. Nulla mihi de his diſputatio eſt. Patet ſiquidem choreas iſtas cuiuſque culpæ expertes eſſe. Secundum chorearum genus eſt, quod prava intentione, obſcenis geſtibus, turpiloquiis, impudicis tactibus, ſive mixtis, ſive ſeparatis maribus feminiſque peragitur. Hoc omnium ſententia reprobatur: quia per ſe malum eſt. Tertium eſt, quod inter mares feminaſque honeſtas abſque expreſſa prava intentione exercetur. Hoc tertium chorearum genus noſtræ ſubiacet diſputationi.

II. Ut quæſtionis ſtatus perſpicue pateat, initio recentiorum quorumdam incauta ſcribendi ratio detegenda, & repellenda eſt. Caſuiſtæ chorearum patroni communiter principii loco conſtituunt, choreas genere ſuo malas non eſſe. Sed quid, amabo te, ſive ad præſentem quæſtionem, ſive ad res morales tractandas, Chri-

ſtia-

Digitized by Google

ſtianorumque mores formandos confert hæc metaphyſica chorearum natura innocens? Quis eſt qui in diſcrimen revocet hanc genericam chôrearum innocentiam? Ex hac metaphyſica diſtinctione plura abſurda Caſuiſtæ inſerunt. Choreæ ſunt genere ſuo indifferentes. Ergo reipſa licitæ. Tactus mamillarum ſunt genere ſuo indifferentes;. Ergo liciti, &c.

III. Illud in præſens quæritur, ſint ne hodiernæ choreæ, prout reapſe aguntur, omnibus circumſtantiis ſpectatis, inter iuvenes & puellas, ſeu mares & ſeminas, periculo gravi obnoxiæ. Quæritur, ſitne periculum iſtud peccandi adeo grave, ut Chriſtiani teneantur illud ſub letali culpa evitare. Quare in ipſo quæſtionis limine aberrant non pauci Caſuiſtæ, ſic argutantes: Choreæ genere ſuo non ſunt peccata: ergo licitæ. Licitæ genere ſuo ſunt: ergo reipſa circumſtantiis adiectis? Negatur. Clarius igitur quæſtionis ſtatum expono. Non diſputo, ſint ne choreæ etiam inter homines & mulieres, prout nunc exercentur, abſolute peccatum mortale; ita ut per ſe omnes, tam ſaltantes, quam aſpicientes, peccent ipſo facto letaliter. Sed illud eſt propoſitæ diſputationis argumentum, ſint ne choreæ hodiernæ, omnibus circumſtantiis ſpectatis, tanti periculi plenæ, & peccandi occaſiones adeo propinquæ, ut Chriſtiani, communiter loquendo, & aliquo peculiari caſu ſublato, ſub gravi culpa abſtinere ab eiſdem debeant.

IV. Negantem ſententiam defendunt Moraliſtæ non pauci. Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* III. *punct.* I. *num.* 18. Azorius *III. Part. Lib. III. cap.* XXVI. Bonacina de *matr. quæſt.* IV. *punct.* 9. *num.* 24. Filliucius *tract.* XXX. *cap.* X. *num.* 233. VVigandt *tract.* V. *exam.* 2. *quæſt.* IX. *num.* 49. Citari etiam ſolent Caietanus verbo *Choreæ*, Sylveſter, Angelus, Tabiena. Sed falſo. Nam Sylveſter verbo *Ludus* hæc ſcribit. *Secundo eſt prohibitus* (ludus) *ratione probabilis periculi animæ ſuæ, vel alterius: & hoc etiam eſt mortale, ut crebro accidit in choreis*. Angelus in Summa ſua, *Angelica* nuncupata, verbo *Chorea*, ſeptem conditiones requirit, ut licite exerceatur Quibus explicatis ſic concludit. *Et quia præfatæ conditiones in choreis noſtri temporis non inveniuntur; ideo non video quomodo ſine mortali peccato quis eas faciat ex conſuetudine, ſicut communiter ſiunt*. Utrum vero peccaret mortaliter qui interdum, & raro choreas duceret, refert reſponſum Guillelmi Rodonenſis Gloſſatoris S. Raymundi; quod eſt huiuſmodi. *Chorizare autem raro, & ſine corrupta intentione* [dicit Rodonenſis] *non audeo dicere, quod ſit peccatum mortale; ſed nec audeo talem hominem excuſare a mortali; cum ingerat ſe periculo alios provocandi ad libidinem, & exemplo ſuo alios ad ſimilia facienda provocet*. Sic loquuntur Summiſtæ qui allegari in chorearum favorem ſolent. Ad Caietanum quod attinet, ipſe P. Thomas Tamburinus *Lib. VII. in Decal. cap.* VIII. *§.* 7. interpretatur Caietanum loqui de choreis quas exercent ruſtici in ſuis mapalibus veſpere poſt laborem ad levandum animum, excluſis feminis. *Has*, inquit Tamburinus, *& non alias, ut perperam*

Digitized by Google

ram citat Boſſius, permittit ruſticis Caiëtanus. Tabiena quæſtionem non verſat. Armilla improbat dictum Caietani verbo *Chorea* ſubdens : *Non video imprudenter aliquid factum; immo bonum eſſet, ſi hæ choreæ modernorum temporum poſſent annihilari. Quoniam* [inquit paulo ante] *ut plurimum in his choreis accidunt peccata mortalia.*

V. Hæc ex Summiſtis antiquioribus referre placuit, ut pateat quam immerito ab Azorio, & a Salmanticenſibus pro choreis adducantur. Minus caute ſcribunt perdocti Salmanticenſes tract. XXVI. cap. III. punct. I. num. 18. *Imprudenter prohibentur ruſtici in diebus feſtis chorizare, tum ob dicta, tum quia, cum his choreis ſint aſſueti, ſi ab eis arceantur, forte vacabunt otio, rixis, aut aliis ludis, ex quibus Reſpublica turbabitur. Tum denique quia, cum publice fiant, non datur occaſio in eis turpiter ſaltandi . . . . Notat, & bene Azorius, quod in iſtis publicis choreis poſſunt mulieres prodire eleganter ornatæ, &, ſi mos ſit patriæ, nudis aliquantulum pectoribus.* Utinam hæc calamo non excidiſſent perdoctis viris. Laxa enim, & ſcandali plena ſunt. Nec refert quod Azorius illa prius docuerit : quoniam immo multitudine patronorum pernicioſiora evadunt, non laxitatem amittunt.

VI. Peccatum luxuriæ, ut alias dixi, illud eſt quod maximam Chriſtianorum multitudinem in infernum detrudit. Idcirco ea omnia ſeveriori examine diſcutienda ſunt quæ ad hoc crimen perpetrandum inducunt. Nulla porro periculoſior eſt luxuriæ occaſio choreis quæ homines inter & mulieres agi ſolent. Quare momenta ex Scripturis, ex Patribus, & ratione arceſſita, quæ chorearum corruptelam; ut libidinis fomentum, improbant, promenda ſunt ſequentibus paragraphis.

§. I.

Scripturæ divinæ, & Patres choreas damnant.

I. Plurima ſunt divinæ Scripturæ loca, in quibus choreæ damnantur. Eccleſiaſticus cap. IX. verſ. 4. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.*

II. Propheta Iſaias *cap.* III. *verſ.* 16. feminas ad choreas ſe præparantes deſcribere videtur his verbis. *Et dixit Dominus : Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant : decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit . . . & erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium.*

III. Sanctus Iob cap. XXI. verſ. 11. *Egrediuntur, quaſi greges, parvuli eorum, & in-*

infantes eorum exultant luſibus. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

IV. Ex Patribus aliqua tranſcribam. S. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* XLVIII. *in Matth.* de Herodiade hæc ſcribit. *Diaboli uſa patrocinio petitionem pergit: ille enim effecit ut ipſa ſaltans placeret, ille mentem Herodis eripuit. Ubi enim ſaltus laſcivus, ibi diabolus certe adeſt. Non enim ad tripudia pedes nobis præbuit Deus, ſed ut modeſte incedamus; non ut impudenter camelorum modo ſaliamus, ſed ut in Angelorum choris conſiſtamus. Quod ſi corpus deforme fit impudenter ſaliendo, quanto magis animam fœdari credendum eſt? His tripudiis diabolus ſaltat, his a dæmonum miniſtris homines decipiuntur . . . Multa etiam nunc eiuſmodi ſympoſia celebrantur, in quibus, etſi Ioannes non interficitur, Chriſti tamen membra dilaniantur, multoque graviora committuntur. Non enim caput Ioannis qui modo tripudiant, ſed animas recumbentium petunt.*

V. S. Ephrem Syrus homilia in qua oſtendit Chriſtianos debere a ludicris rebus abſtinere, inquit: *Nolite errare: nullus ſervus poteſt duobus dominis ſervire. Nemo poteſt Deo ſervire, ac cum diabolo choreas ducere. Ad imaginem Dei facti ſumus: non dedecoremus imaginem Dei; ſed tamquam milites Chriſti illum ſequamur, illi ſerviamus. Noli hodie pſallere cum Angelis, & craſtino die in tripudiis eſſe cum dæmonibus. Noli hodie ſacras lectiones audire, tamquam Chriſti dilectus auditor, & cras citharis intentus eſſe, ut prævaricator, & Chriſti inimicus. Noli hodie pœnitere de peccatis, & cras in perditionem tuam ſaltare in choreis.*

VI. Divus Ambroſius Lib. III. de Virginibus cap. V. *Nemo, ut dixit quidam ſæcularium Doctor, ſaltat ſobrius, niſi inſanit. Quod ſi iuxta ſapientiam ſæcularem ſaltationis aut temulentia auctor eſt, aut amentia; quid divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, cum Ioannes prænuntius Chriſti, ſaltatricis optione iugulatus, exemplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebram quam ſacrilegi furoris amentiam?*

VII. Item cap. VI. *Reginæ filia, intimis amandanda ſecretis, in conſpectu virorum ſaltatura producitur. Quid potuit de adultera diſcere, niſi damnum pudoris? An quidquam eſt tam pronum ad libidinem, quam inconditis motibus ea quæ vel natura abſcondit, vel diſciplina velavit, membrorum operta nudare, ludere oculis, rotare cervicem, comam ſpargere? Merito inde in iniuriam divinitatis proceditur. Quid enim ibi verecundiæ poteſt eſſe, ubi ſaltatur, ſtrepitur, concrepatur? . . . Quid dicitis vos, ſanctæ feminæ? Videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltat, ſed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem.*

VIII. S. Auguſtinus in Pſal. XXXII. conc. I. *Obſerva diem ſabbati, non carnaliter, non iudaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius tota die foderent quam tota die ſaltarent.* Plura brevitatis gratia omitto.

IX.

Digitized by Google

IX. Concilium Laodicenum ſub S. Sylveſtro celebratum anno circiter 321. cap. LIII. inquit: *Non oportet Chriſtianos ad nuptias euntes vel ballare, vel ſaltare, ſed caſte cœnare, vel prandere, ſicut competit Chriſtianis.* Concilium Africanum *cap.* XXVII. vocat ſaltationes ſceleratiſſimas. Eaſdem damnant Concilia, Romanum ſub Leone IV. *cap.* XXXV. Carthaginenſe *cap.* LXI. Toletanum III. & alia, quæ recenſere non vacat.

X. Ex recentioribus ſanctis Doctoribus D. Antoninus longum habet de choreis ſermonem *II. P. tit.* VI. *cap.* VI. Præmittit, eas *ſecundum ſe* non eſſe peccatum; ſed in praxi pluribus de cauſſis culpa infectas eſſe, ſubdit, adducta auctoritate Alexandri de Ales *in IV. diſt.* XVI. Pauca ex multis afferam. Inquit ergo *§.* 1. *De chorizantibus poteſt moraliter exponi illud Pſalmi* XCVI. Inflammabit in circuitu inimicos eius ignis . . . *Iſtud autem eſt iter diaboli. Ipſe enim circuit. I. Petr.* V. Adverſarius veſter diabolus circuit quærens quem devoret. *Qui ergo tripudiant, cum faciant iter diaboli, cum eo ſe reperient in termino inferni.*

Non ſolum autem ſequuntur tripudiantes iter diaboli, quinimmo diabolus ipſe inſidians eis, ut aſſeſſor equo ducit eos: quod pulchre oſtendit Ioannes Apocalyp. IX. *ubi dicit, quod de puteo abyſſi, quem vidit*, aſcendit fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol, & aer, & de putei fumo aſcenderunt locuſtæ ſuper terram. *Et harum ſimilitudinem ponens dicit quod locuſtæ iſtæ erant* ſimiles equis paratis ad prælium, & ſuper capita eorum tamquam coronæ ſimiles auro, & facies earum tamquam facies hominum, & habebant capillos ſicut capillos mulierum *&c. Notate verba ſingula, ſignate myſteria.* Locuſtæ *illæ ſunt mulieres chorizantes*. Puteus abyſſi, *unde iſtæ aſcendunt, eſt profunditas inferni, unde ſuggeritur tale exercitium chorizandi a dæmonibus.* Fumus fornacis magnæ, *cum quo exeunt locuſtæ de puteo, eſt incitamentum, & ſignum magnæ concupiſcentiæ, & laſciviæ, unde ortum habent choreæ, & cum qua fiunt.* Et hic fumus obſcurat ſolem, & aerem, *ideſt concupiſcentia obtenebrat viros etiam ſapientes, & doctores*, & aerem, *ideſt contemplativos, & ſpirituales homines, ut patet in David, Salomone, & vitis Patrum per plura exempla.* Eæ aſcendunt ſuper terram, *ſcilicet chorizantes, diſcurrendo ſicut locuſtæ ſaltantes: & ſicut* locuſtæ regem non habent, *ut dicitur Proverbiorum penultimo, unde inordinate incedunt; ita tales rationem non habent regentem eas, ſed ut bruta animalia hinc inde levitate diſcurrunt . . . . Sicut homines utuntur equis phaleratis ad impugnandum inimicos, ita dæmones utuntur mulieribus ornatis ad expugnandum ſervos Dei, qui ſunt inimici dæmonum: & ſicut equus* odorat procul bellum *Iob* XXXIX. *& appetit currere ad campum; ita vanæ mulieres inquirunt de locis, ubi poſſint oſtentari, & currunt ad talia loca, in quibus diabolus deiiciat, & proſternat multos gladio concupiſcentiæ.* Plurima alia ibidem ſcribit S. Antoninus, quæ miſſa facio.

XI.

Digitized by Google

XI. S. Carolus Borromæus in Libro *Memoriali* P. II. cap. vi. *Valeant execrandæ illæ, publicæque ſaltationes, Chriſtianorum caſtitati adeo exitioſæ, rixarum, iurgiorum, inimicitiarum, impudentiarum, pugnarum, cædiumque radices, & occaſiones, immo cuiuſcumque laſciviæ ſeminaria. Quid plura? Ex eiuſmodi ſaltationum conſortiis oriuntur corporum, famæ, rerum, & chriſtianæ denique poſthac diſciplinæ detrimenta. Eliminentur ergo choreæ, & una cum his tot aliæ morum corruptelæ, quibus hoc maxime tempore ſolet Satanas hominum mentes ſuo imperio vindicare, prorſus abrogentur.* Plura ſimilia habet *Actor. II. P. tit. Inſtruct. pœnit.*

XII. Raphael Volateranus *Philolog. Lib. III.* docet, choreas ipſis Ethnicis improbari. *Omnino totum hoc genus ſaltationis, utpote libidinoſum, peſſimique exempli, non ſolum a Chriſtianis, ſed etiam ab infidelibus reiicitur. Unde Cicero pro Muræna: Nemo ſobrius ſaltat, niſi forte inſanit. Auguſtinus quoque noſter, Præſtat, inquit, arare, vel fodere die dominico quam choreas ducere.*

XIII. Ioannes Gerſonius *IV. Part. Dom. 3. Advent.* teſtatur, *choreas ob fragilitatem difficile ſine diverſis peccatis agitari; & omnia peccata cadere, & concurrere in choreas.*

XIV. Ioannes Nyder celebris Theologus Gerſonio ſuppar in 6. *Decal. præcept, cap.* III. ait: *Eſt præterea aliud multum peccato luxuriæ deſerviens, videlicet chorea . . . Chorea diabolicum habet exordium, ut refert Magiſter hiſtoriarum, nam a ſarepthauro quodam dæmone ſic dicto exordium habuit.* Septem affert rationum momenta, quibus evincat choreas in praxi, prout reapſe exercentur, peccatorum plenas eſſe; quamvis *ſecundum ſe* peccatum non includant.

XV. Franciſcus Petrarcha, rei amatoriæ peritiſſimus, qui tamen, ſi iuvenis ſuos carminibus luſerat amores, provectus ætate, ſingulari pœnitentia ductus, calamo vere chriſtiano virtutis ſemitas deſcripſit, luxuriæ ſcelus inſectatus eſt, &, quæ ad illud viam aperiunt latiſſimam, chorearum pericula elegantiſſime patefecit *dial.* XXIV. inquiens: *In choreis non tam delectatio præſens, quam ſperatæ delectationis auſpicium. Veneris præludium illud quidem ſolet ſtupidas, ac miſellas circumducere, atque urgere, ac ſtringere, ac ſpecie urbanitatis atterere. Liberæ ibi manus, liberi oculi, liberæ voces: pedum ſtrepitus, & multarum cantus diſſoni, & tubarum clangor, concurſatio, & pulvis, & quæ ſæpe ludis additur, hoſtis pudicitiæ, & amica ſcelerum nox ipſa. Hæc ſunt quæ timorem, ac pudorem pellunt. Hi ſunt libidinum ſtimuli, hæc laxamenta licentiæ, & hæc eſt, ne me falli facilem putes, illa delectatio quam ſimpliciter, & velut innocua chorearum appellatione profitemini, & ludi tegmine crimen obnubilatis.*

XVI. Ultimo loco, ut innumeros præteream Doctores adiicere lubet P. Paulum *Segneri*, qui in ſuo celebri opere, quod inſcriptum fuit *Chriſtianus Inſtructus III. Part. ſerm.* XXIX. omni argumentorum genere choreas inſectatur. Animadver-

ver-

Digitized by Google

vertit ille, ab omnibus Patribus, & ſanctis viris ſaltationes damnari: quia, inquit, Patres choreas quas reapſe Chriſtiani agunt, expendunt, & proſcribunt. Caſuiſtarum illi qui ut licitas choreas defendunt, illas in metaphyſica abſtractione meditantur, &, ut ipſi loquuntur, *ſecundum ſe*. Lubet Auctoris ipſa verba tranſcribere. *Rendetemi ora, o dilettiſſimi, la ragione di queſta gran diverſità di parlare. I Dottori morali aſſolvono i balli, come leciti; e i Santi li condannano, come diabolici. Quelli dicono, Non è peccato l'andare al ballo; e queſti dicono, Andare al ballo è andare alla feſta dell' inferno.... Sapete però voi qual è la vera ragione di queſte due ſentenze tanto contrarie, de' Caſiſti, e de' Santi in queſta controverſia de' balli? Eccola. I Caſiſti parlano de' balli ſpecolativamente, ſecondo che ſono in sè; e così dicono il vero, dicendo, che in sè non ſono peccato. Ma i ſanti Padri parlano de' balli, come rieſcono in pratica: e perchè in pratica portano tanta rovina all'anime criſtiane; però avviene che eſſi li deteſtino tanto.*

XVII. Unum hinc colligas obiter, lector, velim, audiendos non eſſe Caſuiſtarum plures, qui, dum nos Patrum ſententias afferimus, reponunt, ſanctos Patres locutos fuiſſe veluti oratores, & nimium a praxi remote. Hanc diſtinctionem a Luthero primum, ceteriſque Proteſtantibus invectam exſcripſerunt Caſuiſtarum aliqui. Quemadmodum enim hac futili diſtinctione illi nitebantur eludere doctrinam Patrum, quæ confirmat dogmata catholica contra illorum errores; ſic iſti eludere tentant Patrum doctrinam, qua morum ſanctitas cuſtoditur adverſus novas laxas opinationes. Caſuiſtæ plures utique iactant, ſe caſus conſcientiæ practicos exhibere: &, cum reſolvunt caſus *practiciſſimos*, ad diſtinctiones a praxi ſeiunctas confugiunt? Quænam praxis choreis frequentior, & pluribus vitiis obnoxior? Quid itaque prolixe diſputant de chorearum natura abſolute conſiderata; & de chorearum praxi aut nihil, aut obiter tantum loquuntur? Non improbo methodum explicandi rerum omnium de quibus inſtituitur diſputatio, notiones; dummodo ſobrie id præſtetur, & temperanter, & ut ad controverſiam dirimendam conducit. At Caſuiſtæ plurimi naturas rerum ſcrutantur, a circumſtantiis, & praxi divulſas, ut earum licitum uſum in praxi defendant. Quod enim, inquiunt, abſolute innocuum eſt, & licitum; quidni & in praxi licitum erit? Si quis reipſa lapſum in choreis experiatur, ſibi caveat; at non damnet choreas ipſas, quæ, ut abſolute innoxiæ, aliis licitæ eſſe poſſunt. His illuſionibus luxuriæ venenum propinant fide bona bibendum.

XVIII. Reiecta ergo hac plurium Caſuiſtarum methodo, rationum momenta, quæ chorearum hodiernam praxim corruptam eſſe, & flagitiorum pleniſſimam evincunt, promenda ſunt.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Rationes quæ chorearum corruptelam damnandam oſtendunt.

I. PRimam rationem arceſſunt Patres, & poſt ipſos Theologi, potiſſimum Bonus Merbeſius in *Sum. Chriſtian. Par. I. quæſt.* lxxxvi. ab inſtitutione chorearum, quas non Deum, ſed diabolum inſtituiſſe planum eſt. Prima chorearum inſtitutio narratur *Exod.* xxxii. Diabolo quippe inſtigante, Hebræi vitulum conflatilem ædificarunt, eumque choreas agendo, cantibuſque coluerunt. In vitulo, petulco laſcivoque animali, concupiſcentiam carnis figuratam vident Patres; in aurea, ex qua conflatus fuit, materia oculorum concupiſcentiam; & in eiuſdem exaltatione ſuperbiam vitæ. Heinc inferunt, tria eſſe ſaltantium idola, quibus honores pendunt, panguntque laudes ſaltatores. An non loco idoli habent laſcivi adoleſcentes puellam, quam in ſaltantium cœtu ſpectant ceteris agiliorem, elegantiorem, venuſtioremque? An non adorantium in morem procumberent, quo illam ad ſuam pertraherent libidinem?

II. Ubi magis quam in ſaltationibus turget vitæ ſuperbia? Huc omnia tum puellarum, tum procorum ſtudia pertinent, ut in ſaltantium choro ceteris omnibus emineant. Eo curas intendunt, ut ad regulas pomparum, luxus, faſtuſque corpora ſua ornent. Quid de mulierum fucis, & calamiſtris dicam? Quid de oculorum petulantia? Nullam hic Deus partem habet. Diabolus thronum erigit, in quo luxuriæ & filiarum eius tributa ſuſcipit. D. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* xlviii. *in Matth.* ſaltantium cœtum convivium vocat diabolicum, & ſatanæ ſpectaculum, ubi oſtendit Herodiadis filiam, diabolo inſtigante, ſaltaſſe. *Neque enim*, inquit, *impudens puella ſeorſim ad Herodem acceſſit, & de iſtis eſt collocuta, ſed coram cunctis videntibus, & audientibus velamine abiecto, omni pudore ſepoſito, aſſumpto in patronum diabolo, petitionem adornavit. Ipſe enim effecit ut ſaltans placeret, & ab dementato Herode quod petierat impetraret. Nam diabolus eſt ubicumque ſaltatio peragitur. Non enim ad tripudia Deus nobis pedes impertiit, ſed ut cum modeſtia gradiamur; non, ut impudenter camelorum in morem ſaliamus (nec enim ſolum feminæ, ſed etiam cameli fœde turpiterque ſaltitant) ſed ut cum Angelis choros exerceamus.*

III. S. Ephrem, qui floruit ſæculo iv. fuitque celebris Edeſſenæ Eccleſiæ in Syria Diaconus, in homilia qua probat Chriſtianis abſtinendum eſſe a rebus ludicris, choreas, diaboli diverticula, & aucupia vocat. *Ob improbum diaboli conſilium! Quomodo unumquemque ſupplantat fraudulenter, fallitque, ac mala pro bonis*

Digitized by Google

nis ſuadet. Hodie, ut videre licet, pſallunt ex ordinatione Dei, & cras ſtudioſe choreis incumbunt iuxta doctrinam ſatanæ. Hodie abrenuntiant ſatanæ, & poſterò die iterum ſequuntur ipſum. Hodie coniunguntur Chriſto, & cras abrenuntiant, abnegant, inhonorantque Deum . . . . Noli hodie ſacras lectiones audire tamquam Chriſto dilectus auditor, & cras citharis intentus eſſe, ut prævaricator, & Chriſti inimicus. Noli hodie pœnitere de peccatis, & cras in perditionem tuam ſaltare in choreis.

IV. Altera ratio, quæ chorearum pravitatem evincit, inde repetitur, quod in Deum referri nequeant: quæ ſane ratio ſophiſma recentiorum Caſuiſtarum diſſipat. Choreæ quas & Maria ſoror Aaronis poſt maris rubri tranſitum egit, ut Deo plauderet ob inſignem AEgyptiorum cladem, & David ante arcam Domini, in Deum reipſa referebantur, quia ex ſpiritu religionis in Deum proficiſcebantur. Quod autem infernnt recentiores Moraliſtæ, choreas ſuapte natura non eſſe malas, purum putumque eſt eorum commentum. Si enim malæ non ſunt, referri ergo in gloriam Dei, quemadmodum choreæ David, & Sororis Aaron, poterunt. Quis vero ſanæ mentis dixerit, hodiernas choreas marium feminarumque promiſcuas, in gloriam Dei referri poſſe? Quis hodie ad choreas accedit, ut Deo inſerviat? Quis victimas ſaltationnm offerre Deo auſus fuerit? Deo ne litabunt ſuſpiria illa, geſtus, alloquia, oculorum ictus, & cetera quæ mutuo peragunt ſaltatores? In quæſtionem vocentur hominum, mulierumque ſaltantium conſcientiæ. Voluptas illa maxima quam in choreis capiunt, unde proficiſcitur? Ex amore Dei? Nemo id dixerit. Ex honeſta actione, quæ hic & nunc in Deum referri queat? Nequaquam. Interrogentur ipſi ſaltatores, num auderent Deo eiuſmodi oblectamenta offerre? Numquid ex amore caritatis erga ſemetipſos, aut erga proximum choreas ducunt? Non diligunt ſe, neque quantum ad animam, *quia qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*; neque quantum ad corpus, quia *qui fornicatur, in corpus ſuum peccat*, inquit Paulus *I. Cor. cap.* VI. Corpora enim Chriſtianornm ſacris undis abluta, membra ſunt Chriſti: dum libidine polluuntur, membra fiunt diaboli. Choreæ autem libidinum ſeminaria ſunt, aut libidinum irritamenta, & occaſiones graviſſimæ. Quare qui ſaltationes frequentant, peccant in Deum, in ſeipſos, & in proximos. Quot puellæ, & adoleſcentes chorearum illiciis in laqueos pertrahuntur luxuriæ? Audiamus iterum Chryſoſtomum in laudata homil. XLVIII. in Matth. *Multa enim hac noſtra ætate celebrantur convivia, multæ choreæ, & ſaltationes homicidæ peraguntur: in quibus non iam ſanctiſſimus Præcurſor interficitur, ſed ipſa Chriſti Ieſu membra immaniori quopiam modo, ſævitiaque iugulantur. Non iam apportatur in diſco caput in ſaltationis pretium, ſed aſtantium plerique omnes fœdis belluiniſque voluptatibus turpiſſime mancipantur: dum ſcilicet irretiuntur criminoſis cupiditatibus*,

non abſciſſo cervicibus capite, ſed anima a Chriſto Domino revulſa, crudelius enecantur.

V. Tertia ratio cur choreæ vetitæ Chriſtianis dicantur, ex periculis, & occaſionum gravitate arceſſitur. Quis inficias iverit choreas occaſiones eſſe, & irritamenta luxuriæ? Ad quinque Merbeſius capita revocat libidinis occaſiones quæ ex choreis accipiuntur.

VI. Primum genus eſt reciprocus oculorum obtutus. Mulierum aſpectus, Scriptura ſacra teſte, periculi plenus eſt. Aſpectus iſte prima eſt libidinis fax. Quis porro ignorat vim, efficaciamque ſummam quam eiuſmodi aſpectus ex ſaltantium vicinitate acquirunt? Scintillæ reciprocæ iaculantur, & mutuo foventur. Defiguntur oculi, puellæ laſciviunt, loquuntur, & futuras deſignant libidines.

VII. Occaſioni primæ oculorum accedit ſecunda non inferior occaſio colloquii cum ſaltatricibus puellis, & mulierculis: quod vitandum, tamquam luxuriæ incitamentum, Eccleſiaſticus docet cap. IX. verſ. 11. *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti ſunt: colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.* Si ubique muliebre colloquium familiare plenum eſt periculi, in choreis exitiale prorſus evadit. Mulieres illuc accedunt omni exquiſitiore, quoad fieri poteſt, ornatu. Choreæ conſiderantur a feminis, ceu nundinæ, quo detectam pulchritudinem, pompam, faſtum, & quidquid eſt vanitatis, & lenocinii, deferunt. Quorſum? Ut vel matrimoniis ineundis viam parent, vel ut amantium, & propriæ pulchritudinis idololatrantium turbam ſibi comparent. Nullum ibi verbum, quo feminea verſutia ad captandam benevolentiam, emolliendoſque adſtantium animos non intendat. Paucis vim colloquii mulieris ſaltantis exprimit Salomon Proverb. cap. V. *Favus diſtillans labia meretricis.* Quemadmodum enim in favo mellis, inquit Merbeſius, duo ſunt, mel nempe, & cera; ita in facie mulieris duo ſunt, videlicet decor, & gratia, hoc eſt pulchritudo oris, & dulcedo ſermonis. Cera ſuccendit ignem, & mel præbet dulcedinem: ſic pulchritudo mulieris igne libidinis inflammat carnem, & blandimento lenocinantis linguæ ſubvertit mentem. *Molliti ſunt ſermones* mulierum *ſuper oleum*; *ipſi autem ſunt iacula.*

VIII. Tertium occaſionis genus ſitum eſt in cantilenis, & muſicis inſtrumentis, quæ ſemper choreas comitantur. Muſica autem ſuapte natura animos laxat, & reddit effeminatos. Quid porro, cum mulierculæ ipſæ muſicam agunt, cantiones concinunt, eaſque geſtu, oculis, motibus, & aliis lenociniis aſſociant? Quis hoc muliebri apparatu, his ſymphoniarum concentibus, & tot præſtigiis ſive illecebris non emolliri ſe ſentiet?

IX. Vicinitas, & contactus mutuus ſaltantium quartum conſtituunt occaſionum genus. D. Hieronymus Lib. I. contr. Iovinian. *Mulieris tactus*, inquit, *quaſi conta-*

Digitized by Google

tagioſus, & venenatus, eſt viro fugiendus, non minus quam rabidiſſimi canis morſus. Non minus contactus iſte libidinem accendit ac ignis paleam. *Numquid* (ait Salomon Prov. VI.) *poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant; aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cum tetigerit eam*. Accedit, contactus muliebres in choreis vim habere efficaciorem ex nimia familiaritate, ex mutua benevolentia.

X. Quintum denique occaſionum genus, quæ ad luxuriam pertrahunt, comprehendit tempora diuturniora, & ſæpe loca ſecretiora: item multitudinem ſaltantium, qui invicem ſibi animos faciunt, ſeſeque mutuo incitant, provocant, urgentque.

XI. Sextum ego addiderim occaſionum genus, omnium graviſſimum, quod ex quinque recenſitis coaleſcit. Ubi, quæſo, in choreis pudor muliebris, ſine quo caſtitas omnis periclitatur? Ubi verecundia? Ubi oculorum modeſtia? Ubi ſpecimen chriſtiani decoris? Ubi nota profeſſionis baptiſmalis? Senſus omnes laxatis habenis circumvolant omnia, omnia luſtrant. Quam formoſiorem, ſibique cariorem mulierculam quis viderit; eam porrecta manu ſibi deligit, ad ſe trahit. Quiſque illam, erga quam vehementius ardere ſe ſentit, puellam ad ſaltandum invitat. Ne multa. Corporum agitationes, mutui tactus, & non raro preſſus, familiaria colloquia, concentus harmonici, aſpectus reciproci, & alia huiuſmodi plura adeo accendunt libidinis ignem, ut vel conſtantior caſtitas periclitaretur. Niſi hæc omnia ſimul collecta ſint graviſſima luxuriæ irritamenta; nulla eſt in hoc mundo occaſio, nullum caſtitatis periculum.

XII. Quis itaque admirari pro dignitate valet recentes illos Caſuiſtas qui a culpa hodiernas choreas excuſare non erubeſcunt? Et iſti vocantur Doctores temporum, qui temporum caſus reſolvunt. Non ergo de choreis illis eſt ſermo quas ſola mente confingunt adverſarii; ſed de choreis quas reapſe hac tempeſtate peragunt mares, & mulierculæ, non in Dei gloriam, ſed in ſenſus oblectamenta. Futile ergo effugium eſt dicere, choreas *ſecundum ſe* nihil mali præferre. Nam in præſens non diſputatur de choreis ſecundum ſe, ſed de choreis quæ in praxi aguntur inter perſonas utriuſque ſexus. Ego ſerio animo reputans omnes chorearum circumſtantias, quæ omnibus obviæ ſunt, quæque plus minuſve ſemper choreas comitantur, numquam crediidiſſem, hominem chriſtiana ratione præditum præfatas choreas a culpa purgare poſſe; atque niſi Caſuiſtarum libros propriis oculis legiſſem, cuicumque narranti renuerem fidem præbere. Illos excuſat P. Paulus *Segneri*, tamquam de choreis locutos abſolute, & ſecundum ſe. Patres vero eaſdem omnino damnant: quia non aliter illas conſiderant quam ut in praxi exercentur. Dum in aliis cauſſis Patres allegamus, reponunt, Patres aut

rethorice loqui, aut non verſare caſus temporum. Nunc contra reſpondent, ſe choreas defendere quæ in Platonica Republica aguntur, ſecus quas Chriſtiani exercent.

§. III.

Auctoritate Eminentiſſimi Lambertini Archiepiſcopi Bononienſis, nunc BENEDICTI XIV. choreæ damnantur.

I. INſtructio Paſtoralis unius Epiſcopi, quem poſuit Deus regere Eccleſiam ſuam, prævalet, ſi abſolute loquamur, centum Caſuiſtarum, qui ex ingenio ſcribunt, deciſionibus. Caſuiſtæ plures novum opinandi modum invehentes, ſuis inopportunis diſtinctiunculis Patrum ſanctorum, & Scripturarum doctrinam implicarunt. Animadvertit Pontifex ſummus in ſua *collect. Notific. Tom.IV. notific.* IX. Bartholomæum Fumum *verb. Chor.* docere choreas ex genere ſuo non eſſe peccatum mortale: ſimiliter P. Azorium *Inſt. Mor. Part. III. Lib. III. cap.* XXXVI. *quæſt.* I. inquientem, choreas *non eſſe damnandas ut peccata mortalia, quoniam ex ſe illicitæ non ſunt; ſed tantum ex mala intentione, aut abuſu, aut ex probabili periculo libidinis in aliquo, aut ex aliqua alia circumſtantia*. Quam ſint eiuſmodi diſtinctiones, evangelicæ morali pernicioſæ, vix conſequi oratione poſſumus. Iactant Probabiliſtæ, ſe caſus temporum, utpote Doctores temporum, diſcutere. De choreis ergo quæ hoc tempore reipſa peraguntur, & non in generica, & metaphyſica abſtractione ſpectatis, diſputandum eſt. Recenſitæ diſtinctionis venenum continuo deprehendes, ſi adverteris ad illa verba: *Quoniam ex ſe illicitæ non ſunt, ſed tantum ex mala intentione, aut ex abuſu, aut ex probabili periculo*. En laqueos, in quos incidunt & miſeri lectores, & Chriſtianorum animæ. Omnes communiter dicent ſe bona intentione accedere ad choreas. Ergo licitas reipſa eſſe colligent. Subdunt illicitas eſſe *aut ex abuſu, aut ex probabili periculo libidinis*. Ecquid? Separabile ne eſt a choreis quæ nunc in more ſunt, periculum? Utique, inquient, quia ex ſe illicitæ non ſunt. Et hic eſt ſcopulus ad quem animæ alliduut. Choreæ viros inter & mulieres, inter iuvenes & puellas, quæ nunc in uſu ſunt, libidinis, tactuum impudicorum, nedum ſubimpudicorum, delectationum periculis communiter ſubiacent. Ergo hodiernæ choreæ communiter flagitiorum plenæ ſunt. Porro quod communiter in genere moris vitioſum reipſa eſt, reipſa, & in praxi abſolute vitioſum, ſpectatis omnibus, pronuntiatur. Hæc doctrina adeo certa eſt, ut nec ab ipſis Probabiliſtis vocari in diſputationem iure valeat. Ineptiſſime ergo, & ſummo evangelicæ moralis detrimento ratiocinantur, dum choreas, quas hodie

hodie iuvenes & puellæ, mulieres & viri viciſſim ducunt, ad abſtractionem metaphyſicam comprehendentem omnes choreas quas agere aliquo in caſu poſſunt viri cum aliis viris, puellæ cum aliis puellis, revocant. Quoniam ex hac metaphyſica abſtractione inſerunt hodiernas choreas, quæ reipſa fiunt, non eſſe illicitas, quia a luxuriæ periculis immunes illas falſiſſime ſupponunt. Garrient alii, periculum iſtud remotum eſſe, aut tantum probabile. Si probabile eſt periculum, inquit P. Gobat; ergo probabile etiam eſt eius oppoſitum. Et his futiliſſimis cavillatoriis diſtinctionibus ut licitas choreas hodiernas propugnant.

II. Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. *loc. cit.* ſapienter poſt relatam Probabiliſtarum opinionem continuo ſubdit: *Per lo contrario i ſanti Padri condannano i balli come tanti peccati.* „ E contrario ſancti Eccleſiæ Patres, ut peccatorum ple„ nas, choreas damnant." Aliquorum Patrum teſtimonia allegat. S. Ephrem *de ludis fugiendis* hæc ſcribit. *Ubi cytharæ, & choreæ, ibi vitiorum tenebræ, mulierum perditio, Angelorum triſtitia, diaboli feſtum.* S. Baſilius teſtatur, mulieres choreas ducentes, aut corporis, aut animi caſtitatem amittere, *orat.* VIII. *de temp. & inconſt.* Hæc ſunt illius verba: *Quod ſi nonnullæ peccatum corpore effugerunt, omnes tamen animo depravatæ atque inquinatæ ſunt.* Fuſius choreas deteſtantur ex Latinis S. Ambroſius *Lib. III. de virg.* & ex Græcis S. Ioannes Chryſoſtomus *homil.* III. *de David.*

III. Inducit poſtea Pontifex ſummus Theologos ſeveræ chriſtianæ moralis aſſertores hoc pacto apud P. Balthaſſarem Francolinum in ſuo *Clerico Romano Lib. II. diſp.* VII. *calumn.* 7. *num.* 32. loquentes. *Omnes tam Latini, quam Græci Doctores choreas damnant, tamquam delictum Deo graviter inviſum... Veſtri tamen Caſuiſtæ recentiores gravem in eis fœditatem ineſſe negant. Num hoc etiam eſt illud quod pertinet ad ſolam veterem diſciplinam, & noſtro tempori non congruit, ut paullo ante dicebas? Ita profecto noſtro tempori virtutes non congruunt, ſed ſola vitia; & Patres fuere ſuorum temporum Doctores, non autem noſtrorum. Puto quod hæc dicturus ſis. Quid enim aliud dicturus ſis, non video.*

IV. Mirifica ſunt reſponſa quæ P. Francolinus reponit *ibidem num.* 33. Inquit enim. „ Quæro, inſtituunt ne Patres citati has quæſtiones: An omnes choreæ ſint „ illicitæ? An huiuſmodi ſint choreæ inter eiuſdem ſexus perſonas ad fallendum „ tempus ductæ? An ſemper ſint illicitæ, quæ exercentur inter perſonas diverſi „ ſexus? An quæ licitæ per ſe ſunt, exerceri ab omnibus, aut in omni loco poſ„ ſint? Has certe quæſtiones non inſtituunt Patres, ut faciunt *Theologi morales*, „ ſed invehuntur in choreas, utique non in omnes: alioquin peccaſſet *David* ani„ mo ſimul, & corpore ante arcam exultans: ergo ſolum aliquas. Ita profecto „ explicandi ſunt, quamvis non diſtinguant."

V. En quam verum ſit, novum opinandi modum tot diſtinctiuncularum ſatelli-

tibus ſtipatum adverſus Scripturarum, & ſanctorum Patrum doctrinam incedere; ut nihil, quantumvis luculentum, & explanatum conſiſtere valeat. Patres ſancti invecti ſunt in choreas quæ & tunc temporis, & noſtra ætate communiter fiunt inter perſonas diverſi ſexus, quia non ſophiſtas, non cavillatores agebant. Sed David choreas egit ante arcam. Ergo damnari choreæ omnes nequeunt. Papæ! Quot, mi Pater, & tunc, & nunc *Davides chorizantes* ante arcam, ut diſtinctione caſuiſtica opus ſit? Male invecti abſolute ſunt Patres in furtum: quia Hebræi ex AEgypto diſcedentes aliena bona ſurripuere. Abſolute Patres choreas improbant. Et tamen Maria ſoror Aaronis, aliæque ſanctæ mulieres choreas egerunt, Dominumque magnificarunt. Ergo Patres indiſtincte, & confuſe adverſus choreas declamarunt. Præclariſſime. Neceſſum erat ut Theologi morales diſtinguerent, ne hodiernæ Mariæ, & Cinthiæ, & Lucretiæ ſaltantes, canentes, & convivantes ante arcam ſcrupulis torquerentur? Cavillationes iſtæ ſunt, & effugia vana ad Patrum doctrinam deludendam quæſita. Patres, & Theologi Patrum ſectatores abſolute choreas damnant quæ reipſa in uſu ſunt. Moralia moraliter tractanda, & intelligenda docent omnes. Caſus aliquis rarus, & inſolitus non impedit quominus communem abuſum reipſa ſerpentem abſolute, & omni diſtinctione ſublata, damnemus. Patres non examinarunt *choreas ad fallendum tempus ductas*? Fallere ne tempus Chriſtiano, qui de verbo otioſo reddere ſupremo iudici rationem debet, licitum eſt? Audi lector chriſtiane aliam caſuiſticam diſtinctiunculam. De verbis otioſis reddere rationem in die iudicii debemus; concedimus: de factis otioſis; negamus: inquiunt Theologi Univerſitatis cuiuſdam Bavaricæ, quorum verba dabimus *Tom.VI. Lib.I. diſt.* 1. *cap.* XI. Vide interim P. Amort *Diſq. dogmat. de actu indifferenti in individuo*.

VI. P. Paulus Segneri, ut vidimus ſupra, recentiores Theologos excuſare nititur his verbis. *I Caſiſti parlano de' balli ſpecolativamente, ſecondo che ſono in sè; e così dicono il vero, dicendo, che in sè non ſono peccato. Ma i ſanti Padri parlano de' balli come rieſcono in pratica*. Hæc Caſuiſtarum defenſio ſummopere diſplicet P. Balthaſſari Francolino. Quid? Caſuiſtæ noſtri, qui ſunt Doctores temporum, verſantes caſus temporum, *ſpeculative* de choreis loquuntur? Qui ergo Theologi *practice* decidunt occurrentes caſus? Scholaſtici? Dogmatici? Patres? At Patres illi ſunt qui *ſpeculative*, *abſtracte*, *& nimis univerſe* declamant. Caſuiſtæ noſtri *practice* diſtinguunt, dividunt, & circumſtantias omnes expendunt, inquit P. Balthaſſar Francolinus. Celeberrimi hi duo Caſuiſtarum advocati, & patroni invicem diffidunt, contrariis viis inſiſtunt, & mutuis antilogiis ſe ſe conficiunt, ut Caſuiſtas ſuos defendant. Hæc mutua pugna evidenter demonſtrat, recentiores Theologos Probabiliſtas errare, & e contrario Patres divinam docere, & inculcare doctrinam.

VII.

Digitized by Google

VII. Sed miſſa futili defenſione a P. Francolino pro Caſuiſtis adornata adverſus Eccleſiæ Patres, in medium prodeat ſententia eiuſdem P. Balthaſſaris Francolini, qui tandem *cit. num. 33.* hoc pacto argutatur. *Choreæ impuræ PER SE, adeoque ſemper impuræ, ſunt quæ mixtis maribus feminiſque, immo etiam ſeparatis, fiunt, cum geſtibus obſcenis, tactibus parum pudicis, amaſiarum, amicorumque interventu, & ſimilibus.* Diſtinctio hæc inepta eſt, & vana: nam geſtus obſceni, & tactus impudici ſe ipſis peccata ſunt, pulſis choreis. Has choreas ut vitioſas deteſtatur & ipſe. Parum hoc tibi videtur? Audiamus alteram diſtinctionem, quam continuo ſubdit. *Impuræ PER ACCIDENS ſunt choreæ quæ per honeſtas feminas, viroſque in conviviis, in nuptiis, in diebus lætitiæ fieri conſueverunt. Hæ PER SE impuræ, & peccaminoſæ non ſunt: exerceri enim ſine peccato mortali per ſe poſſunt.* Nunc comprehendes lector, quam inſidioſæ ſint eiuſmodi diſtinctiunculæ, & evangelicæ, Patrumque doctrinæ infeſtæ. Chriſtiani ergo *diebus lætitiæ*, nempe diebus bacchanaliorum, lauta parare convivia una cum feminis: pleno ventre, inter phialas & pocula mares & feminæ, cantus inter & harmonicos ſonitus ſaltare ſimul valent, quin *per ſe* ulla libidinis delectatio, ullus impudicus aſpectus ſuccedat? *Per ſe*, inquit P. Francolinus, *impuræ* & *peccaminoſæ* non ſunt. *Per accidens* autem aliquis ex ſua aut malitia, aut fragilitate, aut impotenti venere prolabi in aliquod luxuriæ flagitium valet. *Quid*, clamat P. Francolinus ibidem, *in tota hac doctrina contrarium Patribus? Immo quid non dignum Patribus?*

VIII. Verum enim vero, pace perdocti, piique Francolini dixerim, quæ doctrina & caſtitati violandæ opportunior, & communi Patrum ſanctorum ſenſui repugnantior? Vertenda diſtinctio eſt. *Per ſe* in genere moris, ut dixi, id ſignificat quod ſpectatis omnibus *communiter* evenit. *Communiter* porro evenit ut in recenſitis tripudiis, & ſaltibus mares & feminæ concupiſcentiæ igne ſuccenſæ & ſuccenſi, atque potationis & comeſturæ calore irritati & irritatæ peccent. *Per accidens* autem poteſt contingere quod aliquis non peccet. Hæc doctrina eſt S. Thomæ 2. 2. *quæſt.* XLIII. *artic.* 1. *ad* 4. ubi inquit. *Aliquis poteſt eſſe dupliciter alteri cauſa peccandi: uno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe quidem quando aliquis ſuo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiam ſi ipſe hoc non intendat, ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet quod ſit inductivum ad peccandum .... Per accidens autem aliquod verbum, vel factum unius eſt alteri cauſa peccandi, quando præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis male diſpoſitus ex huiuſmodi opere inducitur ad peccandum.* Quis autem negaverit *factum* chorearum viros inter & mulieres, iuvenes & puellas, poſt lauta convivia, & ceteris circumſtantiis veſtitum, de ſui ratione inducere ad actus venereos delectationis, ut minus internæ, & ad deſideria prava, tactuſque impudicos?

Digitized by Google

Sed poſt S. Thomam audiamus Cardinalem Bellarminum *conc.* XIX. *Dom. Quadr.* ubi hæc habet. *De choreis tantum dicam unum verbum, atque ideo potiſſimum, quod intelligam, nonnullis non videri hoc verum malum, & ſciam Lovanii eſſe publicas ſcholas, ubi docetur ars tripudiorum. Sed ego profecto, ſi adulterium, & fornicatio eſt malum, videre non poſſum quomodo viros cum feminis tripudiare non ſit malum, cum ad hoc illud MAXIME provocet &c. Tu ad calorem adoleſcentiæ addes calorem potationis; deinde redibis, cantabis, ſaltabis cum puellis, & ego nihil mali ſuſpicabor?* Maxime choreæ ad malum provocant, inquit *Bellarminus*, eaſque cum adulterio, & fornicatione comparat. Ergo *per ſe*, ſpectatis omnibus, ad peccatum inducunt. Solum vero *per accidens* aliquis, aut aliqua declinare peccatum valet; puta ſi mulier invita choreas duceret, & ratione ſuæ aut ætatis, aut ſingularis virtutis, aut alterius circumſtantiæ peccatum vitaret. Ergo doctrina P. Balthaſſaris Francolini laxa, falſa, omnibus Patribus, communi ſenſui, & experientiæ manifeſtæ contraria eſt. Quare ille ipſe anguſtiis preſſus defendendi Caſuiſtas, addit ſub finem reſcripti teſtimonii, *Sunt tamen non paucis valde periculoſæ, qui proinde pro menſura periculi abſtinere tenentur.* Audiſtin' captioſam, ut ego quidem arbitror, loquendi formulam? Vult, & non vult damnare choreas. *Per ſe* ſunt licitæ, *per accidens* illicitæ: ſunt tamen non paucis valde periculoſæ. Pro menſura periculi abſtinere tenentur. Hæ ſunt præciſæ, nitidæ, perſpicuæ Caſuiſtarum deciſiones? Non paucis valde periculoſæ? Plurimis ergo, & communiter periculoſæ non ſunt. Hi non pauci *pro menſura periculi* abſtinere tenentur. Sed Chriſtiani a Caſuiſtis quærent, ubinam ſint eiuſmodi periculi ſtateræ, & menſuræ? Miror P. Francolinum in re tam gravi valedicere, non dicam Patribus, ſed ipſis doctiſſimis atque piiſſimis Ieſuitis Bellarmino, Segneri, Elizaldæ, & plurimis aliis, ut laxas Caſuiſtarum Tamburini, Azorii, Eſcobarii, ceterorumque opiniones promoveat.

IX. Sed miſſo P. Francolino cum ſuis Caſuiſtis, loquatur ſummus Pontifex BENEDICTUS XIV. cuius pauca verba latine reddita dabo. *Etiamſi ſaltatio, ut ſaltatio, ſeu ut ars movendi pedes ad ſonitus leges, peccatum non ſit; admittatur quoque aliqua in circumſtantia choream eſſe bonam, meritoque dignam, ut quando Maria Prophetiſſa Aaronis ſoror, aliæque mulieres ſonabant, & ſaltabant .... & David ſaltabat ante arcam .... verum nimis luculentum eſt hodiernas choreas diverſi omnino generis eſſe, alioque tendere, cum in eiſdem communiter peccata committantur, totque occurrant honeſtatis offendicula, quæ a nobis deſcribentur verbis, non alicuius Anachoretæ, non alicuius rigidi Theologi, non Concionatoris, qui exaggeret, ſed Franciſci Petrarchæ, qui in ſuo dialogo* XXIV. *de choreis hæc ſcribit &c.* (Vide ſupra teſtimonium Petrarchæ.) *Hos mulierum virorumque laqueos, & ſcopulos ſerio conſiderans Conradus Elingius Theologus Ordinis S. Franciſci in ſuo Catechiſmo Catholico Lib.*

I V

IV. cap. xiv. hæc docet. „ Chorea mundana eſt circulus, cuius centrum eſt diabo-„ lus, & circumferentia angeli eius circumſtantes; & ideo raro, aut numquam „ ſine peccato fit. “ *Cum hæc ita ſe habeant, quis negare auſus fuerit, choreas [etiamſi ſpeculative loquendo culpa carerent] vitioſas eſſe, & communiter in praxi peccatorum plenas?* Hactenus ſapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. paucis demptis. Plurima alia doctiſſimi Pontificis documenta adverſus choreas prætereo brevitatis cauſſa.

X. Faceſſant igitur a chriſtiano populo lubrici chorearum ludi. Captioſæ diſtinctiunculæ P. Francolini, aliorumque Caſuiſtarum exulent ab evangelica Theologia, quæ ſimplex eſt, pura, & immaculata. Caſtitas ſuapte natura vitrum fragile eſt. Ut illam immaculatam ſervarent, viri Dei ad ſilvas, & ſpeluncas ſe receperunt. Nec aſpicere, nedum tangere, audebant mulieres. Et recentiores Caſuiſtæ plures toroſulos iuvenes, & bellulas puellas una ſaltantes & tripudiantes *per ſe* caſtiſſimas columbas aſſerunt, & aliquas *per accidens* denigrari poſſe beninigniſſime docent. Oh tempora! Oh mores!

§. IV.

Practica conſideratio chorearum.

I. MOralia moraliter, ut communi fertur proverbio, tractanda ſunt. Choreas hodiernas, omnibus circumſtantiis ſpectatis, ut graviſſimas luxuriæ occaſiones, Patrum auctoritate, & rationum momentis improbavi. Chriſtianos qui illas abſolute, & non ob fortuitum aliquem eventum, frequentant, culpæ reos exiſtimo, quod evidentibus graviſſimiſque periculis & peccandi, & alios ad peccandum inducendi, ſe ſe exponant. Comœdiæ, & theatra Patrum omnium conſenſu, ut in peculiari diſſertatione oſtendam, vetita Chriſtianis ſunt. Et tamen compertum eſt longe graviora pericula caſtitati imminere ex choreis quam ex theatris, & comœdiis. Nam in theatris oculi tantum, & aures demulcentur, ac faſcinantur, & res veluti longius ſpectantur; at in choreis oppoſitum accidit: homines propius multo inſpiciunt feminas, & ab eis inſpiciuntur; eas tangunt, & tanguntur ab illis; eas alloquuntur, & loquentes audiunt; & tandem cum illis ſaltant; atque ita innumeris argumentis mutui amoris flammas ſibi invicem patefaciunt. Quare urgentiora ſunt momenta contra choreas quam contra comœdias.

II. Abſolute ergo choreas damno. At nullus umquam occurrere caſus poteſt in quo Chriſtianus aliquis poſſit choreis intereſſe abſque culpa? Mihi ſummopere arridet reſponſum quod huic quæſito præbet Villelmus S. Raymundi interpres,

quod

quod refertur a Ioanne Nyderio in 6. *Decalogi præceptum cap.* XIII. Eiuſmodi autem eſt. *Si aliquis, vel aliqua mulier raro, & ſine aliqua corrupta intentione immiſceat ſe huiuſmodi choreis; non audeo dicere, quod ſit mortale peccatum; ſed nec audeo eum, vel eam excuſare, & aſſecurare a peccato mortali; cum ſe ingerat periculo provocandi alios ad libidinem, & ipſo facto videatur approbare choreas, & exemplo ſuo auctoritatem aliis ſimilia faciendi præſtare. Hæc ille*, concludit Ioannes Nyder, huic ſententiæ Villelmi ſubſcribens: cui ſubſcribo & ipſe. Si vir, aut mulier aliqua nuptiarum tempore, aut alia opportunitate raro, & ob aliquam rationabilem cauſſam choreas agat caute, & omni modeſtia ſervata, bona fide exiſtimans, nullum omnino eſſe peccatum, nullumque advertens periculum nec in ſe, nec in aliis (quod vix accidere poteſt) nec damnarem peccati mortalis, nec a letali culpa excuſarem. Quare, ſi conſultus eſſem, an licite poſſit Chriſtianus intereſſe, & ſe ſe immiſcere præfatis choreis, numquam conſenſum præberem, ut me ſponſore & vade choreas vel ſemel ageret: Si tibi hoc duriuſculum videtur, invideo fortunæ tuæ, quod medio in igne non caleſias; miror autem quod nihili pendas omnium SS. Patrum auctoritatem. Verum ad id quod propoſitum eſt, revertor.

§. V.

Quid de chorearum uſu doceat S. Franciſcus Saleſius.

I. Caſuiſtæ in patrocinium chorearum allegare S. Franciſcum ſolent. Illos imitantur qui privilegium aliquod citant, clauſulis & conditionibus, quibus illud reſtringitur & coarctatur, omiſſis. S. Franciſcus Saleſius in introductione, ſeu Iſagoge ad vitam piam ſeu chriſtianam *III. Par. cap.* XXXIII. & XXXIV. de choreis ſermonem habet. Bonus Merbeſius in *Sum. Chriſt. I. Part. quæſt.* lxxxviii. vindicat S. Franciſcum a macula quam ei impingunt recentes illi Theologi qui pro ſe laudant virum hunc ſanctum. Quid doceat Saleſius, paucis perſtringam. Cap. XXXIII. *choreas natura ſua indifferentes* pronuntiat. *Le danze, e i balli ſono coſe indifferenti di lor natura.* Hunc textum tranſcribunt Probabiliſtæ. Et, quod S. Præſul continuo ſubdit, omittunt. Inquit enim, nullo interpoſito verbo: *At iuxta modum quo communiter peraguntur, in malum valde propendent, atque adeo diſcriminibus, periculiſque ſcatent.* Noctu exercentur. Porro tenebras inter & obſcuritatem multa vitia obſcura & tenebroſa perpetrari facile eſt. Choreæ iſtæ in multam pertrahuntur noctem; & ſomnus producitur in non parvam ſequentis diei partem; atque adeo pereunt matutina ſequentis diei tempora, & colendi Numinis oppor-

Digitized by Google

opportunitas amittitur. In hac porro diei in noctem tranſmutatione, & lucis in tenebras, non levis ordinis perturbatio ſemper occurrit. Unuſquiſque ad choreas vanitatem defert. Vanitas autem ſummopere amorem pravum, & reprehenſibilem accendit. Idque facile evenit in choreis.

II. Boletis, ſeu fungis, inter quos vel meliores ipſi, medicorum ſententia, nihil valent, choreas comparat. Et quemadmodum neminem boletis veſci fas eſt, niſi apte conditis; ita choreas adire, niſi magna circumſpectione non licet. Si aliqua occurrat occaſio, a qua te expedire honeſte nequeas, ſed neceſſum ſit choreis indulgere; in id incumbe, ut ſaltatio ſit modeſtia, gravitate, rectaque intentione temperata & munita. Raro tamen huic oblectamento indulge, ne ſicut fungorum copia mortem infert, ita chorearum frequentatio animam interimat.

III. Iterum fungis choreas ſic comparat. Fungi, inquit, Plinio teſte, quia poris abundant, facillime corruptionem quæ eos circumſtat, attrahunt; & ſi ſerpentibus vicini ſint, illorum virus abſorbent. Et, pluribus omiſſis, quibus ſe adverſus chorearum, ſi quando eiſdem indulgendum ſit, contagium remediis munire Chriſtianus debeat, præſcribit.

IV. Quo tempore choreas agit Chriſtianus, primo recogitet, plures animas nunc in inferno ardere ob flagitia chorearum occaſione patrata. Secundo perpendat, tot Religioſos, viroſque pios laudes Deo pangere eo tempore cuius ipſe iacturam facit. Tertio, animo reputet, tunc plures anguſtiis, miſeriiſque confectos ex hac vita migrare, plurimos item languere fame, doloribus angi in cubiculis, in noſocomiis, dum ipſe ſaltationi dat operam. Quarto Chriſtus, Deipara, Angeli, cælites te ſaltantem vident, tuique, tam ineptis delectationibus & oblectamentis tot periculorum plenis impliciti, miſerentur. Quinto cum choreas ducis, tempus fluit, mors velociſſime ad te properat; teque ad ſuum ſaltum inter propinquorum eiulatus, & gemituum ſimphoniam evocat. Hæc eſt ſaltatio, in qua uno oculi ictu a tempore ad æternitatem aut miſeram, aut beatam, aut ſupplicii, aut præmii plenam, fit tranſitus. Hæc, & alia plura *cap.* XXXIII. & *cap.* XXXIV. proſequitur: ubi addit, neminem citra culpam aut ludis, aut choreis vacare poſſe, niſi animi levandi gratia, non ex affectu; idque raro, & ut honeſtis hominibus, quibuſcum verſatur, morem gerat. Prudens enim & moderata ſubiectio propriæ voluntatis voluntati aliorum, ſervatis chriſtianæ prudentiæ regulis, aliquando, quæ indifferentia ſunt, bona, & quæ periculoſa, licita efficit & innoxia. His condimentis paratos chorearum fungos, ſeu boletos comedere raro concedit S. Franciſcus; non abſolute, ſed tum ſolum, cum nequeat quis ſine honeſtorum hominum offenſione ab iiſdem ſe ſubducere.

V. Dicant nunc nobis recentes Theologi, qui chorearum ſponſorem allegant ſanctum Franciſcum Saleſium, num choreæ hodiernæ agantur non ex affectu,

non

Digitized by Google

non ob voluptatem, ſed breviſſimo tempore, & animos gravium, feriarumque occupationum onere fatigatos relaxandi gratia? Dicant, num feminæ hodiernæ ſaltaturæ accedant, mortis meditatione, inferni, æternitatiſque conſideratione munitæ? Num homines, non ut proprias expleant cupiditates, nec ut concupiſcentiæ indulgeant, ſed ut ſe ad aliorum prudentem voluntatem conforment, choreis vacent? Dicant, num temporis brevitas, modeſtia, raritas, aliæque cautiones a ſancto Franciſco præſcriptæ, revera in hodiernis choreis ſerventur? Videant ergo quam indignam notam inurant ſanctiſſimo viro, dum illum in patronum adſciſcunt chorearum, quæ, experientia teſte, ſunt flagitiorum, luxuriæ, ſuperbiæ, ſimultatis, rixarum, aliorumque ſimilium ſentinæ, & ſcaturigines. Interrogent, ſerioque examinent Confeſſarii tam viros quam mulierculas choreis deditas; intelligentque vera eſſe omnia quæ diximus. Nec ſatis eſt, ſi qua mulier dicat, nullam ſe habuiſſe intentionem pravam. Interrogetur, num certa ſit, procum ſuum, quocum ſaltavit, ab hoc pravo animo immunem fuiſſe; num ille ſignis aliquibus, vel oculorum obtutibus, vel tactibus, vel dulciori alloquio, interioris libidinis indicia dederit; num poſt choreas pravæ cogitationes animum infeſtaverint; num placere hominibus affectaverit. Hæc & his ſimilia ſerio examinantes colligent, vix aliquam feminarum, vetulis, & deformibus exceptis, aut virorum quemquam choreas diu frequentaſſe abſque culpa: ceteros autem omnes permultis ob choreas habitas criminibus implicatos comperient. Immunitas a culpa, quam ruſticis choreas agentibus aliqui tribuunt, commentitia eſt, & chimærica: non enim minus illi quam nobiles, originis vulnere ſauciati ſunt. Si eorum caro laboribus frangitur, fortior quoque eſt atque robuſtior. Denique, quod aliquis caſus occurrat, in quo ſive mulier, ſive vir non peccet, regula eſſe nequit quæ communem, & conſuetum chorearum uſum licitum oſtendat. Illud ſcio, viros, quo ſanctiores ſunt, eo eſſe a chorearum conſuetudine magis alienos. Opportuno ac ſapienti dicto, quo ſanctus Franciſcus Saleſius ſuum claudit *caput* XXXIV. huic ego capiti finem impono. *Magni ignes fortius accenduntur ad ventorum flatum. Ignes parvi, niſi operiantur, extinguuntur.* Vide, ſit ne ingens, an exigua in corde tuo caritatis flamma. Si tenuis eſt, a flamma carnalis amoris penitus ſuffocabitur. Nemo hac in cauſſa temetipſo iudex melior. Miſſo ergo Theologorum diſſidio, eruat ex ipſa manifeſta experientia prudens Confeſſarius honeſtatem, aut vitium chorearum.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De verbis turpibus, & de familiari cum feminis colloquio: de oſculis, & tactibus: de mutua virorum ac mulierum converſatione.

Attexenda hic diſputatio eſſet de theatris & comœdiis; ſed peculiarem hac de re diſſertationem dabo. Faciliora, quæ propoſui, explicanda breviter ſunt.

I. Quæſt. I. *Quandonam obſcena verba ſint peccata gravia?* Reſp. Turpis locutio incertos habet limites. Quæ ſuapte natura gravis culpa ſit, vix definiri abſolute poteſt. Locutiones tamen aliquæ ſunt quæ vix a gravi culpa excuſari queunt. Eiuſmodi ſunt pudendorum deſcriptio, concubitus narratio, aut quæ ad venereum concubitum provocant. Hæc colloquia, ſi habeantur coram mulieribus, puellis, honeſtis virginibus, & adoleſcentibus, gravia crimina ſunt: ſuapte quippe natura venerem excitant, ſenſus commovent, curioſitatem inducunt, & ſcandalum grave ingerunt. In eiuſmodi tamen locutionibus ſemper ſpectandæ ſunt circumſtantiæ loci, temporis, & maxime perſonarum coram quibus fiunt. Verba amatoria, quæ a iuvenibus proferri, & cani ſolent, non ſemper gravem malitiam continent; ſemper tamen periculi plena ſunt. Si in eiuſmodi verbis, ſeu locutionibus adſit prava intentio excitandi venerem, aut amorem laſcivum; dubio procul gravia crimina reputantur. Item, quoties iuvenes experiun tur aut ſe, aut alios eiuſmodi cantilenis commoveri, & incitari ad luxuriam. Conſiderandum quoque, utrum eiuſmodi cantiones contineant verba turpia, & obſcena, quæ natura ſua ſcandalum inferant. Verba tandem illa, alioqui turpia, quæ in communi ſermone adhibere viles homines ſolent, cum iam ex abuſu ſcandalum non inferant, non ſunt cenſenda peccata gravia; niſi aliqua circumſtantia aliter iudicare cogat. Qui vero luxuriæ mancipati ſua obſcena, & impudica flagitia enarrant, veluti de impudicitiis ſuis gloriantes, graviter peccant & ob ſcandalum quod aliis inferunt, & ob delectationem quam ipſi in eiuſmodi ſermone percipiunt.

II. Non ſolum obſcena, verum etiam pudica cum mulieribus colloquia periculorum plena ſunt, ſi fuerint familiaria, & frequentia. Patres admonent ut vel ipſi homines qui ſpirituales nuncupantur, & reapſe ſanctiorem vivendi formam obſervant, a familiari feminarum, etiam ſpiritualium, ſermone abſtineant. Plura huc pertinentia adferre poſſem; ſed pauca dumtaxat proferam ex S. Thoma, qui *opuſc.* LXIV. capite de *periculo familiaritatis dominarum*, *vel mulierum*, plu-

plura ſcribit; quamvis non leve dubium mihi occurrat, ſit ne Angelici Doctoris opuſculum iſtud: ſtilus enim nimium ſerpit, & a preſſa Angelici Doctoris ſcribendi ratione eſt valde diverſus. Cuiuſcumque tamen ſit opus, documenta præbet opportuna, & valde digna ut producantur. *Et quoniam ſpiritualibus loquor, propter quos iſta ſcribuntur, noverint ipſi, quod, licet carnalis affectio ſit omnibus periculoſa, & damnoſa, eis tamen pernicioſa eſt magis, maxime quando converſantur cum perſona quæ ſpiritualis videtur. Nam, quamvis eorum principium videatur eſſe purum, frequens tamen familiaritas domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas quanto plus creſcit, tanto plus infirmatur principale motivum, & utriuſque puritas maculatur. Non tamen de hoc ſtatim perpendunt, quia ſagittarius a principio non mittit ſagittas venenatas, ſed ſolum aliqualiter vulnerantes, & amorem augmentantes. Ad tantum vero in brevi deveniunt, ut iam non velut Angelos ſicut cœperant, ſe invicem alloquantur & videant, ſed tamquam carne veſtitos ſe mutuo intueantur, & ſentiant mentes quibuſdam commendationibus, ac verbis blanditoriis, quæ videntur ex prima devotione procedere. Exinde unus incipit appetere alterius præſentiam corporalem: quia forma, vel ſpecies corporis in utriuſque mente concepta incitat eos ad volendum præſentiam corporalem, qua inſit eis præſentia mentalis. Sicque ſpiritualis devotio paullatim convertitur in corporalem, & carnalem, & ſic ipſorum mentes, quæ ſolebant in oratione cum Deo abſque intermedio loqui, nunc inter ſe & Deum alter ponit alterius corporalem effigiem, quam velant, & obtenebrant ponentes ſibi ipſis faciem Dei cum facie creaturæ.* Plurima alia ibidem habentur, quæ miſſa facio.

III. Quæſt. II. *Oſcula, tactus, & amplexus ſunt ne ſecundum ſe peccata?* Reſp. Sententia negans communis, & vera eſt. Nec minus manifeſta eſt ratio. Si eiuſmodi actiones ſecundum ſe peccata eſſent, numquam licitum foret oſculari, tangere, amplecti amicum, parentem, fratrem &c. Quamobrem inquit Angelicus 2. 2. quæſt. clIV. art. 4. *Oſculum, amplexus, vel tactus, ſecundum ſuam rationem non nominant peccatum mortale. Poſſunt enim hæc abſque libidine fieri.*

IV. Oſcula, amplexus, & tactus virum inter & feminam, peracta iuxta morem patriæ in mutuæ benevolentiæ, & amicitiæ argumentum, honeſta, & licita eſſe communiter Theologi docent. Exempla produnt ex ipſo Evangelio. *Matth.* xxvI. Iudas oſculatus eſt Chriſtum Dominum. Primi Chriſtiani pacis oſculo ſe ſalutabant. Hinc colligunt Salmanticenſes *tract.* xxvI. *cap.* III. *punct.* 3. *§.* 1. *num.* 27. ex aliis Theologis, *quod delectatio ex prædictis oſculis ſecuta, etiam eſt licita; cum licitum ſit delectari de teſtificatione, & uſu ſigni talis amicitiæ.*

V. Hæc in ſtatu innocentiæ ſancta dubio procul fuiſſent. Verum, quod in præſenti corruptæ naturæ ſtatu viri & mulieres mutuo ſe oſculentur, tangant, & am-

amplectantur, & quod heinc delectationem captent abſque ulla culpa, mihi ſummopere difficile eſt. Poſſe id contingere non negaverim; ſed quod reapſe id eveniat, vix adfirmaverim. In more fuiſſe poſita apud Hebræos primoſque Chriſtianos virorum reciproca oſcula, verum habet. At quod eadem viguerit oſculorum conſuetudo inter mulieres, puellas, & viros, iuveneſque, nullibi legitur. Quare numquam inter utriuſque ſexus perſonas permitterem hæc reciproca oſcula. Si quis ſit patriæ mos hæc peragendi, illum auferendum potius ſuaderem quam probarem. Horum omnium praxis periculi, ut minus, plena eſt. De manuum tactibus in ſignum amicitiæ, earumque oſculis in ſignum obſequii, & ſubiectionis, ut quando inferioris notæ viri manus dominarum ſuarum oſculantur, nulla eſt difficultas.

VI. Licitum eſt medicis, & chirurgis tangere muliebria aut curationis cauſſa; aut internoſcendi ſexus diverſitatem. Omnes quippe corporis partes propter bonum, & integritatem totius corporis inſtitutæ ſunt. Si qua pars male affecta corporis ruinam minatur inducere, iure curatur, ut corpus præſervetur. Liciti ergo ſunt earumdem partium tactus. Quod motus, aut delectatio venerea inſurgat, voluntate repugnante; tactus illi non propterea noxii evadunt. Si tamen medicus, aut chirurgus tentationibus pravis ſuccumberet; abſtinere ab eiuſmodi curationibus deberet, aliis ſubſtitutis curatoribus.

VII. Si virgines honeſtæ magno ſuffunderentur pudore in eiuſmodi curatione, aut obnoxiæ eſſent periculo ſuccumbendi venereæ delectationi, obſequium Deo gratum præſtarent, ſpreta corporali vita, ſpiritualem ſervantes. Hoc tamen diſcrimen eſt, quod ſi ſolus pudor ſuperandus eſſet, expedientius foret pudorem vincere quam mortem obire. Ut licite virgo mortem oppetat potius quam patiatur pudendarum partium tactus, neceſſe eſt ut cæleſti caſtitatis amore ſuccenſa id præſtet. Nec enim ob ſolam naturalem verecundiam, & inſitam repugnantiam permiſſum eſt vitam corporalem amittere. Quare ſpectandæ ſunt circumſtantiæ. Nam, ſi pudor effectus ſit cuiuſdam naturalis repugnantiæ, tum ſpernendus; ſi vero pudor ſit prudens, & ex motivo virtutis, ſeu caſtitatis amore proficiſcatur; tum præferri curationi poteſt, contempta ſpe ſanitatis, ſeu vitæ redimendæ. Quando vero ex eiuſmodi curatione grave imminet periculum delectationis venereæ, tum anteponi omnino debet cuſtodia caſtitatis vitæ conſervationi.

VIII. Quæſt. III. *Oſcula, tactus, amplexus inter perſonas utriuſque ſexus ſunt ne peccata mortalia, ſi ob delectationem carnalem peragantur?* Reſp. Triplicem diſtinguunt Caſuiſtæ delectationem, carnalem, ſcilicet veneream, ſpiritualem, & ſenſibilem. Primam ſic finiunt cum Galeno Lib. XIV. de uſu part. cap. IX. & X. *Delectatio in carne conſurgens ex motu humoris ſeroſi, qualis eſt ſubſtantia ſeminis*, & in-

Digitized by Google

incaleſcens per commotionem ſpirituum deſervientium generationi. Delectatio ſpiritualis eſt complacentia voluntatis de re turpi, ſeu actu venereo cogitato. Hæc delectatio; utpote ſpiritualis, non eſt organo corporeo illigata, nec ſenſuum commotionem neceſſario affert; communiter tamen iuncta eſt carnis, & ſenſuum commotioni. Internum enim illud gaudium, ſeu complacentia foras erumpit, & exteriores commovet ſenſus. Tertia delectatio ſenſibilis ex ſolo contactu, ſeu proportione; & conformitate rei ſenſibilis cum organo tactus oritur, qualis eſt delectatio quæ ex contactu rei blandæ, & mollis percipitur. Idque patet in guſtu, in muſica, & in exteriore ipſo contactu. Senſus enim iſti ex ſuavi blandaque coniunctione cum obiecto congruo, & proportionato ſenſibilem experiuntur delectationem. Innocens, & cuiuſque culpæ vacua eſt delectatio iſta naturalis, & ſenſibilis.

IX. Ad delectationem veneream quod attinet, plures recentiores olim propugnarunt, venialem dumtaxat culpam eſſe delectationem perceptam ex oſculis, & amplexibus: quam ſententiam damnavit Alexander VII. in propoſitione 40. *Eſt probabilis opinio quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*. Coniungitur in hac propoſitione delectatio *carnalis*, & *ſenſibilis*, ut intelligas nomine delectationis *ſenſibilis* ipſam delectationem carnalem, ſeu delectationem quæ *ſenſibilis* ſit ſimul & *carnalis*. Delectatio enim mere ſenſibilis, quæ ex viſione, tactu, & oſculo percipitur, ab omni culpa ſuapte natura immunis eſt. Sic mulieres oſculantes infantes, & ex genarum molli tactu delectationem ſenſibilem experientes, nullam perpetrant culpam. In propoſitione igitur damnata delectatio *ſenſibilis* coniungitur cum delectatione *carnali*, ut pateat ſolam delectationem carnalem, ſeu veneream noxiam eſſe.

X. Sententia itaque certa eſt, delectationem carnalem, ſeu veneream, ex oſculis perceptam, culpam eſſe letalem. Ratio eſt manifeſta. Quoniam delectatio de re graviter illicita mortalis eſt, ut patet in delectatione de homicidio. Atqui delectatio capta ex oſculo mulieris eſt de re graviter prohibita: eſt enim de fornicatione futura: quoniam eiuſmodi oſcula, & amplexus carnales, & venerei ſunt via quæ ad fornicationem diſponit. Porro non fornicatio modo, verum etiam quæ ad fornicationem diſponunt, interdicta cenſentur.

XI. Quæſt. IV. *Tactus, amplexus, oſcula ob ſolam delectationem ſenſitivam, & naturalem exercita, ſunt ne peccata mortalia?* Reſp. Dictum eſt ſupra, delectationem naturalem, quæ conſurgit ex mero exercitio ſenſuum, abſolute ſpectatam, immunem a culpa eſſe. Eiuſmodi eſt delectatio quæ percipitur ex viſione rei pulchræ, ex auditione muſicæ, ex tactu rei levis, & mollis. Quæ delectatio ſuapte natura nullum prodit ordinem ad copulam, ſeu ad rem veneream. Ad-

ver-

Digitized by Google

vertendum tamen, has delectationes non carere culpa, ſi careant honeſto fine; ut ſuo loco fuſius explicabitur. Hæc omnia communia ſunt.

XII. PP. Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* III. *punct.* 3. *§.* 3. *num.* 41. docent, tactus, amplexus, oſcula inter perſonas ſolutas, & adultas, ac diverſi ſexus, etiam idoneas ad coitum, ſi fiant præciſè ob ſolam delectationem ſenſitivam, & naturalem, ſecluſo periculo ulterioris delectationis venereæ, & pollutionis, vacare culpa mortali. Quoniam hæc delectatio, inquiunt, metaphyſice, ſecundum ſua prædicata eſſentialia, ſpectata, nullam prodit malitiam; nec alterius ſpeciei eſt ab ipſo tactu quem conſequitur. *Sed metaphyſice loquendo*, inquiunt, *non repugnat quod talis delectatio pure ſenſitiva ſeparetur a delectatione carnali, & venerea; cum ex ſe, & ex ſuis prædicatis intrinſecis, & metaphyſicis nullam dicat cum ea connexionem*. Ergo noſtra aſſertio, concludunt, eſt metaphyſice, & ſpeculative vera; & hæc opinio ſpeculative probabilis. Allegant auctoritatem Salmanticenſium Scholaſticorum, qui fuſius eamdem propugnant opinionem.

XIII. Si homines amplecterentur, tangerent, & oſcularentur mulieres metaphyſice, & ſecundum illarum prædicata eſſentialia, videlicet ſi oſcularentur hæc duo prædicata. *Animalia Rationalia* in abſtracto, concluſio vera eſſet. At, cum in præſens ſermo ſit de tactu, amplexu, & oſculo mulieris phyſicæ, & infecta carne compactæ, & concupiſcentia, atque libidine ardentis; cum ſermo ſit de oſculo figendo muliebri vultui phyſico: doctrina Salmanticenſium non modo intempeſtiva, falſaque eſt; ſed, pace tantorum virorum dixerim, talis eſt, ut incautis lectoribus præbeat errandi occaſionem. Quid enim refert quod notiones delectationis ſenſibilis, & venereæ abſolute differant, & metaphyſice ſeparari queant; quando in praxi, attenta humanæ naturæ corruptione, aut vix ſeparentur, aut vix percipi poſſit quandonam hæc delectatio ſit tantum ſenſibilis, aut carnalis? At reapſe, inquis, quandoque ſeparantur. Tranſeat. Sed numquid compertum tibi eſt quando reapſe ſeparentur? Numquid ſecuritas datur ſiſtendi in mera delectatione ſenſibili, & non ultra progrediendi ad carnalem delectationem? Ergo ſola temeritas ſe ſe exponendi periculo graviſſimo venereæ delectationis letalis eſt.

XIV. Neque hinc inferas, licita numquam eſſe oſcula, neque ſecundum morem patriæ habita. Quoniam oſcula iuxta morem patriæ in ſignum chriſtianæ, & civilis benevolentiæ fiunt, ſecus ob delectationem ſenſibilem captandam. Hanc ſemper improbandam aſſerimus. Quare laudati Salmanticenſes, poſtquam diſputationis gratia metaphyſicam quæſtionem verſarunt, tandem *num.* 48. concludunt, eiuſmodi tactus, amplexus, & oſcula in praxi, & moraliter eſſe peccata mortalia, quando fiunt inter perſonas diverſi ſexus, & aptas ad copulam. Nam de oſculis infantium nulla eſt difficultas. Quamquam & pueri, lumine rationis imba-

Digitized by Google

buti, caute, & prudenter docendi ſunt ut abſtineant ab eiuſmodi oſculis, & amplexibus. Parentes ipſi exempla caſtitatis, & pudicitiæ præbere filiis, & filiabus debent, abſtinentes ab eiuſmodi nimium effeminati amoris ſignis. Ne multa: quo facilius virtutis iſtius ſplendor obſcuratur, quo vehementior eſt concupiſcentiæ impetus, ignisque ardentior; eo eſt ſeverior adhibenda cuſtodia, cautior circumſpectio, experrectior vigilantia.

XV. Adnotare lubet, Franciſcum Sylvium in 2. 2. *D. Thomæ quæſt.* CLIV. *art.* 4. *concl.* 4. laudatam Salmanticenſium opinionem propugnare. Quod ideo adverto, ne lector incautus a tanti viri auctoritate decipiatur. Non raro enim laxa docet hic, gravis alioquin, Theologus. Sed, quod mirari ſatis non poſſum, ipſe P. Paulus Comitolus in hanc concedere opinionem videtur *Lib. IV. Reſponſ. moral. quæſt.* XX. *num.* 6. Verum quidem habet, Comitolum expreſſe non loqui de ſuaviis quæ exercentur inter perſonas ſolutas, & diverſi ſexus, aptaſque ad copulam; quin, ut ex *num.* 5. colligitur, de iis oſculis, tactibus, & amplexibus ſermonem habet quæ aut matres cum filiis, aut fratres cum ſororibus exercent. P. Diana refert hanc Sylvii, & Comitoli opinionem, & poſt illorum adductas rationes ſic concludit Tom. VIII. tract. VI. reſol. 9. §. 1. *Sed ego puto contrariam ſententiam tenendam eſſe, & in his materiis non eſſe laxandas habenas.* Utinam in omnibus propoſitum tale ſervaſſet laudatus Auctor. Cauſſa deceptionis in illis Auctoribus fuit inconſideratio obligationis vitandi periculum prolabendi a delectatione ſenſibili in veneream.

XVI. Quæſt. V. *Tactus impudici, puta in partibus verendis, aut in illis affinibus, ſunt ne peccata mortalia?* Reſp. Affirmant communiter omnes: quia ſimiles tactus graviter excitant concupiſcentiam, & luxuriam; adverſantur pudori, & honeſtati naturali; ac periculum includunt pollutionis. Sanchez *Lib. IX. de matrim. diſput.* XLVI. *num.* 11. Navarrus in *Manual. cap.* XIV. *num.* 3. & alii docent, tactus huiuſmodi culpa gravi carere, ſi ſupra veſtes exerceantur. Hanc eamdem opinionem defendit P. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* 1. *num.* 904. allegans auctoritatem *P. Sanchez*. PP. Salmanticenſes *loc. cit.* §. 4. *num.* 49. hanc opinionem admittunt ut probabilem *ſpeculative*, ſecus *practice*. Hæc diſtinctio probabilitatis practicæ, & ſpeculativæ, prout communiter adhibetur, fictitia eſt, & plurium laxitatum origo. Opinio quæ non eſt probabilis *practice*, neque eſt probabilis *ſpeculative*; niſi varientur circumſtantiæ. Quando autem variatur aliqua circumſtantia, variatur quoque opinio; nec remanet eadem ac prior. Quoties igitur una opinio, omnibus circumſtantiis ſpectatis, non eſt probabilis *practice*, neque eſt probabilis *ſpeculative*, ut fuſius ſuo loco. Sed relatam opinionem, ut improbabilem tum ſpeculative, tum practice, reiicimus. Tactus enim iſti practici ſunt, non ſpeculativi. Nec audiendus P. La-Croix docens *cit. numer.*

Digitized by Google

mer. 904. veniale tantum peccatum eſſe, ſi fiant eiuſmodi tactus ex *levi delectatione tactus veſtium*. Delectatio hæc non captatur ex veſtis contactu, ſiquidem veſtes tangi poſſent in brachiis; ſed delectatio eſt ex tactu pudendorum, veſte media. Hanc porro delectationem mortalem eſſe, non venialem, aſſerimus.

XVII. Idem dicendum, ſi fiant tactus iſti inter perſonas eiuſdem ſexus. Nam & tunc adverſantur pudori, ac honeſtati; & vehementer provocant ad laſciviam, pollutionem, aut ſodomiam. Excipiendi ſunt pueri natantes, qui caſu, & abſque ulla prava intentione ſe tangerent. A culpa tamen gravi eos non excuſarem, ſi deliberato animo, & data opera in dictis partibus ſe tangerent. Nam tum nulla adeſſet cauſſa cur poſſent a malitia excuſari.

XVIII. Quæſt. VI. *Sunt ne coniugatis liciti tactus partium pudendarum?* Reſp. Diſtinguendum eſt. Tactus iſti, ſi præcedant copulam, diſponantque ad illam, liciti ſunt. Id in quæſtionem vertunt recentiores Theologi, ſint ne tactus iſti coniugatis liciti, abſque ordine ad copulam, delectationis gratia exerciti? Adfirmant Sylvius 2. 2. *quæſt.* clxv. *artic.* 4. *concl.* 6. Vaſquez *in* 1. 2. *diſput.* cxiii. Diana, Coninch, Dicaſtillo, Antonius a Spiritu ſancto, Hurtado, & alii non pauci. Quoniam, inquiunt, quibus licet maius, licet & minus. Sed coniugatis licita eſt copula. Ergo multo magis liciti ſunt tactus impudici, dummodo abſit pollutionis periculum.

XIX. Secunda ſententia negans mihi probabilior, & vera eſt. Quoniam ex una parte præfatæ actiones adnexum habent periculum pollutionis, & magnam indecentiam. Ex alia parte nihil in eis apparet honeſtatis, in quam referri queant. Nec eiuſmodi impudicæ & obſcenæ actiones ſunt mutui amoris, & benevolentiæ teſtimonia; ſed impotentis potius luxuriæ, & indomitæ concupiſcentiæ argumenta.

XX. Nec adverſæ opinionis ratio urget. Utique cui conceditur maius, conceditur & minus. Coniugatis permiſſa eſt copula. Ergo permiſſi quoque ſunt amplexus, & tactus, qui conducunt ad copulam. Hæc omnia vera ſunt. Neque de hoc in præſens quæſtio eſt. Id nunc in diſputationem vertitur, ſint ne liciti eiuſmodi tactus ob ſolam voluptatem extra copulam, & abſque ordine ad illam, ſeu quando coniugati non habent animum coeundi. Et tunc dicimus, eiuſmodi tactus eſſe peccata gravia, ſi ſint libidinoſi, & ob voluptatem veneream exerciti. Oſcula tamen illarum partium, neque ut prævia ad copulam, permittenda ſunt, quia nimium contraria honeſtati. Animadvertendum etiam, tum eiuſmodi tactus verendorum in coniugatis eſſe peccata gravia, cum libidinis explendæ, & voluptatis captandæ cauſſa fiunt. Ceterum, ſi vel ob levitatem, aut aliquam circumſtantiam uxor tangeret mariti virile, aut contra, non illico damnarem

 hunc

Digitized by Google

hunc actum culpæ ſaltem gravis. Circumſtantiæ ergo ſpectandæ. Pudicitia, caſtimonia, & pudor ſuadenda ſunt coniugatis; ea tamen cautione, & moderamine, ne nimis oneroſum evadat matrimonii iugum, alioquin graviſſimum. Extrema vitanda. Matrimonium magnum, ſanctiſſimumque ſacramentum eſt. Caſte ergo, pudice, & ſancte exercendum: idque omne coniugatis vitandum eſt quod turpitudinem redolet.

XXI. Quæſt. VII. *Oſcula, tactus, & amplexus, litteræque amatoriæ ſunt ne inter ſponſos licita?* Reſp. Adfirmant non pauci recentiores. Si enim, inquiunt, licita eſt coniugatis copula; licita quoque erunt ſponſis oſcula, tactus, & amplexus, quæ ſunt quædam copulæ initia, ſicuti ſponſalia exordia ſunt, & præambula ad matrimonium. Quam tamen opinionem temperant, dicentes, dummodo abſit periculum pollutionis, & delectatio venerea abſit, ſolaque ſit delectatio ſenſibilis.

XXII. Hæc opinio penitus improbabilis, & falſa eſt. Quoniam iam ſupra oſtendi, præfata oſcula, amplexus, & tactus inter perſonas ſolutas, ob delectationem ſenſibilem capiendam, eſſe peccata mortalia. Ergo eiuſdem malitiæ ſunt pariter inter ſponſos. Nam licet ſponſalia ſint via ad matrimonium, nullum tamen conferunt in alterius corpus ius, aut dominium. Ergo nullum ius habent ſponſi ad mutua oſcula, amplexus, & tactus. Igitur qua ratione vetita eſt ſponſis copula ob privationem dominii, eadem quoque vetita ſunt illis eiuſmodi oſcula, & tactus, quæ diſponunt ad copulam. Si ſponſus ius aliquod haberet oſculandi ſponſam, eam ad ſuſcipienda oſcula cogere poſſet. Hoc nemo dixerit. Ergo neque primum dicendum eſt. Et, miſſis pluribus aliis rationum momentis, abſurda quæ oppoſitam conſequuntur ſententiam, eiuſdem falſitatem evincunt. Quippe eiuſmodi oſcula, amplexus, & tactus inter ſponſos morali quadam neceſſitate conſequuntur pollutiones, fornicationes, aliaque obſcena. Exceptio contrariæ opinionis, permittentis præfatas actiones, dummodo abſit periculum conſentiendi in rem veneream, & pollutionem, fictitia eſt, & chimærica. Ardet inter ſponſos mutuus amor, iuventutis fervet ſanguis; familiaritas, quam ſponſalia præbent, inclinatio naturalis in vetita, & plurima alia adeo vehementer irritant, titillant, accenduntque concupiſcentiam, ut in praxi morali quadam neceſſitate inferant delectationem veneream, & pollutionem. Et, ut paucis rem finiamus, ſponſalia nihil omnino iuris præbent in corpora ſponſorum. Idcirco, quemadmodum ceteri, ita debent & ſponſi abſtinere a quibuslibet oſculis, tactibus, & amplexibus. Quæ ut evitent, tenentur declinare familiaria colloquia, frequentem converſationem, & cohabitationem. Verum de his plura in tractatu de matrimonio.

XXIII. Quæſt. VIII. *Peccat ne mulier quæ advertens ſe tangi libidinoſe, non reſiſtit, non ſe retrahit?* Reſp. Primum convenit penes omnes, peccare mortaliter femi-

Digitized by Google

feminam quæ certo ſciens ſe tangi luxurioſe, non reluctatur, &, ſpectatis circumſtantiis, non reiicit procum ſe tangentem. Quando vero tactus ſunt extrinſecus honeſti, ut iuxta morem patriæ in argumentum civilis honeſtæque benevolentiæ exerciti; tum, ſi mulier abſque ſcandalo vitare oſcula, & tactus nequeat, poteſt illos permittere, ne pateſaciat tangentis peccatum. Verum raro accidere poteſt ut nequeat mulier abſque ſcandalo repellere libidinoſum oſculatorem. Nam, ſi fortuito prima vice tangatur honeſte iuxta morem patriæ, & nequeat ante primum oſculum, aut tactum extrinſecus honeſtum, interiorem oſculantis laſciviam advertere; cum poſtea ex illo primo oſculo, vel tactu deprehenderit oſculantis libidinem; tum, ſi altera vice accedat, plurimis viis abſque ſcandalo ſe ſe ſubducere poterit. Quare nimium faciles ſunt plures recentiores Caſuiſtæ in excuſandis ſub prætextu ſcandali feminis ab huiuſmodi cooperatione in aliorum peccata. Si oſcula, tactus, & amplexus non fiant iuxta morem patriæ; omnes docent, mulierem peccare mortaliter, niſi ſe retrahat.

XXIV. *Quid de hodierna mulierum, ac virorum converſatione?* Reſp. Novus promiſcuæ converſationis mos dira eſt pudoris, verecundiæ, modeſtiæ, & caſtitatis peſtis, familiarum ruina, divitiarum iactura, matrimonialis thalami contaminatio, diſſidiorum inter coniuges occaſio, negligendæ educationis filiorum cauſſa, temporis diſſipatio, & omnium fere chriſtianarum virtutum exterminium. Fuſa oratio neceſſaria eſſet ad eum pro merito reprobandum; ſed paucis rem expediam. Sermo eſt non de civili illo, honeſtoque, atque neceſſario commercio, a quo nec viri, nec mulieres abſtinere valent; at de hodierna conſuetudine, verius dixerim corruptela, promiſcuæ inter viros & mulieres converſationis, in qua quiſque ſuam habet *Divam*, cui inſervit, cum qua ludit, quam alloquitur, & ea aguntur quæ palam omnibus ſunt. Non modo illicitum hunc morem, verum etiam plurium criminum cauſſam eſſe propugno. Innumera ſunt Scripturarum teſtimonia quæ talem execrantur corruptelam. Ea in diſſertatione de ſcandalo attuli: ideo hic, ne actum agam, miſſa facio. Vide quæ ibi dicta ſunt. Radix iſtius moris in mulierculis eſt cupiditas congerendi varia munuſcula, quibus luxum, faſtum, ſuperbaſque pompas oſtentare valeant; in viris autem ardens eſt concupiſcentia. Mulieres ob inſitam a natura vanitatem & ambitionem obſequia, ſervitia, ne dicam adorationes, virorum captant, & anhelant. Vel ipſæ pudicæ & caſtæ amari, ſuſpici, & videri ambiunt. Heinc facile multa permittunt hominibus ſibi obſequentibus, quæ ſciunt peccata eſſe; ſed ſibi mentientes ſtudent omnia aliquo fuco tegere. Dum hanc conſuetudinem hodiernam mutuæ converſationis, familiarium colloquiorum, iocorum, facetiarum, ludorum, aliarumque illecebrarum conſidero, vix lacrymas comprimere valeo. Eſt quippe corruptela hæc plurimorum malorum fons. Mulier quæque ſuum habet veluti clientulum,

 qui

qui ſibi manum ad ambulandum porrigit, qui ſibi in converſationis aula [quam ſi libidinis, & infinitorum criminum ſedem vocarem, a vero non abluderem] ſervitia præſtat. Pluribus argumentis, & indiciis intelligit ſe impudice amari, ſuſpiria audit, fixos obtutus ſpectat, luxuriæ igniculos erumpentes conſpicit, tactus amatorios quandoque ſentit. Hæc omnia tamen diſſimulat, omnia honeſta eſſe adfirmat; aut ſe ignorare interioris animi malitiam fingit. Interim Confeſſarius abſolutionem impertit, & ſacramentorum frequentiam eiuſmodi feminis permittit. Et hæc una eſt innumerorum præſentis ſæculi potiſſima malorum cauſſa. Arceri a ſacramentis deberent omnes tum mulieres, tum viri qui eiuſmodi converſationes, ſeu libidinum nundinas, frequentant. Reiiciendæ ſunt, tamquam fucatæ, excuſationes mulierum, quæ nihil impudicitiæ, nihil libidinis ſe advertere iactant in his commerciis. Palam enim eſt hæc eſſe ſplendida mendacia. Quid? Homines ne mulierculis ſe ſubiicerent, illis veluti mancipia viliſſima ad nutum inſervirent, tot pecunias effunderent, rem domeſticam negligerent, proprias uxores faſtidirent, tot incommoda paterentur, niſi explendæ libidinis fiducia adeſſet? Nobilis quidam, amicitiæ fœdere mihi coniunctus, iactabat ſe nihil a Diva ſua umquam obtinuiſſe. Ergo, inquiebam ego, fatuus, ſtupidus, ac truncus es, non vir. Tot diſpendia, tot vigilias, labores, incommoda paſſus es abſque ulla mercede? Vah omnium ſtultorum dementiſſimum! Ad hunc exorciſmum in honeſtum finem directum locutus eſt mutus, ſuaque adulteria confeſſus eſt & non negavit amplius. Qua confeſſione, vi iſtius figuratæ locutionis extorta, peracta ad bonam ſe recepit frugem. Mulierem, quæ, occaſione data, ſuos faſſa eſt lapſus, rogavi, cur tanta obſtinatione defenderet tamquam honeſtam hanc converſandi conſuetudinem, cum experimento ſciret eſſe pernicioſiſſimam corruptelam. Repoſuit. Ecquid? Si fateremur morem hunc vitii quidquam habere, abſtinendum ab eo eſſet. Ut eumdem libere frequentare poſſimus, innoxium defendimus, quem vitiorum plenum eſſe non ignoramus. Niſi hæc pauca ſufficiant, fruſtranea erit oratio prolixior. Conſeras nunc hæc velim cum iis quæ ſunt in P. *Georgio Gobat* cap. 1. ubi invenies hunc Probabiliſtam talia docere. *Liquido ſcio, crebro fieri, præſertim inter plebeios & ruſticos, ut eodem in lecto puella cum proco cubent aliquot horas induti, & exuti, & tamen nihil omnino impudicum agant, vel non niſi oſcula, & turpes attrectationes exerceant. Unde iudico, non poſſe a Confeſſario negari abſolutionem omnibus illis puellis plebeiis (aliud ob varias conſiderationes ſentio de nobilibus) quæ non videntur habere propoſitum numquam amplius admittendi in lectum procum ſuum.* Confutatione iſta egent, an ſunt lacrymis abolenda? Hæc caſuiſtica theoremata ſunt inundantis hodiernæ malitiæ ſcaturigines. In plebeiis *præſertim*, ceterum in aliis quoque admitti poſſunt eiuſmodi promiſcuæ cubationes? Vah putidulam doctrinam!

XXV.

Digitized by Google

XXV. Quæſt. IX. *Peccat ne mortaliter mulier quæ manum, pedem, digitoſque ſuos contrectari, vellicari, aut perfricari ſentit, ſi non reſiſtat?* Reſp. Negat Thomas Sanchez *Lib. IX. de matr. diſp.* XLVI. *num.* 15. *&* 16. levem manuum, pedis, digitorumque contrectationem peccatum eſſe mortale, eo quod delectatio heinc capta ta levis ſit. Opinio hæc falſa eſt, ratioque futilis. Delectatio enim venerea, quæcumque ſit, quando deliberata eſt, culpa gravi non vacat. Neque enim parvitas materiæ in hoc rerum genere admittitur.

XXVI. Quæſt. X. *Peccat ne mortaliter qui propria pudenda tangit?* Reſp. Qui tangit, aut uxoratus eſt, aut ſolutus. Si uxoratus, aut id peragit abſente uxore, vel præſente. Si abſente coniuge ſe tangat impudice, & libidinoſe; proculdubio peccat mortaliter. Si uxor præſens ſit, & tactus fiant, ut diſponant ad copulam proxime habendam; tunc omni culpa vacant. Si autem tangens liber ſit, ſeque ob delectationem veneream tangat; peccat mortaliter, omnibus fatentibus. Si vero tactus fiant ob aliquam neceſſitatem, aut ex levitate abſque ulla impudica delectatione, nullius culpæ ſunt. Sed aliena pudenda tangere, ſemper peccatum grave eſt; niſi id fiat ob neceſſitatem, puta medicinæ, & curationis.

XXVII. Quæſt. XI. *Qui brutorum verenda perfricat, irritatque ad effundendum ſemen, peccat ne mortaliter?* Reſp. Negavit Thomas Sanchez *Lib. IX. de matrim. diſp.* XLVI. *num.* 15. Quæ opinio in poſteriori editione expuncta fuit, ut nimium laxa. Quare adfirmant communiter omnes, actionem hanc peccatum eſſe mortale, tum ob ipſam naturalem indecentiam; tum ob inſeparabilem delectationem veneream. Quis enim inficias iverit, hanc perfricationem commovere concupiſcentiam confricantis, libidinemque eius accendere? Prætextus meræ curioſitatis aſpiciendi brutorum ſemen futilis eſt, & vitioſa curioſitas, quæ annexum habet quidpiam venereum.

XXVIII. Quæſt. XII. *Eſt ne mortale peccatum aſpicere coitus brutorum?* Reſp. Abſolute id damnari nequit gravis culpæ; cum ſæpe neceſſarium ſit. Nam cum equi admiſſarii equas, & tauri vaccas agnoſcunt, ſtabularii, aliique adſint oportet. Quare certum eſt iſtos non peccare. Neque etiam peccarent alii, ſaltem graviter, ſi caſu, & abſque ullo pravo fine aſpicerent talem congreſſum, potius ut viderent ordinem quem eiuſmodi beſtiæ ſervant, quam ut coitum ipſum ſpectarent. Cautio tamen ſumma adhibenda eſt. Licet enim beſtialis hic coitus ad laſciviam non provocet, ſaltem vehementer; tamen inhoneſtatem quamdam præfert, quod Chriſtianus in talem turpitudinem ſuos defigat oculos. Quocirca ſatius, ac tutius erit ab eiuſmodi abſtinere aſpectibus.

XXIX. Quæſt. XIII. *Quodnam peccatum perpetraret qui concumberet cum muliere mortua?* Reſp. Humanæ infirmitatis pravitas, & præteriti eventus has horridas quæſtiunculas diſcutiendas ſuſcipere cogunt. Alii docent, eſſe peccatum beſtialita-

tis, quia eſt coniunctio cum alterius ſpeciei corpore. Alii ſuſtinent, peccatum iſtud ad ſpeciem revocari fornicationis, quia mulier mortua eſt mulier ſaltem analogice, & æquivoce. Tertia ſententia defendit eſſe peccatum pollutionis, ſi ſperma deciſum fuerit; ſi autem ſemen emiſſum non fuerit, reduci ad malitiam tactus obſceni cum periculo pollutionis. Cuiuſque opinionis patroni argumenta adferunt pro ſua ſententia. Verum eadem referre, atque diſcutere piget. Cum hoc peccatum limites omnes rationis prætergrediatur, ſpeciem in qua collocem, non invenio, ſed ad monſtra una cum auctore reiiciendum cenſeo. Et ſane, ſi quis tanti ſceleris reus occurreret, vix poſt diuturnam pœnitentiam inter hominum cœtus, nedum inter ſacra myſteria, admittendus foret. Talis quippe monſtroſus concubitus, qui omnem beſtialitatem tranſcendit, impotentis libidinis, atque inhumani animi indicium eſt.

XXX. Quæſt. XIV. *Sunt ne diverſæ ſpeciei peccata, oſcula, tactus, amplexus, & huiuſmodi peracta cum perſonis diverſi ſtatus, puta cum Monialibus, cognatis, & coniugatis?* Reſp. Adfirmat communis ſententia: quoniam eiuſmodi tactus, oſcula, & amplexus venerei ſunt diſpoſitiones ad copulam. Copula autem ex perſonarum diverſitate diverſam induit ſpeciem. Ergo idem dicendum & de præfatis actibus ad copulam diſponentibus. Quare exprimendum in confeſſione eſt, fuerint ne amplexus, tactus, oſcula peracta cum Moniali, aut conſanguinea, aut alterius uxore; quemadmodum exprimeretur copula ipſa.

XXXI. Quæſt. XV. *Quid ſit delectatio moroſa; & utrum ſemper mortale peccatum ſit?* Reſp. Triplicem ſupra diſtinximus delectationem, ſenſibilem, ſpiritualem, & carnalem ſeu veneream. De ſenſibili, habita ex mera partium proportione cum organo ſenſus, nulla eſt difficultas, quia ſuapte natura omni culpa vacat. Delectatio ſpiritualis, quæ in ſola voluntate reſidet abſque ullo corporis motu, ſi ſit de re mortaliter mala, mortalis eſt. Venerea, ſeu carnalis, commotionem carnis, & partium genitalium ſecum adferens, letalis eſt, quando deliberate a voluntate approbatur. Explicandum nunc eſt quid ſit delectatio moroſa. Eſt nimirum deliberata complacentia approbata a voluntate poſt ſufficientem advertentiam. Moroſa nuncupatur, non a temporis mora qua durat, ſed a voluntate, quæ libere in eadem moratur. Peccatum quodlibet internum unico inſtanti perpetrari valet. Delectatio ergo moroſa mortalis eſt, tametſi inſtantanea, quando poſt ſufficientem advertentiam voluntas in eam vel unicum momentum conſentit. Diſtinguitur a deſiderio: quia hoc opus ipſum anhelat, atque cupit; illa vero ab operis executione præſcindit, & de ipſius operis cogitatione practica, aut de ipſo opere delectatur, quin ulla ſit operis faciendi intentio. Moroſa iſthæc delectatio per omnia peccatorum genera divagatur. Nam perinde peccat qui delectatur de proximi malo, de homicidio, de blaſphemia, ac qui gaudet de re venerea. Unde

hæc

Digitized by Google

hæc delectatio ad illam peccati ſpeciem reducitur ad quam ſpectat obiectum de quo delectatio habetur. Hæc moroſa delectatio, ſi ſit de obiecto mortaliter vetito, ſemper eſt peccatum mortale. Delectatio iſta, etiam in re venerea, poteſt eſſe abſque commotione corporis, & carnis, atque adeo mere ſpiritualis, quando nimirum voluntas ſola delectatur. In aliis peccatis, ut delectari de proximi malo, clarius id patet.

XXXII. Quæſt. XVI. *Quid ſit delectatio ſpeculativa, quid practica?* Reſp. Aliqui Auctores delectationem *ſpeculativam* vocant quæ ſiſtit in cogitatione vel actus mali, vel modi eiuſdem; *practicam* vero appellant quæ eſt de ipſa re, aut actione cogitata. Alii *ſpeculativam* delectationem conſtituunt in obiecti delectabilitate, quin voluntas moveatur ad eam deſiderandam; e contrario *practicam* ultra delectabilitatem obiectivam adferre deſiderium executionis aſſerunt.

XXXIII. Eiuſmodi diſtinctiunculæ aut ineptæ ſunt in hac lubrica materia, aut confuſionem inducunt, ſcrupuliſque animum involvunt. Delectatio quippe, ſive ſit de re turpi, ſive de cogitatione rei turpis, in praxi ob potentiarum intimam connexionem, & rei venereæ picem, communiter peccatum mortale eſt. Ut rem hanc clarius teneas, hæc adiicio. Cogitatio ſpeculativa rei turpis licita eſt ex fine honeſto; puta cum Confeſſarii, Theologi, Medici, Anatomici rebus venereis ſtudent, eaſdem animo volvunt, & meditantur abſque omni peccato. At nonne licitum eſt de eiuſmodi cogitatione gaudere? Antequam, quid ipſe ſentiam, promo, propoſitionem a Clero Gallicano proſcriptam anno 1700. exſcribo. *Conſenſus qui præbetur ſuggeſtionibus pravis, cum tendit ad delectationem COGITANDI tantum de re illicita, puta de ulciſcenda iniuria, ſecundum S. Auguſtinum non eſt aliud quam veniale peccatum; licet ipſe ultionis actus, cuius cogitatione animus delectatur, ſit peſſimus, & certiſſimum peccatum mortale*. In hanc propoſitionem talem tulit, cenſuram Clerus Gallicanus: *Hæc propoſitio quaslibet cogitationes, & delectationes, quas moroſas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, in praxi pernicioſa... & iniurioſa S. Auguſtino*. Ut cuicumque errandi periculo occurramus, diſtinguenda eſt res cogitata, & rei cognitio. Delectari de cognitione, ſeu notitia cuiuſque rei, ſive bonæ, ſive malæ, quando ſola cognitio, ſeu notitia abſolute accepta, eſt obiectum delectationis, ſecundum ſe non eſt peccatum mortale. Interdum vero eſt peccatum veniale, quando nimirum quis inutiliter de re mala cogitat. Interdum autem eſt abſque omni culpa, quando nempe quis ratione officii rem illam meditatur, ut Theologus, Confeſſarius, Medicus, qui rebus turpibus & venereis ſtudent. Quando autem delectatio eſt de re ipſa cogitata, tunc dubio procul peccatum mortale eſt. Hanc doctrinam tradit D. Thomas 1. 2. *quæſt.* lxxiv. *art.* 8. Quia tamen propter intimam potentiarum connexionem difficilis in praxi eſt delectatio de cognitione rei abſque delecta-

lectatione de re cogitata ; idcirco de ipſa notitia dicere poſſum : Utinam neſcire licuiſſet. Dum itaque Theologi, Confeſſarii, aliique turpibus & venereis rebus ſtudent, ut ſuæ caſtitati conſulant, oppoſitis actibus ſe ſe muniant, uſumque diſtinctionis de cognitione, & re cogitata prætermittant. Quæcumque enim delectatio in hoc miſero ſtatu, & in hoc rerum genere periculum iunctum habet conſentiendi in rem turpem.

XXXIV. Quæſt. XVII. *Peccat ne mortaliter qui negative poſt ſufficientem advertentiam ſe habet in motibus venereis, neque conſentiens, neque diſſentiens?* Reſp. Certa ab incertis ſeparanda ſunt. Primum occurrere interdum poſſunt rationabiles cauſſæ, cur licita poſſit eſſe ſuſpenſio poſitivi diſſenſus; videlicet ſi, cum quis reſiſtit poſitive & directe, magis incaleſcat tentatio; ut in meticuloſis, ſeu ſcrupuloſis accidere ſolet, quibus diſſuadenda eſt poſitiva reluctantia ob mentis infirmitatem. Contemptio ſuggeſtionum iſtis neceſſaria eſt. Item, quando nimis moleſtum foret repetere oppoſitos actus, cum tentatio diu duret. Quando deſiſtendum eſſet ab officio Confeſſarii, Theologi &c. tunc contemnendæ ſunt tentationes. Quod tum maxime verum habet, quando opus quod perpetratur, natura ſua honeſtum eſt. Advertendum tamen, quod dum homo aut tentationes contemnit, aut mentem alio divertit, aliaque cogitat, minime negative ſe habet; ſed reapſe reſiſtit, non directe, ſed indirecte. Et hæc indirecta reſiſtentia ſæpe prudentior, & utilior eſt ipſa directa, ſpectata perſonarum diverſitate.

XXXV. Quod in diſputationem Theologi vocant, eſt, utrum abſolute, & præciſis peculiaribus circumſtantiis, licitum ſit *negative* ſe habere, dum ſervet concupiſcentia, motuſque venerei animum adoriuntur. Ioannes Sanchez *diſput.* XXI. *num.* 3. P. Thomas Tamburinus in *Decal. Lib. X. cap.* 11. & alii apud eoſdem, defendunt, per ſe loquendo nullam eſſe obligationem poſitive reſiſtendi eiuſmodi motibus.

XXXVI. *Hæc ſententia*, inquit P. Claudius La Croix Lib. V. num. 111. *ſpeculative loquendo videtur eſſe probabilior : in praxi tamen tenenda non eſt*. Verum non modo practice, ſed etiam ſpeculative improbabilis eſt iſta ſententia. In quo enim ſita eſt hæc maior probabilitas ſpeculativa? In hoc quod motus inordinati, rationi rebelles, animæ excidium machinantes non reprimantur, non cohibeantur, non ſubigantur rationi, & ſupremo Domino. Hæc eſt ſpeculativa probabilitas iſtius ſententiæ : & ſecundum hanc conſiderationem *ſpeculative probabilior eſt ſententia iſthæc?* Quis non videt evidentem iſtius maioris probabilitatis ſpeculativæ falſitatem? Methodus probabiliſtica paſſim ad ſcopulos impingit.

XXXVII. Dico itaque, peccare mortaliter, abſolute loquendo, eum qui poſt ſufficientem advertentiam, *negative* ſe habet in motibus venereis. Hæc eſt communis Theologorum ſententia; eamque conceptis verbis docet S. Thomas 1. 2.

quæſt.

Digitized by Google

quæſt. lxxiv. *art.* 6. ſic inquiens. *Deficit autem* (intellectus) *in directione paſſionum interiorum dupliciter. Uno modo, quando imperat illicitas paſſiones; ſicut quando homo ex deliberatione provocat ſibi motum iræ, vel concupiſcentiæ. Alio modo, quando non reprimit illicitum paſſionis motum; ſicut cum aliquis, poſtquam deliberavit quod motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit. Et ſecundum hoc dicitur peccatum delectationis moroſæ eſſe in ratione.* In his D. Thomæ verbis rationes continentur ſententiæ noſtræ. Quandoquidem motus iſti ſunt inordinati, diſponuntque natura ſua ad copulam. Ergo natura ſua rationi, & ordini a Deo præſtituto repugnant. Recta ratio, data nobis a Deo, iubet ut rerum ordinem cuſtodiamus, illumque a perturbatoribus vindicemus. Ergo quicumque otioſe ſe habens permittit hunc concupiſcentiæ tumultum, & propriæ animæ obſidionem, graviter delinquit adverſus rectam rationem, & divinam legem, ad quarum amuſſim tenetur dirigere ſuas actiones. Peccat mulier ſe impudice tangi permittens ab alieno viro. Ergo peccat etiam, dum propriæ concupiſcentiæ, vel dæmonis luxurioſas aggreſſiones permittit, illas non repellendo. Peccat certe mortaliter, ſi ad motus turpes excitatos ab homine indifferenter ſe habeat: & mortaliter non peccabit, ſi ſe habeat negative ad eoſdem excitatos a dæmone? Accedit, motibus iſtis adeo adnexum eſſe periculum, ut in praxi vix ab eiſdem ſeparari valeat. Quare fictitia eſt præciſio periculi, quam obtrudunt adverſarii; potiſſimum cum res iſta adeo ſubtilis ſit, & delicata, atque inſidiis, doliſque plena, ut vix ſatis ſit diligens & ſtrenua repulſio.

XXXVIII. Tandem urget celebre axioma: *Qui tacet, conſentire videtur.* Qui *negative* ſe habet in præfatis motibus, *tacet*. Ergo conſentire præſumitur. Acuta eſt P. Claudii La-Croix *Lib. V. num.* 111. reponſio. *Nec obſtat* (inquit) *quod communiter dicitur: Qui tacet, conſentire videtur. Nam hoc valet tantum in materia contractuum, ut recte Caſtropalaus.* Recte ne ſentiat P. Caſtropalaus, tali cavillatione eludens præfatam regulam, haud multis opus eſt ut quiſque iudicium ferre valeat. Cur etenim in contractibus, ſecus in aliis valet regula iſta? Immo potius in iis valet in quibus ſolus internus conſenſus rem perficit. Si reus interrogatus a iudice taceat, nonne conſentiens præſumitur? Concupiſcentia illecebras & delectationes ſummas voluntati offert. Hæc illas haud reſpuit. Ergo eas acceptat. Si puella, ut dictum eſt, mamillarum tactus, vultus oſculationes, & amplexus ſibi fieri ſineret; quis negaret eam eſſe conſentientem? Non præſumitur conſentiens voluntas, inquit *P. La-Croix* ex Caſtropalao, aliiſque Auctoribus, quia non datur præceptum reſiſtendi. Hæc ſunt ſolita Probabiliſtarum effugia. Iam probatum eſt, præceptum urgere cohibendi motus qui ordinem divinæ legis, & iuſtæ rationis pervertunt. Lubet tamen clarius adhuc oſtendere præceptum iſtud. Tum datur præceptum poſitive reſiſtendi his motibus, quando datur præceptum vetans con-

ſen-

ſenſum in id ad quod tales motus impellunt. Sed datur præceptum vetans copulam, aut pollutionem, ad quam concupiſcentiæ motus inſtigant, & inducunt. Ergo exiſtit præceptum his motibus reluctandi, eoſque in ordinem redigendi. Sententiam noſtram defendunt præter *D. Thomam*, *S. Antoninus*, *Suarez*, *Vaſquez*, *Azorius*, *Leſſius*, *Antoine*, *Continuator Tournely*, & alii communiter, ut fatetur vel ipſe P. La-Croix: qui ſimiliter in praxi nobiſcum ſentit; ſed ut ſe benignum lectoribus præbeat, aliorum opiniones, tametſi laxas, proponit veluti probabiles ſpeculative; quæ poſtea vi illa graviſſima Probabiliſmi evadunt probabiles practice, ut ſuo loco dicetur; ubi palam fiet quantum iſtius Auctoris methodus proponendi opiniones, quas nec ipſe amplectitur, incautis lectoribus noceat ob abuſum Probabiliſmi. Quid refert, quod Probabiliſta aliquis ſcribat, ſe hanc opinionem ſequi ut probabiliorem; ſi interim contrariam proponat ut probabilem, vel ſi hiſtorice narrat, ut paſſim præſtat *P. La-Croix*, alios Auctores oppoſitum docere, abſque ulla eorumdem confutatione? Verum hæc obiter, plurima ſuo loco dicturus.

XXXIX. Quæſt. XVIII. *Datur ne materiæ parvitas in genere luxuriæ?* Reſp. Adfirmat P. Thomas Sanchez *Lib. IX. de matrim. diſp.* XLVI. *num.* 9. item *num.* 39 In poſteriori tamen editione iſtius ſententiæ retractatio legitur. Caramuel in *Theol. Regul. diſput.* LXIX. *numer.* 1052. *& ſeq.* Eſcobar *Theol. Moral. tractat.* I. *exam.* VIII. *cap.* III. Leſſius *Lib. IV. de iuſt. cap.* III. *dub.* 8. *num.* 49. Aravio *in* I. 2. *D. Thom. quæſt.* LXXIV. *art.* 10. *dub. ult.* Zanardus *in Direct. Part. I. cap.* XLI. *quæſt.* XXVIII. aliique non pauci.

XL. Contraria ſententia communis eſt, & vera. Antequam rationibus eadem muniatur, unum vel alterum præmittam oportet. Convenit penes omnes, in genere luxuriæ quædam reperiri obiecta genere ſuo gravia, & quædam phyſice conſiderata levia. Copula carnalis, pollutio, notabilis diſtillatio, pudendorum vehemens commotio, eorumdem impudicus tactus ſunt obiecta ſua natura gravia. Obiecta vero levia reputantur modica verendarum partium commotio, aſpectus pulchræ mulieris, eiuſdem manuum tactus, digitorum intorſio. Delectatio pariter altera reputatur gravis quæ impotentem carnis commotionem infert, rationemque ſecum vehementer abripit; levis vero quæ parum rationem attrahit, & remiſſe carnem commovet. Conſentiunt rurſus omnes, delectationem voluntariam, captam de obiecto graviter impudico, eſſe mortalem. Certum quoque eſt delectationem veneream vehementem ex parte actus, tametſi de obiecto levi, letalem eſſe: quoniam omnis delectatio venerea vehemens natura ſua pollutionem inducit. Quoties ergo delectatio venerea eſt gravis, & vehemens, ſive ſit capta ex obiecto gravi, ſive ex obiecto levi, mortalis eſt, ob dictum influxum eius in pollutionem: quæ ſi non eveniat, id per accidens eſſe cenſetur. Vehemens enim delectatio natura ſua apta eſt illam inducere.

XLI.

Digitized by Google

XLI. In hoc ergo controverſia vertitur, nimirum utrum delectatio venerea quæ tam ex parte actus, quam ex parte obiecti levis eſt, phyſice ſpectata, ſit quoque levis in genere moris, puta delectatio venerea quæ ex preſſione manus femineæ captatur. Negat, ut dixi, communis & vera ſententia, quæ nititur primum auctoritati Clementis VIII. & Pauli V. qui iuſſerunt, fidei Quæſitoribus denuntiari eos qui aſſererent, oſcula, tactus, & amplexus, habitos ob ſolam delectationem laſcivam ex iiſdem perceptam, non eſſe culpam gravem, quando nullum ad copulam habent ordinem. Accedit auctoritas Alexandri VII. qui contrariam damnaſſe videtur opinionem in hac 40. propoſitione. *Eſt probabilis opinio quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*. Si non eſt probabilis, ſed ſcandaloſa opinio quæ docet, venialem tantum culpam eſſe delectationem carnalem perceptam ex oſculo, abſque periculo ulterioris conſenſus; quænam erit delectatio venerea, venialiter tantum vitioſa? Oſculum genere ſuo leve quippiam eſt. Delectatio quoque quæ periculum excludit ulterioris conſenſus, ſua phyſica natura ſpectata, levis apparet. At in genere moris gravis evadit. Quamvis autem propoſitio damnata de ſola delectatione captata ex oſculis loquatur, quæ maior natura ſua videtur quam delectatio percepta ex manus, aut pedis contactu; tamen de ea delectatione ibi eſt ſermo quæ periculum ſecum non adfert ulterioris conſenſus, aut pollutionis. Ergo levis eſt delectatio iſthæc in genere phyſico: nam, ſi gravis foret, grave periculum haberet ulterioris conſenſus. Porro ſemel poſito quod delectatio venerea, natura ſua levis in genere phyſico, ſit abſolute in genere moris letalis; conſequitur, reperiri in hoc genere haud poſſe delectationem veneream levem. Quod ratiocinium, licet non ſit demonſtratio, evidenter oſtendens oppoſitam ſententiam eſſe damnatam, eſt tamen argumentatio valde probabiliter id evincens. Favet denique auctoritas *R. P. Claudii Aquavivæ* Propoſiti Generalis Societatis Ieſu, qui omnibus ſuæ Societatis Theologis præcepit ut defenderent, in genere luxuriæ nullam dari materiæ parvitatem.

XLII. Rationum momenta paucis explicantur. Quælibet delectatio venerea, ſive modica, ſive magna, phyſice ſpectata, ſi deliberate captetur, in genere moris eſt quædam complacentia aut pollutionis, aut copulæ illicitæ. Sed delectatio deliberata ſive de pollutione, ſive de copula, eſt peccatum mortale. Ergo quæcumque delectatio venerea deliberata eſt peccatum mortale. Maior propoſitio, in qua tota eſt difficultas, ſic oſtenditur. Delectatio venerea conſurgit ex motu humoris ſeroſi, qui eſt ſpermatis materia, ut teſtantur Philoſophi omnes cum Galeno. Quælibet ergo delectatio venerea eſt quædam inchoata pollutio. Hic autem pollutionis motus eiuſdem ſpeciei eſt ſive in principio, ſive in progreſſu, ſive in fine: quia initium illius motus natura ſua tendit in terminum, ſeu in

con-

conſummatam pollutionem. Qui ergo animo deliberato captat delectationem veneream ex tactu manus mulieris, directe quærit motum pollutionis. Quoniam, ut dictum eſt, ex hoc ſolo motu oritur delectatio venerea; & motus iſte natura ſua deſinit in conſummatam pollutionem, aut copulam. Neque præciſiones intellectus, aut voluntatis reluctatio, poſito quod ſemel conſenſerit in principium iſtius motus, valet eiuſdem ordinem, ſeu, ut aiunt, tendentiam in terminum pollutionis interrumpere. Eo ipſo quod quis deliberate voluit initium, terminum quoque voluit. Quare fictitia, & illuſoria eſt adverſæ ſententiæ reſponſio, videlicet delectationem veneream non eſſe mortalem, quando abeſt periculum ulterioris conſenſus, & pollutionis: quoniam, cum periculum iſtud ſit intimum, & natura ſua huic delectationi adnexum, nequit mentis præciſione in genere moris ſeparari. Paucis verbis, quæ dicta ſunt, perſtringit Angelicus 1. 2. quæſt. lxxiv. art. 8. *Quod autem aliquis ex deliberatione eligat quod affectus ſuus conformetur his quæ ſecundum ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale. Unde talis conſen ſus in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale.*

XLIII. Neque reponas, probandum eſſe obiectum delectationis eſſe peccatum mortale: quoniam tactus manus, aut pedis mulieris obiectum leve, non grave eſt; ac ſubinde peccatum veniale, non mortale dici debet. Inanis eſt reſponſio iſta. Enimvero, ut demonſtravi, licet materia immediata iſtius delectationis ſit attrectatio manus, pedis, aut digitorum, obiectum tamen in quod ultimo delectatio recidit, eſt aut pollutio, aut fornicatio, in quam ſuapte natura delectatio tendit. Ergo letalis eſt.

XLIV. Obiicies. Experientia multi ſciunt ſe ſiſtere in manus, aut oſculi delectatione, nec ultra pergere: non enim pollutionem patiuntur; immo & copulam poſitive deteſtantur, & ſolam delectationem perceptam ex manus contactu deliberate volunt. Reſponſio ex dictis patet. Qui deliberate volunt delectationem veneream quamlibet, volunt quoque ea omnia in quæ illa natura & pondere ſuo tendit. Quod pollutio, vel copula illam non conſequantur ſemper, per accidens eſt; neque id tollit quin ea per ſe in eiuſmodi effectus impellat. In aliis peccatis diſtinguitur materiæ parvitas: quia reapſe materia dividua eſt, nec habet annexum periculum grave prolabendi in materiam completam.

XLV. Denique communi Theologorum aſſenſu delectationes venereæ præ ceteris omnibus quæ ex aliis peccatis percipiuntur oblectationibus, viſcoſæ ſunt, & picis plenæ: adeoque nulla circa illas relaxatio facienda. Diſtingui utique & in iſtis valent mente noſtra phyſicæ operationes leviores, & graviores. E. g. tactus verendorum, mamillarum, vultus, manus, pedis &c. Si phyſice ſpectentur actus iſti, unus altero gravior eſt, & vehementius carnem commovet, pollutionemque inducit. At, licet delectatio deliberate quæſita in manus attrectatione inferior ſit de-

Digitized by Google

delectatione captata ex tactu mamillarum; tamen non hinc ſequitur, levem eſſe illam, gravem hanc. Nam utraque in pollutionem, aut copulam tendit; quamquam maiori impetu una feratur ac altera. Ne multa, Omnes fatentur, periculum huic lubriciſſimæ materiæ annexum ſemper eſſe; atque impotenti inclinatione concupiſcentiam ferri in copulam, vel pollutionem. Omnes adfirmant, difficile admodum eſſe, hoc periculum ſeparari a delectatione. Ergo nemo ſuæ æternæ ſalutis cupidus abſque gravi culpa poteſt tanto diſcrimini animam ſuam committere. Itaque, tametſi rationes metaphyſice ſpectatæ evidenter non oſtenderent, quamlibet veneream delectationem deliberate quæſitam eſſe letalem; nihiloſecius, conſiderato periculo viſcoſæ, lubricæque materiæ annexo, & ſpectata difficultate ſecernendi parvam a gravi delectatione, ſequitur nulla probabilitate frui opinionem quæ venialem delectationem admittit in genere luxuriæ. Id ſolum verum habet, venialem ſæpe culpam contingere in hac materia ex imperfecta deliberatione voluntatis. Quis negligens eſt in repellenda tentatione, in comprimendis motibus concupiſcentiæ. Tangit quis mulieris manus, familiariter eam alloquitur. Experitur carnem commoveri, igniculos accendi. Torpidus eſt, & tardus in primis his aggreſſibus propulſandis. Tum in illo pro maiori, aut minori negligentia poterit maior, aut minor culpa eſſe; dummodo abſit deliberatus conſenſus, aut deliberata ſuſpenſio negativa, quæ voluntarie permittat, partem inferiorem ſuam proſequi obſidionem, & rebellionem.

XLVI. Quæſt. XIX. *Quibus indiciis colligi prudenter poteſt, aliquem conſenſiſſe delectationi venereæ, aut gravis negligentiæ reum eſſe?* Reſp. Regula potiſſima eſt conſcientiæ puritas habitualis, & ſincera ſollicitudo peccati vitandi. Qui fervidus eſt in divinæ legis obſervantia; qui reapſe a peccatis letalibus abſtinet; qui ita diſpoſitus eſt, ut vellet mortem potius oppetere quam graviter Deum offendere; qui denique reapſe numquam deliberate, & expreſſe conſentit in pravas delectationes, ſed fortiter eaſdem repellit: is prudenter utique præſumendus eſt non conſenſiſſe. Qui dubitat, vigilans ne, an dormiens in delectationem conſenſerit, præſumendus eſt dormiens conſenſiſſe. Contra vero circa eos qui peccatis aſſueti ſunt, in dubiis præſumptio urget adverſus eoſdem. Eiuſmodi tamen regulæ non adeo certæ ſunt, ut iuſti, & bene morati habeant unde ſibi gratulentur. Nihil mihi conſcius ſum; ſed non propterea iuſtificatus ſum. Dubitationes eiuſmodi ſacramento pœnitentiæ ſubiiciendæ ſunt. Anxios tamen, & ſcrupuloſos excipe, qui, dum timent conſenſiſſe, quandoque ob ipſum timorem prolabuntur. Erigendi iſti ſunt, &, dum habitualis illorum ſtatus a gravi culpa immunis eſt, contemptio tentationum eſt illis ſuadenda. Iſti numquam cum tentatione, aut dæmone præliari debent: quia, ſicuti in hoſtili certamine timidi, ignavique faciliime corruunt, ſolaque fuga ſibi cavent; ita pari ratione in conflictu luxuriæ ſcru-

pu-

Digitized by Google

puloſi, & timidi pugnam vitare debent, & prælium ipſum declinare ; vel mentem alio dirigendo, vel inimicum ſpernendo, & deridendo. Verum de remediis adverſus ſcrupuloſos alibi. Sunt peccatores nimium audaces, & præſumentes : ſunt & iuſti nimium meticuloſi, moroſi, & cavilloſi. Radix ſcrupulorum primum omnium detegenda eſt, quæ non raro a ſuperbia ortum ducit. Sed, ut dixi, alibi varia ſcrupuloſorum genera deſcribam : & potiſſimum graphice illos depingam qui ſcrupulos ſibi movent in iis rebus quæ aut nihil, aut parum illis incommodant; e contrario docti, & ſapientes ſunt, ſeu, ut verius dicam, verſuti, & ſagaces in iis omnibus honeſtandis quæ ſibi placent; commoda omnia anxie perquirunt, delicate comedere ſtudent, quæ ſua natura peccata non ſunt, ſenſibus, & carni concedunt. Tota eorum ſollicitudo, & anxietas eſt circa actus interiores, atque de ineptiis, & nugis, aut rebus leviſſimis ſibi perplexitates ſuſcitant, Confeſſarios torquent, & cruciant.

C A P U T V.

De vellicatione genarum, & tactibus mamillarum.

I. NEque elapſis, neque noſtris temporibus defuere qui genarum vellicationes, mamillarumque tactus velut culpas de ſe tantum veniales confidenter traduxerint. Huius pernicioſæ doctrinæ dilatationem promovit *Diſſertatio in caſus reſervatos Venetæ Diœceſeos* anno 1743. publici iuris facta, in qua hæc inter alia leguntur. *Quæritur tertio, an reſervatione afficiatur qui cum Moniali peragat, vel attentet actus ſubimpudicos de ſe veniales, e. g. genas vellicare, mamillas tangere, & ſolum ex pravo effectu, vel ex prava intentione mortales. Reſp. negative. Nam iuxta noſtram regulam octavam nonniſi peccata per externam malitiam mortalia reſervantur.* Hanc opinionem, atque alteram de blaſphemia, quas Auctor admonitus corrigere detrectavit, earum immo defenſionem adornans, labefactarunt Epiſtolæ duæ anno 1744. Venetis typis editæ, aliiſque deinceps recuſæ. Percrebuit rumor, eoque devenerunt erroneæ ſententiæ fautores, ut D. Thomam huius opinionis aſſertorem non veriti ſint obtrudere : quam immerito, aliorum eſto iudicium. Vera ſententia apud imperitos iam iam periclitabatur; cum tandem Romæ publico ſanctæ univerſalis Inquiſitionis decreto proſcripta fuit Diſſertatio die 17. Aprilis anno 1744. Integrum decretum tranſcribere iuvat.

D E-

Digitized by Google

D E C R E T U M.

Feria 5. die 16. Aprilis 1744.

„ In Congregatione generali S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, habita in „ Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO „ Papa XIV. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. Romanæ Eccle- „ ſiæ Cardinalibus, in tota Republica chriſtiana contra hæreticam pravitatem „ generalibus Inquiſitoribus, a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

„ Idem Sanctiſſimus Dominus Noſter Dominus BENEDICTUS PP. XIV. audi- „ tis theologica cenſura infraſcripti Libri, nec non præfatorum Eminentiſſimo- „ rum DD. Cardinalium ſuffragiis, prohibendum, ac damnandum cenſuit, prout „ præſenti decreto damnat, & prohibet, Librum Venetiis impreſſum anno 1743. „ cui titulus: *Diſſertatio in Caſus reſervatos Venetæ Diæceſeos Authore* N. N. „ tamquam continentem propoſitiones reſpective falſas, maleſonantes, ſcandalo- „ ſas, & piarum aurium offenſivas; eademque prohibitione damnat, & vetat „ quaſcumque ſcripturas, ſeu libros editos, vel edendos, eiuſdem Libri defenſio- „ nem continentes.

„ Hunc itaque Librum, & ſcripturas, ſeu libros ſic damnatos, & prohibitos „ idem Sanctiſſimus Dominus Noſter vetat ne quis, cuiuſcumque ſit ſtatus, & „ conditionis, ullo modo, & ſub quocumque prætextu, iterum imprimere, aut „ imprimi facere, vel tranſcribere, aut iam impreſſum, vel impreſſos, aut tran- „ ſcriptos apud ſe retinere, & legere audeat; ſed ipſum, aut ipſos Ordinariis „ locorum, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim, & cum effectu trade- „ re, & conſignare teneatur, ſub pœnis in Indice Librorum prohibitorum con- „ tentis.

„ Paulus Antonius Cappellonus S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis „ Not.

Loco ✠ Sigilli.

„ Die 17. Aprilis 1744. ſupradictum edictum affixum, & publicatum fuit ad „ valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, ac aliis locis ſolitis, & „ conſuetis Urbis per me Petrum Romolatium ſanctiſſimæ Inquiſitionis Curſo- „ rem."

II. Quid tum? Poſt decreti pontificii publicationem decem circiter Libri apologetici in damnatæ diſſertationis defenſionem typis clandeſtinis in lucem prodiere. Hæc omnia non in altero orbe, ſed ſub oculis noſtris contigere. Libri editi ſunt ſequentes. I. AVVISO SALUTEVOLE PRIMO &c. II. AVVISO SALU-

TEVOLE SECONDO. Hæc duo opuſcula Romæ furtim edita ſunt anno 1744. ſed, re ad tribunal delata, Auctor mitem ſubivit pœnitentiam, multatus pœna pecuniaria fuit typographus, & librorum venditor carceri addictus mortem tandem oppetiit. Hæc duo opuſcula, quorum primum typis Lucenſibus recuſum eſt, tam ineptis, vanis, erroneiſque commentis ſcatent, ut eadem contemnenda, minime refellenda, ducamus.

III. Tertium opuſculum, quod in defenſionem *damnatæ diſſertationis* prodiit, primum mſſ. poſt typis Venetis cuſum, inſcribitur *IUDICIUM cuiuſdam viri Theologiæ Profeſſoris ad Amicum Confeſſorem Monialium*. Quæ in hoc opuſculo promuntur ad propugnandam proſcriptam doctrinam, omnem ſuperant fidem. Idcirco, ne exaggerator videar, hæc pauca ſubiicio. *§. 2. num. 2. pag. 6.* talia ſcribit Theologiæ Profeſſor. *Iam vero propoſita doctrina de indifferentia intrinſeca eiuſmodi tactuum* [mamillarum] *eſt adeo certa, ut videatur negari non poſſe abſque periculo erroris in fide. Conſtat enim I. ex ſacra Scriptura multis in locis. E. g. ex illo Marci ult.* Super ægros manus imponent *&c. Ex illo Iacob. ult.* Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros . . . . ungentes eum *&c. Conſtat II. ex ſacramentis a Chriſto Domino inſtitutis, præſertim extremæ Unctionis. Conſtat III. ex ritibus Eccleſiæ, & ſpecialiter ex celebri ritu ungendi etiam adultos utriuſque ſexus ante Baptiſmum, & quidem toto corpore in Eccleſia Græca, in Latina vero ſaltem in pectore &c. . . . . Conſtat IV. ex Decretis S. R. E. in cauſis canonizationum, in quibus multoties hinc fidei Promotoribus acriter opponentibus tactus plures, & nominatim in mamillis, immo in aliis etiam partibus plus periculi afferre ſolitis; inde vero Poſtulatoribus, indifferentiam intrinſecam huiuſmodi tactuum in plena luce Rom. Curiæ fortiter propugnantibus, iudicatum denique fuit pro innocentia tactuum . . . . Sequitur iam 1. ex hac inconcuſſa doctrina, quod damnari ſine dubio meretur propoſitio eidem directe contraria . . . . videlicet . .* Deliberatus tactus mamillarum mulieris ex genere ſuo peccatum mortale eſt. *Nec illam iuvat ſpecioſa ſeveritas &c.*

IV. Ex ungue leonem collige. Hoc IUDICIUM recuſum typis fuit, adiectis tribus aliis opuſculis uno in volumine contentis, quorum hæc eſt inſcriptio: *R. P. Danieli Concinæ duarum Epiſtolarum Theologico-Moralium Auctori* OPUSCULA HAEC QUATUOR VERE AUREA. Opuſcula hæc quatuor antecedit Præfatio, ex qua pauca tranſcribo verba, quæ, quale ſit nonnullorum Scriptorum ſyſtema in excipiendis Romanæ Eccleſiæ decretis, luculenter referant, & benignitatem caritatis, qua ſuos oppoſitores proſequuntur, magnopere explanant. Cum ergo laudata DISSERTATIO, inquit Opuſculorum aureorum Editor, *antequam in tribunali Romano proſcriberetur, ab infami libello innumeris calumniis, & iurgiis intolerabilibus referto impetita fuiſſet per Rev. P. Danielem Concinam,*

ne-

Digitized by Google

neceſſarium viſum eſt innocentiam Auctoris iniuſtiſſime lacerati vindicare, atque ab illius veluti canis rabidi morſibus eripere. Id præſtari luculenter in Opuſculis hiſce quatuor vere aureis, quæ nunc tandem omnium oculis ſubiiciuntur, nemo erit ſanæ mentis qui negaturus ſit, dummodo velit ea legere non oſcitanter. Ibi enim maniſeſtiſſime apparebit, neque inveniri in Patris N. diſſertatione *errores illos quos arroganter impugnat P. Concina; neque doctrinam P. N. in eo eſſe damnatam, in quo mille fallaciis conatur illam per ſummum livorem, ſummamque inſcitiam pervertere P. Concina, ut oſtendat eſſe damnabilem: immo fateri quiſque debebit eſſe ſaniſſimam. Ne id, benigne lector, aut irreverentiæ tribuas erga Romanam Inquiſitionem, aut inobedientiæ erga eiuſdem decretum, quod iterum aio eſſe ſanctiſſimum. Numquid quia Romani Cenſores vetant defendere* propoſitiones ſcandaloſas, erroneas &c. *quæ inveniuntur in Patre N. vetant ſimul eas quoque in eodem Auctore defendere quæ non ſunt huiuſmodi?*

V. Porro, ut evidentius erga Romanæ Eccleſiæ decreta obſequium & obedientia Scriptorum eiuſmodi pateant, ſcias oportet, adeo compertum exploratumque eſſe, inter propoſitiones falſas, & ſcandaloſas a Romana Sede in præfata *Diſſertatione* damnatas, primum locum tenere illam qua a peccato mortali eximuntur tactus deliberati *ſubimpudici mamillarum*, ut Auctor eiuſdem diſſertationis in ſua *Retractatione*, quam Congregationi S. Officii obtulit, unice putidam doctrinam de mamillarum tactibus deteſtatus fuerit. Et ne aſſerere hæc gratis videar, en integram Auctoris retractationem.

Cum in meo libello, cui titulus eſt: Diſſertatio in caſus reſervatos Venetæ Diœceſeos, *impreſſo Venetiis anno* 1744. *nonnulla mihi exciderint, quæ audio multorum aures offendiſſe, quæque ego, re melius conſiderata, probanda non eſſe dico; ex animi mei ſententia revoco, & retracto propoſitionem, qua aſſerui vellicare genas, & mamillas tangere Monialium eſſe actus ſubimpudicos de ſe veniales, & ſolum ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales, tamquam rem falſam, male ſonantem, piarum aurium offenſivam, & ſcandaloſam. Inſuper declaro me improbando ſpecialiter recenſitam propoſitionem, nolle alia a me in eo libello ſcripta probare, ſi quæ minus caute, vel minus opportune ſcripta prudens lector deprehenderit; ſed ea omnia ſuperiorum iudicio, ac determinationi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reverenter ſubiicio, paratus revocare, atque improbare quæcumque ab ea reprobantur. N. N.* Sequitur recognitio characteris &c.

VI. Neque retractatio hæc opuſculorum Auctores latebat, immo iiſdem præ ceteris notum erat, diſſertationem damnatam fuiſſe potiſſimum ob ſcandaloſam doctrinam *tactuum mamillarum*. Quandoquidem Profeſſor Theologus, antequam damnaretur diſſertatio, ſuum IUDICIUM calamo exaratum legendum Cenſoribus dedit, ut in tuto a proſcriptione diſſertationem collocaret. Porro in hoc IU-

Digitized by Google

DICIO ſoli tactus mamillares defenduntur, tamquam natura ſua indifferentes: quin omnes apologiæ & calamo exaratæ, & typis evulgatæ huc pertinent, ut præfatos tactus mamillares de crimine purgent. Cur? quia, ut univerſæ Italiæ compertum eſt, eorumdem tactuum doctrina ſcandalum ingerebat; & potiſſimum propter præfatos tactus, & blaſphemias vi conſuetudinis prolatas, damnatus Liber fuerat. Unum adiicere convenit, nempe opuſculum inſcriptum IUDICIUM, typis editum fuiſſe, inſcio eiuſdem Auctore, probitate, modeſtia, doctrina, & dignitate claro. Hoc ille teſtatus eſt iis qui violatæ obedientiæ, debitæ S. Sedis decretis, eumdem arguebant. Probi viri atteſtationi fidem non adhibere, piaculum eſſet. Idque ego narrare æquum exiſtimavi, ut veritati, & exiſtimationi erga pium doctumque virum litarem. Quam vero obſequentes S. Sedi illi ſint qui recenſita *opuſcula quatuor vere aurea*, ſeu vere lutea, ediderunt, quiſque iudex eſſe poteſt.

VII. Præter enarrata ſex opuſcula mamillaria, alia quatuor eruperunt in medium. *Enarrationes ad primam Epiſtolam* contra diſſertationem lingua Italica ſcriptæ, mirum in modum pueriles, & ridiculariæ. Octavum opuſculum ſatyra eſt mſſ. Nonum, & decimum cauſſam concludunt *mamillarem*. Nonum opuſculum inſcribitur, *Dottrina di S. Tommaſo propoſta alla conſiderazione de' Saggi* &c. Totum opuſculum eo unice ſpectat, ut imperito vulgo ſuadeat, S. Thomam docere, tactus mamillares indifferentes natura ſua eſſe, atque adeo a culpa immunes. Doctrina, ex qua fabricandæ impoſturæ arrepta anſa eſt, habetur 2. 2. *quæſt.* clıv. *art.* 4. his expreſſa verbis. *Reſpondeo dicendum, quod aliquid dicitur eſſe peccatum mortale dupliciter. Uno modo ſecundum ſuam ſpeciem; & hoc modo oſculum, amplexus, vel tactus ſecundum ſuam rationem non nominant peccatum mortale. Poſſunt enim hæc abſque libidine fieri, vel propter conſuetudinem patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem, aut rationabilem cauſam*. Adeo perſpicua doctrina eſt, ut nemini ratione prædito in mentem venire potuiſſet umquam reperiendos homines fore qui eamdem ad tactiones mamillares honeſtandas detorquerent. Sermo hic eſt de tactibus, oſculis, & amplexibus qui vel ſecundum morem patriæ, vel propter neceſſitatem, aut rationabilem cauſſam fiunt; quique etiam ex affectu ad libidinem exerceri valent. Hi actus ſecundum ſuam rationem non includunt peccatum mortale: poſſunt enim honeſte peragi, aut etiam ex libidine: idcirco *de ſe* malitiam non produnt. Ubi in toto illo articulo vel leve veſtigium tactionum mamillarium? Ergo per ſummam iniuriam, ne dicam per impudentem calumniam, tactis mamillaribus honeſtandis angelica doctrina applicatur. Sed, ut cavillatoris inſcitia magis pateat, lubet paucis rem totam perſtringere. Auctor diſſertationis damnatæ fatetur, actus iſtos, *vellicare genas, tangere mamillas*, eſſe *actus ſubimpudicos, de ſe veniales*. Non ſunt ergo ſe-

Digitized by Google

ſecundum ſuam rationem a culpa immunes, nec fieri *de ſe* honeſte poſſunt. Angelicus autem de iis actibus ſermonem habet qui peragi laudabiliter valent *vel propter conſuetudinem. patriæ*, *vel propter aliquam neceſſitatem*, *aut rationabilem cauſam*. Reſpondeat argutator. Ad quam ex tribus aſſignatis cauſſis revocat vellicationes genarum, & tactiones mamillarum? Ad patriæ conſuetudinem? Ad neceſſitatem? Ad rationabilem cauſſam? Si ad harum aliquam reducuntur; non *ſubimpudici*, ſed pudici ſunt. Quid? Tactus, & oſcula ſecundum rationem genericam non produnt malitiam mortalem: ergo tactus differentia ſpecifica turpi involuti non ſunt letales? Oſculum frontis, tactus manuum laudabiliter exercentur. Ergo licita oſcula, & tactus mamillarum, & pudendorum Monialium? Ergo nuda corpora mulierum, & virorum ſe viciſſim vellicare, & tangere mutuo in omnibus partibus honeſte & licite poterunt? Hæc eſt Logica probabiliſtica.

VIII. Verum, ſi ultra pergerem, actum agerem. Siquidem P. Vincentius *Patuzzi*, doctrina, eruditione, morumque integritate clarus, Doctorem Angelicum ab iniquis commentis vindicavit, & tanta perſpicuitate paralogiſmos, ſophiſmata, & argutationes omnium quæ recenſui opuſculorum profligavit integro volumine typis Lucenſibus edito anno MDCCXLVII. inſcripto DIFESA DELLA DOTTRINA DELL' ANGELICO DOTTOR SAN TOMMASO &c. ut ſuperfluum ſit aliquid addere. Et, quod ad S. Thomam attinet, adeo luculenta eſt eius doctrina, ut in lectore non acumen, non eruditionem, ſed ſolam mentis ſanitatem poſtulet, ne valeat ad putidiſſimam vellicationum genarum, tactuumque mamillarium inflecti. Ut horrorem adverſæ doctrinæ unico mentis intuitu deprehendas, hæc duo ſimul perpende; *vellicare genas*, & *mamillas tangere*: & tute iudex eſto, peragi ne hæc duo alicuius prudentis, nedum S. Thomæ, iudicio abſque gravi culpa queant.

IX. Decimum opuſculum profecto miſerandum, quod ob confutatam rem mamillarem prodiit, inſcribitur *Ritrattazione ſolenne di Fra Daniello Concina* &c. Vix e nativis tenebris in lucem erupit horrendus fetus, continuo anathemate Romanæ Sedis proſcriptus fuit ſolemni decreto S. Officii, emanato die 27. Iunii, anno 1744. tamquam *Libellus famoſus*. Hæc ſunt pontificii decreti verba.

D E C R E T U M.

Feria 4. *die* 17. *Iunii* 1744.

„ Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum S. „ R. E. Cardinalium, in tota Republica chriſtiana contra hæreticam pravitatem „ Generalium Inquiſitorum, habita in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam de „ mandato Sanctiſſimi D. N. BENEDICTI XIV. præſenti decreto prohibet, & „ damnat, ut Libellum famoſum, nonnulla folia impreſſa, quorum titulus = „ *Ritrattazione ſolenne di tutte le Ingiurie, Bugie, Falſificazioni, Calunnie, Con-* „ *tumelie, Impoſture, Ribalderie, ſtampate in vari libri da Fra Daniello Conci-* „ *na Domenicano Gavotto contro la Venerabile Compagnia di Gesù da aggiunger-* „ *ſi per modo di appendice alle due infami Lettere Teologico-Morali ultimamen-* „ *te publicate contro il Rev. P. N. della medeſima Compagnia. In Venezia* 1744. „ *appreſſo Simone Occhi ſotto il ſegno d' Italia. Con licenza de' Superiori, e Pri-* „ *vilegio* =

„ Hæc itaque folia, ſic prohibita & damnata, Sacra eadem Congregatio de „ mandato, ut ſupra, vetat ne quis, cuiuſcumque ſit ſtatus, & conditionis, au- „ deat ullo modo, ſub quocumque prætextu imprimere, vel imprimi facere, ne- „ que impreſſa apud ſe retinere, & legere valeat; ſed ipſa Ordinariis Locorum, „ aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim, & cum effectu tradere, & conſi- „ gnare teneantur, ſub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis.

„ Paulus Antonius Cappellonus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis „ Not.

Loco ✠ Sigilli.

„ Die 27. Iunii 1744. ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad „ valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, ac aliis locis ſoli- „ tis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romolatium SS. Inquiſitionis Curſo- „ rem. "

Rumor increbuerat, me libellum calumniis inepte conſarcinatis refertum conſutaturum: atque, ne id facerem, mandatum a ſuprema Poteſtate impetratum fuit. Verum numquam id mihi in mentem venerat, ut continuo imperanti, ne ſcriberem, repoſui. Quid poſtea? Libellus famoſus recuſus typis Lucenſibus fuit, Auctorum, fautorumque opera, illorumque propriis manibus, modo pacto pretio divenditus, modo amicis dono datus, & per omnes Italiæ civitates, oppida, & villas diſtributus fuit. Utrum hæc ſint obedientiæ & obſequii erga S. Sedem argumenta, aliorum iudicium eſto. Grates interim agendæ Deo nobis

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, quod pro zelo Nominis IESU, eiuſque immaculatæ doctrinæ propugnandæ digni habiti fuerimus contumelias, probra, & maledicta perferre. Utinam Deus ille clementiſſimus, qui nobis patientiæ donum contulit, adverſariis reſipiſcentiæ gratiam impertiri dignetur.

X. Peractæ odioſæ litis ſpecimen paucis perſtrinxi, occaſione data, ea qua potui cautione. Rem publicam, typiſque editam narravi, nullius nomine expreſſo. Supervacaneum duco iſtas, quemadmodum etiam aliorum quorumdam Caſuiſtarum laxitates, quæ omnes huc recidunt, uberiori calamo refutare: ſeipſis namque corruunt. Illud te admonere magnopere intereſt, ne ob quorumdam paucorum Scriptorum aberrationem, & imbecillitatem, quidquam exiſtimationis, & obſequii erga cœtum, cuius hi ſunt membra, minuere velis. Splendor inſignis communitatis ex aliquorum filiorum infirmitate nullam contrahere maculam iure debet. Quot non ſunt in catholica Romana Societate deſipientes filii? Propterea ne Doctorum, apoſtolicorum virorum, Martyrum, aliorumque ſanctorum hominum ingentia merita decreſcunt? Separa ergo pretioſum a vili. Tantummodo noli propter eximiam communitatis famam, & auctoritatem, privatorum errores, nullo præcedente delectu, epotare: quem ſcopulum ut evitares, præcipue hæc ſcripſi.

C A P U T VI.

Mulier vi compreſſa adſtringatur ne poſitive reſiſtere, an licite poſſit permiſſive ſe habere, ut vitæ, vel honoris periculum declinet.

I. IN explicatione quinti mandati *cap.* IV. *§.* 5. cum S. Auguſtino oſtenſum eſt, non debere virginem invaſam occidere invaſorem, ut corporalem pudicitiam ſervet, contra novos Caſuiſtas, qui, tametſi benigniſſimi, facillime tamen fundendum humanum ſanguinem docent. Superiori quoque capite *num.* 23. *quæſt.* VIII. probatum fuit, non poſſe mulierem permiſſive ſe habere; ſed illius eſſe tactibus, oſculiſve reſiſtere. Nunc in quæſtionem vertitur, num mulier vi compreſſa, ad evitandum mortis, aut infamiæ periculum, valeat omittere poſitivam reluctantiam exteriorem, & *permiſſive*, atque negative ſe habere, ſuſtinendo corpore immoto iacturam pudicitiæ corporalis, interius voluntate deteſtando omnem libidinem. Adfirmant novi Theologi non pauci, quos inter Cornelius a Lapide, cuius propoſitionem inter laxas recenſuimus *cap.* I. in hoc ſextum præceptum. Recruduit hiſce diebus diſputatio. Perilluſtris D. Petrus Angelus Lavizari doctiſſimus, atque erudititiſſimus vir, qui hiſtoriam *Vallis Telinæ* Retiæ Provinciæ ſcripſit,

pſit, typiſque prodidit magno Litteratorum plauſu, præſentem controverſiam diſpexit, egregiamque diſſertationem elucubravit lingua Italica, quam mihi, utpote amicitiæ vinculo iunctus, legendam tradidit humanitate ſumma. Paucis ego rem perſtringam, cum ex iis quæ iam ſupra diſputavi, veritas abunde pateat. Unum revocare in memoriam intereſt, nempe me opiniones, quas laxas reputo, refellere nullo ad Ordinem, quem earumdem patroni profeſſi ſunt, reſpectu habito. AEque refuto opiniones Theologi Dominicani, ac Franciſcani, Carmelitani, Ieſuitæ &c. &, ſi frequentius refello opiniones PP. La Croix, Viva, Tamburini &c. id in cauſſa eſt quod iſtorum libri in manibus omnium ſint; ceterorum vero Theologorum, qui fortaſſe eaſdem docuere laxas opiniones, vix nomen notum communiter habeatur. Ad rem igitur.

II. P. Claudius La Croix *Lib. III. part. 1. num. 916.* ex Buſembau, & Taberna dicit, „ puellam non peccare, ſi ob evidens periculum mortis, vel ingentis in- „ famiæ, non adhibeat omnia omnino media ad depellendum ſtupratorem; v. g. „ ſi hunc, cum poſſit, non occidat, ſi non inclamet viciniam, ſed mere patia- „ tur coitum, tamen ſecluſo omni periculo conſenſus: &, licet hanc propoſitio- „ nem editis libris teneant A. A. plus quam 50. . . . *tamen non expedit eam pu- „ blice proponere, aut defendere*, quia apta eſt cauſare abuſus, præſertim apud „ rudes. " En novum argumentum, oſtendens quam ſint feſtivæ recentiorum quorumdam Moraliſtarum cogitationes. Hæc doctrina non eſt publice defendenda, neque proponenda. Bene habet. Cur ergo proponitur, & vi Probabiliſmi defenditur, dum non impugnatur? An libri typis impreſſi, & recuſi in angulo, in cryptis latitant? Si non eſt defendenda, cur non refellitur? Sæpius dixi, methodum *P. La Croix*, qui undique laxas opiniones recentiorum Caſuiſtarum conquirit, eaſque lectorum iudicio ſeligendas frequentiſſime permittit, mihi ſummopere diſplicere, propter abuſus, & abſurda maxima quæ inde conſequuntur.

III. Cornelius a Lapide linguarum peritia, eruditione, atque doctrina inter divinæ Scripturæ interpretes valde conſpicuus, recenſitæ opinioni auctoritatem conciliavit. Is in Prophetam Danielem *cap.* XIII. *verſ.* 23. docet, potuiſſe *Suſannam in tanto periculo infamiæ & mortis negative ſe habere, ac permittere in ſe eorum libidinem, modo interno actu in eam non conſenſiſſet, ſed eam deteſtata, & execrata fuiſſet. Quia maius bonum eſt fama & vita, quam pudicitia: unde hanc pro illa exponere, licet. Itaque non tenebatur exclamare . . . Quod ergo exclamaverit, nulloque modo libidinem illorum in ſe permiſerit, actus fuit inſignis, & heroicæ caſtitatis: talis eſt enim mori malę quam pollui.* Laudat Navarrum, & Dominicum Soto.

IV. Ad Dominicum Soto quod attinet, Suſannæ non meminit. Si enim verba di-

divina, quibus factum Suſannæ narratur, præ oculis habuiſſet; forte non ſupererogationis, ut contendit Cornelius, ſed neceſſitatis fuiſſe illius clamorem ſcripſiſſet. Laudatus Soto *Lib. V. de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 5. inquit: *Quod ſi hic obiter quæras quid ferre debeat pudica puella, antequam in ſtuprum conſentiat: revera quodcumque genus mortis . . . Tamen in foro conſcientiæ tantum tenetur non conſentire, neque ſe ſceleri accommodare. Quare, ſi metu tacet, non peccat mortaliter; dummodo nullum præbeat conſenſum. Neque vero manus in alterum tenetur iniicere. Tametſi quæ honeſta eſt, & ingenua, non debet facere quantum debet, ſed quantum poteſt.* Obiter rem verſat Soto. De metu ſolius mortis loquitur. Infamiæ non meminit. Oppreſſam non teneri occidere invaſorem, docet. Tandem concludit, ingenuam feminam debere pro viribus reſiſtere. Ut minus igitur ambigua eſt illius opinio. Quod ſi perſiſtas, Theologum hunc ſavere doctrinæ Caſuiſtarum, eſto. Quid inde? AEque Soti Dominicani, ac exterorum Auctorum, propoſitum mihi eſt opinationes laxas refellere.

V. Dico ergo, laudatam ſententiam Cornelii a Lapide, aliorumque recentiorum falſam, improbabilem, & laxam eſſe, atque cum ſacra Scriptura manifeſte pugnantem. In medium veniant verba Danielis Prophetæ cit. cap. XIII. *Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi undique. Si enim hoc egero, mors mihi eſt; ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras quam peccare in conſpectu Domini. Et exclamavit voce magna Suſanna.* Quo fundamento aſſeritur heroicæ, non neceſſariæ virtutis fuiſſe Suſannæ clamorem? Unde id colligitur? Ex aliquo alio divinæ Scripturæ textu? Nec unum in univerſa Scriptura reperies. Quin ubique inculcatur: Agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro iuſtitia, & pro pudicitia cuſtodienda. Quid quod divina Scriptura conceptis verbis puellam compreſſam non clamantem lapidibus obruendam decernit? Legitur enim Deuteron. XXII. *Si puellam virginem deſponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea; educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: Puella, quia non clamavit, cum eſſet in civitate.* Iuxta divinam ergo Scripturam clamor feminis neceſſarius eſt, tamquam ſcutum defendendæ pudicitiæ. Quapropter conſcia divinæ legis Suſanna voce magna clamavit. Unde ergo eruitur, heroicam, atque adeo liberam, non neceſſariam fuiſſe reluctantiam Suſannæ? Non ſane ex Scriptura. Cum autem Scriptura divina perſpicua ſit, qua auctoritate novi Theologi, & Interpretes audent ipſam eludere? Deus clamare mulierem iubet ſub mortis pœna; iſti illam tacere, permiſſive, & negative ſe habere poſſe, doceant?

VI. Divinis Scripturis accedit recta ratio, quæ evincit, mulierem *permiſſive*, ſeu *negative* ferentem compreſſionem, ſontem violatæ pudicitiæ fieri. Et primum audia-

diamus laxæ opinionis patronos, qui propter metum mundanæ infamiæ docent oppreſſam mulierem haud obſtringi ad clamandum. An, inquiunt, vocare mulier debet ſuæ infamiæ teſtes? Sed quodnam hic infamiæ argumentum? Infamis eſt, ſi taceat: honeſta vero & pudica, ſi clamet. Quid, ſi etiam mundanæ vanæque famæ amittendæ periculum eſſet? Anteponenda ne eſt hominum fama ſplendidiſſimæ pudicitiæ virtuti? Pluris ne faciendus mundi, quam virtutis, quam Dei honor? Ceterum fieri nequit ut femina, quæ ex caſtitatis amore forti animo invocat aliorum auxilium, ne theſaurum pudicitiæ deperdat, famæ ſplendorem obſcuret.

VII. Sed ad rectæ rationis lumen cauſſam vocemus. Quid amplius mulier conſentiens præſtare tenetur viro congredienti quam quietum, immotumque corpus? Quando femina *caſuiſticum negative*, *& permiſſive* contribuit, partes ſuas omnes implevit. In quolibet foro exteriori mulier, *permiſſive*, & *negative* ſe habens in coitu, præſumitur conſentiens: quid ni & in interiori foro? clamat ſapiens Elizalda. Alia ne exterioris, & interioris fori Theologia, & Iuriſprudentia in ſimilibus caſibus? Quid quod illa *negativa*, & *permiſſiva* tolerantia, ſeu indifferentia graviſſimum ſecum adfert periculum conſenſus? Qui fieri poteſt ut mulier certa moraliter ſit ſe non præbuiſſe conſenſum, dum pacato corpore paſſa eſt violari? Dum internis ſuggeſtionibus animus obſidetur, peccat, circumſtantiis præciſis, *negative* ſe habens. Ergo &, dum exterius pudicitia corporis expugnatur, rea evadit mulier, niſi pro viribus vim repellat. Quot ſcrupulis, quot anguſtiis obnoxia eſſet femina, ſi corporis ſui violationem permitteret, nullo obſiſtente conatu? Et merito anguſtiis premeretur. Quare Suſanna, ut has declinaret anguſtias, clamavit, & quidem voce magna. Benigna Theologia probabiliſtica ſcrupulos perhorreſcit, eoſque tollere contendit, divinam legem humanis appetitionibus inflectendo, minime vero ad legis divinæ amuſſim mores conformando. Itaque mulier quæ toto virium conatu non reluctatur, graviſſimo dubio ſubiecta eſt dati conſenſus, atque in graviſſimo periculo conſtituta eſt reipſa conſentiendi. Et, ne conſentiat, peculiare Dei auxilium illi neceſſarium eſt. At quo fundamento ſperare a Deo hanc ſingularem gratiam valet, niſi id quod poteſt ipſa præſtet? Tandem mulier *negative*, & *permiſſive* ſe habens manifeſto ſcandalo eſt homini concumbenti. Quoniam, dum iſte nullam in compreſſa muliere experitur reluctantiam, præſumit non immerito, illam conſentire, atque cooperari in coitum. Nam vix procaces & effrontes meretrices pelliciunt, invitant, geſtibuſque ſollicitant viros. Tota ferme cooperatio eſt illa quies, qua mulier permiſſive, & negative compreſſionem tolerat. Quid quod vel ipſi Ethnici hanc caſtitatem *negativam*, & *permiſſivam* deridebant? Id patet ex Martiali.

Caſta igitur nulla eſt? Caſtæ ſunt mille: quid ergo?

Caſta

Digitized by Google

Caſta fuit? Non dat, non tamen illa negat.

VIII. Contra invictæ, & revera caſtæ feminæ omnium corporis membrorum vires exerunt, ſeſe agitant, & fortitudinis virtute munitæ, qua conatibus, qua dexteritate, modo declinant, modo deludunt, modo reiiciunt aggreſſores; & tandem, dum vim vi repellere nequeunt, clamoribus aliorum ſubſidium implorant. Sic nimirum, ſpreto vitæ periculo, contemptiſque mundi legibus, pudicam corporis integritatem unice ſibi cuſtodiendam proponunt. Iſtæ cum ſancta Suſanna promptum experiuntur cæleſte auxilium. Dicant Caſuiſtæ, iugum Chriſti ſuave eſſe, ut mulieribus *permiſſive*, & *negative* ſe habentibus blandiantur. Nos contra docemus, Chriſti iugum caſtiſſimum eſſe, ſpiniſque redimitum, atque circumdatum. Ergo invicta fortitudine ſuſtinendum.

IX. Scripturæ igitur divinæ ad clamorem conceptis verbis mulierem oppreſſam urgent, ut ſemper reſiſtat, atque deficiente vi reſiſtendi, alienum ſubſidium invocet, ne ſui corporis violationem patiatur. Recta ratio eiuſdem clamoris, & poſitivæ reluctantiæ neceſſitatem evincit. Falſa eſt ergo, & ſcandali plena opinio contraria. Tandem accedit auctoritas Eccleſiæ Gallicanæ, quæ in generali Conventu celebrato anno 1700. adverſus confutatam opinionem hanc tulit cenſuram: *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, caſtarum aurium offenſiva, erronea, & legi Dei contraria.*

X. Quod ſi laxa, & ſcandali plena eſt opinio quæ docet, mulierem ob metum infamiæ, aut mortis, poſſe *negative*, & *permiſſive* pati corporis violationem; quid de altera doctrina dicendum, quæ permittit feminis tolerare tactus impudicos clientum ſuorum, ut offendicula devitent? Porro, ne prudens Confeſſarius ab his verſutis feminis decipiatur, nullam illis adhibeat fidem, dum ſe reſtitiſſe mentiuntur, propterea quod aliqua reluctantiæ ſigna dederint. Nam ſagaciſſimæ mulieres tam exquiſita arte frequentiſſime ſe reſiſtere effingunt, ut ipſarum callida, aſtutaque repugnantia ſit efficacius illicium, & potentior inſtigatio. Tum ergo ſincere reſiſtunt, cum a ſuis clientulis reipſa ſeparantur, nec ad ſervitutem ſibi exhibendam, neque ad colloquia familiaria eoſdem admittunt. Contra, uſquedum familiaris cum ipſis conſuetudo, & converſatio perſiſtit, illarum repugnantia ficta eſt, & mendax: ideoque a ſacramentis prorſus arcendæ ſunt, præmiſſis ſemper congruis admonitionibus. Quam regulam ſi ſervaveris, aut animas lucraberis, aut ſacramenta ſacrilegiis non profanabis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De ſtupro, & pœnis ſtupratoribus debitis.

I. FOrnicationem conſequitur ſtuprum, ceu aliud luxuriæ monſtrum. Expoſita itaque fornicationis malitia, ſtupri pravitas deſcribenda eſt. Stuprum in iure uſurpatur varie. Interdum pro omni concubitu, ſive adulterii, ſive inceſtus, ſive raptus, ſive ſodomiæ, accipitur, ut colligitur ex textu in *leg.* Stuprum *ff. de ritu nuptiarum*. Communiter vero ſumitur pro acceſſu viri ad virginem, qui acceſſus eſt ſecunda luxuriæ ſpecies, de qua in præſenti capite ſermonem ſuſcipimus.

II. Hæc ſtupri finitio eruitur ex S. Thoma 2. 2. *quæſt.* cliv. *art.* 6. Stuprum eſt *concubitus viri cum femina virgine, quo eius integritas defloratur*. Duas continet hæc definitio partes. Prior, *concubitus viri cum femina virgine*, diſtinguit ſtuprum a quacumque alia luxuriæ ſpecie. Nam, ſi concubitus fiat cum muliercula corrupta, eſt ſimplex fornicatio; ſi cum mare, ſodomia; ſi cum uxorata, eſt adulterium. Altera pars, *quo eius integritas defloratur*, conſummationem actus manifeſtat. Nam, ſi concubitus ſit extra vas, & per copulam clauſtra virginea non infringantur, non ſtuprum, ſed peccatum contra naturam erit.

III. Quæſt. I. *Perpetrat ne ſtupri flagitium qui virginem conſentientem, & ſub cura parentum exiſtentem violat?* Reſp. Negant Salmanticenſes *tract.* xxvi. *cap.* iv. *punct.* 1. *num.* 4. & pro eadem citant Vaſquez, Navarrum, Leſſium, Bannez, Suarez, Sanchez, Dicaſtillum, Fagundez, Trullenchum, Baſſæum, Caramuelem, Barboſam, Antonium a Spiritu ſancto, Dianam, & alios. Propugnant hanc opinionem Salmanticenſes, tamquam probabiliorem.

IV. Oppoſitam defendunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* cliv. *art.* 6. *dub.* 1. Azorius *Tom. III. Lib. III. cap.* xi. *quæſt.* v. Suarez de *Pœnit. diſp.* xxii. *ſect.* 4. *num.* 6. Navarrus in *Manual. cap.* xvi. *num.* 3. Bonacina de *Matrim. quæſt.* iv. *punct.* 17. *num.* 2. Corduba *Lib. I. QQ. quæſt.* xiii. Filliucius *Lib. XXX. cap.* iii. Lopez *I. Part. Inſtruct. cap.* lxxiii. Sylveſter *verbo Luxuria*, Tabiena *verbo Stuprum*, & alii.

V. Quæſtio hæc graviſſima eſt: quoniam ex ea pendet reſtitutionis debitum. Si conſenſus liber virginis auferat ſtupri malitiam; nulla erit reſtitutionis obligatio. Contra reſtitutioni obnoxius ſtuprator erit, ſi virginis aſſenſus non obſtet quominus ſtuprum perpetretur.

VI. Secunda ſententia mihi non probabilior modo, verum etiam probabiliſſima; ac unice vera eſt; & contraria improbabilis.

VII. Eam conceptis verbis docet S. Thomas 2. 2. quæſt. cliv. art. 6. *In virgine ſub*

Digitized by Google

ſub cuſtodia patris exiſtente quædam deformitas ſpecialis occurrit, ſi corrumpatur: tum ex parte puellæ, quæ ex hoc quod violatur, nulla pactione coniugali præcedente, & impeditur a legitimo matrimonio conſequendo, & ponitur in via meretricandi, a quo retrahebatur, ne ſignaculum virginitatis amitteret: tum etiam ex parte patris, qui de eius cuſtodia ſollicitudinem gerit, ſecundum illud Eccleſiaſtici XLII. Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis. *Et ideo manifeſtum eſt quod ſtuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem ſub cura parentum exiſtentium, eſt determinata luxuriæ ſpecies.* Clarius hanc doctrinam explicat ibidem ad 3. *Habet autem duplicem iniuriam annexam. Unam quidem ex parte virginis, quam etſi NON VI CORRUMPAT, tamen eam ſeducit; & ſic tenetur ei ſatisfacere... Aliam vero iniuriam facit patri puellæ: unde & ei ſecundum legem tenetur ad pœnam.* Clarius adhuc, & brevius hanc ſententiam docet art. 7. in corp. *Stuprum ſine raptu invenitur, quando aliquis abſque violentiæ illatione virginem illicite deflorat.*

VIII. Doctrinam D. Thomæ exſcribit, ſuoque calculo probat D. Antoninus II. Part. tit. V. cap. VI. *Nec peccatum ſtupri evadunt ex hoc quod de voluntate puellæ, & parentum hoc agant, & ablata veritate fornicationem cum eis committant.* Ad reſtitutionem quod attinet, paullo ante hæc docet. *Si deflorat eam voluntariam, non tenetur ei. Patri autem tenetur, quia iniuriatus eſt ei. Unde in aliquo ſatisfaciat, vel ſaltem eum placet. Si autem ſeduxit, puta promiſſionibus, & mendaciis, non videtur fuiſſe voluntaria. Invitam ergo, & ſeductam ſi conſtupraverit, iniungendum eſt ſibi quod ſatisfaciat ad arbitrium boni viri, vel cum ea componat.* Voluntarius conſenſus virginis, a patria poteſtate ſolutæ, tollit debitum reſtitutionis, ſecus reatum ſtupri. Si parentum poteſtati ſubdita ſit, reſtituendum parentibus eſt. Horum Sanctorum auctoritas prævalet auctoritati recentiorum, qui pro adverſa ſententia decertant.

IX. Rationum momentis luculentiſſimis hæc ſententia evincitur. Virgo non eſt domina ſuæ integritatis naturalis, ſeu clauſtri virginalis; ſicut domina non eſt aliarum corporis partium, ita ut eruere ſibi oculos, abſcindere manus, aut pedes valeat. Hæc enim membra ab Auctore naturæ recepit, ut eiſdem utatur iuxta honeſtatis leges. Ergo, quemadmodum peccaret recidendo aliud corporis membrum, neceſſitate ſublata; ita peccat, quando pudoris membrum ſibi violari patitur. Hæc veritas adeo perſpicua eſt, ut vel ipſis Ethnicis innotuerit, quorum unus hæc ſcripſit.

Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt;
Tertia pars data patri, pars data tertia matri;
Tertia ſola tua eſt.

X. Porro quod defloratio virginis gravem irroget eiuſdem patri, ſub cuius tutela

tela & cuſtodia vivit, iniuriam, compertum eſt. Læditur quippe ius quod in filiam pater habet. Filia, uſque dum per matrimonium, aut emancipationem libera evadit, iure naturali, & divino ſubdita eſt patriæ poteſtati, regimini, & magiſterio; ac veluti depoſitum quoddam eſt ab illo omni cura ſervandum. Qui furatur, aut lædit depoſitum; nonne damnum, & iniuriam infert depoſitario? Quod autem pater dominium habeat in filiam, atque teneatur eiuſdem corporis integritatem cuſtodire, Scriptura ipſa teſtatur. *Filiæ tibi ſunt? Serva corpus illarum:* Eccli. VII. Item cap. XLII. *Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis.* Quamquam ergo virgo puella ſuæ violationi conſentiat; ſi tamen parentes inviti ſunt, ſemper ſtuprator ius parentum lædit, illiſque damnum irrogat. Ergo præter luxuriæ crimen, iniuſtitiæ quoque peccatum perpetrat ſtuprator. Quare dubitandum non eſt eumdem ad reſtitutionem damni teneri, quando aut virgo, aut parentes, conſentiente virgine, repugnant. Nulla itaque, ut ego quidem arbitror, probabilitate gaudet oppoſita ſententia, quæ defendit, nullum committi ſtuprum, dum virgo conſentiens violatur, tametſi ſub poteſtate parentum conſtituta ſit.

XI. Accedit, quod, etiamſi parentes, & virgo conſentiant, non propterea ſtuprator crimen ſtupri evadit. Quoniam virginitas virtus peculiaris eſt, ab aliis virtutibus diſtincta. Peccata autem diſtinguuntur per oppoſitionem ad diverſas virtutes. Ergo virginis defloratio ſemper deformitatem ſtupri adfert præter luxuriæ flagitium. Nec virginis conſenſus impedit ordinis perverſionem, aut damna quæ talem deflorationem conſequuntur. Hæc damna præter infamiam ſunt flagitia futura. Per hanc quippe primam deflorationem puella in occaſione *meretricandi*, ut inquit S. Thomas, conſtituitur. Pudor enim mulieribus frenum validiſſimum eſt, ab ipſa natura illis inſitum. Hoc ſublato, facillime ſe proſtituunt. Cedo. Quando puella deliberate ſe deflorari paſſa fuerit, tenetur ne hanc circumſtantiam in confeſſione pandere? Negant adverſarii, ſtuprum tunc virginem committere, quod ſui corporis domina ſit. Sed hoc effugium iam præcluſum eſt. Domina eſt ſui corporis, ſed iuxta leges a natura, & a Deo præſcriptas. Dominium iſtud ſubiectum legibus eſt. Domina eſt ſui corporis; ergo nullum peccatum perpetrabit ſe ſe proſtituens, nullum peccatum perpetrabit fornicando, ſeſe polluendo? Si hoc dominium non tollit quin femina conſentiens in pollutionem, in fornicationem, in ſodomiam, hæc flagitia perpetret; cur impediet quin ſtuprum virginitati oppoſitum committat? Nonne hinc evidenter apparet, futile eſſe adverſariorum unicum fundamentum, a dominio proprii corporis arceſſitum? Hoc dominium, inquiunt, tollit rationem iniuſtitiæ, non deformitatem fornicationis, aliorumque criminum. Verum vana reſponſio eſt. Quoniam ſicut nullum eſt dominium in proprium corpus adverſus legem caſtitatis, ita nullum eſt dominium adverſus le-

gem

Digitized by Google

gem iuſtitiæ, & virginitatis cuſtodiendæ, & conſervandæ extra matrimonii ſtatum.

XII. Quid quod conſenſus mariti, vel uxoris non tollit adulterii malitiam? Siquidem Pontifex Innocentius XI. hanc ſequentem propoſitionem damnavit, quæ eſt 50. *Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.* Cur hoc? Quia coniuges dominium limitatum habent in propria corpora ad legis divinæ, & naturalis præſcriptum, ſecus illimitatum. Poſſunt ſuis corporibus uti iuxta ſanctas matrimonii leges, minime vero adverſus eaſdem. Dominio & virgo inſtructa eſt, quo ſe valeat nuptui tradere, & matrimonii ſacramento virginitatem amittere; nullum vero habet dominium proprium polluendi corpus, matrimonio præciſo.

XIII. Tandem communis hominum ſenſus ſententiam hanc noſtram confirmat. Omnes quippe rationis lumen ſequentes, & quorumdam Theologorum diſputationibus, ac ſubtilitatibus non præventi, peculiarem deformitatem in virginis defloratione intimo ſenſu experiuntur, quam in fornicatione cum meretrice non agnoſcunt. Quis Chriſtianorum, conſcius ſe virginem, licet conſentientem, defloraſſe, non explicat hanc circumſtantiam in confeſſione? Allegant utique virginis conſenſum; ſed conditio iſta criminis reatum ſolummodo minuit quantum ad reſtitutionis debitum; ceterum nemo unus eſt qui, naturæ inſtinctum ſequens, non ſentiat in virginis defloratione peculiarem malitiam a fornicatione ſimplici omnino diſtinctam. Stuprum quoque committitur, dum virgo ab alia femina violatur.

XIV. Obiicies 1. *Scienti, & conſentienti non fit iniuria, nec dolus*, ut habet *regul.* 27. *de Reg. iuris in 6.* Ergo virgini conſentienti nulla irrogatur iniuria. Reſp. Non fit iniuria conſentienti in iis quorum conſentiens dominium habet. Sed probatum iam eſt, nullo virginem pollere dominio in ſuam virginitatem amittendam extra matrimonii leges. Laudata regula evincit, nullam reſtitutionem damni faciendam eſſe virgini conſentienti, quoniam in hæc bona temporalia reapſe dominium habet. Nullo autem modo evincit, talem conſenſum auferre rationem iniuſtitiæ legi, & virtuti irrogatæ.

XV. Obiicies 2. Virgo, non parentes, habet ſui corporis dominium. Ergo pro ſui libito abuti eodem valet. Reſp. Iam oſtenſum eſt, virginem non habere dominium ſui corporis illimitatum, ſed ſubditum legibus. Quamobrem peccat, ſi membrum aliquod ſui corporis, neceſſitate ſublata, reſcindat, aut ſibi reſcindi patiatur.

XVI. Obiicies 3. Quælibet virgo ſe innuptam conſervare valet, invitis parentibus, quin illis iniuriam irroget. Ergo & virginitatem proiicere valet, quin damnum aliquod iiſdem inferat. Reſp. Præpoſtera conſequentia eſt. Conſervatio

vir-

Digitized by Google

virtutis virginalis ſplendorem, non tenebras offundit paternæ domui. Nulla lex prohibet, immo ſuadet virginitatem. Virginitatis filiæ depoſitarius pater eſt, ut eam cuſtodiat; ſecus ut eam perdat. Quare paritas inepta eſt.

XVII. Obiicies 4. Signaculum virginitatis in tenuiſſima membrana ſitum eſt: Hæc autem levis eſt corporis pars. Non ergo peccat puella hanc leviſſimam pellem diſrumpens. Accedit, inquiunt Salmanticenſes loc. cit. num. *6. quod talis membrana non datur, ut doctiſſimi medici, & chirurgi conſulti aſſeverarunt*. Reſp. Argumentum iſtud chirurgica, non theologica ſolutione eget. Quid feſtivius, ne dixerim ineptius, quam gravem hanc controverſiam theologicam medicæ diſceptationi committere? Quid refert quod clauſtrum virginitatis aut in tenuiſſima pelle, aut in carnea membrana, aut in ſola compreſſione orificii feminei vaſis ſitum ſit? Hæc omnia perperam obtruduntur, ut deflorationis crimen minuatur. Tenuiſſima eſt virginalis clauſtri membrana; aut ſola eſt feminei vaſis compreſſio: ergo virgo eam lacerans, aut dilatans non peccat? Peregregie. Ergo neque qui vi eam opprimit, hoc ex capite graviter delinquit. Qui enim rem levem etiam vi ab alio ſurripit, non adfert ei grave damnum: aut, ſi adfert, res quæ abſolute reputabatur levis, circumſtantiis ſpectatis, gravis evadit. Sit ergo levis hæc membrana, ſit tenuis hæc compreſſio, ſeu cuſtodia virginalis clauſtri phyſice ſpectata; in genere tamen moris res graviſſima eſt, eiuſque læſio ingentem inſert iacturam, gravemque infamiam.

XVIII. Obiicies 5. Si virgo ſaltando, aut digitis, aliove inſtrumento proprium clauſtrum virginale violaret; nullam irrogaret parentibus iniuriam. Ergo idem dicendum, dum virili coitu virginitatem amittit. Reſp. Negatur conſequentia. Vel ipſi Stoici diſcriminis rationem percipiunt. Eiuſmodi virginitatis violatio nullam infert patri infamiam, quoniam talis fractio illius fugit cuſtodiam, & virginem non denigrat; ſecus autem accidit, dum virili coitu virgo defloratur, ut communi omnium exiſtimationi compertum eſt. Quod ſubdunt Salmanticenſes *num.* 10. damna quæ parentibus obveniunt ex defloratione virginis filiæ, *per accidens* oriri ex defloratione, aperta falſitas eſt. Immo, ſi non obveniant mala *per accidens* eſt. Ceterum defloratio virginis filiæ ſuapte natura abſolute, & *per ſe* ingentem infamiam univerſæ paternæ familiæ adſert, ut communis ſenſus habet.

XIX. Hinc colliges 1. adverſus eoſdem Salmanticenſes, alioſque eiuſdem ſententiæ patronos, eum qui virginem conſentientem defloravit, debere exprimere hanc circumſtantiam in confeſſione; ipſamque virginem conſentientem ſeipſam accuſare de iactura hac virginitatis ſuæ facta. Quoniam, ut probatum eſt, conſenſus non tollit ſtupri deformitatem.

XX. Colliges 2. adverſus eoſdem Doctores, idem dicendum eſſe de delectationi-

nibus, & deſideriis pravis adoleſcentis, cupientis deflorare virginem, & virginis cupientis deflorari ab adoleſcente; tametſi eiuſmodi deſideria ſeiuncta ſint a violentia inferenda. Siquidem, ut diximus, vis adfert ſecum, præter rationem ſtupri, debitum compenſationis. Vi tamen hac deficiente, ſtupri ſpecies conſiſtit. Sed nullum urget debitum reſtitutionis, quando nulla omnino vis neque virgini, neque parentibus infertur.

XXI. Quod opponunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 12. conſideratione dignum eſt. Inquiunt ergo: Si virgo teneretur pandere circumſtantiam amiſſæ virginitatis, Confeſſarius deberet eam interrogare. Fac feminam, quæ non eſt virgo, virgo tamen reputatur, ſe ſe accuſare voluntariæ pollutionis, aut turpis deſiderii; ſilere autem circumſtantiam virginitatis. Si Confeſſarius eam interrogaret, ut inde ſtupri ſpeciem deprehenderet, occaſio foret ut virgo mentiretur propter pudorem; & ſic ſacrilegium committeret. *Ergo*, concludunt, *noſtra ſententia, tum quia probabilior, tum quia animæ favorabilior, ſequenda eſt.*

XXII. Hæc ſententia, non animæ, ſed concupiſcentiæ favorabilior eſt. Doctrina quæ hic obtruditur, eſt unum ex potiſſimis invectæ laxitatis fundamentum. Quandoquidem ſi hæc argumentatio valeret, dicendum quoque eſſet, pollutionem non eſſe peccatum, eo quod plurimæ virgines erubeſcant illam confiteri. Hinc nemo non videt quam ſit fallax, & univerſæ Theologiæ infeſtum principium iſtud, quo plures recentiores ex difficultate aut confitendi peccati, aut ab eodem abſtinendi, colligunt non deberi illud inter peccata numerari. Non ex muliebri pudore ſtupri pandendi, ſed ex oppoſitione actus cum virtute eruenda eſt peccati ſpecies. Non probabilior reputanda eſt opinio illa quæ humanis propenſionibus favet, ſed quæ conformior legi eſt. Verum de hoc plura alio in loco dicenda ſunt. Satis nunc ſit negare, adverſam ſententiam aut probabiliorem eſſe, aut animæ eſſe favorabiliorem.

XXIII. Colliges 3. Si quis virginem dolo, mendacio, falſis pollicitationibus, aut precibus importunis in ſtuprum illexit, iuxta boni viri arbitrium ſatisfacere debet, ut communiter docent omnes, etiam adverſæ ſententiæ Auctores: quia preces importunæ, & pollicitationes, fraudeſque vim inferunt. Si autem virgo ſponte præbuit aſſenſum, nihil eidem erit reſtituendum. Contra dicendum, ſi invitis parentibus fuerit violata, ut ſupra dictum eſt.

XXIV. Quæſt. II. *Quæ pœnæ conſtitutæ ſunt in ſtupratores?* Reſp. Tam ius divinum, quam canonicum, & civile pœnas conſtituerunt adverſus ſtupratores. Ius divinum hanc conſtituit pœnam Exod. cap. XXII. *Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt.* Ius canonicum hæc eadem ſtatuit *cap.* I. Si ſeduxerit *de adult.* &

Digitized by Google

& ſtupr. Quod ſi noluerit eam in uxorem accipere; Gloſſa ad *cap.* 11. *Pervenit.* addit, quod ad arbitrium iudicis *corporaliter caſtigatus*, *excommunicatus in monaſterio*, *in quo agat pœnitentiam*, *retrudatur*, *de quo nulla ſit egrediendi ſine præceptione licentia*. Advertendum, præceptum Exodi iudiciale eſſe; atque adeo cum lege moſaica antiquatum. Ius tamen canonicum illud adoptavit, hac mitigatione adiecta, quod videlicet ſtuprator alterutrum, non utrumque præſtare debeat. nimirum aut ducere, aut dotare.

XXV. Stupratores, ſi ſint perſonæ honeſtæ, iure civili puniuntur publicatione dimidiæ partis bonorum; ſi abiectæ fuerint conditionis, fuſtigatione, & exilio plecti debent, ut habetur *in textu §.* Item lex Iulia. *Inſt. de public. iudic. §.* 2. *&* 4. Qui vero non verbis tantum, & dolis, ſed vi etiam externa adhibita virginem deflorarunt, capite ſunt puniendi, ut ex *textu Inſtit. de public. iudic. §.* 8. qui textus non ſolum virginis, ſed etiam viduæ violationem comprehendit.

XXVI. Quæſt. III. *Quibus pœnis ſubiectus ſit immaturæ virginis deflorator*? Reſp. Illa immatura virgo nuncupatur quæ minor eſt duodecim annis; cum in hac ætate non ſit viri potens, ſeu apta ad coitum. Non una eſt de qualitate pœnarum ſententia. Aliqui docent, puniendum eiuſmodi ſtupratorem arbitrio iudicis: alii exilio ad inſulam relegandum, aut ad metalla damnandum. Communior opinio aſſerit damnandum eſſe pœna mortis, ſi vi puellam ſcelerate ſtupravit. Nam ſi qui virginem maturam, virique potentem violavit, pœna mortis multatur; potiori iure eadem pœna plectendus eſt qui immaturam puellam compreſſit, defloravitque.

XXVII. Quæſt. IV. *Quibus pœnis iure canonico ſubiectus eſt clericus virginem deflorans?* Reſp. In foro interno decem annorum pœnitentia punitur, ut habetur *cap.* Presbyter *diſt.* lxxxii. quæ tamen pœna conſtituta eſt vel in ipſos Clericos fornicatores. Clericus ergo ſtuprator deponendus eſt, aut pœna pecuniaria damnandus, ut colligitur ex *cap.* Si quis Clericus, *diſt.* lxxxi. *cap.* Lator 2. *quæſt.* vii. Varia nunc obtinet conſuetudo iuxta iudicis arbitrium. Nam interdum ſuſpenſione, quandoque depoſitione, & aliquando pecunia multatur: ſemper tamen dotare cogitur virginem ſtupratam. Si autem per vim ſcelerate virginem Clericus violaverit, detrudendus ut minus in monaſterium erit.

XXVIII. Hinc colliges, ſtupri flagitium mixti fori eſſe, quod a iudice tum laico, tum eccleſiaſtico puniri poteſt; quando tamen ſtuprum ſine vi perpetratum fuerit. Si enim vis fuerit illata, a iudice laico puniendus eſt laicus; ſi Clericus idem ſcelus patraverit, a iudice eccleſiaſtico caſtigari debet. Sed hæc nihil ad nos. Quælibet enim gens ſuas leges peculiares habet, ut confuſio, & perturbatio vitetur.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De raptu.

I. TErtia luxuriæ ſpecies *raptus* eſt. Communis iſtius criminis definitio eſt: *Violenta perſonæ abductio de loco in locum explendæ libidinis cauſſa*. Ad crimen raptus neceſſaria eſt vis, illata aut perſonæ abductæ, aut patri, aut tutori, ſub cuius cuſtodia eſt. Quæ vis aut metu, aut precibus importunis inferri poteſt. Et, quamvis virgo conſentiat, ſi tamen invitis parentibus, vel tutoribus abducatur, raptus crimen committitur. Debet abduci *de loco in locum*, nimirum debet transferri de loco ſub patria poteſtate extante ad alium locum qui ſit ſub poteſtate raptoris. Hinc crimen raptus non committit qui perſonam violat in loco ſubdito patris poteſtati; quamquam perſonam violandam duceret de una ad aliam cameram, aut angulum eiuſdem domus paternæ, ut ſecretius, & commodius copulam haberet. In definitione *perſona* ponitur, & non *mulier*: quia crimen raptus perpetrat qui non ſolum mulierem, ſive virginem, ſive nuptam, aut viduam rapit; ſed etiam qui maſculum explendæ libidinis cauſſa abducit. Ultima particula *explendæ libidinis cauſſa* diſtinguit raptum a plagio. Si enim abducatur ſive mulier, ſive vir, non libidinis, ſed ſervitutis cauſſa; plagium tum erit, non raptus. Flagitium *raptus* committit qui abducit perſonam de loco in locum violenter, explendæ libidinis cauſſa; etiamſi poſtea pœnitentia ductus perſonam non violet, aut eam violet ipſa conſentiente.

II. Quæ hactenus dicta ſunt, tradit Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. clıv. art. 7. *Raptus, prout nunc de eo loquimur, eſt ſpecies luxuriæ: & quandoque quidem in idem concurrit cum ſtupro; quandoque autem invenitur raptus ſine ſtupro; quandoque vero ſtuprum ſine raptu. Concurrunt quidem in idem, quando aliquis violentiam infert ad virginem illicite deflorandam: quæ quidem violentia quandoque infertur tam ipſi virgini, quam patri: quandoque autem infertur patri, ſed non virgini; puta, cum ipſa conſentit ut per violentiam de domo patris abſtrahatur. Differt etiam violentia, & raptus alio modo. Quia quandoque puella violenter abducitur a domo parentum, & violenter corrumpitur: quandoque autem, etſi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, ſed de voluntate virginis, ſive corrumpatur fornicario concubitu, ſive matrimoniali: qualitercumque enim violentia adſit, ſalvatur ratio raptus. Invenitur autem raptus ſine ſtupro; puta ſi quis rapiat viduam, vel puellam corruptam . . . Stuprum vero ſine raptu invenitur, quando aliquis abſque violentiæ illatione virginem illicite deflorat.*

III. Raptus, prout eſt impedimentum dirimens matrimonium (ſi contrahatur

Digitized by Google

tempore quo mulier rapta ſub poteſtate raptoris manet) definitur a Concilio Tridentino ſeſs. XXIV. cap. VI. *Violenta feminæ abductio de loco ad locum cauſſa matrimonii*. De quo plura in tractatu de matrimonio.

IV. Diſputant recentiores, quodnam peccatum committat qui vi illata cognoſcit viduam, aut corruptam honeſtæ famæ ſub poteſtate patris extantem. Alii contendunt, hunc violatorem raptus crimen incurrere: quoniam præter luxuriam, iniuſtitiam committit. Ergo in aliqua ſpecie luxuriæ conſtitui debet. Non autem ſtupri, cum copula non ſit cum virgine: non ſacrilegii, aut inceſtus, aut alterius ſpeciei. Concludunt ergo, hoc crimen ſub ſpecie raptus collocandum eſſe. Quare finitionem raptus mutant, eamque conſtituunt in *vi facta perſonæ, aut his ſub quorum cura eſt, libidinis cauſſa*. Auctores iſti contendunt, ad rationem raptus neceſſariam haud eſſe abductionem de loco ad locum. Verum propter hanc difficultatem, quam gravem vocant Salmanticenſes *loc. cit. punct. 3 num.* 26. non eſt a communi definitione recedendum. Ubi ergo non eſt violenta abductio de loco ad locnm, modo explicato, non eſt crimen raptus. Qui igitur per vim cognoſcit viduam, aut corruptam honeſtæ famæ, grave flagitium committit, quod ſtuprum late acceptum appellari poteſt, ſeu crimen ſimplicis fornicationis, hac affectum circumſtantia neceſſario exprimenda, immo obſtringente ad compenſationem iuxta arbitrium prudentis viri. In raptus crimen graviſſimæ conſtitutæ ſunt pœnæ a iure tum civili, tum canonico. Quare ſtricto in ſenſu accipi debet. Nullum forum, ſive eccleſiaſticum, ſive civile, raptus crimen agnoſcit, quando non adſit violenta abductio de loco in locum. Non itaque arbitrio, & ob quampiam ſcholaſticam difficultatem loco raptus habenda eſt violenta copula cum vidua, aut honeſta corrupta femina, ſi deſit coacta abductio.

V. Si femina quæ ſit ſui iuris, domo egrediatur cum proco, tametſi repugnent eius fratres, vel propinqui, non eſt raptus, quando fratres, vel propinqui non gerant vices tutorum: quia tunc nemini fit iniuria.

VI. Quid, ſi femina libere cum amaſio domo patris egrediatur, libidinis cauſſa, parentibus id ignorantibus, atque adeo nec repugnantibus? Negant plures raptum tum committi: quia, inquiunt Salmanticenſes *loc. citat. num.* 30. nulla tunc vis infertur; cum parentes non contradicant. Vernm raptum committi mihi probabilius eſt. Nam, quomodo parentes repugnare valent, ſi hoc ignorant? Ut feminarum violatores ſecurius tutiuſque raptum exequantur, ignorantibus parentibus illum committere ſtudent. Nam, ſi ſub oculis parentum facinus exequi entarent, homicidia, & plurima graviſſima incommoda ſequerentur. Violentia itaque raptus parentibus tum maxime irrogatur, quando ipſis ignorantibus puella etiam conſentiens abducitur.

VII.

VII. Pœnæ in raptores conſtitutæ ſunt a iure cum civili, tum canonico. Et iure quidem civili pœna capitis puniuntur raptores: qui, ſi in ipſo delicto deprehendantur, a parentibus, aut tutoribus impune occiduntur. Iure canonico pœnitentia publica multari raptores debent; matrimonium contrahere prohibentur; illorumque bona raptæ mulieri, aut monaſterio, ſi Monialis rapta fuerit, applicantur. Excommunicantur etiam; &, ſi fuerint Clerici, deponuntur. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* VI. *de reform.* irritum matrimonium inter raptam & raptorem declarat, ſi contrahatur, dum mulier extat ſub raptoris poteſtate. Excommunicationis pœnæ ipſo facto ſubiacent tam raptores, quam auxilium præbentes, aut conſilium; ſuntque perpetuo infames, & ad dignitates aſſequendas inepti. Verum de hoc latius in tractatu de matrimonio. Qui meretricem rapit, aut mulierem malæ famæ, vel in concubinatu extantem, non punitur pœna ordinaria, ſed iudicis arbitrio.

VIII. Qui rapit meretricem matrimonii cauſſa, incurrit pœnas a Tridentino latas. Quia conſilium Tridentini eo potiſſimum ſpectat, ut matrimonii libertas ſarta tecta ſervetur, puniantur que iſtius libertatis perturbatores. Porro ad hanc libertatem impediendam ſatis eſt quod mulier violenter rapiatur. Quod autem rapta mulier ſit virgo, aut vidua, aut meretrix, extra ſcopum eſt.

IX. Quæſt. I. *Quid, ſi maritus ante bimeſtre vim inferat uxori, illam a domo paterna extrahendo, aut vi eam cognoſcendo? Is ne raptor habendus erit?* Reſp. Affirmant non pauci. Et hanc opinionem ut probabiliorem defendunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 35. quia uxor ante bimeſtre ius habet non conſummandi matrimonium, & ingredi Religionem valet. Sed maritus, ante bimeſtre uxorem cognoſcens, facit contra hoc ius, & gravem infert uxori iniuriam. Ergo committit crimen raptus. Sed oppoſitum dicendum eſt. Peccat utique, & ſtuprum committit maritus, ſi ante bimeſtre vi uxorem cognoſcat; ſed crimen raptus non perpetrat. Nam, ſi uxor eſt in domo ipſius mariti, deeſt violenta abductio. Peracto matrimonio non eſt amplius ſub patria poteſtate; & maritus ius habet ad cuſtodiendam uxorem etiam infra illud bimeſtre. Poteſt utique uxor in monaſterium ſe ſe recipere, ut deliberet de meliori ſtatu amplectendo: nequit tamen pro arbitrio ubicumque ſe detinere; ſed, ad habitationem quod attinet, maritum audire debet. Quamobrem non video cur raptor dici debeat, ſi eam vi agnoſcat. Iniquus tamen ſtuprator habendus eſſet, ſi tantum crimen perpetraret. Verum hæc rariſſima ſunt: ideo a ſeveriori diſcuſſione abſtineo.

X. Quæſt. II. *Quid, ſi ſponſus ſponſam de futuro rapiat? Subiacet ne pœnis latis in raptores?* Reſp. Si ſermo ſit de raptu, prout eſt ſpecies quædam luxuriæ, ſive vis inferatur ſoli puellæ, ſive ſolis parentibus, ſive utriſque, dubio procul raptor ſubiacet pœnis ab utroque ſoro latis. Si vero ſermo ſit de raptu, prout eſt

eſt impedimentum dirimens matrimonium, quando ſponſus conſentientem ſponſam abducit, non videtur pœnis Tridentini ſubiacere: quia tum nullum eſt periculum impediendæ libertatis neceſſariæ ad matrimonium. Sponſalia enim celebrata ſunt. Sponſi ambo libere ad matrimonium accedunt. Ergo, etſi parentes reſiſtant, validum erit matrimonium, cuius libertati parentum repugnantia obſtare nequit.

XI. Pœnis latis adverſus raptores potiori iure ſubiacent qui puellam immaturam rapiunt. Quin, quo gravius eſt crimen, eo ſeverius plecti debet. Immanius autem flagitium eſt rapere virginem immaturam quam adultam. Ergo durius multandum eſt crimen iſtud. Plura alia in tractatu de matrimonio diſcutientur.

C A P U T IX.

De adulterio.

I. QUæſt. I. *Quid ſit adulterium?* Reſp. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLIV. *art.* 8 hanc exhibet adulterii definitionem: *Adulterium, ſicut ipſum nomen ſonat, eſt acceſſus ad alienum torum.* Tripliciter committi valet. I. dum ſolutus accedit ad coniugatam, II. dum coniugatus cum ſoluta copulatur. III. quando coniugatus cognoſcit coniugatam alienam.

II. Quam grave ſit adulterii crimen, ex Scriptura divina primum colligitur. Nam Auctor libri Eccleſiaſtici prodit infamiam quam parit adulterium cap. XXIII. verſ. 32. *Dedecus erit omnibus mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hereditatem ex alieno matrimonio. Primo enim in lege Altiſſimi incredibilis fuit: ſecundo in virum ſuum deliquit: tertio in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi. Hæc in Eccleſiam adducetur, & in filios eius reſpicietur . . . Derelinquet in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur.* Item Levit. cap. XX. verſ. 10. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum coniuge proximi ſui, morte moriantur & mœchus, & adultera.* Item Prov. VI. verſ. 30. *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim ut eſurientem impleat animam . . . Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam: turpitudinem, & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur: quia zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.* Tandem D. Paulus I. ad Cor. VI. *Nolite errare: neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt.*

III. Heinc colligere fas eſt adulterii gravitatem. Fornicationis quippe malitiæ addit iniuſtitiam adverſus alterius coniugem, violat fidem matrimonii, bonum pro-

prolis educandæ deſtruit, atque filios legitimos cum ſpuriis confundit. Adulter ergo fornicario peior eſt, & iniquior, cum arripiat ſibi ius quod habet unus coniux in alterius corpus. Inſuper violat, vel violare facit fidem, quam ſervare mutuo ſibi coniuges debent, & ſacramento matrimonii gravem infert iniuriam. Tandem plurimorum malorum eſt cauſſa, cum ſæpe ex adulteriis rixæ, diſſidia, homicidia, & ſcandala conſequantur. Quare vix verbis exprimi iſtius criminis gravitas poteſt. Adverſatur enim omni legi naturali, divinæ, & humanæ. Bruta ipſa adulterium horrent, ut innumeris probare exemplis poſſem in elephantibus, ciconiis, columbis, turturibus, aliiſque, quæ ſuas habent coniuges, aliis exclusis. Ethnici ipſi graviſſimis pœnis puniunt tantum flagitium. AEgyptii adulteræ naſum detruncabant. Germani adulteram nudam abſciſſis crinibus, & domo pulſam publice verberabant. Romani adulteros caſtrabant. Lex divina adulteros lapidibus obrui præſcribit. Ius canonicum eoſdem excommunicat. Pœnas alias ſtatuit ius civile: adulteram dote privat, eamque adiudicat marito. Tandem adulteri amittunt ius petendi debitum.

IV. Quæſt. II. *Uxor committit ne adulterium, ſi marito conſentiente, ab alio cognoſcatur?* Reſp. Negarunt quidam recentiores Probabiliſtæ. Caramuel in ſua *Theologia fundamentali fundam.* xxxv. *cap.* III. *num.* 537. quamvis hanc erroneam opinionem expreſſe non doceat, alium tamen errorem excogitavit. Contendit poſſe adulterum, primum in confeſſione explicare ſimplicem fornicationem; & deinde poſt alia manifeſtata crimina pandere iniuſtitiam cuidam illatam, tertia perſona cooperante. Hæc ſunt bella inventa quæ excogitarunt aliqui *docti Iuniores*. Iniuria adulterii peculiaris eſt, & ſpecie diſtincta ab iniuria furti, homicidii, detractionis, percuſſionis &c. Ergo diſtincte explicanda eſt. Adulterium enim eſt unum peccatum individuum. Iuxta Caramuelis inventum duo tunc adulter confiteretur peccata diſtincta. Neque adprobamus quod ex Lugone, & Diana docet *P. Dominicus Viva* in propoſitionem 50. *Innoc. XI. num.* I. nimirum poſſe pœnitentem qui, voto caſtitatis devinctus, in prima confeſſione manifeſtavit fornicationem, oblitus circumſtantiæ voti, in altera confeſſione dicere: *Violavi votum in re gravi*. Sed aſſerimus debere peccatum ſincere pandere, & ſacrilegium contra caſtitatem manifeſtare. Eiuſmodi enim effugia violant ſinceritatem in re adeo gravi neceſſariam.

V. Ad propoſitam quæſtionem reſpondemus, uxorem præfatam adulterium perpetrare. Sic declaravit Innocentius XI. qui hanc propoſitionem damnavit: *Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum*. Falſitas propoſitionis ex iis quæ dicta ſunt, patet. Ius mariti in uxorem, & contra, non eſt abſolutum, & illimitatum; ſed legibus circumſcriptum. Scopus præcipuus obligationis uxoris, non cognoſcendi

alium virum, bonum prolis educandæ reſpicit. Quare ius iſtud in ipſa prole relucet. Heinc, tametſi maritus cedere iuri ſuo privato poſſit; nullo tamen modo cedere iuri illi valet quod ſtatum matrimonii ſpectat. Quemadmodum Clericus nequit renuntiare iuri, ne percutiatur. Et qui illum, etiam conſentientem, percuteret, non evaderet pœnas in percuſſores latas. Ius ergo mariti in uxorem eſt, ut ea utatur in finem matrimonii; ſecus ut ea abutatur contra leges iuſtitiæ, fidelitatis, pudicitiæ, aliorumque virtutum.

VI. Obiicies ex Auguſtino *Lib. I. de ſerm. Domini in monte cap.* XVI. *antiquæ edit.* ubi hæc habet. *Quamquam nonnullæ cauſæ poſſint exiſtere, ubi & uxor mariti conſenſu pro ipſo marito hoc facere debere videatur, ſicut Antiochiæ factum eſſe perhibetur, ante quinquaginta ferme annos Conſtantii temporibus. Nam Acindinus tunc Præfectus, qui etiam Conſul fuit, cum quemdam libræ auri debitorem fiſci exigeret, neſcio unde commotus, quod plerumque in iſtis poteſtatibus perniciosum eſt, quibus quod libet, licet, aut potius putatur licere, comminatus eſt iurans, & vehementer affirmans, quod, ſi certo die, quem conſtituerat, memoratum aurum non exſolveret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani cuſtodia, nec ſe poſſet debito illo expedire, dies metuendus imminere, & propinquare cœpit. Et forte habebat uxorem pulcherrimam; ſed nullius pecuniæ, qua ſubvenire poſſet viro. Cuius mulieris pulchritudine cum quidam dives eſſet accenſus, & cognoviſſet maritum eius in illo diſcrimine conſtitutum, miſit ad eam pollicens pro una nocte, ſi ei miſceri vellet, ſe auri libram daturum. Tum illa, quæ ſe ſciret non habere ſui corporis poteſtatem; ſed virum ſuum, pertulit ad eum dicens, paratam ſe eſſe pro marito id facere, ſi tamen ipſe coniugalis corporis dominus, cui tota illa caſtitas deberetur, tamquam de re ſua pro vita ſua vellet id fieri. Egit ille gratias, &, ut id fieret, imperavit, nullo modo iudicans adulterinum eſſe concubitum quod & libido nulla, & magna mariti caritas, ſe iubente, & volente, flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis, fecit quod voluit impudicus. Sed illa corpus non niſi marito dedit, non concumbere, ut ſolet, ſed vivere cupienti. Accepit aurum; ſed ille qui dedit, fraude ſubtraxit quod dederat, & ſuppoſuit ſimile ligamentum cum terra. Quod ubi mulier iam domi ſuæ poſita invenit, proſilivit in publicum eadem mariti caritate clamatura quod fecerat, qua facere coacta eſt. Interpellat Præfectum, fatetur omnia, quam fraudem paſſa eſſet, oſtendit. Tum vero Præfectus primo ſe reum, quod ſuis minis ad id ventum eſſet, pronuntiat, tamquam in alium ſententiam diceret, de Acindini bonis auri libram fiſco inferendam; illam vero mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepiſſet, induci. Nihil hic in alteram partem diſputo, liceat cuique æſtimare quod velit. Non enim de divinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt. Sed tamen narrato hoc facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus quod in illa mulie-*

fieri, viro iubente, commiſſum eſt, quemadmodum antea cum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus.

VII. Hinc quidam collegerunt, D. Auguſtinum dubium ſaltem ſuper hac quæſtione, ſeu errore extitiſſe. Verum Auguſtinus non de doctrinæ, ſed de hiſtoriæ veritate ſe ancipitem oſtendit, ut conceptis verbis ipſe declarat. Nam, facto narrato, concludit: *Nihil hic in alteram partem diſputo. Licet cuique æſtimare quod velit: non enim de divinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt.* Vera ne, an falſa ſit hiſtoria hæc, non diſputo. Quiſque ſuo abundet ſenſu. Hoc ſcio, hiſtoriam hanc non eſſe ex Auctoribus divinis. Iſte eſt D. Auguſtini germanus ſenſus. Quid vero ipſe ſentiat de veritate dogmatis, manifeſtat in præloquio ad hanc ipſam hiſtoriam, inquiens: *Sed tamen utrum quod ait Apoſtolus*, Mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier: *poſſit in tantum valere, ut, permittente uxore, quæ maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir cum altera, quæ nec aliena uxor ſit, nec a viro disiuncta, concumbere? Sed non ita eſt exiſtimandum, ne hoc etiam femina, viro permittente, facere poſſe videatur, quod omnium ſenſus excludit.* Deinde ſtatim attexit narrationem hiſtoriæ. *Quamquam nonnullæ cauſæ* &c. Ne multa. Auguſtinus docet, quod licet humano ſenſui aliquæ occurrere rationes valeant, quæ videantur adulterii deformitatem auferre, dum uxor, conſentiente viro, illud perpetrat, ut accidiſſe narratur mulieri Antiochenæ; reipſa tamen iuxta rectam rationem, & evangelicam legem crimen eſt; licet non adeo horridum, quemadmodum eſſet, ſi ignorante viro illud perpetraſſet. *Sed tamen*, inquit S. Doctor, *narrato facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus quod in illa muliere, viro iubente, commiſſum eſt, quemadmodum antea, cum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus.* Clariora hæc ſunt quam explicatione egeant. Plurima iſthuc tranſcribere poſſem ex Auguſtino, ſi res poſtularet.

VIII. Quæſt. III. *Adulter ne eſt qui rem habet cum uxore aliena, antequam matrimonium conſummetur?* Reſp. Quis ſuper hac quæſtione dubitare valet? Matrimonium ratum eſt verum, perfectumque matrimonium; & per ipſum coniuges ſtatim mutuum ius acquiſierunt in propria corpora. Ergo quicumque extraneus ad talem uxorem accedat, ius maritale violat, atque adeo adulterium committit.

IX. Quæſt. IV. *Qui cognoſcit mulierem deſponſatam per verba de futuro, reus ne eſt adulterii?* Reſp. Sententia negans communior eſt. Adulterium eſt violatio alieni tori. Qui accedit ad deſponſatam de futuro, non violat alienum torum. Sponſalia enim ius tribuunt ad matrimonium contrahendum, ſecus ad corpora ſponſorum, quorum neuter ius habet in alterius corpus. Quod, ſi ius quod habent ſponſi ad matrimonium, appellare velis ius imperfectum in corpora, & talem acceſſum appel-

Digitized by Google

appellare adulterium imperfectum; lis erit de nomine. Certum autem eſt talem acceſſum induere peculiarem malitiæ gravitatem, & iniuriam ſponſo gravem irrogare.

X. Quæſt. V. *Coniux quæ copulam ſodomiticam habet cum proprio marito, committit ne adulterium?* Reſp. Adfirmat probabilior opinio. Copula ſodomitica directe adverſatur fidei, matrimonii ſacramento debitæ. Fides quippe matrimonii coniuges adſtringit caſtæ coniunctionis vinculo, ut prolem generent. Matrimonium nullum ius præbet viro ut præpoſtere uxorem cognoſcat: alioquin matrimonium vinculum eſſet iniquitatis. Copula ergo ſodomitica omnia matrimonii iura pervertit, eiuſdemque fidem deſtruit. Quamobrem qui uxorem ſodomitice cognoſcit, ad non ſuam accedit. Sua enim reſpectu præpoſteri vaſis non eſt; cum illa corporis pars generationi a natura deſtinata minime ſit.

XI. Obiicies. Adulterium eſt alieni tori violatio. Sed qui accedit ad propriam uxorem, nullum alienum torum violat. Ergo nemini iniuriam infert; maximo quando utriuſque conſenſu copula perficiatur. Reſp. Adulterium iſtud non eſt commune, & ordinarium; ſed monſtroſum. Non violat alienum torum, quemadmodum contingit in adulterio naturali; ſed violat torum proprium matrimoniale. Violatur alienum corpus: quia corpus mulieris non ſubiicitur viro in illius partis uſu. Conſenſus utriuſque coniugis in coitum ſodomiticum non tollit quin violent ſacramentum matrimonii, & propria corpora.

XII. Quare qui propriam uxorem ſodomitice cognoſcit, tenetur manifeſtare circumſtantiam propriæ uxoris. Nec ſatis eſt dicere in confeſſione, ſe ſodomitice cognoviſſe uxoratam, ſed propriam exprimere coniugem debet; maxime cum hæc circumſtantia occaſionem proximam præferat neceſſario exprimendam.

XIII. Coniugatus qui alienam uxorem agnoſcit, duo perpetrat adulteria. Duplicis quippe iniuſtitiæ reus eſt: alterius in propriam uxorem, alterius in maritum alienæ coniugis. Tandem adverte, quod licet adulterium uxoris & mariti theologice, & relate ad matrimonii ſacramentum ſpectatum, æquale ſit; tamen, ſi damna quæ conſequuntur, expendamus, longe gravius eſt uxoris quam mariti adulterium. Uxoris adulterium incertam ex parte patris prolem efficit; extraneum in hereditatis portionem ex parte ſua adducit; infamiam maximam tum marito, tum filiis, ac univerſæ familiæ infert. Paucis demum, inimicitiæ, ſeditiones, rixæ, & homicidia ex feminarum adulteriis oriuntur.

XIV. Diſputandum hic de reſtitutione eſſet, cui obnoxia adultera eſt, quando partus adulterium conſequitur; & quid præſtare ipſa debeat, ne filius ſpurius cum legitimis hereditatem dividat; aliaque plura forent diſcutienda, quæ ad tractatum de iuſtitia, & iure remittimus.

C A-

Digitized by Google

CAPUT X.

De inceſtu.

I. QUæſt. I. *Quid ſit inceſtus?* Reſp. Inceſtus quemcumque coitum indebitum, cum quacumque perſona cognata, aut affini habitum comprehendit. Contendunt aliqui, qui Poetarum ſabulis indulgent, inceſtum appellari a *ceſtu*, ſeu *cingulo*, quo Venus Martem alligabat, ne alienas deperiret mulieres. Quare cingulum illud ut coniugalis amoris fomentum habebatur. Et, hoc cingulo ſublato, deficiebat maritalis amor, ſuccedebatque illegitimus concubitus, qui dicebatur inceſtus, ſeu abſque *cingulo*. Verum, peregrina, & antiquata ſignificatione miſſa, communis definitio inceſtus hæc eſt, quæ colligitur ex D. Thoma 2. 2. quæſt.cliv. art. 9. *Abuſus conſanguinearum, vel affinium per copulam carnalem intra gradus ab Eccleſia prohibitos*. Gradus ab Eccleſia præfiniti ſive conſanguinitatis, ſive affinitatis ex legitimo matrimonio contracti ſunt quatuor; ex fornicatione ſunt duo. Qui ergo libidinoſe cognoſcit perſonam intra iſtos gradus ſibi iunctam aut conſanguinitatis, aut affinitatis vinculo, præter peccatum luxuriæ admittit peccatum inceſtus, quod debet in confeſſione manifeſtari.

II. Rationes cur concubitus cum conſanguinea, vel affini conſtituat ſpeciem diſtinctam luxuriæ, quæ appellatur inceſtus, prodit D. Thomas *loc. cit. in corp.* his verbis. *In uſu conſanguinearum, vel affinium invenitur aliquid incongruum commixtioni venereæ, triplici ratione. Primo quidem quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, & per conſequens aliis conſanguineis, qui ex iiſdem parentibus de propinquo originem trahunt; intantum quod apud antiquos, ut Valerius Maximus refert, non erat fas filium ſimul cum patre balneari, ne ſcilicet ſe invicem nudos conſpicerent. Manifeſtum eſt autem ſecundum prædicta quod in actibus venereis maxime conſiſtit quædam turpitudo, honorificentiæ contraria. Unde de his homines verecundantur. Et ideo incongruum eſt quod talis commixtio venerea fiat talium perſonarum ad invicem... Secunda ratio eſt, quia perſonas ſanguine coniunctas neceſſe eſt ad invicem ſimul converſari. Unde, ſi homines non arcerentur a commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commixtionis; & ſic animi hominum nimis emolleſcerent per luxuriam... Tertia ratio eſt, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, iunguntur ſibi quadam ſpeciali amicitia omnes conſanguinei uxoris, ac ſi eſſent conſanguinei ſui.... Addit etiam Ariſtoteles quartam rationem in II. Polit. quia, cum naturaliter homo conſanguineam diligat, ſi adderetur amor qui eſt ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentivum; quod caſtita-*

ſtitati repugnat. Unde manifeſtum eſt quod inceſtus eſt determinata luxuriæ ſpecies.

III. Rationes D. Thomæ & peccatum inceſtus, & eiuſdem gravitatem evincunt. Lex ipſa divina pœnarum ſeveritate malitiam inceſtus patefacit. Iacob benedicens filiis ſuis hæc adverſus Ruben pronuntiavit Gen. xlix. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio: Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Abſalon interfecit Ammon, quod concubuerit cum ſorore Thamar. D. Paulus inceſtuoſum excommunicavit I. ad Cor. v. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicavi ut præſens eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini Ieſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu, tradere huiuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Tandem ipſum ius tum canonicum, tum civile ſeveras conſtituit pœnas adverſus inceſtuoſos.

IV. Quæſt. II. *Quænam ſunt perſonæ quibuſcum inceſtus committitur?* Reſp. Primum, inceſtus graviſſimum crimen eſt, ſi filius cum matre, aut pater cum filia concubuerit, aut frater cum ſorore, quamvis ex patre, vel ex matre tantum. Deinde qui peccat cum matertera, aut amita, aut nuru, filii ſui uxore: qui cognoſcit filiam filii ſui, & filiam filiæ ſuæ. Hi inceſtus, & plures alii, qui legi poſſunt *Levit.* xviii. & xx. in moſaica lege pœna mortis plectebantur.

V. Quæſt. III. *Sunt ne omnia inceſtus crimina eiuſdem ſpeciei?* Reſp. Adfirmant non pauci Theologi: quia inceſtus cum conſanguinea, & affini eſt contra eamdem reverentiam parentibus debitam. Sententia communior, & probabilior docet, inceſtus peccata inter conſanguineos, & affines ſpecie differre. Inceſtus item cum conſanguineis lineæ rectæ differunt ſpecie ab inceſtibus cum conſanguineis lineæ tranſverſalis. Denique inceſtus in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ, & tranſverſalis a ceteris inceſtibus eiuſdem lineæ poſteriorum graduum diſtinguuntur ſpecie: & inceſtus in primo gradu affinitatis a ceteris eiuſdem lineæ, ſpecie diſcriminantur.

VI. Hanc ſententiam docet D. Thomas opuſc. xii. quæſt. vi. *De expreſſione autem perſonæ cum qua aliquis peccavit, videtur mihi quod non ſit in confeſſione facienda, quando poteſt vitari. Primo quidem quia prodere crimen alterius, & lædere famam eſt peccatum, quod maxime vitandum eſt in confeſſione, per quam quis quærit præterita peccata delere. Secundo &c.... Et ideo, ſi poteſt ſpeciem peccati confiteri, non innoteſcendo perſonam cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, niſi forte ſalvato correctionis ordine, quem Dominus ſtatuit. Si vero ſpeciem peccati exprimere non poſſit, niſi exprimendo perſonam cum qua peccavit, puta ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt ut exprimendo peccati ſpeciem, exprimat perſonam. Sed, ſi*

fieri

Digitized by Google

fieri poteſt, debet quærere talem Confeſſorem qui perſonam ſororis penitus non cognoſcat.

VII. Hanc eamdem doctrinam confirmat 2. 2. quæſt. clxv. art. 9. ad 3. *In commixtione perſonarum coniunctarum aliquid eſt ſecundum ſe indecens, & repugnans naturali rationi; ſicut quod commixtio fiat inter parentes & filios, quorum eſt per ſe, & immediata cognatio. Nam filii naturaliter honorem debent parentibus. Unde Philoſophus dicit in IX. de animalibus, quod quidam equus, qui deceptus fuit, ut matri commiſceretur, ſeipſum præcipitavit quaſi præ horrore, eo quod etiam animalibus aliquibus ineſt naturalis reverentia ad parentes. Aliæ vero perſonæ, quæ non coniunguntur ſecundum ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habent ita ex ſeipſis indecentiam; ſed variatur circa hoc decentia, vel indecentia ſecundum conſuetudinem, & legem humanam, vel divinam.*

VIII. Lumine itaque naturæ conſtat, concubitum cum matre, filia, aut ſorore deformitatem peculiarem habere, qua caret concubitus cum conſobrina, cognatis, & affinibus. Acceſſus enim ad matrem, vel ad filiam iure naturæ vetitus eſt. Accedit, vinculum conſanguinitatis proficiſci ex intimo naturæ nexu; extimum vero eſſe ligamen affinitatis. Qua ergo ratione diverſa ſunt hæc ligamina, eadem ratione diſtincta ſpecie evincuntur crimina quæ illa infringunt. Species igitur inceſtus ſubalterna eſt, quæ plures ſub ſe ſpecies continet, nimirum ſpeciem conſanguinitatis, & affinitatis; quæ duæ ſpecies variantur poſtea iuxta utriuſque lineæ gradus.

IX. Obiicies. Inceſtus quicumque eſt contra eamdem virtutem pietatis parentibus debitæ. Una eſt pietatis virtus. Ergo una inceſtus ſpecies. Reſp. Una eſt pietatis ſpecies erga parentes, non infima, ſed ſubalterna. Pietas in patrem, & matrem diverſa eſt a pietate debita ſororibus, affinibus, ceteriſque propinquis. Ergo varia quoque eſt eiuſdem pietatis violatio. Heinc ſoluta manet obiectio ex auctoritate D. Thomæ petita. Quamquam enim Angelicus collocet inceſtum in una determinata ſpecie; tamen nullibi aſſerit ſpeciem hanc eſſe infimam; quin ex allatis textibus aperte deducitur eſſe ſpeciem ſubalternam.

X. Colliges, in confeſſione exprimendos eſſe inceſtus non ſolum in primo gradu conſanguinitatis, & affinitatis lineæ rectæ, & tranſverſalis, ſed etiam in poſterioribus: quoniam, quamvis iſti poſteriores ſpecie non differant, tamen ſunt circumſtantiæ valde aggravantes intra eamdem ſpeciem.

XI. Quæſt. IV. *Inceſtus cum cognatis ſpiritualibus, & legalibus ſunt ne ſpecie diſtincti?* Reſp. Spiritualis cognatio contrahitur in duobus ſacramentis ſolemni ritu receptis, videlicet in baptiſmate, & confirmatione. Ita ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxiv. *cap.* 11. de cognatione ſpirituali his verbis. *Statuit* (ſancta Synodus) *ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, iuxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad*

Digitized by Google

ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant: inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur... Ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis. Verum de his in tractatu de ſacramentis.

XII. Cognatio legalis eſt *extraneæ perſonæ in filium, aut nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio*. Appellatur *adoptio*, ſi fiat alicuius magiſtratus auctoritate. Si vero Principis præſcriptum accedat, *arrogatio* dicitur. Ex utraque aliæ ſpecies dimanant. Prima eſt lineæ rectæ inter adoptantem, & adoptatum. Altera in linea tranſverſali inter filios carnales adoptantis, & adoptatum. Hæc poſterior cognatio affinitas legalis eſt, ſimilis affinitati carnali, quæ afficit adoptantem, & uxorem adoptati, & ipſum adoptatum, & uxorem adoptantis. Harum cognationum ſpecies quælibet matrimonium dirimit.

XIII. Ex his clare colligitur, copulam cum cognata, ſeu cognato ſpirituali eſſe non ſolum inceſtum, verum etiam ſacrilegium: quoniam violatur tum pietas debita cognatis ſpiritualibus, tum reverentia erga ſacramenta baptiſmatis, & confirmationis. Et ſicut cognatio hæc ſpiritualis a cognatione carnali ſpecie differt; ita quoque inceſtus inter cognatos ſpirituales ſpecie diſtinguuntur. Quod cognationes iſtæ ſpecie differant, probatione non eget; cum reapſe ex principiis omnino diverſis proficiſcantur. Quare explicandi ſunt in confeſſione gradus cognationis adverſus quos inceſtus crimina perpetrata ſunt.

XIV. Copula cum cognatis legalibus inceſtus eſt ſpecie diſtinctus ab inceſtu cum conſanguineis, affinibus, & cognatis ſpiritualibus ob rationem datam, quod a diverſa dimanet radice.

XV. Plura hic dicenda forent de cognatione ſpirituali Confeſſarium inter & pœnitentem. Verum alibi propriam habent ſedem.

CAPUT XI.

De ſacrilegio.

I. DE ſacrilegio in præſens ſermo eſt, prout ſpecies eſt luxuriæ; ſecus prout opponitur religionis virtuti, de quo ſuperius dictum eſt. Sacrilegium, prout eſt luxuriæ ſpecies, communiter definitur, quod ſit *violatio rei ſacræ per actum carnalem*. Quæcumque ergo res ſacræ, ſive perſona, ſive locus, ſive res inanimatæ, ut veſtes, calices, & alia inſtrumenta, divino cultui applicata, violen-

lentur impudice, ſacrilegium committitur. Triplex ergo eſt ſacrilegium iſtud. Primo in perſonam ſacram, ut quando aut vir, aut mulier eſt Deo voto conſecrata. Secundo in locum ſacrum, ut cum quis copulam exercet in loco divino cultui deſtinato. Tertio in rem ſacram, ut ſi quis ſperma effunderet in calicem, in veſtes ſacras &c.

II. Sacrilegium cum perſona ſacra triplex eſt. Primum, quando perſona voto ligata peccat carnaliter cum perſona libera a voto, vel per copulam, aut pollutionem, & tactus impudicos, vel deſideriis laſcivis. Secundum, quando utraque perſona quæ commiſcetur, eſt voto conſecrata. Tertium, quando perſona libera, ſeu non ſacra peccat, aut peccare deſiderat carnaliter cum perſona ſacra.

III. Quæſt. I. *Quando utraque perſona ſacra commiſcetur carnaliter, duplex ne, an unum ſacrilegium committitur?* Reſp. Quidam recentiores Probabiliſtæ unicum perpetrari ſacrilegium contendunt; ſed communis, & vera opinio duplex perpetrari ſacrilegium docet: quoniam duo violantur vota, proprium, & alterius complicis per cooperationem. Ergo duo ſunt ſacrilegia; quemadmodum copula coniugati cum coniugata duplex eſt adulterium.

IV. Quæſt. II. *Regularis profeſſus ſimul, & Sacerdos in aliquod luxuriæ crimen prolabens, duplex ne, an unicum perpetrat ſacrilegium?* Reſp. Duplex ſuper hac quæſtione occurrit ſententia: altera negans, altera adfirmans. Priorem defendunt Caſtropalaus *Tom. III. tract.* 11. *diſp.* 111. *punct.* 3. *num.* 10. Trullenchus *in Decal. Lib. VI. cap.* 1. *dub.* 7. Leander *tract.* V. *de pœnit. diſp.* VIII. *§.* 2. Salmanticenſes Morales *tract.* XXVI. *cap.* VI. *punct.* 2. *num.* 7. Sanchez *de Matrim. Lib. VII. diſp.* XXVII. *num.* 28. Bonacina *de Matrim. quæſt.* IV. *punct. ult. num.* 28. Filliucius *tract.* XXX. *cap.* VIII. *num.* 125. & alii plures. Quoniam, licet Religioſus peccet fornicando contra duo vota caſtitatis, alterum adnexum profeſſioni monaſticæ, alterum adnexum ordinibus ſacris; tamen hæc duo vota reſpiciunt eumdem finem. Ergo qui eadem violat, non duo, ſed unum peccatum committit: quemadmodum ſane qui duo præcepta eiuſdem rationis infringit, puta quadrageſimæ, & vigiliæ alicuius Sancti, non duo, ſed unum peccatum committit, quia ambo præcepta eumdem finem ſpectant. Votum igitur caſtitatis, editum in ſuſceptione ordinum ſacrorum, non addit novam obligationem caſtitatis; ſed confirmat dumtaxat votum caſtitatis Deo nuncupatum in profeſſione religioſa. Accedit quod votum ſolemne caſtitatis, inquiunt Salmanticenſes *loc. cit.* eſt maioris excellentiæ, & obligationis præ ceteris aliis votis. Ergo votum adveniens in ſuſceptione ordinis ſacri nullam maiorem obligationem inducit. Hæc ratio non firmat, ſed potius convellit hanc ſententiam. Si enim maioris excellentiæ eſt ſolemne caſtitatis votum præ voto caſtitatis annexo ordini ſacro: ergo, ut minus, Religioſus peccans peccatum luxuriæ, exprimere debebit in confeſſione ſe eſſe Religioſum; & non ſatiſfa-

tiſfaciet, ſi dixerit, ſe eſſe Diaconum, Sacerdotem &c. ut contendunt laudati Salmanticenſes.

V. Oppoſitam ſententiam defendunt Salmanticenſes Scholaſtici *Tom. VIII. tract.* xx. *diſp.* 1. *dub.* 4. *num.* 60. Suarez *in III. Part. Tom. IV. de pœn. diſp.* xxii. *ſect.* 4. *num.* 1. Paludanus *in IV. diſt.* xxxviii. Leſſius *Lib. IV. de iuſt. cap.* iii. *dub.* 12. *num.* 87. Fagundez *Lib. IV. de 2. præc. Eccl. cap.* iii. *num.* 5. & alii. Quoniam, ubi datur duplex ſacrilegium, ibi datur duplex peccatum. At in propoſita quæſtione datur duplex ſacrilegium. Ergo duplex peccatum reperitur. Probatur minor. Religioſus dicitur perſona ſacra vi ſolemnis voti caſtitatis; Sacerdos vero perſona ſacra denominatur ob conſtitutionem Eccleſiæ, quæ obligat ſervare caſtitatem illos qui ſacris initiantur: idque imponit Eccleſia ex peculiari ratione, qua inhabiles reddit ſacris initiatos ad matrimonium contrahendum. Quare Sacerdos, præciſo ſolemni voto caſtitatis in profeſſione monaſtica edito, vi ſpecialis conſtitutionis Eccleſiæ ſacrilegium perpetrat, quoties peccatum luxuriæ committit.

VI. Neutra ſententia, ſicut mea præfert opinio, argumenta prodit adeo gravia, ut una alteri præferri debeat. Illud mihi in praxi probabilius eſt, teneri Religioſum Sacerdotem pandere in confeſſione ſtatum ſuum. Quoniam, ut ut res ſe ſe habeat, ſint ne duo ſpecie diverſa ſacrilegia, an unum ſolum, illud eſt manifeſtum, graviorem malitiam eſſe, dum Religioſus ſimul & Sacerdos in luxuriæ crimen labitur, quam ſit malitia ſimplicis Religioſi, non Sacerdotis, eiuſdem criminis labe polluti. Quare, cum hæc circumſtantia ſit valde aggravans, manifeſtari debet.

VII. Quæſt. III. *Qui voto caſtitatis ligatus alium ad peccandum inducit, peccat ne contra proprium votum caſtitatis?* Reſp. Negat Sanchez *Lib. V. Sum. cap.* vi. *num.* 11. Dicaſtillus *de pœnit. diſp.* v. *num.* 326. & alii. Contraria ſententia communis, & vera eſt. Qui enim alium ad peccandum contra caſtitatem inducit, dubio procul peccat eo in genere in quo alium ad peccandum hortatur. Ergo peccat peccato luxuriæ: ergo violat proprium votum. Qui enim voto caſtitatis ligatus eſt, nequit ſe polluere malitia luxuriæ quin votum ipſum infringat.

VIII. Quæſt. IV. *Committit ne ſacrilegium Religioſus qui moroſe delectatur de aliquo luxuriæ flagitio?* Reſp. Adfirmat communis & vera ſententia; quidquid in oppoſitum ſcribant recentiores quidam. Nam caſtitas non ſolum ab opere externo, verum etiam ab internis pravis cogitationibus abſtinet. Votum autem caſtitatis non minus ſe extendit quam caſtitas ipſa. Ergo comprehendit non tantum opera externa, ſed etiam interna vitanda.

IX. Quæſt. V. *Qui voto caſtitatis ligatus alium tactibus polluit, quin ipſe ullo modo delectetur, committit ne ſacrilegium?* Reſp. Negant aliqui recentiores; ſed hæc opinio nimium laxa eſt, & ſcandali plena. Et primum quomodo alium polluere quis

Digitized by Google

quis valet, quin ipſe de tali pollutione delectetur? Præterea qui alium polluit, revera peccat peccato luxuriæ. Ergo votum violat. Omne enim luxuriæ flagitium voto adverſatur.

X. Quæſt. VI. *Religioſus qui poſt ſolemne caſtitatis votum, emittit votum aliud peculiare abſtinendi a pollutione, committit ne duplex ſacrilegium, ſi ſe polluat?* Reſp. Sententia negans communis eſt. Quoniam ſecundum votum nil novi addit, nullamque maiorem obligationem inducit. Nam, quidquid promittitur in hoc ſecundo voto ſimplici, fortius & validius promiſſum fuit in ſolemni caſtitatis voto. Ad ſummum erit circumſtantia aggravans.

XI. Quæſt. VII. *Coniuges, ſi in Eccleſia coeant, committunt ne ſacrilegium?* Reſp. Sermo hic eſt de ſacrilegio adverſus locum ſacrum. Porro omnia peccata externa, ut pollutio, fornicatio, tactus graviter impudici in loco ſacro, ſunt ſacrilegia. Quare, ut laxam, opinionem reiicimus illam quam docent Vaſquez 1. 2. *diſp.* XCVIII. *num.* 6. Navarrus, Toletus, Azorius, Coninch, & alii, aſſerentes, copulam fornicariam in Eccleſia non eſſe ſacrilegium, ſi occulte exerceatur. Eiuſmodi enim ſacrilegium definitur, quod ſit *violatio loci ſacri per actum carnalem*. Sed, cum actus carnalis in coniugatis peccatum non ſit, idcirco diſputatur, ſit ne copula coniugalis in Eccleſia peracta ſacrilegium. Quidam abſolute negant. Alii adfirmant, ſi publice; ſecus, ſi occulte habeatur. Tertia, quæ communior eſt, ſententia defendit, ſacrilegium eſſe copulam hanc abſque neceſſitate exercitam; ſecus, ſi premente neceſſitate fieret: ut quando coniuges tempore belli, aut obſidionis diu permanere in Eccleſia cogerentur. Hanc ſecundam partem evincere conantur hac ratione, quod præcepta Eccleſiæ in neceſſitatis caſu non obligent, ut reputatur iſte: quoniam difficile eſt coniuges per multum temporis abſtinere a copula maritali. Temporis longitudinem alii conſtituunt in decem, aliis in viginti, alii in triginta diebus. Et, quando coniuges, inquit P. Thomas Sanchez *Lib. IX. de matrim. diſp.* XV. *num.* 12. prævideant per menſem ſe manſuros in Eccleſia, poſſunt ſub initium ſtatim copulari, & continuare toto illo tempore. Huic ſententiæ adhærent Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* XV. *punct.* 5. *num.* 68.

XII. Omnes præfatas ſententias reiicimus. Quoniam nulla adeſt vera neceſſitas hoc præceptum reverentiæ debitæ loco ſacro violandi. Coniuges in Eccleſia incluſi, ut abſentes, ſe reputare debent. Et reapſe abſunt a loco civili, & profano; ſuntque in loco Deo conſecrato. Accedit quod, licet præcepto Eccleſiæ prohibeatur *cap. unic. de conſecrat. Eccleſ. in* VI. *cap. de Eccleſ. de conſec. diſt.* 1. ſanguinis, & ſeminis effuſio in loco ſacro; tamen hoc præceptum eſt veluti quædam expreſſio, & determinatio iuris divini. Iure enim divino domui Dei cultus, & reverentia debentur. Quid quod cum tempore belli, & obſidionis Dei vindictam homines experiantur, placare divinæ iuſtitiæ furorem tunc coniugati cum ceteris

deberent potius pœnitentia, ieiuniis, corporis animique afflictionibus, quam copulæ coniugali indulgere? Tantum abeſt igitur ut ea conditio temporis ipſos excuſaret copulam habentes in loco ſacro, quin calamitas temporum magis ipſorum coniugales copulas redargueret. Recentiores autem Probabiliſtæ, qui talem copulam in his circumſtantiis a ſacrilegio & profanatione purgant, concupiſcentiæ, non divino cultui favere videntur, ut ego quidem arbitror. Oſcula vero, & amplexus inter coniugatos in mutuæ benevolentiæ teſtimonium tempore diuturnæ moræ in Eccleſia, ſi modeſte, & abſque ſcandalo fierent, nec ſacrilegii, nec peccati damnarem.

XIII. Quæſt. VIII. *Oſcula, tactus, amplexus, verba turpia, aſpectus impudici in Eccleſia contrahunt ne ſacrilegii malitiam*? Reſp. Negant Leander, Sanchez, Diana, & alii non pauci: quia, inquiunt, præceptum Eccleſiæ prohibet dumtaxat ſanguinis, ſeminiſque effuſiones; ſecus tactus, amplexus, verba turpia &c. Sed hæc opinio laxa eſt. Hinc enim ſequeretur, ſacrilegii reum non futurum qui verenda mulieris in Eccleſia deoſcularetur, qui propria pudenda oſtenderet: quoniam præcepto Eccleſiæ huiuſmodi non vetantur. Dicendum eſt ergo, præfatas actiones flagitioſas in Eccleſia peractas ſacrilegia eſſe. Quoniam tactus graviter impudici præter indecentiam exteriorem adſerunt periculum pollutionis. Neque opus eſt ut peculiari præcepto Eccleſiæ iſta vetentur. Sunt enim natura ſua contra reverentiam loco ſacro debitam. Immo ideo prohibentur ab Eccleſia, quia reapſe repugnant reverentiæ erga Eccleſiam.

XIV. Salmanticenſes *loc. cit. num.* 23. cum pluribus aliis defendunt, actus turpes, ſed levioris malitiæ, ut tactus leves manuum, pedum, verba aliqualiter obſcena, turpeſque aſpectus in Eccleſia exercitos non contrahere ſacrilegii malitiam. Quoniam, inquiunt, actus iſti non inducunt pollutionis periculum. Verum ratio iſthæc infirma eſt. Præciſo enim pollutionis periculo, præfatæ actiones irreverentiam adverſus locum ſacrum important. Dum, inquiunt, actus iſtos eſſe levioris malitiæ, adfirmant ſimul eſſe peccata mortalia: ergo gravem afferunt irreverentiam. Utique maioris malitiæ eſt oſculari mulieris pudenda quam illius vultum, cum eadem publice fornicari in Eccleſia quam occulte. Nihilo tamen minus omnes actiones ſunt ſacrilegæ. At durum eſt, reponunt iſti, ſacrilegii damnare tactus impudicos manuum, pedum, verba tranſeunter obſcena, aſpectus laſcivos: quia ſic infinita ſacrilegia committerentur; & Confeſſarii tenerentur interrogare pœnitentes, num hæc peccata in loco ſacro perpetraverint. En conſuetum recentiorum principium, quo, ne peccata multiplicent, peccata negant eſſe peccata. Si hæc eſſent ſacrilegia, infinita eſſent ſacrilegia: ergo non ſunt ſacrilegia dicenda? Næ hæc robuſta argumentatio? Dicendum potius eſt, ideo infinita ſacrilegia perpetrari, quia Chriſtiani, laxioribus Caſuiſtarum opinationibus edocti, religioni ſibi non ducunt in

ſan-

ſancta Dei domo talia perpetrare. Si enim Confeſſarii, & Theologi illos increparent, & enormitatem ſceleris, qua Deum in proprio veluti ſolio adoriuntur, atque ſub illius oculis flagitia committunt, exaggerarent; profecto atrocitate criminum perterrefacti plures abſtinerent, aut ſaltem acrius conſcientiæ aculeis cruciarentur, dum reputarent domum Dei ſe profanaſſe. Internis deſideriis convenit apud omnes ſacrilegia committi: v. g. ſi quis deſideret fornicari, ſe polluere, & actiones graviter obſcenas in Eccleſia exercere: quia tum Eccleſia indueret rationem obiecti; atque adeo tribueret actioni malitiam ſacrilegii ob irreverentiam ſibi irrogatam. Deſideria enim, & cogitationes eiuſdem ſunt ſpeciei, ac actiones externæ, puta fornicatio, pollutio &c. Porro, ſi eiuſmodi in Eccleſia exerceantur, ſacrilegia ſunt. Ergo & illorum deſideria. Si vero quis in Eccleſia exiſtens deſideret fornicari extra Eccleſiam; contendunt tum non committi ſacrilegium, eo quod Eccleſia ſe teneat ex parte ſubiecti. Verum, licet in hoc ſecundo caſu non appareat ſacrilegii malitia ita expreſſe ac in primo; tamen tutius eſt quod homines ſe ſe accuſent de hac circumſtantia. Nam fatentur communiter Theologi, cogitationes, & deſideria obſcena in Eccleſia habita, tametſi ſine intentione illa ibidem exequendi, induere quamdam ſacrilegii malitiam. Porro gradus iſtius malitiæ ſunt nobis occulti: idcirco ſatius erit circumſtantiam hanc explicare.

XV. Quæſt. IX. *Quis ſit proprie locus ſacer?* Reſp. Ille qui eſt deputatus aut in Eccleſiam conſecratam, vel benedictam ad celebranda ſacra myſteria, aut in fidelium ſepulturam. Spatium ergo illud quod parietibus, & tecto Eccleſiæ clauditur, & inſuper locus pro cœmeterio deputatus nomine loci ſacri venit. Confeſſionaria quoque, licet intra parietes ædificata, ſunt partes Eccleſiæ; & chorus, in quo officia divina celebrantur. Loci ſubterranei, in quibus aut ſepeliuntur fideles, aut Miſſæ celebrantur, aut ſacræ Reliquiæ aſſervantur, Eccleſiæ nomine veniunt. Sacriſtiam a loco ſacro excipiunt communiter. At non video cur non debeat pars Eccleſiæ reputari; cum ſit Eccleſiæ contigua ſolo pariete intermedio, cum vaſa ſacra, & ſacras veſtes contineat. Denique eſt pars ipſius Eccleſiæ: & ſæpius in eadem altare reperitur, in quo Miſſa celebratur, & ſepulcra extant fidelium. Quo in caſu omnes fatentur nomine Eccleſiæ venire; ſicut & clauſtra Regularium, quæ pro ſepulcris fidelium deputata ſunt.

XVI. Si turris, in qua ſunt campanæ, ſit omnino & ab Eccleſia, & a cœmeterio ſeiuncta, non eſt locus ſacer; ſecus ſi in his locis ſit ædificata. Pariter, ſi quid ſupra tectum Eccleſiæ eſſet conſtructum, locus ſacer non eſſet; nec ſpeluncæ infra pavimentum eiuſdem: quia eiuſmodi loca non conſtituunt locum unicum cum Eccleſia. Excipiunt a loco ſacro Odeum, vulgo Tribunas, ubi organa pulſantur, muſici cantus aguntur, & ſacra audiuntur. Verum, cum hæc ſint intra

 Ec-

Eccleſiæ parietes, ad eiuſdem Eccleſiæ officia exercenda deſtinata, non video cur a ratione loci ſacri excipi debent.

XVII. Diſputant Theologi de Oratoriis, utrum debeant inter ſacra loca computari. De Oratoriis publicis, deſtinatis ad celebranda ſacrificia, ad quæ fideles indiſcriminatim campanæ pulſu admoniti conveniunt, nulla eſt difficultas. Penes omnes convenit, hæc Oratoria eſſe loca ſacra. Negant vero communiter, Oratoria privata domorum computanda eſſe inter loca ſacra; licet Epiſcopi, aut Pontificis auctoritate ibidem Miſſæ celebrentur. Quia, inquiunt, eiuſmodi Oratoria non veniunt nomine Eccleſiæ; nec gaudent Eccleſiæ immunitate. Tandem privata auctoritate poſſunt in uſus profanos redigi. Hæc tamen omnia non aliud evincunt, niſi quod Oratoria privata tot privilegiis non gaudeant quot fruuntur Eccleſiæ. Quamobrem non omnes fideles, audientes ibidem Miſſam, ſatisfaciunt præcepto; ſed ſolæ perſonæ expreſſæ, & nominatæ in privilegio conceſſionis. Ceterum, ſi miſſis ſubtilitatibus res ipſa ſpectetur, inter ſacra loca hæc Oratoria computanda eſſe, validiores ſuadent rationes. Quænam, amabo, eſt ratio potiſſima cur Eccleſia locus ſacer habetur? Quia ſcilicet ibi offertur incruentum ſacrificium, quod eſt chriſtianæ religionis myſteriorum compendium; & illuc fideles conveniunt ad audiendam ſacram Miſſam. Hæc in privatis etiam Oratoriis peraguntur, licet minori ſolemnitate, & apparatu. Cur ergo loca huiuſmodi ſacra reputanda non ſunt? Accedit quod Oratoria a ceteris domus locis pro uſibus communibus, & profanis deputatis, & veluti extra domus parietes eriguntur, & habentur veluti a locis profanis ſeparata. Cur ergo ſacra non ſunt dicenda? Vix aliquem Chriſtianorum reperire eſſet qui ſacrilegium non reputaret fornicationem in his Oratoriis commiſſam.

XVIII. Monaſteriorum loca, dormitoria, officinæ, cellæ, & cetera eiuſmodi, licet loca ſint benedicta, non tamen veniunt nomine loci ſacri, quia non ſunt deſtinata ad divina officia celebranda, aut ad fratrum ſepulturas. Quare peccata luxuriæ ibidem commiſſa non forent ſacrilegia.

XIX. Quæſt. X. *Sacerdos, ſacramentum Euchariſtiæ geſtans, committeret ne ſacrilegium, ſi aliquod luxuriæ crimen ſive internum, ſive externum perpetraret?* Reſp. Tertiam ſacrilegii ſpeciem diximus eſſe contra res ſacras, puta veſtes ſacerdotales, reliquias, calices &c. Verum, quia inter res ſacras potiſſimum locum obtinent ſacramenta, & inter hæc eminet ſacroſancta Euchariſtia; ideo de eadem primum quæſitum eſt. Ad quod reſpondetur affirmative. Sancta enim ſancte tractanda ſunt. Qui vero actionibus laſcivis pollueretur, dum Sancta Sanctorum geſtaret manibus, aut pectore, non ſancte, ſed ſcelerate ſancta tractaret. Sacrilegium ergo committeret. Sacrilegus quoque eſſet qui ſtatim poſt ſumptionem Euchariſtiæ fornicaretur, aut pollueretur; vel qui indutus veſtibus ſacris, & paratus ſacrificium

Digitized by Google

cium offerre, pollutionem, aut fornicationem exerceret. Veſtes tamen ſacræ non polluerentur. Quoniam pollutio hæc ab Eccleſiæ decreto pendet, quod non adeſt.

XX. Quæſt. XI. *Sacrilegus ne foret qui geſtans reliquias fornicationem committeret?* Reſp. Negant Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* VI. *punct.* 14. *num.* 38. & penes illos Azorius. Quia, inquiunt, qui geſtans reliquias fornicaretur, id non ageret in contemptum reliquiarum, ſed ut ardorem libidinis extingueret. At reponi poteſt: Neque qui fornicatur in Eccleſia, in Eccleſiæ contemptionem agit. Cur ſacrilegus eſt qui geſtans Euchariſtiam polluitur luxuriæ culpa? Quia Euchariſtia eſt ſacramentum ſanctiſſimum. Bene habet. At hinc ſolum ſequitur quod impudicitia illius geſtationi adverſa ſit magnopere gravius ſacrilegium quam ſacrilegium illius qui reliquias deſert. Ergo aut negandum eſt geſtantem Euchariſtiam ſacrilegium perpetrare, dum peccato luxuriæ peccat; aut concedendum aliqua profanatione ſacrilega inquinari etiam eum qui reliquias deferens in libidinis culpam prolabitur.

XXI. Quid, ſi reliquiæ darentur ſcorto in pretium actus venerei? Tunc non ſacrilegium modo, verum etiam ſimoniæ crimen committeretur. Si vero gratis darentur, & in gratitudinis argumentum; nullum foret crimen. De ſacrilegio adverſus tempora ſacra in tractatu de præcepto ſanctificandi feſta diſputabitur.

CAPUT XII.

De flagitiis contra naturam.

I. OMnia peccata ſunt quodammodo contra naturam, quatenus naturali rectæ rationi adverſantur. In præſentia ſermo eſt de peccatis contra naturam, prout pervertunt primarium naturæ ordinem, finique a natura præſtituto repugnant. Finis autem venereæ actionis eſt prolis conceptio. Omnes ergo venereæ actiones quæ prolis conceptum impediunt, vitia ſunt contra naturam. Quare generice hæc vitia deſcribi valent, quod ſint *inordinatus venereorum uſus prolis conceptionem impediens.*

II. Quatuor ſunt ſpecies. Pollutio, ſeu immundities, beſtialitas, ſodomia, concubitus inordinatus cum femina, impediens prolis conceptum. Hæc omnia docet D. Thomas 2. 2. quæſt. CLIV. art. 11. *Ibi eſt determinata luxuriæ ſpecies ubi ſpecialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Uno quidem modo quia repugnat rationi rectæ, quod eſt commune in omni vitio luxuriæ. Alio modo quia etiam ſuper hoc repugnat ipſi ordini naturali venerei actus, qui convenit humanæ ſpeciei, quod dicitur vitium contra naturam.*

Digitized by Google

Quod quidem poteſt pluribus modis contingere. Uno quidem modo, ſi abſque omni concubitu cauſa delectationis venereæ pollutio procuretur; quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. Alio modo, ſi fiat per concubitum ad rem non eiuſdem ſpeciei, quod vocatur beſtialitas. Tertio, ſi fiat per concubitum ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel feminæ ad feminam, ut Apoſtolus dicit ad Rom. 1. quod dicitur ſodomiticum vitium. Quarto, ſi non ſervetur naturalis modus concumbendi aut quantum ad inſtrumentum non debitum, aut quantum ad alios monſtruoſos, & beſtiales concumbendi modos.

III. Quæſt. I. *Differunt ne ſpecie hæc peccata contra naturam?* Reſp. Negant recentiores Probabiliſtæ non pauci. Caramuel in *Theol. Moral. Lib. IV. num.* 1607. Diana *Part. VII. tractat.* XII. *reſol.* 23. Mazzuchellus *tractat. de caſib. reſerv. cap.* XXII. Filliucius *tractat.* XXX. *cap.* VIII. *quæſt.* III. *num.* 141. probabilem reputat opinionem. Trullenchus *Tom. II. Lib. II. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 8. P. Dominicus Viva in *propoſit.* 24. *Alexandri VII. num.* 1. pro hac eadem ſententia laudat Melchiorem Cano, & Armillam. Canus nec verbum hac de re habet, quantum mihi colligere licuit. Armilla conceptis verbis oppoſitum docet *verb.* Luxur. *num.* 5. ubi textum S. Thomæ ex 2. 2. *quæſt.* CLIV. *art.* 11. perſtringit, deinde concludit: *De huiuſmodi oportet confiteri ſpecifice*. Armilla ergo cum S. Thoma, aliiſque Theologis docet, vitium contra naturam eſſe unum ſpecie ſubalterna, ſeu generice tributum in varias ſpecies infimas.

IV. Præfata opinio damnata fuit ab Alexandro VII. in hac propoſitione, quæ in ordine eſt 24. *Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in confeſsione ſe procuraſſe pollutionem*. Falſitas huius propoſitionis evidens eſt. Nam quodlibet horum vitiorum peculiari modo opponitur virtuti caſtitatis: qui modus diverſus efficit obiectum formaliter diverſum. Ergo ſpecie differunt inter ſe. Actiones enim ſpeciem capiunt a ſuis obiectis. Unde, ſi ſpecie differant obiecta, neceſſe eſt & actus ipſos, hæc obiecta ſpectantes, ſpecie diſtingui. Diverſitas modi cuiuſque peccati patens eſt. Nam pollutio, ſeu mollities impedit coniunctionem maris, & feminæ a natura præſtitutam, ut habeatur prolis conceptio. Natura item iubet quod mas & femina ſint eiuſdem ſpeciei. Et hoc tollit beſtialitas. Tertio ſtatuit natura ſexum diverſum. Et hunc ordinem pervertit ſodomia perfecta, nempe commixtio maris cum mare, aut feminæ cum femina. Quarto præſcribit vaſa congrua generationi. Et contra hoc facit ſodomia imperfecta, ſeu innaturalis modus concumbendi; ut quando mas & femina congrediuntur, non ſervato inſtrumento a natura inſtituto ad generationem, ſi nempe vir cognoſcat mulierem in vaſe præpoſtero. Alii autem modi monſtroſi, & innaturales, ut quando femina eſt incuba, & ſuccubus homo, aut quando ex latere copulam habent, non ſemper ſunt peccata mor-

Digitized by Google

mortalia ; cum aliquando neceſſitas urgeat recedere a conſueto modo concumbendi : v. g. quando homo nimius obeſus eſt, illumque ſuccuba ſuſtinere mulier nequit , poſſunt ex latere ſe ſe agnoſcere ; dummodo abſit periculum effundendi ſeminis . Præciſa neceſſitate , etiam hi modi ſemper ſunt vitioſi ; & improbandi ad minus ut peccata venialia.

V. Quæſt. II. *Quodnam ex his flagitiis ſceleſtius ſit ?* Reſp. Sermo eſt de vitiis iſtis intra propriam ſpeciem luxuriæ ſpectatis. Nam dubium non eſt, aliquod ex iſtis vi alicuius circumſtantiæ ſpecie diſtinctæ poſſe gravius fieri ; ut ſi pollutio exerceatur cum perſona ſacra , induit circumſtantiam ſacrilegii , quemadmodum dictum eſt. Siſtendo ergo intra fines iſtarum ſpecierum graviſſimum omnium ſcelus eſt beſtialitas, deinde ſodomia, poſt mollities, ſeu pollutio, tandem inordinatus concubitus. Ita docet D. Thomas 2. 2. quæſt. clxv. art. 12. ad 4. *Gravitas in peccato magis attenditur ex abuſu alicuius rei quam ex omiſsione debiti uſus . Et ideo inter vitia quæ ſunt contra naturam , infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod conſiſtit in ſola omiſsione concubitus ad alterum . Graviſsimum autem eſt peccatum beſtialitatis : quia non ſervatur debita ſpecies . Unde ſuper illud Geneſ.* xxxvii. Accuſavit fratres ſuos de crimine peſſimo , *dicit Gloſſa , quod cum pecoribus miſcebantur . Poſt hoc autem eſt vitium ſodomiticum , cum ibi non ſervetur debitus ſexus . Poſt hoc autem eſt peccatum ex eo quod non ſervatur debitus modus concumbendi . Magis autem ſi non ſit debitum vas , quam ſi ſit inordinatio ſecundum aliqua alia pertinentia ad modum concubitus.* Omnibus autem iſtis ſcelus horrendius eſt congreſſus cum dæmone.

CAPUT XIII.

De pollutione voluntaria, ſeu mollitie.

I. Duplex pollutio. Altera voluntaria, quæ eſt *deliberata ſeminis effuſio*. Altera involuntaria, qua, repugnante voluntate, natura ſemen aut in vigilia , aut in ſomno effundit.

II. Pollutionem voluntariam eſſe peccatum mortale graviſſimum contra naturam , certum de fide eſt . Inquit enim Apoſtolus Paulus I. ad Cor. vi. verſ. 9. *Nolite errare : neque fornicarii , neque idolis ſervientes , neque molles . . . . regnum Dei poſsidebunt .* Idem inculcat ad Galat. v. verſ. 19. *Manifeſta ſunt autem opera carnis , quæ ſunt fornicatio, immunditia &c. Qui talia agunt , regnum Dei non conſequentur .*

III. Ioannes Caramuel Probabiliſtarum anteſignanus in ſua *Theol. Mor. Lib. IV.*

Digitized by Google

num. 1603. negavit pollutionem natura ſua eſſe peccatum mortale his verbis. *Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Quam propoſitionem damnavit Innocentius XI. eſtque in ordine 49. Quod non iure tantum divino, verum etiam iure naturali, vetita pollutio ſit, veritas eſt manifeſta; cum ſit contra ordinem a natura præſtitutum: impedit enim prolis conceptionem, quæ eſt finis primarius delectationis venereæ. Quid quod vel ipſi Ethnici hanc agnovere veritatem, ut patet ex Martiali epigram. xlii.

Ipſam crede tibi naturam dicere verum:
Iſtud quod digitis, Pontice, perdis, homo eſt.

Quod opponit Caramuel, futile eſt. Nam profuſio ſanguinis, lactis, urinæ, ſudoris, nulli naturæ ordini repugnat; ſed, debitis conditionibus ſervatis, eidem congruit. Præfata enim ad individui ſanitatem ordinantur. Ideo, quoties ſanitati congruere videtur, effunduntur. Semen vero humanum non niſi propter generationem, & propagationem humanæ naturæ effundi poteſt; cum hic ſit unicus eiuſdem finis.

IV. Quæſt. I. *Differt ne pollutio propriis tactibus procurata, a pollutione excitata tactu mulieris dormientis, aut pueri doli incapacis?* Reſp. Convenit penes omnes, duo peccata committi, quando duæ perſonæ concurrunt ad pollutionem. Diſputatur dumtaxat, quando una ſola perſona polluitur tangendo vel feminam dormientem, aut puerum doli incapacem.

V. Adfirmat prima ſententia, videlicet pollutionem excitatam alterius contactu ſpecie differre a pollutione procurata propriis tactibus; atque adeo exprimendam in confeſſione eſſe hanc circumſtantiam. Nam pollutio cum femina dormiente excitata, eſt veluti copula inchoata, ad quam ordinatur. Si femina ſit nupta, virgo, aut ſacra; pollutio induit variam ſpeciem. Pollutio autem propriis tactibus peracta ab his omnibus ſuapte natura præſcindit. Ergo eiuſmodi pollutiones ſpecie diſtinguuntur. Accedit quod tactus impudici cum viro exerciti ordinem ſexus perturbant: ergo ſpecie differunt ab iis habitis vel cum femina, vel abſque alieno inſtrumento.

VI. Altera ſententia negat, eiuſmodi pollutiones ſpecie diſtingui. Nam natura pollutionis in voluntaria ſeminis effuſione ſita eſt. Quod vero aut propriis, aut alienis inſtrumentis procuretur, de materiali, ut dicitur, ſe habet.

VII. Mihi prior arridet ſententia. Primo quia, dum quis pollutionem procurat confricando corpus alterius, illud polluit, templumque Dei ex parte ſua corrumpit, & violat. Si hæc confricatio cum puero doli incapace fiat, vix ſeparabilis eſt a deſiderio ſodomiæ. Secundo quia in praxi vix hæc contingere poſſunt abſque alterius dolo. Quare qui talis criminis reus foret, mea quidem ſententia

ha

has circumſtantias pandere in confeſſione deberet, & ſigillatim exponere, an pollutio peracta fuerit cum femina, vel cum viro.

VIII. Quæſt. II. *Qui ſe polluit, ſi habeat delectationem moroſam, aut deſiderium alicuius perſonæ ſacræ, coniugatæ, vel affinis, aut ſolutæ, debet ne has circumſtantias pandere in confeſſione?* Reſp. P. Richardus Arſdechin *Part. II. tractat.* v. *cap.* VI. *de* 6. *præcep. num.* 14. docet, probabile eſſe ſimplicem delectationem quæ fertur in perſonam coniugatam, aut affinem, non habere malitiam diſtinctam. Verum hæc opinio laxa eſt. Delectatio ſpeciem capit ab obiecto. Ergo, quando obiecta ſunt in genere moris ſpecie diverſa, delectationes quoque de iiſdem obiectis ſpecie diſtinguantur oportet. De deſideriis nulla eſt difficultas. Communiter fatentur omnes, debere hæc in confeſſione explicari. Qui enim coiret cum Moniali, aut nupta, nedum copulam carnalem, ſed etiam circumſtantiam perſonæ ſacræ, aut nuptæ exprimere deberet.

IX. Quæſt. III. *Pollutio voluntaria ita ne intrinſecus mala eſt, ut ob nullum finem, puta ſervandæ ſanitatis, vitæ, vel Reipublicæ, licita evadere queat?* Reſp. Adfirmat communis, & vera ſententia. Quoniam ſemen humanum unice ad generationem individui, & medio individuo ad propagationem ſpeciei ordinatum eſt; nullo autem modo ad propriam ſalutem procurandam. Porro qui voluntarie ſe polluit, abſque copula cum muliere in vaſe debito, ob conſervandam ſanitatem, ſemen prodigit contra finem a natura inſtitutum. Ergo peccat. Hanc doctrinam tradit Angelicus 2. 2. quæſt. LXXXVIII. art. 11. ad 3. *Cibus directe ordinatur ad conſervationem perſonæ. Et ideo abſtinentia cibi directe poteſt vergere in periculum perſonæ. Sed coitus non ordinatur directe ad conſervationem perſonæ, ſed ad conſervationem ſpeciei: Unde nec directe abſtinentia coitus per continentiam vergit in periculum perſonæ.*

X. Aliis rationibus ſuadetur opinio hæc. Bonum commune prævalere debet bono privato, etiam vitæ. Atqui ſeminis effuſio extra copulam eſt contra bonum commune naturæ humanæ: de medio quippe tollit hominum generationem. Ergo neque ob privatam alicuius ſanitatem licita eſt. Accedit quod cum valde ingentem delectationem experiantur homines in ſeminis effuſione, ſi hanc reputarent ceu medicinam ad propriam ſalutem conſervandam, paſſim, & frequentiſſime, libidinis æſtu abrepti, exiſtimarent pollutionem procurandam eſſe ad conſulendum ſanitati; quin delectatione medicinæ abſorpti tam frequenter illam repeterent, ut propriæ ſanitatis iacturam facerent. Hinc ſequitur pollutionem tum bono communi humanæ propagationis, tum bono privato proprii individui noxiam eſſe; atque adeo numquam licitam.

XI. Obiicies 1. Licita eſt expulſio fetus ante animationem, ut vitæ matris conſulatur. Ergo licita erit pollutio, ut ſanitas conſervetur. Nam, ſicut fetus ma-

Google

matris vitæ aggreſſor quandoque eſt; ita ſemen redundans corporis ſanitati eſt noxium. Reſp. Negatur tum antecedens, tum conſequens. Antecedens damnatum eſt ab Innocentio XI. in hac propoſitione 34. *Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Si ergo neque diffamatio, neque occiſio futura puellæ deprehenſæ gravidæ ſatis ſunt ad procurandum abortum; patet licitum haud eſſe procurare abortum ad ſalvandam matris vitam. Poteſt quidem mater, ſi eius vita periclitetur, uti remediis neceſſariis ad ſalutem, etiamſi hinc ſequatur abortus. Verum numquam ei licet ſumere medicinam directam in hunc finem, ut ſequatur abortus. Nihil ergo hinc eruitur ad inferendum, eſſe licitam pollutionem. Quamquam non deſint qui, conceſſo antecedente, negant conſequentiam. Diſcrimen aſſignant, quod fetus in ventre matris exiſtens, etiam inanimis, reputetur ſuppoſitum moraliter diſtinctum, & aggreſſor ſalutis matris. Porro mater, inquiunt, contra eumdem aggreſſorem iure dimicare valet. Semen vero, dum intra vaſa ſeminalia ſiſtit, non diſtinctum, ſed unicum efficit individuum. Nemo autem contra ſemetipſum pugnare valet. Vera hæc, an falſa ſint, nihil ad nos, qui primam dumtaxat reponſionem defendimus.

XII. Obiicies 2. Vita actualis præferenda eſt vitæ quæ in potentia tantum vita eſt. Semen eſt vita in potentia; individuum e contrario, quod ſemen effundit, actu vivit. Ergo, quando alterutrum deſtruendum ſit, individuum, quod reapſe vivit, anteponendum videtur; atque adeo ſeminis expulſione ſervandum. Reſp. Vita actualis præferenda eſt vitæ in potentia, actione licita; ſecus mala, & vetita. Actio effundens ſemen, ſeipſa mala eſt, ut probavimus. Ergo nequit aſsumi ut medium ad conſervandam propriam vitam. Licitum quippe haud eſt facere mala, ut inde bona eveniant.

XIII. Obiicies 3. Vaſa ſpermatica ſunt inſtituta ad propagationem generis humani; & tamen exſcindi queunt ad conſervandum individuum. Ergo etiam ſemen effundi poteſt ob eumdem finem. Reſp. Negatur conſequentia. Homo a publica poteſtate, iuſta occurrente cauſſa, occidi valet: nec propterea pollutio præſcribi poteſt. Actio occiſiva licita eſt, dum imperatur a poteſtate legitima. Actio qua procuratur ſeminis effuſio, ſuapte natura mala eſt. Idcirco numquam licita evadere poteſt.

XIV. Diſputant Salmanticenſes Scholaſtici *Tom. IV. tractat.* XIII. *diſput.* X. *dub. 6. numer.* 218. poſſit ne Deus pollutionem præcipere: & partem adfirmantem defendunt; quibus ſubſcribunt Salmanticenſes Morales *tractat.* XXVI. *cap.* VII. *punct.* 2. *numer.* 25. Quoniam Deus poteſt præcipere occiſionem innocentis. Ergo etiam imperare poteſt pollutionem. Deus enim ſupremus dominus eſt vitæ humanæ. Ergo qua ratione auferre valet vitam actualem, ca-

Digitized by Google

eadem poterit præcipere impedimentum vitæ, quæ eſt dumtaxat talis in potentia.

XV. Limites præfigere omnipotentiæ divinæ excedit facultatem humanæ mentis. Quare ſimiles quæſtiones vix abſque nimio auſu inſtitui poſſunt. Tamen, quia quandoque excitari ſolent, non ut fines præſtituantur infinitæ poteſtati divinæ, quæ, quidquid non repugnat fieri, præſtare valet; ſed ut rerum naturæ clarius explicentur: idcirco reſpondeo, fieri haud poſſe, ut ego quidem arbitror, quod pollutio a Deo præcipiatur. Quoniam, ut dictum eſt, actio hæc effuſiva ſeminis extra copulam coniugalem adeo diſſonat rationi, ut nulla appareat ratio cur licita evadere umquam poſſit. Suapte quippe natura rationem abſorbet ob vehementem delectationem, concupiſcentiam rebelliorem facit, irritatque adverſus rationem ipſam, ſublato omni honeſto fine. Quare actio hæc inordinata ſeipſa eſt. Nequit ergo a Deo imperari. Deus imperare poteſt occiſionem innocentis: quia actio occiſiva innocentis, poſitis iuſtis conditionibus, nullius ordinis perverſionem importat. Accedit, multas apparere æquiſſimas cauſſas ob quas Deus præcipere innocentis mortem poteſt; nullam vero aſſignari a nobis poſſe iuſtam rationem propter quam Deus imperet pollutionem. Quod ſi reponas, noſtrum non eſse rationem iſtius præcepti deſignare; ſubdam ego, noſtrum quoque non eſse, præceptum ipſum in examen adducere. Mittamus ergo quæſtiones quæ captum noſtrum excedunt.

XVI. Quæſt. IV. *Licitum ne eſt confricare membra, aut aliis incitamentis uti, ut expellatur ſemen corruptum, dum timetur veri ſeminis effuſio?* Reſp. Adfirmarunt plures recentiores Probabiliſtæ. Ioannes Sanchez *diſp.* XXI. *num.* 29. Filliucius *tract.* XXX. *cap.* VIII. *num.* 150. Diana *Part. II. tract.* XVI. *reſol.* 56. Thomas Sanchez *Lib. IX. de matrim. diſp.* XVII. *num.* 19. ſed eam retractavit *Lib. V. Sum. cap.* VI. *num.* 12. Contraria ſententia communis, & vera eſt, quam defendunt Salmanticenſes Scholaſtici *loc. cit. num.* 235. item Morales *loc. cit. num.* 27. Bonacina *de matrim. quæſt.* IV. *punct.* 10. *num.* 12. Lugo *de pœnit. diſp.* X. *ſect.* 5. *num.* 126. La Croix *Lib. III. par.* 1. *num.* 926. & alii communiter. Ratio evidens eſt. Pollutio voluntaria natura ſua mala eſt. Ergo nequeunt fricari verenda ad expellendum ſemen corruptum, dum periculum eſt expellendi verum ſemen. Accedit quod agitatio, & irritatio verendorum ad expellendum ſemen corruptum, natura ſua expulſiva eſt veri ſeminis: quia per ſe concupiſcentiam titillat, irritat, provocatque ad veram pollutionem. Quid quod, ſi hoc permitteretur, paſſim homines, venerea delectatione abrepti, reputarent ſe redundare ſemine corrupto, ut occaſionem haberent pollutionem veram exercendi? Rationes quæ opponuntur, futiles ſunt; idcirco illas prætereo.

XVII. Quæſt. V. *Mulier quæ in coitu cum marito non ſeminavit, peccat ne ſi per-*

Digitized by Google

peracto coitu, ſe tactibus ad ſeminandum provocet? Reſp. Negant Salmanticenſes *loc. cit. num.* 29. quia talis ſeminatio eſt complementum præcedentis coitus. Quod enim immediate ante, vel poſt coitum fit, in ipſo coitu fieri videtur. Ante coitum licet tam viro, quam feminæ tactibus venerem excitare, ut ſimul ſeminare valeant, ſi forte unus altero tardior ſit in ſemine emittendo. Accedit quod nimis durum eſſet feminæ, ſi, matrice coitu viri irritata, & valde accenſa, ardorem illum perferre deberet, quin ſeminis effuſione extinguere poſſet. Idem docet Sanchez *de matrim. Lib. IX. diſput.* XVII. *num.* 9. *&* 10. Nolo nunc hanc improbare ſententiam ob allatas rationes. Eam in tractatu de matrimonio ſerius examinabo.

XVIII. Quæſt. VI. *Eſt ne peccatum diſtillationem quampiam excitare?* Reſp. Præter urinam, & ſemen, tertium quemdam humorem ex verendis tum mulieris, tum viri diſtinguunt poſt medicos Theologi. D. Thomas ipſe hunc diſtinguit humorem *opuſc.* LXIV. *titul. de fluxu libidinis*, his verbis. *Prætermittendum quoque non eſt, quod quibuſdam contingit interdum conſcientiæ dubietas, & perturbatio magna, unde ipſis vigilantibus abſque ulla commotione carnis, & cogitatione immunda, humor quidam per membrum ſecretum egreditur ſine delectatione, & quaſi inſenſibiliter; ita ut multi de hoc non perpendunt, niſi cum pannos ſentiunt madefactos. Cuius cauſam aliqui ignorantes turbantur, & errant, putantes ſe pollutos eſſe. Et ideo ſciendum eſt, quod illius humoris effuſio non eſt pollutio: quia, ut dicunt medici, ſine delectatione libidinoſa, & carnis commotione nullus poteſt pollui vigilando. Ad ipſius tamen effuſionem humoris videtur naturalis conditio cauſam exhibere primariam, ſed deinde id aliud quod ad naturam diſponit, cauſa vitioſa, & evitabilis perficit, & conſumit. Quibuſdam hoc provenire agnovi propter ſolam præſentiam, & allocutionem alicuius perſonæ in cuius conſpectu habuit complacentiam ſenſualem, & vanam, ſeu ad quam inordinato amore afficitur, aut per tactum impudicum levem, aut imaginando aliquos actus impudicos fortiter, & moroſe. In his enim caſibus, & aliis ſimilibus multi inveniuntur habere calefactiones, & commotiones carnis libidinoſas, dictumque humorem emittere, velint, nolint. Sed eas cauſas, & ſimiles, quæ ſunt evitabiles, debet quilibet fugere, & evitare pro poſſe, maxime qui ſentit de hoc ſe eſſe paſſionatum, ſeu ad hoc naturaliter inclinatum, ſive ex vitio mentis, ſive ex debilitate naturæ. Et qui occaſiones huiuſmodi non vitaverit pro poſſe, vel iuxta poſſe, relinquendo amicitiam, & familiaritatem perſonarum ad quas inordinate afficitur, fugiendo etiam allocutiones, & aſpectum perſonarum, licet non credam, ipſum per dictam effuſionem peccare mortaliter, niſi forte aliter concupiſceret, aut impudice tangeret perſonam, quæ eſt cauſa iſtius effectus; tamen credo eum graviter peccare ex magno peccati mortalis periculo: & ideo conſilium do tibi quod abſ-*

que

Digitized by Google

que dilatione moroſa ipſe ſibi violentiam faciat in hac parte fugiendo perſonas huiuſmodi, atque cum eis omnem opportunitatem loci, & temporis evitet.

XIX. Laudatum opuſculum non eſſe D. Thomæ, valde probabile exiſtimo, ſtilique ratio non levem affert coniecturam. Doctrinam tamen veram arbitror, quam tradit etiam Caietanus *Tom. I. opuſc. tract.* XXII. *quæſt.* I. Itaque, ſi cauſſa iſtius diſtillationis ſit ipſa naturæ debilitas, qui eam patitur abſque ulla complacentia, nullum crimen committit. Quin, ſi pollutio ipſa, ſeu ſeminis effuſio ex nimio calore, aliove naturæ vitio erumpat, nullum eſt crimen, quando voluntas repugnet. Cauſſa ergo ſive iſtius tertii humoris, ſive ipſius ſeminis effuſi ſpectanda eſt. Si cauſſa ſit innocens, innoxius quoque habetur effectus. Si cauſſa fuerit vitioſa & vitabilis, ut turpe colloquium cum muliere, aut viro, illius impudicus aſpectus, & converſatio; tunc ob cauſſam non eviratam mortalis reputanda erit tum diſtillatio, tum pollutio, ut ex adducta etiam auctoritate conſtat.

XX. Quæſt. VII. *Pollutio voluntaria in cauſſa peccatum ne eſt?* Reſp. Duplex diſtingui pollutionis cauſſa ſolet. Altera *per ſe*, & *directa*, quæ ſuapte natura in pollutionem tendit, eamque inferr; quemadmodum potus veneni mortalis, aut letale vulnus *per ſe* mortem inducit. Eiuſmodi autem cauſſæ *per ſe* pollutionis ſunt tactus turpes in pudendis, verba valde laſciva & amatoria, cogitationes obſcenæ, pudendorum confricationes, & attrectationes. Cauſſæ *per accidens* ſunt quæ natura ſua pollutionem non inferunt, ſed pariunt quoſdam effectus quibus iungi pollutio ſolet præter naturæ intentionem. Eiuſmodi cauſſæ ſunt immoderatus cibus, & potus, ſtudium rerum venerearum, audire mulierum confeſſiones, equiratio, aliæque plures actiones extra genus luxuriæ.

XXI. Cauſſarum iſtarum aliæ graves ſunt, aliæ leves, & aliæ mediæ. Graves ſunt quæ graviter pollutionem inferunt, ut ſunt cauſſæ *per ſe*; leves, quæ remote ad pollutionem concurrunt, ut tactus digiti, aut manus, vel brachii feminæ, aſpectus eiuſdem vultus, lectio curioſa &c. Cauſſæ mediæ appellantur quæ de ſe non inducunt pollutionem, ſed quamdam efficacitatem habent ex perſonæ diſpoſitione, ut ſunt aſpectus proprii, vel alieni corporis eiuſdem ſexus, aſpectus imaginis turpis &c. Verum eiuſmodi cauſſas quas medias vocant, vix ego diſtinguere ſcio a cauſſis levibus.

XXII. Gravitas, aut levitas talium cauſſarum, quæ mediæ dicuntur, non ex earumdem natura abſolute ſpectara, ſed ex reſpectu ad perſonam accipi debet. Cauſſa quæ reſpectu Sempronii levis eſt, reſpectu Titii eſt gravis; & contra.

XXIII. Ad quæſtionem ergo propoſitam reſpondemus, pollutionem volitam in ſua cauſa peccatum eſse mortale. Quapropter qui cognoſcit probabile periculum

lum pollutionis, peccat mortaliter, dum applicat cauſsam ex qua ſecuturam pollutionem prævidet, excepto neceſſitatis caſu; ut ſi, aliis medicis deficientibus, curanda mulier eſset; medicus tunc, neceſſitate ſuccurrendi feminæ periclitanti compulſus, poſset illam curare, etiamſi ſolitus eſset ex eiuſmodi cura pollutionem pati: dummodo tamen actibus virtutum munitus, & potiſſimum fiducia in divinæ gratiæ ſubſidia roboratus ad curam accederet cum firma deliberatione non conſentiendi.

XXIV. Quæſt. VIII. *Pollutio præviſa, tametſi non intenta, eſt ne peccatum letale?* Reſp. Si pollutio intendatur, ſemper eſt peccatum mortale, ex quacumque cauſsa, etiam per accidens, oriatur. Id dumtaxat in quæſtionem vertitur, ſit ne peccatum, quando prævidetur, tametſi non intendatur. Quo in caſu, ſi cauſsa applicata natura ſua pollutionem inferat, aut ſi alium effectum non inducat, niſi media pollutione, qui cauſsam pollutionis applicat, mortaliter peccat. Ratio eſt manifeſta. Quicumque ponit cauſsam quæ natura ſua parit effectum malum, nullumque alinm effectum bonum producere valet, niſi medio hoc effectu malo, dubio procul qua voluntate ponit cauſsam, eadem vult effectum ex tali cauſsa neceſsario conſequentem. Ergo applicare cauſsam pollutionis, licet hæc pollutio ordinetur ad ſanitatem, eſt peccatum mortale. Quoniam effectus bonus ſanitatis non habetur, niſi media pollutione, quæ conſequitur applicationem cauſsæ.

XXV. Obiicies. Licitum eſt ſumere medicinam, quæ directe cauſset ebrietatem, ſi id neceſsarium ſit ad ſalutem aſsequendam. Ergo licitum erit ſumere medicinam inferentem pollutionem ſanitatis recuperandæ cauſsa. Reſp. Admiſso antecedente, de quo alibi, negatur conſequentia. Potus natura ſua inſtitutus eſt ad corporis ſanitatem: ideo ſumi poteſt iſtius intuitu, etiamſi prævideatur ſecutura ebrietas. Seminis vero effuſio nullo modo ordinata eſt ad hominis ſanitatem, ſed ad ſolam generis humani propagationem media copula coniugali.

XXVI. Quæſt. IX. *Licitum ne eſt applicare cauſſam quæ natura ſua inſtituta eſt ad producendum effectum bonum, ſi pollutionem ſimul inducat?* Reſp. Adfirmat communis ſententia; dummodo gravis urgeat neceſſitas, ſoluſque bonus effectus intendatur. Hæc ſententia aperte elicitur ex doctrina D. Thomæ, qui 2. 2. *quæſt.* lxiv. *art.* 7. licitam oſtendit defenſionem propriæ vitæ, quamquam ex tali defenſione occiſio ſeqnatur aggreſſoris. Inquit enim. *Nihil probibet unius actus eſſe duos effectus; quorum alter ſolum ſit in intentione, alius vero ſit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt ſpeciem ſecundum id quod intenditur, non autem ab eo quod eſt præter intentionem, cum ſit per accidens. Ex actu ergo alicuius ſeipſum defendentis duplex effectus ſequi poteſt: unus quidem conſervatio propriæ vitæ; alius au-*

Digitized by Google

autem occiſio invadentis. Actus ergo huiuſmodi ex hoc quod intenditur conſervatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti; cum hoc ſit cuilibet naturale quod ſe conſervet in eſſe quantum poteſt . . . Sed quia occidere hominem non licet, niſi publica auctoritate propter bonum commune, illicitum eſt quod homo intendat occidere hominem ut ſeipſum defendat. Quemadmodum igitur licita eſt propriæ vitæ defenſio urgente neceſſitate, quamvis præter intentionem mors ſequatur aggreſſoris; ita quoque licitum erit uti aliqua cauſſa, neceſſitate gravi premente, quæ ſanitatem ſimul, & pollutionem pariat; dummodo ſola ſanitas intendatur. Sic poteſt mater ſumere medicinam quæ ſanitatem ſibi pariat, & fetum expellat; ſi ſolam ſanitatem intendat, nullo autem modo fetus expulſionem. In bello iuſto licet explodere tormentum bellicum, etſi prævideatur, innocentes æque ac reos fore occidendos. Ratio horum omnium eſt: quia qui utitur cauſſa indifferente ad bonum & malum inducendum, cum ſola intentione aſſequendi effectum bonum, nec directe, nec indirecte vult effectum malum. Non directe: quia tunc pollutionem quis directe vult, quando vel expreſſe eam intendit, vel cauſſam applicat, tamquam medium expreſſe ordinatum ad pollutionem inducendam. In caſu noſtro, neutro modo pollutio intenditur. Ergo nulla adeſt eiuſdem directa, & expreſſa voluntas. Neque adeſt voluntas indirecta: quia tunc quis indirecte vult aliquem effectum, quando tenetur, & poteſt vitare effectum, & non vult vitare. At in caſu poſito voluntas, neceſſitate preſſa recuperandæ ſanitatis, non tenetur omittere cauſſam quæ natura ſua parere ſanitatem apta eſt. Neceſſitas enim recuperandæ ſalutis urget ad adhibendam medicinam: quæ, ſi ſimul effectum pravum inducat, id efficiet quod nullo modo intendebatur a voluntate.

XXVII. Qui vero ſine urgenti cauſſa applicat media quæ graviter provocant pollutionem, ut ſunt aliena pudenda tangere, lectiones obſcenæ, cogitationes laſcivæ, & diuturnæ, licet pollutionem minime intendat, peccat mortaliter. Qui enim vult antecedens, conſequens quoque velit oportet. Quicumque autem ſine neceſſitate ponit antecedens, illud deliberate vult: ergo vult etiam conſequens inde dimanans. Heinc qui vino, ex quo ebrietas ſequitur, ſe ſe replet, reapſe vult ebrietatem, tametſi eam expreſſe non intendat.

XXVIII. Quæſt. X. *Tenentur ne ſub mortali culpa Chriſtiani vitare cauſſas medias ſive leves, quæ per ſe, quamvis leviter, provocant pollutionem?* Reſp. Inter cauſſa medias computari ſolent aſpectus animalium coeuntium, imaginum leviter obſcenarum, mulierum a longe natantium. Eiuſmodi cauſſæ natura ſua leviſſime influunt in pollutionem. Quare, ſi quis ex prædictorum aſpectu nullum tentationis, aut pollutionis periculum patitur, a culpa gravi immunis eſt. Si tamen imagines eſſent valde obſcenæ, & ex ſui conditione graviter provocarent ad libidinem; diuturnus earum aſpectus raro vacaret gravi culpa ob periculum cui ſpecta-

ctator ſe ſe exponeret. Qui tamen eas aut depingunt, aut publice expoſitas tenent, letaliter certe peccant; quia cauſſas per ſe inducentes peccata, & ſcandala gravia, Chriſtianorum fragilitati obiiciunt.

XXIX. Ad propoſitam igitur quæſtionem communis ſententia reſpondet, non peccare mortaliter eum qui applicat cauſſas medias, vel leviter natura ſua ad pollutionem irritantes. Quoniam huiuſmodi cauſſæ remotæ ſunt, ac vitari vix poſſunt. Advertendum tamen id quod alias innuimus, nimirum ſpectandam eſſe in hac materia perſonarum qualitatem, inclinationem, & conſuetudinem. Nam cauſſa quæ reſpectu unius eſt levis, reſpectu alterius eſt gravis. Quapropter quiſque conſulere debet propriam conſcientiam, &, prout experitur propriam fragilitatem tentationibus ſuccumbentem, vitare tenetur cauſſas quæ, licet in ſe leves ſint, ſibi tamen ſunt graves, reſpectu habito ad propriam infirmitatem.

XXX. Probabiliſtæ non pauci doctrinam periculi plenam, & laxam defendunt. P. Patritius Sporer *tract.* 1. *proœm. cap.* v. *num.* 19. hæc ſcribit. „ Venialem vero „ ſolum culpam continent aſpectus, tactus, oſcula, amplexus *levitatis*, vel *cu-* „ *rioſitatis* tantum gratia obiter facti, aut etiam cauſſa *voluptatis ſenſibilis* captandæ, „ quando nimirum quis in aſpectu fœminæ, tactu manus, oſculo faciei directe „ quærit delectationem ſenſibilem, conſurgentem ex naturali proportione poten- „ tiæ viſivæ, vel *tactivæ* ad obiectum conveniens delectabile, abſque ulteriori vo- „ luntaria tendentia in delectationem veneream, *etſi præter intentionem ſubſequa-* „ *tur*. Quia nimirum *eiuſmodi delectatio ſenſibilis captata* per ſe ſolum continet ve- „ nialem abuſum rei per ſe non malæ, & per accidens, ac remote tantum diſ- „ ponit ad voluptatem carnalem; ideoque ſpectare debet ad parvitatem materiæ „ in hoc genere peccati, & venialem culpam non excedere. Sane difficillimum „ foret Confeſſario ſtatim damnare peccati mortalis *iuvenes*, *& procos* paſſim ali- „ quibus *tactibus*, *oſculis*, amplexibus utentes erga puellas honeſte amatas, etſi „ aliquam *voluptatem ſenſibilem* captent, dummodo abſit periculum conſenſus in „ venerea. Et longe difficilius foret talibus, ſi ſimilibus abſtinere nollent, dene- „ gare abſolutionem. Ex dictis ſequitur probabilis *reſolutio* caſuum communiter „ contingentium. I. Oſcula inter omnino ſolutos obiter facta venialia ſunt, etſi „ ſenſibilis aliqua voluptas captetur, ſecluſa delectatione, & conſenſu turpi. “

XXXI. P. Claudius La Croix *Lib. III. T. I. cap.* 111. *num.* 923. refert, doctrinam hanc doceri non ſolum a P. Sporer, ſed etiam a Vaſquez, Henriquez, Bonacina, Filliucio, Salas, Marchantio, Leſſio, Diana, Gobat; qui dicunt (ait La Croix) *pollutionem tum ſecutam eſſe tantum veniale: quia, cum ſit tantum volita in cauſſa, intantum eſt mala, inquantum cauſſa eſt mala, quæ ſola eſt voluntaria. Cauſſa autem eſt tantum venialiter mala: ergo etiam pollutio ſecuta*. Refert ſimul P. La Croix contrariam ſententiam P. Mendo, qui docet, peccare mortaliter eum qui applicat

præ-

Digitized by Google

præfatas cauſſas : & de more electionem alterutrius ſententiæ arbitrio lectoris relinquit. Quam pyrrhonicam methodum paſſim adhibet celebris hic Probabiliſta.

XXXII. Quantum periculi, & laxitatis hæc doctrina contineat, nemo non videt. Et primum circa voluptatem illam ſenſibilem *voluntarie* captatam ex oſculis infixis a proco ſuæ amatæ puellæ, qua ratione utuntur Caſuiſtæ, ut eam a delectatione venerea ſeparent? Qua ratione a propoſitione 40. damnata ab Alexandro VII. vindicant hanc ſententiam? In re adeo lubrica pro arbitrio iuniores iſti voluptatem ſenſibilem a venerea ſecernunt. Qua, quæſo, libra a Caſuiſtis hæc duo ponderantur? Vel ipſi qui has experiuntur voluptates, diſtinguere certo neſciunt a venerea ſenſibilem. Ratio quam promit P. *La Croix*, æquivoca eſt. Quoniam, licet cauſſa abſolute ſpectata, & præciſa a circumſtantiis, leviter vitioſa ſit, comparate tamen ad perſonam quæ pollutionem patitur, gravis eſt. Tam P. *Sporer*, quam *La Croix* ſuiſmet rationibus ſe ſe conficiunt. Siquidem, quando procus ex oſculo amatæ ſponſæ percipit ſenſibilem voluptatem, unaque pollutionem patitur, illa ſenſibilis voluptas venerea evadit, ſuaque natura pollutionem parit. Hæc ſeparatio ſenſibilis voluptatis a venerea delectatione, quam comminiſcuntur Auctores iſti, in praxi commentitia eſt, ac purum putumque luxuriæ operimentum, & larva. Quod addit P. *Sporer*, difficile Confeſſariis fore peccati gravis damnare iuvenes oſculantes ſuas amaſiunculas, difficilius iiſdem abſolutionem ſuſpendere, ſi abſtinere nolint ab eiuſmodi oſculis, & tactibus, eſt illud conſuetum, & pernicioſum principium quod paſſim Probabiliſtæ non pauci uſurpant. Ob difficultatem nempe abſtinendi a peccatis negant peccata eſſe peccata. Heinc oriuntur innumeræ inter iuvenes procos, & amaſias obſcenæ contrectationes, pollutiones, & infinita propemodum libidinoſa flagitia. Hæc primordia ponunt ſub fuco, & lenocinio caſti oſculi, honeſti tactus, ut ſolam deguſtent ſenſibilem voluptatem. Hæc cum gravis culpæ damnari non audiunt amatorculi, & amaſiunculæ a ſuis Confeſſariis; ſenſibilius ſe ſe oſculantur, & complectuntur: atque adeo, ſub fuco ſenſibilis voluptatis, veneri, pollutionibus, & obſcenis delectationibus laxant habenas. Hæc omnia ſibi præter intentionem evenire teſtantur; ſeque tantum velle teneram illam, ſuavem, ſenſibilemque voluptatem quam ex caſtis oſculis, & honeſtis amplexibus percipiunt. Quare doctrina hæc omnino reiicienda eſt, ut falſa, laxa, & in praxi obſcenitatum, ac flagitiorum ſcaturigo. Unde eiuſmodi iuvenes, & iuvenculæ aut abſtineant ab his oſculis, tactibus, & amplexibus, aut a ſacramentis arceantur.

XXXIII. Quæſt. II. *Peccat ne mortaliter qui non evitat cauſſas per accidens parientes pollutionem?* Reſp. Cauſſæ *per accidens* aliæ ſunt licitæ, ut equitatio, confeſſionum auditio, lectio librorum ob finem comparandæ ſcientiæ, & id genus ſi-

miles. Aliæ ſunt illicitæ, & mortaliter noxiæ, ut ebrietas, comeſtura graviter intemperans, aliæque. Quando adeſt iuſta ratio applicandi cauſſas licitas per accidens inducentes pollutionem, nullam culpam perpetrat qui eas applicat, dummodo abſit periculum conſenſus. Quiſque enim ius habet ſtudendi medicinæ, equitandi, & cetera honeſta peragendi. Ergo, etiamſi heinc ſequatur pollutio præter intentionem, & abſque conſenſus periculo, nulla culpa eſt. Si vero periculum conſenſus eſſet in pollutionem, tum peccaret mortaliter qui tales actiones exerceret. Quid, ſi nulla foret neceſſitas, aut utilitas præfatas cauſſas adhibendi, ex quibus prævidetur ſecutura pollutio, abſque periculo conſenſus in eamdem? Tum ſub veniali tantum illas vitandas eſſe, docent Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* VII. *punct.* 3. *ſ.* 2. *num.* 51. Sanchez, & alii communiter. In his tamen ſupponitur bona fides; videlicet ſi quis tali poſitura in lecto iaceat, cubet, equitet &c. ut nullo modo intendat pollutionem; ſed hæc aut commoditatis, & utilitatis cauſſa peragat (quo in caſu nulla eſt culpa) aut quia iure ſuo uti velit, licet deſit iuſta cauſſa. Verum advertas oportet, difficillimum eſſe bona procedere fide eum qui, nulla omnino occurrente iuſta ratione aut commoditatis, aut neceſſitatis, ſimiles cauſſas adhibet, pollutionem prævidens ſecuturam. Quare ſerius examinandi iſti ſunt. Vix enim credibile eſt eos non appetere pollutionem, quam prævident ſecuturam ex equitatione, poſitura cubandi, calidorum comeſtura; ſi nullus omnino occurrat titulus aut neceſſitatis, aut utilitatis. Tali corporis poſitura quis cubat in lecto, quia id ſibi commodius eſt, meliuſque iacet, & facilius ſomnum capit: hunc culpæ non damnarem. Deſunt hæc omnia; & nihiloſecius vult hoc modo iacere, tametſi prævideat futuram pollutionem: vix ego hunc a gravi culpa liberarem, ob vehementiſſimam ſuſpicionem quod reapſe pollutionem appetat; quamquam mentiatur iniquitas ſibi, dum aſſerit ſe pollutionem non appetere.

XXXIV. Si cauſſa per accidens mortalis ſit, ex qua prævideatur futura pollutio, non eſſe obligationem illam ſub mortali vitandi [quantum ad luxuriam attinet] docent Probabiliſtæ plures. P.Viva in propoſ. 40. *Alexand. VII. num.* 16. ubi ſequentia ſcribit. *Diſtinguendæ tamen ſunt actiones malæ, leviter influxivæ ad commotionem ſpirituum, & pollutionem, ab actionibus graviter influxivis. Nam ſi leviter ſunt influxivæ, ut nonnulli aſpectus mulierum, nonnulli tactus, nonnullæ comœdiæ, & lectiones librorum obſcenorum, nonnulla verba amatoria, v. g. dicendo*, Cor meum, anima mea, *ob ſolam vanitatem, & ad conciliandum vanum amorem, communius docent cum Vaſquez, Salas, Leſſ. Bonac. apud Dianam, & Tamburinum, quod non excedant culpam venialem, QUAMVIS IN EIS PRAEVIDEATUR ETIAM POLLUTIO SECUTURA; dummodo abſit periculum conſenſus, aut grave ſcandalum . . . Immo communius etiam docent cum Diana, quod non ſolum actiones leviter influxivæ in pollutionem, atque adeo in genere luxuriæ leves, careant culpa mortali, ſi prævidea-*

Digitized by Google

deatur pollutio, & non intendatur, nec ſubſit periculum conſenſus; ſed etiam actiones mortaliter malæ, ſed non in genere luxuriæ, ut ſunt crapulæ, nimius potus, non contrahunt malitiam gravem ſpectantem ad luxuriam, ſi prævideatur ex eis pollutio ſecutura citra periculum conſenſus. P. Viva fere ſemper in rebus controverſis ſe legiſſe fatetur Theologos apud Dianam, apud Tamburinum. Laudanda confeſſio eſt. At ſimul conſiderandum, quanta adhibenda fides ſit eiuſmodi citationibus, & quanti facienda ſit auctoritas Tamburini, & Dianæ.

XXXV. Paucioribus verbis hanc eamdem doctrinam tradit P. Antonius Eſcobarius in *Sum. tract.* 1. *exam.* 8. *cap.* 111. *num.* 80. his verbis. *Scio ex verbis amatoriis ſecuturam pollutionem, vel ex curioſo feminæ aſpectu, vel ex nimia comeſtione, aut ebrietate. Num ſit mortale? Docet Vaſquez non eſſe, etſi præviſa*. Hæc omnia, ut laxa, reiicimus. Quomodo enim verba amatoria, *Corculum meum, anima mea, lectiones librorum* &c. leviter, & non graviter venerem provocant, quoties pollutionem inducunt?

XXXVI. Nec minus laxa ſunt quæ docent de pollutione præviſa in ebrietate. Contendunt ſiquidem, non peccare contra caſtitatem eum qui non abſtinet ab ebrietate, in qua prævidet futuram pollutionem. Quoniam, inquiunt, hæc eſt cauſſa per accidens, ſeu extra genus luxuriæ. Hoc utique verum habet. At in genere moris, quando quis prævideat talem ebrietatem reapſe pollutionem parere, qui vult talem ebrietatem, velle quoque cenſetur pollutionem illam conſequentem. Quod ſit cauſſa per accidens, id tantum efficit ut pollutio non præviſa imputari non debeat: eo quod cauſſa illa natura ſua talem effectum non pariat. At, quando compertum tibi eſt, ex hac ebrietate voluntarie ſuſcepta conſequi pollutionem; hæc pollutio voluntaria eſt in cauſſa, atque adeo vitio tibi vertenda.

XXXVII. Laxiora videntur quæ docent Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* VII. *punct.* 3. *ſ.* 2. *num.* 54. ex Thoma Sanchez, & Ioanne Dicaſtillo, *id etiam eſſe verum, etſi cauſſa per accidens, v. g. nimia comeſtio, aut ebrietas, fieret mortalis in genere luxuriæ ratione finis ab operante intenti: ut ſi quis calida comedat, aut bibat in magna ſuperabundanti quantitate, ut fiat potentior ad fornicationem. Et ratio eſt, quia finis ille copulæ non cooperatur ad pollutionem. Et inſuper deſiderium copulæ, ſi non adeſt in illius cogitatione, non influit in pollutionem*. Iſti ergo Theologi primum docent, neminem teneri ſub gravi culpa evitare ebrietatem, in qua prævidet pollutionem futuram: quæ doctrina aperte opponitur D. Thomæ, qui 2. 2. *quæſt.* CLIV. *art.* 5. docet, pollutionem ortam ex nimio potu eſſe peccatum: cuius textum infra *num.* 41. *& ſeqq.* dabo. Deinde addunt, non eſſe reum pollutionis, etiamſi cauſſa per accidens, puta ebrietas, mortalis ſit in genere luxuriæ. Paucis rem habeto. Voluntarie quis ſe inebriat, ut potentior ſit ad fornicandum. Ex hac ebrietate prævidet ſecuturam pollutionem. Pollutio reapſe ſequitur. Iſtius

Digitized by Google

pollutionis reus non eſt voluntarius inebriator. Cur hoc? *Quia*, inquiunt, *finis ille copulæ non cooperatur ad pollutionem*. Sed quomodo non cooperatur, ſi reapſe ex ebrietate, & illius copulæ deſiderio pollutio ſequitur; &, quod plus eſt, prævifa fuit ſecutura? Quod addunt, ebrietatem leviter influere in pollutionem, ad ſummum id verum habet abſolute. Ceterum, cum experientia prævideatur ex tali ebrietate pollutionem conſequi, nequit dici leviter illam provocare ad pollutionem; ſed illius efficacitas facto probatur. Quare, ut manifeſte laxam, talem reiicimus opinionem.

XXXVIII. Non minus laxa ſunt quæ ſcribit Caramuel in ſua Theologia præterintentionali Tom. IV. præcept. 6. quæſt. VIII. caſu 2. num. 2974. & 2975. *Poſſunt famuli tuta conſcientia meretricis, aut pellicis menſæ miniſtrare cibos, non ſolum communes, ſed & calidos, & provocantes ad venerem condire, & lectum privatum ſternere. Conſulto, non ſolum cibos communes dixi: quia ſcio eſſe maiorem difficultatem, ſi eſſent tales qui excitarent venerem. Tunc enim iuxta aliquos Theologos deberent famuli a tali ſervitio deſiſtere, ne in venerem illicitam cooperarentur indirecte. At prudentiores credimus, etiam tales cibos poſſe ſine culpa condiri. Tales cibi poſſunt ſine culpa comedi etiam a prævidente pollutionem futuram, modo conſenſum non præbere paratus ſit. Ergo poterunt cibi condiri, & miniſtrari.* Hæc expoſuiſſe ſatis ſit. Sua enim futilitate corruunt. Doctrinam Caramuelis tradunt alii Probabiliſtæ, & ab eadem non valde recedunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 55.

XXXIX. Paucis rem concludamus. Quando cauſſa ex qua oritur pollutio prævifa, mortalis eſt, pollutio quoque letalis reputanda erit; quidquid in oppoſitum dicant Salmanticenſes *loc. cit.* cum aliis. Neque vera eſt alia regula, quam ex *P. La Croix, Sporer, Vaſquez, Diana*, & aliis ſupra indicavi, nempe pollutionem non eſſe mortalem, quando oritur ex cauſſa venialiter tantum vitioſa. Nam ſæpe cauſſa quæ natura ſua aut licita, aut leviter vitioſa eſt, gravis evadit ob pollutionem quam parit. Tactus inter coniuges liciti ſunt. Si pollutionem pariant, illiciti evadunt; & pollutio gravi culpæ vertitur.

XL. Doctrina quam recentiores plures tradunt, ut Salmanticenſes *loc. cit. num.* 60. nimirum malitiam cauſſæ proprie non augeri ex malitia effectus, frequenter falſa eſt. Verum habet, abſolute, & circumſtantiis præciſis, malitiam cauſſæ eſſe menſuram pravitatis effectus. Ceterum, ſi conſiderentur circumſtantiæ, perſonæ infirmitas, & propenſio, aliaque accidentia, ſæpe cauſſa quæ ſuapte natura venialis eſt, ob effectum mortalem quem parit, letalis evadit, ut ſupra dictum eſt. Quare expediens minime cenſeo, longius orationem trahere, ut nonnullas alias diſtinctiones, & ſubtilia inventa refellam, quibus laudati Salmanticenſes conantur evincere, pollutionem prævifam in ebrietate, aliiſve cauſſis per accidens letalibus, non eſſe gravis culpæ damnandam.

XLI.

Digitized by Google

XLI. Quæſt. XII. *Pollutio nocturna eſt ne peccatum?* Reſp. Negat communis, & vera ſententia : cuius rationem exhibet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* cliv. *art.* 5. ſic inquiens. *Omne peccatum dependet ex iudicio rationis: quia etiam primus motus ſenſualitatis non habet quod ſit peccatum, niſi inquantum iudicio rationis reprimi poteſt. Et ideo, ſublato iudicio rationis, tollitur ratio peccati. In dormiendo autem ratio non habet liberum iudicium. Nullus enim eſt dormiens, qui non intendat aliquibus ſimilitudinibus phantaſmatum, velut rebus ipſis.... Et ideo id quod agit homo dormiens, qui non habet liberum iudicium rationis, non imputatur ei ad culpam, ſicut nec illud quod agit furioſus, aut amens.* Opponit ſibi Angelicus, quod dormiens poteſt mereri, ut Salomon, qui dormiens a Domino donum ſapientiæ impetravit, ut habetur *III. Reg.* III. Præterea dormiens ratiocinatur, & argumenta reſolvit. Quibus reſpondet, negando Salomonem meruiſſe in ſomno ſapientiam; ſed dormientem obtinuiſſe quod vigilans meruit, ſeu in ſomno datum illi fuiſſe ſignum deſiderii præcedentis, ſcilicet petitionem ſapientiæ Deo placuiſſe, & a Deo exauditam fuiſſe, ut dicit Auguſtinus *Lib. XII. ſuper Geneſim cap.* xv. relatus a D. Thoma *ad* 1. Ratiocinia in ſomnis facta ſemper ſunt imperfecta; cum ſemper in ſomnis plus minuſve iudicium rationis impediatur: atque adeo tunc deeſt liberum arbitrium ſufficiens ad peccandum. Legatur ipſe D. Thomas.

XLII. Quæſt. XIII. *Pollutio nocturna eſt ne peccatum, ſi in cauſſa prævideatur?* Reſp. Triplicem pollutionis cauſſam aſſignat D. Thomas *loc. cit.* his verbis, quibus rem omnem in bono lumine collocat. *Poteſt conſiderari nocturna pollutio per comparationem ad ſuam cauſſam: quæ poteſt eſſe triplex. Una quidem corporalis. Cum enim humor ſeminalis ſuperabundat in corpore, vel cum facta eſt humoris reſolutio vel per nimiam calefactionem corporis, vel per quamcumque aliam commotionem, ſomniat dormiens ea quæ pertinent ad expulſionem huiuſmodi humoris abundantis, vel reſoluti; ſicut etiam contingit, quando natura gravatur ex aliqua alia ſuperfluitate, ita quod formantur quandoque in imaginatione phantaſmata pertinentia ad emiſſionem talium ſuperfluitatum. Si igitur ſuperabundantia talis humoris ſit ex cauſſa culpabili (puta, cum cauſata eſt ex ſuperfluitate cibi, vel potus) tunc nocturna pollutio habet rationem culpæ ex ſua cauſa... Alia vero cauſa nocturnæ pollutionis poteſt eſſe animalis, & interior; puta, cum ex cogitatione præcedenti contingit aliquem dormientem pollui. Cogitatio autem quæ in vigilia præceſſit, quandoque eſt pure ſpeculativa; puta, cum aliquis cauſa diſputationis cogitat de peccatis carnalibus: quandoque autem eſt cum aliqua affectione vel concupiſcentiæ, vel horroris. Contingit autem magis pollutio nocturna ex cogitatione carnalium vitiorum, quæ ſunt cum concupiſcentia talium delectationum, quia ex hoc remanet quoddam veſtigium, & inclinatio in anima, ita quod dormiens facilius inducitur in ſua imaginatione ad aſſentiendum actibus ex quibus ſequitur pollutio. Et ſecundum hoc Philoſ. dicit I. Ethic.*

Digitized by Google

quod inquantum pertranſeunt paullatim quidam motus a vigilantibus ad dormientes, meliora ſunt phantaſmata ſtudioſorum quam quorumlibet. Et Aug. dicit XII. ſuper Gen. ad lit. quod propter bonam animæ affectionem quædam eius merita etiam in ſomnis clarent. Et ſic patet quod nocturna pollutio habet rationem culpæ ex parte ſuæ cauſæ. Quandoque tamen contingit quod ex præcedenti cogitatione carnalium actuum, etiam ſpeculativa, vel ſi ſit cum horrore, ſequitur in ſomnis pollutio: & tunc non habet rationem culpæ nec in ſe, nec in ſua cauſa. Tertia vero cauſa eſt ſpiritualis extrinſeca; puta, cum ex operatione dæmonis commoventur phantaſmata dormientis in ordine ad talem effectum. Et hoc quidem quandoque eſt cum peccato præcedenti, ſcilicet negligentia præparandi ſe contra dæmonis illuſiones: unde & in ſero cantatur: Hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora. *Quandoque vero eſt abſque omni culpa hominis ex ſola nequitia dæmonis; ſicut in collationibus Patrum legitur de quodam, qui ſemper in diebus feſtis pollutionem nocturnam patiebatur, hoc diabolo procurante, ut impediretur a ſacra communione. Sic igitur patet quod nocturna pollutio numquam eſt peccatum, ſed quandoque eſt ſequela peccati præcedentis.*

XLIII. Prima itaque naturalis cauſſa nocturnæ pollutionis eſt redundans humor ſpermaticus, vel nimia corporis calefactio. Secunda eſt cogitatio venereorum: quæ aut ſpeculativa eſt, cum diſputationis, vel notitiæ comparandæ cauſſa quis venerea meditatur; aut carnalis, cum quis cordis affectu venerea mente revolvit. Poſtrema extima eſt, & ſpiritualis, quando nempe dæmonis arte phantaſmata commoventur dormientis ad ſemen emittendum.

XLIV. Ex hac D. Thomæ doctrina primum omnium colligere lubet quam falſa ſit, & D. Thomæ contraria, doctrina adverſariorum, qui aſſerunt, pollutionem culpa vacare, dum applicatur voluntarie cauſſa *per accidens* pollutionem inducens; ut eſt nimius cibus, aut ebrietas. Porro hic D. Thomas conceptis verbis affirmat, pollutionem nocturnam ex ebrietate, aut nimio cibo inductam, vitioſam eſſe. *Si igitur ſuperabundantia talis humoris ſit ex cauſa culpabili, puta, cum cauſata eſt ex ſuperfluitate cibi, vel potus; tunc nocturna pollutio habet rationem culpæ ex ſua cauſa.* Nimius cibus, aut ebrietas ſunt cauſſæ per accidens pollutionis; & tamen Angelicus peccatum aſſerit pollutionem hinc dimanantem. Neque reponas cum Salmanticenſibus *loc. cit. num.* 71. laudatam doctrinam intelligendam eſſe de culpa veniali. Nam, ut ex univerſo articuli contextu patet, ſermonem ibi habet S. Thomas de pollutione quæ in ſua cauſſa eſt peccatum mortale, ſi cauſſa fuerit letalis. Arguit enim abſolute ex malitia cauſſæ malitiam effectus. Quando enim in cauſſa mortali prævidetur effectus, tum illa cauſſa, licet abſolute per accidens ſit reſpectu luxuriæ, tamen, ſpectatis omnibus, reipſa luxuriam parit. Quamobrem qui eam vult, velit & effectum neceſſe eſt, ut alias dixi. Verum utique

habet

Digitized by Google

habet quod, ſi exceſſus cibi vel potus fuerit venialis, venialis ad ſummum erit culpa pollutionis, inde, tamquam ex cauſſa, ſequentis. Ad ſummum dixi: quia, cum cibus neceſſario ſumendus ſit; & in praxi difficile ſit ita adamuſſim regulas temperantiæ ſervare, ut aliqualis defectus non contingat; idcirco durum eſſet nimis, ſi ex culpa veniali huius generis inferre quis contenderet letalem eſſe pollutionem inde proficiſcentem. Abſit hoc a ſuaviſſima Chriſti doctrina. Neque hinc tamen inferas, idem prorſus dicendum de aliis omnibus cauſſis prorſus liberis, minimeque neceſſariis. Curioſus aſpectus mulieris culpa eſt venialis. Ex curioſo, & familiari aſpectu, vel etiam otioſo colloquio cum muliere experiris pollutiones. Nulla prorſus cauſſa adeſt talem ſive ſpectandi, ſive alloquendi mulierem. Quod ſi nihiloſecius eam alloqui, & videre voluntarie pergas; hoc in caſu gravi culpæ tibi pollutiones verterem: quia cauſſa illa quæ abſolute eſt levis, evadit tibi gravis *reſpective*, & comparate ad naturæ tuæ conditionem. Accedit quod, ut ſupra dictum eſt, qui eiuſmodi cauſſas nec utiles, nec neceſſarias non evitat, animi ſui propenſionem in pollutionem manifeſtat. Verum, ut ad noſtra regrediatur oratio, exceſſus cibi, aut potus venialis, numquam, niſi aliæ circumſtantiæ accedant, efficiet ut pollutio fiat mortalis in cauſſa. Cum enim vix homo deprehendere hunc cibi, aut potus exceſſum venialem queat; prævidere quoque nequit num ex illo pollutio futura ſit. Et, ut paucis rem comprehendam, & ſcrupuli omnes, ac perplexitates abigantur, ſtatus perſonæ bene moratæ, aut depravatæ regula erit ſecurior, unde eruere valeas quando nec ne pollutio dicenda letalis ſit.

XLV. Convenit penes omnes, peccare mortaliter eum qui aliquam ex recenſitis cauſſis applicat eo animo ut inde pollutio ſequatur. Qui enim deliberato animo vult cauſſam peccati, vult & ipſum peccatum; quando reapſe vult illam cauſſam, quatenus cauſſam peccati. De eo autem qui applicat cauſſam, ex qua prævidet pollutionem ſecuturam, & licet non eo animo cauſſam ponat, ut pollutio ſequatur, tamen cauſſa mortalis eſt, ſatis dixi ſupra.

XLVI. Pollutio quandoque oritur ex ſecunda cauſſa, nempe ex cogitatione. Si hæc fuerit ſpeculativa, cauſſa diſputandi, legendi, addiſcendi, verbo, ex iuſta cauſſa; pollutio conſequens omni culpa vacat. Similiter, dum animus tentationibus pulſatur, eas tamen repellit; & deinde recogitat pericula, circumſtantias, aliaque accidentia, vi quorum labi in luxuriam facillime poterat ob inſidias feminæ procacis, omnia tamen cum diſplicentia; dum ſe commoveri experitur, reiicit, & deteſtatur: ſi heinc pollutio ſequatur, culpa caret. Mens tamen, quoad fieri poteſt, etiam ab eiuſmodi periculorum conſiderationibus abſtrahenda eſt. Quando vero ex lectione, diſputatione, cogitatione, iuncta voluntariæ delectationi carnali pollutio oritur; tunc peccatum eſt, ut omnes cum S. Thoma, ceteriſque Patribus docent.

XLVII. Pollutio dæmonis arte contingens, cum videlicet dæmon nequitia ſua phantaſmata dormientis commovet, concubitus depingit, humores alterat &c. per ſe innoxia eſt. Si quis vero frequenter has patiatur illuſiones, & negligens ſit in remediorum applicatione, nempe in divino implorando ſubſidio, in æternorum ſuppliciorum meditatione, Angelique Cuſtodis ope poſcenda; iuxta negligentiæ menſuram erit pollutionis reus. Devoto, atque demiſſo animo repetenda frequenter eſt oratio illa ab Eccleſia in hunc inſtituta finem, ut inquit Angelicus: *Procul recedant ſomnia, & noctium phantaſmata: hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora.*

XLVIII. Quæſt. XIV. *Peccat ne qui pollutionem in ſomno inceptam, & in vigilia perdurantem non abrumpit?* Reſp. De pollutione conſummata in ſomno nulla eſt difficultas. Quando autem pollutio, ſeu fluxus ſeminis in ſomno incipit, & experrecto dormiente proſequitur, dubitandi locus occurrit, evadat ne peccatum, niſi talem pollutionem homo abrumpat, impediatque. Negat communis, & vera ſententia. Ratio eſt evidens. Tota malitia pollutionis eſt in illius illicita procuratione. Quando igitur cauſſa eam inducens omnino eſt innocens, innoxia quoque pollutio ſit oportet. Fluxus ſpermatis ſuapte natura omni culpa caret, ſi principium illius innoxium fuerit, ut copula maritalis, aut alia phyſica cauſſa, ut commotio ſenſuum, & phantaſmatum in ſomno. Nullo ergo modo peccat qui pollutionem in ſomno inceptam non interrumpit in vigilia, ſed illius curſum naturalem permittit; dummodo omnis abſit complacentia. Hanc doctrinam tradit Angelicus Doctor in IV. Sent. diſt. 1x. quæſt. 1. art. 4. ad 5. *Dicendum, quod corporales motus non pertinent ad meritum, vel demeritum, niſi ſecundum quod a voluntate, quaſi a principio, cauſantur. Et ideo nocturna pollutio magis iudicatur quantum ad rationem meriti, vel demeriti, ſecundum principium, quod eſt in dormiendo, quam ſecundum terminum, qui eſt in vigilando: quia ex quo in dormiendo excitatus eſt motus carnis, non ſubiacet voluntati vigilantis ulterius motus ille; nec reputatur evigilaſſe, quouſque perfectum uſum liberi arbitrii recuperavit. Poteſt tamen contingere quod in ipſa evigilatione peccatum oriatur, ſi quidem pollutio propter delectationem placeat: quod quidem erit veniale peccatum, ſi ſit ex ſurreptione talis placentia; mortale autem, ſi ſit cum deliberante conſenſu, & præcipue cum appetitu futuri. Iſta autem placentia non facit præteritam pollutionem peccatum, quia ipſius cauſa non eſt, ſed ipſa in ſe peccatum eſt. Si autem placeat, ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.*

XLIX. Ex hac D. Thomæ doctrina colligitur, non peccare, ut diximus, eum qui a ſomno excitatus fluxum pollutionis in ſomno inchoatæ non interrumpit; ſed permittit illius curſum, deteſtans omnem delectationem carnalem. Accedit quod violenta illa cohibitio, quæ naturæ impetum interrumperet, corporis ſanitati noxia foret.

Digitized by Google

ſoret. Semen quippe illud vi retentum illico corrumpitur, & inſtar veneni noxium a medicis reputatur. Quando vero commotio carnis, & genitalium in ſomno incipit, & emiſſio ſeminis in vigilia accidit, ſi vigilia fuerit ſemiplena, & adſuerit delectatio carnalis, erit veniale peccatum. Quando enim non eſt plene expergeſactus homo, non habet iudicium omnino deliberatum; & ideo non poteſt letaliter peccare. Si vero homo ſit omnino experrectus, & perfecte vigilans, atque tunc incipiat fluxus ſpermatis, vi commotionis carnis concitatæ in ſomno; nec tum ſub mortali teneri hominem vim inferre naturæ, & illius curſum ex naturali ac innocuo principio proficiſcentem interrumpere, docent Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* VII. *punct.* 2. *num.* 31. *& punct.* 3. *num.* 74. & pro hac ſententia laudant Navarrum, Sa, Graffium, Azorium, Cordubam, Trullenchum, Fagundez: quoniam principium iſtius pollutionis innoxium eſt, & cuiuſque culpæ vacuum: eſt quippe ſpirituum animalium alteratio, & concupiſcentiæ carnalis ardor in ſomnis accenſus. Hæc omnia abſque culpa contingunt. Ergo effectus iſtius commotionis, nempe effuſio ſeminis, culpa carebit; ſi homo vigilans negative ſe habeat, Deum attente oret, a voluntaria delectatione animum ſuum præſervet, actuſque oppoſitos eliciat, atque in Deum mentem erigat. Improbare non audeo hanc ſententiam, maxime quod doctrinæ D. Thomæ ſupra relatæ conformis non obſcure appareat. Periculi tamen in praxi plena eſt. Nam, ſi effuſio ſeminis ante vigiliam non fuerit incepta, impediri facile poteſt. Si autem ſemen e lumbis deciſum fuerit, & curſum ſuum intra vaſa interna iam inchoaverit, licet foras adhuc non eruperit; emiſſio ſeminis pro incepta habenda eſt: & ſic videtur licita permiſſio continuationis. Quare, ſi emiſſio ſeminis inchoata non fuiſſet, cohibendam ſuaderem; ſi autem fuiſſet incepta, non damnarem permiſſionem continuationis. Quod obſtare videtur interruptioni iſtius pollutionis eſt ſanitatis detrimentum, quod ſemen deciſum, & vi retentum, ſua corruptione inferre teſtantur medici. Sed medicorum iudicium experientia plurium qui abſque ſanitatis detrimento vim ſibi fecerunt, & pollutionem cohibuerunt, non tantæ auctoritatis eſſe evincit, ut decretorium ſit in cauſſa iſta. Verum quia non omnes ſunt eiuſdem roboris, & fortitudinis, idcirco regula generalis præſcribi non poteſt. Sanitas corporis magni momenti res eſt. Quæ huic obſtare videntur, hominibus imponenda ſub culpa gravi non ſunt, niſi evidens ratio id ſuadeat. Quare ſumma cautione opus eſt in hac lubrica, & viſcoſa materia. Conſcientiæ puritas, morumque integritas illorum qui talia patiuntur, regula erit interpretandi dubia in meliorem partem.

L. Quæſt. XV. *Licitum ne eſt deſiderare in vigilia ut in ſomno pollutio accidat abſque culpa ob finem honeſtum, nempe ſanitatis, & concupiſcentiæ extinguendæ?* Reſp. Adfirmant plures recentiores. Salmanticenſes *tract.* XX. *cap.* XIII. *punct.* 5. *num.* 52. *& tract.* XXVI. *cap.* VII. *punct.* 3. & penes eoſdem *Navarrus, Sa, Vaſquez,*

quez, *Sayrus*, *Sylveſter*, *Leſſius*, *Salas*, *Tabiena*, *Villalobos*, *Bonacina*, *Thomas Sanchez*, *Caietanus*, *Filliucius*, *Salmanticenſes Scholaſtici*, *Caſtropalaus*, *Monteſinos*. Ratio, quam produnt, hæc eſt. Pollutio in ſomno contingens, a cauſſa mere naturali, & innocua proficiſcitur; atque adeo non eſt intrinſecus mala. Ergo deſiderari valet. Probatur antecedens. Pollutio ſic contingens omni libertate deſtituta eſt. Ergo omni malitia caret. Quod autem malitiæ expers eſt, deſiderari iure poteſt. Ideo enim fornicatio, & homicidium ſunt intrinſecus mala, quia deliberate hæc fiunt: ſi enim abſque omni libertate quis hominem nolens, aut ignorans occideret, non peccaret. Cum ergo pollutio in ſomnis reipſa abſque deliberatione accidat, immunis eſt ab omni culpa, ut fatentur omnes. Ergo deſiderari poteſt, tamquam res indifferens, maxime ob finem honeſtum ſanitatis conſervandæ.

LI. Addunt citati Auctores, & potiſſimum Salmanticenſes Scholaſtici *Tom. IV. tract.* XIII. *dub.* 3. *num.* 39. licitum eſſe deſiderium inefficax etiam pollutionis, quæ in vigilia contingat ex mera cauſſa naturali. Immo, quod plus eſt, contendunt licitum eſſe de eadem pollutione ut præſenti delectari, & in eamdem conſentire, dummodo conſenſus ſit inefficax, nihilque conferat in executionem. Animadvertunt tamen, quod quamvis hæc doctrina ſpeculative vera ſit, practice nihilominus periculi plena eſt. Verum, non practice tantum, ſed abſolute hæc doctrina laxa videtur. Diſtinctio hæc practicæ & ſpeculativæ delectationis in genere morum, quando circumſtantia aliqua in praxi non occurrat, uti non occurrit in præſenti caſu, futilis eſt, & commentitia. Delectatio de pollutione præſenti reapſe inſeparabilis eſt ab influxu in executionem; atque adeo delectatio non eſt omnino inefficax, ſed aliquo modo efficax. Et de hac loqui videntur Salmanticenſes Scholaſtici, ut fatentur & ipſi Salmanticenſes Morales *tract.* XX. *cap.* XIII. *punct.* 5. *num.* 54. Præfatam itaque doctrinam, tamquam falſam, & laxam, reiicimus. Nec vacat ſigillatim expendere quæ in talis ſententiæ confirmationem promunt. Seipſis enim corruunt. Quoniam, ut communi fertur proverbio, moralia moraliter tractanda ſunt: atque adeo, ſi quæ in praxi vix, ac ne vix quidem abſque culpa contingant, abſolute illicita pronuntianda ſunt; potiſſimum niſi graviſſima urgeat neceſſitas aliter ſentiendi. Nulla autem adeſt neceſſitas, vel adeſſe poteſt quæ aliter ſentire cogat. Ideo abſolute & ſpeculative, & practice reiicienda eſt ut noxia doctrina.

LII. Convenit penes omnes, illicitam eſſe delectationem de pollutione nocturna etiam præterita, quæ ortum duxerit ex tactu proprio, vel alieno, aut ex turpi cogitatione, etiam in ſomno habita: quia tunc pollutio non fuit mera naturæ evacuatio, ſed venereæ cauſſæ fructus, atque adeo obiective mala.

LIII. Paucis rem concludo. Gaudere de naturæ levamine ſecuto ex pollutione

Digitized by Google

ne naturali in ſomno habita nullum eſt peccatum. Gaudium enim eſt de effectu bono. Idque docere videtur D. Thomas loc. cit. *Si autem placeat ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.* Nota cautam Angelici Doctoris phraſim. Non dicit, ſi placeat pollutio abſolute; ſed ſi placeat, ut, ideſt reduplicative, tamquam exoneratio naturæ, tum peccatum non creditur. Non ait, peccatum abſolute non eſt; ſed non creditur. De deſiderio futuræ pollutionis nec verbum habet.

LIV. S. Antoninus *II. Part. tit.* VI. *cap.* V. inquit: *Appetere habere pollutionem propter alleviationem naturæ tantum ſine peccato, ideſt ſine hoc quod det operam, ſed via naturali, non eſt peccatum.* Hæc S. Archipræſulis ſententia communis eſt, ut vidimus, penes recentiores Theologos.

LV. Adverſæ ſententiæ Theologi argumenta opponunt valde gravia. Et in primis arguunt a paritate duarum propoſitionum quæ damnatæ ab Eccleſia ſunt. Altera eſt 13. inter proſcriptas ab Innocentio XI. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alterius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Altera eſt 15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate conſecutas.* Hæc ſecunda non tantum ingerit difficultatis: quia ſermo eſt de parricidio, quod abſolute, & natura ſua malum eſt. Licet enim in ebrietate perpetratum non imputetur ad culpam; non propterea deſinit eſſe malum, ut dicitur, materiale. At prior ſententia ita connexa videtur cum opinione qua de agimus, ut nullum aſſignari diſcrimen poſse videatur. Nam, ſi licitum non eſt deſiderio inefficaci appetere mortem naturalem hominis ob emolumentum temporale; quomodo licitum erit appetere pollutionem naturali via contingentem, ob ſanitatem corporis? Reſpondent Salmanticenſes *tract.* XX. *cap.* XIII. *punct.* 5. *num.* 53. ideo illicitum eſse deſiderium fornicationis, & homicidii: quia tam fornicatio, quam homicidium ſunt intrinſecus obiecta mala, poſtulantque fieri libere ab homine, eiuſque voluntati ſubiici. Sed pollutio a natura proveniens non eſt actus hominis; ſed pura naturæ evacuatio, ut urina, ſudor &c. Hanc reſponſionem tradit etiam P. Sporer *tract.* 1. *cap.* VI. *sect.* 4. §. 4. *num.* 34.

LVI. Verum reſponſio iſta conſiſtere non videtur. Nam propoſitio 13. damnata de deſiderio, non homicidii, ſed *mortis naturalis* aperte loquitur. Mors naturalis non ſolum a natura permiſsa eſt, ſed naturam ipſam conſequitur. Hæc mors, ex morbo ſeu infirmitate naturali proficiſcens, non eſt actus moralis, ſed effectus phyſicus. Non petit induci ab homine libero; ſed oritur a cauſsa phyſica, & naturali. Porro deſiderium inefficax iſtius mortis naturalis, ob emolumen-

mentum temporale, illicitum eſt ex Eccleſiæ teſtimonio. Ergo eadem ratione illicitum eſt deſiderium inefficax pollutionis. Reponunt alii, mortem eſse omnium malorum maximum in genere phyſico; ideoque cum caritate pugnare, quod illam alicui homo appetat propter quamcumque hereditatem temporalem, quæ numquam bono vitæ, ſeu malo mortis æquivalet. Pollutio vero naturalis, cum ſit pura naturæ evacuatio, nullum malum eſt, ne phyſicum quidem: immo eſt quid ſuperfluum, quod, ut ſibi noxium, natura reiicit. Idcirco licet illam inefficaci deſiderio appetere. Hoc reſponſum quale quale diſcrimen aſſignare videtur; non tamen plene ſatisfacit. Quocirca utraque reſponſio impugnatur ab aliis Theologis. Emiſſio ſeminis extra copulam coniugalem iure naturæ vetita eſt, ut ex ſequenti damnata propoſitione patet: *Mollities iure naturæ probibita non eſt: unde, ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali*. Pollutio ergo intrinſecus mala eſt, quemadmodum fornicatio, vel homicidium. Ergo, ſicut illicitus eſt vel fornicationis, vel homicidii appetitus, etiam inefficax; ita vitioſum eſt inefficax pollutionis deſiderium. Addunt præfati Theologi, ideo pollutionem malam eſse, quia ſemen a natura generationi deſtinatum, extra vas effundit. Hoc autem intrinſecus malum eſt, quia directe pervertit naturæ ordinem. Quod huius ordinis perverſio in ſomno eveniat, non tollit quin in ſe mala ſit materialiter; ſed id dumtaxat efficit, ne culpæ formali homini dormienti imputetur propter defectum libertatis. Fluxus ergo ſpermatis generationi inſervientis extra vas debitum, & copulam coniugalem, ſuapte natura malus eſt, ſive in vigilia, ſive in ſomno accidat. Hoc ſolum diſcrimen eſt, quod, dum in ſomno contingit, culpæ non imputatur ob libertatis defectum. Ceterum non ideo pollutio quæ in vigilia accidit, mala eſt, quia voluntatis conſenſus accedit; ſed contra, ideo conſenſus voluntatis in pollutionem malus, & vitioſus eſt, quia pollutio intrinſecus mala eſt, & naturæ ordini adverſa. Et hoc verum habet in omnibus quæ naturæ iure vetita ſunt: de quibus dicitur, ea non eſse mala, quia prohibita; ſed ideo prohibita eſse, quia mala. Similiter non ideo pollutio mala eſt, quia deliberate appetitur; ſed contra, ideo deliberatus appetitus pollutionis malus eſt, quia pollutio eſt natura ſua, & intrinſece mala. Cur pollutio in ſomno accidens culpæ non adſcribitur? Quia deficit deliberata voluntas. Ergo, accedente voluntate deliberata, peccato imputatur. Ergo, dum quis illam deliberate appetit, licet inefficaciter, mortaliter peccat. Hanc ſententiam defendunt Sotus *in IV. diſt.* XII. *quæſt.* I. *art.* 7. Ledeſma *I. Par. cap.* IV. *quæſt.* XXI. *art.* 7. *dub.* 6. Valentia 2. 2. *diſput.* IX. Bartholomæus Medina I. 2. *quæſt.* LXXIV. *art.* 6. Lopez *I. Part. Inſtruct. cap.* LXXIV. Azorius *Tom. I. Lib. IV. cap.* VI. *quæſt.* IX. Petrus Tapia *Tom. I. Lib. III. quæſt.* VII. *art.* 8. *num.* 3. ubi laudat pro hac eadem ſententia Hadrianum, Lorcam, Scotum, & Cordubam.

Eam-

Eamdem defendit Petrus Ballarinus in eruditis ſuis enarrationibus ad S. Antonini *II. Part. tit.* VI. *cap.* V.

LVII. Poſtquam hæc ſcripſeram, vidi opus theologicum P. Caroli Billuart, qui *Tom. V. diſſert.* VI. *art.* 13. priorem adfirmantem opinionem fuſo calamo defendit, eamque perſpicue doceri a S. Thoma in auctoritate a nobis ſupra transcripta contendit. Verum non ita luculenta ſunt illa verba, ut interpretationem non excipiant. Fateor tamen huic opinioni aliquo modo S. Thomam favere. Quare ego ipſe *Tom. I. diſſert.* V. *pag.* 469. obiter, occaſione reſpondendi alicui obiectioni, licitum admiſi gaudium de phyſico fluxu ſeminis a mera cauſſa naturali, quacumque vitioſa circumſtantia ſublata, proficiſcente. Quæ tamen ibi dicta ſunt, iuxta ea quæ mox ſubiiciam, intelligenda volo.

LVIII. Poſt relata igitur utriuſque partis rationum momenta, pauca ipſe adiiciam, quæ mihi probabiliora videntur. Emiſſio ſeminis in genere phyſico conſiderata non videtur ſecundum ſe mala. Nam ſi ſecundum ſe metaphyſico in ſenſu mala eſſet, neque per copulam coniugalem licita fieri poſſet; quod eſt abſurdum. Quare non video cur illa phyſica emiſſio ſeminis, quatenus eſt mera exoneratio naturæ, omni vitioſa cauſa ſeiuncta, ut eſt emiſſio urinæ, ſudoris, ſalivæ, dicenda ſit peccatum materiale, de quo ſane numquam gaudere licet. Quid? Superfluit naturæ ſemen: & via nulla patebit, per quam illud emittere natura valeat, niſi per matrimonium? Omnes ergo ad matrimonium adſtringentur, ut hæc peccata materialia declinent. Unde, quæſo, fluxus iſte phyſicus dici peccatum materiale debet? Nullo enim modo neque libere, neque neceſſario voluntatis effectus eſt, ſed omnem voluntatem præcedit. Ipſa phyſica corporis complexio, & temperamentum, ſemen illud abſque ulla vitioſa commotione, ut ſupponimus nunc, reiicit, ſicut reiicit urinam, ſudorem, ſputumque. Cur ergo peccatum materiale vocandum? Illud dicitur peccatum materiale quod reipſa a voluntate producitur, ſed cum inadvertentia omnino invincibili, vi cuius eidem non adſcribitur. Præfata phyſica ſeminis emiſſio a ſola natura corporea proficiſcitur. Nullo ergo modo peccatum materiale erit. Hæc circa deciſionem ſpermatis in ſuo phyſico conceptu ſpectatam, & a quacumque vitioſa circumſtantia præciſam.

LIX. Quod attinet ad *propoſit.* 14. Innocentii XI. dico conſiderandam præcipue eſſe primam eiuſdem propoſitionis partem, quæ eſt eiuſmodi. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem* &c. Quis primo aſpectu non ſentit iſtius propoſitionis horrorem? *Triſtari* de vita proximi repugnat ipſi naturæ inclinationi erga vitam, & ſocietatem ſervandam? Propoſitio copulativa eſt, non disiunctiva. Coniunctim itaque accipienda ſunt

ſunt propoſitionis membra, nempe: *triſtari de vita alicuius*, & *gaudere de illius morte*, & *illam inefficaci affectu petere*, & *deſiderare*. Hæc omnia ſimul coniuncta natura ſua malitiam produnt. Si a duobus membris ſepares ſimplex gaudium, illudque præciſum a quocumque pravo occulto affectu conſideres: gaudium, inquam, de morte naturali iuxta cauſſas naturales, & divinæ providentiæ ordinem iam ſecuta, non video cur gaudium iſtud abſolute ſpectatum criminoſum ſit. An mors naturalis obiectum de ſe malum eſt? At gaudium & præcedente triſtitia de vita hominis, & comitante deſiderio inefficaci mortis eiuſdem vitæ circumſeptum, vitioſum eſſe quis iverit inficias? Hæc ſecundum metaphyſici ratiocinii leges dicta ſint. Verum quia humanæ actiones, non iuxta metaphyſicas præciſiones, ſed reipſa, & ſuis circumſtantiis affectæ producuntur, idcirco neque coniunctim, neque ſeparatim admitto licitum eſſe gaudium de morte alicuius: tum quod vita hominis bonum eſt ſummopere prævalens hereditati obtinendæ: qui gaudet de hac vitæ extinctione propter hereditatis conſecutionem, ordinem naturæ pervertit, & minus bonum bono longe maiori præfert: tum quod in tali gaudio alicuius pravi, nobiſque occulti affectus periculum includitur, & qui huic periculo deliberate ſe exponit, peccat. Diximus ſæpe opinionum moralium laxitatem inde frequenter proficiſci, quod non pauci recentiores humana officia ad metaphyſicas abſtractiones revocant, & quod licitum in metaphyſica ſpeculatione vident, licitum in praxi adfirmant. Quam opinandi methodum in controverſiis moralibus dirimendis pernicioſam aſſerimus. Multa ſunt tum in metaphyſica conſideratione, tum in executione criminoſa. Aliqua ſunt in metaphyſica præciſione adiaphora, quæ in praxi ob aliquam circumſtantiam, vel expreſſam, vel occultam, vitioſa fiunt.

LX. His conſtitutis, qūamvis deciſio ſpermatis abſolute & genere ſuo, prout a cauſſa mere naturali dimanat, dici valeat indifferens, & non mala; tamen in praxi illam inefficaci appetitu deſiderare, aut de ea iam ſecuta gaudere, illicitum eſſe mihi probabilius videtur. Et primum quiſnam ſecurus eſſe poteſt ne in hoc deſiderio tametſi inefficaci ſenſim aliquis pravæ, & occultiſſimæ voluptatis affectus ſubrepat? Qui ſecurum in tam lubrica, & viſcoſa materia ab omni inordinata appetitione ſe iactaret, quam eſſet prudens, ceteri videant. Rurſus quis aſſerere poteſt, nocturnam hanc pollutionem a ſola, & mera phyſica cauſſa oriri? Plura occulta crimina perpetramus & in exactæ ſobrietatis violatione, & in nimia corporis nutritione, & in liniendis demulcendiſque carnis noſtræ deſideriis, & in negligenti ſenſuum noſtrorum cuſtodia, & in curioſa cogitationum mentis noſtræ evagatione. Quis te tutum efficere poteſt, ne ex aliqua occultiſſima vitioſa cauſſa a te poſita, pollutio aut orta, aut oritura ſit? Nullo ergo modo tibi permitto vel gaudere de eventu tot occultiſſimis inſidiis obnoxio, vel deſide-

rar

rare eumdem affectu, quamtumvis inefficaci. Faceſſant ſimilia gaudia, taliaque deſideria a caſtitate chriſtiana. Fatentur vel ipſi adverſæ ſententiæ patroni, deſideria hæc periculorum plena eſſe. Non eſt ergo cur licitum aſſeramus ſive deſiderium, ſive gaudium de re quam periculorum plenam ultro teſtantur omnes. Aliunde remedia ſanitatis noſtræ repetenda ſunt quam ab hac lubrica naturæ exoneratione. Mens noſtra facillime acie cogitationis ſuæ ab omni turpitudine præſcindit ſimiles delectationes, unumque reſpectum ab altero ſeiungit; ſed voluntas amat, gaudet, lætatur de re ipſa, & in ea obiecta quæ concupiſcentiam fovent, accenduntque, vehementi impetu abripitur, & præciſionis intellectualis confinia tranſilit.

LXI. Ad auctoritatem S. Thomæ denuo repono non eſſe adeo luculentam, ut legitimam interpretationem reiiciat. His paucis verbis, quæ faceſſere negotium poſſent, tota clauditur eius auctoritas. *Si autem placeat ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur*. Ait Angelicus: Si placeat pollutio, *ut*, ideſt ſub hac ratione exonerandi naturam, non creditur eſſe peccatum. Ratio autem reduplicativa, ut Scholaſtici docent, ea eſt quæ primum obiecto dat ſpeciem, & in quam actio primo tendit. Contra opponit P. Billuart. Si S. Thomas intellexiſset, non de pollutione ipſa, ſed de eius bono effectu, *non dixiſſet quaſi ſub formidine*, Non creditur peccatum. *Certo enim certius eſt apud omnes, licitum eſſe gaudere de ſanitate obtenta per pollutionem*. Te ergo fatente, cum formidine loquitur S. Thomas? Ergo iuxta illius principia alibi explicata, in re adeo periculoſa declinanda formido eſt, & adhærendum doctrinæ certæ. Quod ſubdit P. Billuart, concedimus omnes abſolute. Ceterum in praxi vel ipſum gaudium de ſanitate conſequente pollutionem, periculo non caret. Quoniam vaferrimus amor voluptatis ſubtiliſſime, & quaſi ex inſidiis fuco ſanitatis occultatus animam, & voluntatem fallit. Idcirco cautiſſime more ſuo dicit Angelicus: *Peccatum non creditur*. Quoniam etiam dum tibi de ſanitate gaudere videris, non ideo certus es te non gaudere de pollutione inferente ſanitatem ob intimam inter hæc duo connexionem. Quamobrem, omnibus ſpectatis, hoc conſilium meum eſto. Dum hæc contingunt, odio habenda, deteſtanda, Deus orandus, ne pollui noſtra corpora permittat. *Procul recedant ſomnia, & noctium phantaſmata: hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora*. Vix gaudii actum homines robuſtiſſimi edere ſolent ob firmam valetudinem; & ob tenue naturæ levamen talem eventum conſequens gaudebunt, lætabuntur? Nonne circumſtantia temporis ſuſpicandi occaſionem ingerit voluptatem, non ſanitatem, eſse talis gaudii materiam? Naturæ ergo ſuperflua labore, ieiuniis, aliiſque remediis expelle, & pollutionis venenum penitus deteſtare.

CA-

CAPUT XIV.

Sodomiæ notio, eiuſque enormitas.

I. NEfandum ſodomiæ ſcelus definit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* cliv. *art.* 11. eſſe *concubitum ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel feminæ ad feminam.* Clauſula *ad non debitum ſexum* diſtinguit ſodomiæ crimen ab aliis luxuriæ ſpeciebus. Fornicatio enim, adulterium, inceſtus, raptus, ſacrilegium ſunt concubitus viri cum femina. Sodomia ergo eſt, cum maſculus accedit ad maſculum in vaſe præpoſtero, & femina accedit ad feminam in vaſe ſive præpoſtero, ſive anteriori. Differt etiam per præfatam clauſulam ſodomia a beſtialitate, quæ eſt coitus cum alterius ſpeciei ſuppoſito.

II. Sodomia ſuam accipit denominationem a Sodomæ civitatis incolis, qui potiſſimum hoc infami luto hærebant, ut colligitur ex *cap.* xix. *Geneſ.* ubi narratur, Angelos, ingreſſos domum Loth, quæſitos a civibus Sodomæ fuiſſe ad hoc flagitium. *Vocaveruntque Loth, & dixerunt ei: Ubi ſunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, ut cognoſcamus eos.* Hac quoque pice inquinatæ erant finitimæ civitates Gomorrha, Adama, & univerſa fere terra Chanaam.

III. Quam ſit enormis & monſtroſa ſodomiæ iniquitas, inde colligitur quod igne & ſulphure etiam in hoc mundo Deus ultus eſt tantum ſcelus, ut habetur Gen. xviii. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint.* Supplicium quo infandum flagitium multavit Deus, deſcribitur Gen. xix. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem a Domino de cælo: & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.* In eiuſmodi nefandos concubitores pœnam mortis quoque conſtituit Deus Levit. xx. *Qui dormierit cum maſculo coitu femineo, uterque operatus eſt nefas: morte moriantur.*

IV. Patres omnes vehementi zelo invehuntur in tantum crimen, eiuſque gravitatem ſummam exaggerant. Sed præcipue S. Ioannes Chryſoſtomus hom. xiv. in epiſt. ad Rom. *Nam ſi de ſcortatione Paulus differens dixit, peccatum omne quodcumque commiſerit homo, extra corpus eſſe; qui autem ſcortatur, eum in proprium corpus delinquere: quid de inſania hac dixerimus, quæ ipſa tanto eſt ſcortatione deterior, quantum ne exprimere quidem verbis licet? Neque enim hoc ſolum dico, quod effectus femina ſis, ſed quod perdideris ipſum hoc, nimirum virum eſſe: & quod neque in hanc tranſieris naturam, neque quam haberes aſſervaveris,*

ſed

Digitized by Google

ſed communis utriuſque effectus ſis proditor ; dignus quem tum viri , tum feminæ lapidibus a ſe exigant, tamquam qui utrumque genus iniuria affeceris . Atque ut intelligas quantum hoc demum ſit, ſi quis ad te adiens promitteret fore ut te ex viro canem efficeret , nonne ab eo tamquam exitioſo declinares ? Tu vero te ipſe non ex viro canem effeciſti , ſed animal hocce animante infamius . . . . Quid autem, quæſo, ſi quis profiteatur præſtiturum ſe ut viri pariant, & a partu in lecto decumbant , nonne ira excandeſceremus ? At qui ſic furunt , deteriore conditione ſunt . Neque enim par idemque fuerit in muliebrem naturam migrare, & vir interim dum manes , feminam fieri, qui potius neque hoc , neque illud fuerit. Plurima ibidem perſequitur , & *Lib. III. adverſus vituperatores vitæ monaſticæ cap.* VII. contra hoc infame ſcelus.

V. Quæſt. I. *Eſt ne verum ſodomiæ crimen , ſi femina coeat cum altera femina ?* Reſp. Adfirmat communis, & vera ſententia. Quoniam tum datur coitus contra debitum ſexum, in quo proprie ſcelus ſodomiæ ſitum eſt. Sive ergo femina utatur alieno inſtrumento, ſive ſecus, quando concumbit cum altera femina, etiam in vaſe anteriori, crimen ſodomiticum perpetrat. Gravius tamen peccat, dum utitur alieno inſtrumento : quia tunc præter ſexum indebitum eſt quoque indebitum inſtrumentum.

VI. Quæſt. II. *Homo, cognoſcens mulierem in vaſe præpoſtero , committit ne ſodomiæ crimen?* Reſp. Diſputant in utramque partem Theologi . D. Thomas, cui maior Theologorum pars ſubſcribit, docet non eſſe ſodomiam, cuius natura poſita eſt in concubitu inter perſonas eiuſdem ſexus. Quoties autem diverſitas ſexus ſervatur, licet non ſervetur debitum vas, ut in quæſtione propoſita contingit ; committitur graviſſimum crimen contra naturam, ſed non ſodomiticum . Deformitas quippe peculiaris eſt, & formaliter diverſa, non ſervare debitum ſexum , & debitum inſtrumentum, ac non ſervare debitum vas, debito ſexu ſervato. Sed in ſodomia non ſervatur debitus ſexus , nec inſtrumentum . Quando autem vir concumbit cum femina, ſervat debitum ſexum. Ergo vir concumbens cum femina, non committit ſodomiam. At, quia non ſervat debitum vas, dum eam cognoſcit in vaſe præpoſtero; perpetrat vitium contra naturam. Ergo eſt diverſa peccati ſpecies. Argumenta quæ contra opponuntur, prætereo, quia res adeo eſt plana, ut ſeverius diſcutienda non videatur . Quamquam vero hoc vitium non puniatur pœna ſodomitis debita, gravi tamen ſupplicio plecti meretur . Quod ſi contendas multandum eſſe pœna ſodomitarum, non valde repugnaverim . Nam licet, attenta metaphyſica definitione , crimen ſodomiticum dicendum non ſit ; eoſdem tamen effectus inducit , & reipſa parum a vero ſodomitico flagitio diſtat quantum ad effectus : quamvis , ut dixi , natura eius metaphyſice ſpectata , ſpeciem diverſam ſubeat. Quod cum valde monſtroſum ſit, & na-

turæ adverſum, nihil obſtare videtur quominus pœna in ſodomitas conſtituta plectatur.

VII. Quæſt. III. *Circumſtantiæ agentis, & patientis in ſodomia ſunt ne adeo graves, ut manifeſtari in confeſſione debeant?* Reſp. Videtur probabilior ſententia negans. Quoniam natura nefarii criminis ſodomitici non poſtulat ut ſemen immittatur intra vas patientis; ſed ſat eſt quod agens penetret vas illud, cum in hoc congreſſu generatio ſperari nequeat. Porro quod in tali confricatione unus ſit patiens, alter agens, non videtur deformitas tanta eſſe, ut conſtituat peculiare debitum illam manifeſtandi. Nec refert quod agens ſemen etiam effundat; cum hoc ad ſodomiæ crimen non requiratur. Et hæc opinio mihi magis arridet, eo quod in his flagitiis nefandiſſimis exponendis maior, quoad fieri poteſt, ſervanda eſt brevitas, & preſſa narratio; niſi evidens neceſſitas oppoſitum poſtulet. Quando etiam maſculi ſe ſe polluunt, unus incubans, ſuccubante altero ad modum mulieris, non eſt neceſſaria hæc manifeſtatio; dummodo nullus ſit affectus ad vas præpoſterum, ſeu ad ſodomiam; ſed ſatis eſt dicere, mutuo ſe ſe polluiſſe. Si quis tamen alterum ſeduxiſſet, ſcandalum iſtud foret manifeſtandum.

VIII. Quæſt. IV. *In ſodomiæ ſcelere ſunt ne explicandi gradus conſanguinitatis, & affinitatis?* Reſp. Sermo nunc eſt de ſodomia, ſive preſſe, ſive late accepta; ita ut ſi ſodomia proprie accepta addat circumſtantiam inceſtus, idem dicendum ſit de ſodomia improprie ſumpta; ut cum vir concumbit cum femina, non ſervato debito vaſe. Prima ſententia docet, ſodomiam inter cognatos non eſſe inceſtum. Secunda inceſtum committi docet in primo, & ſecundo, ſecus in tertio, & quarto gradu. Tertia admittit perpetrari inceſtum, ſed eumdem in omnibus gradibus; adeo ut inceſtus ſodomiticus in primo gradu non diſtinguatur ſpecie ab inceſtu in quarto gradu.

IX. Probabilior, & vera ſententia eodem modo diſcurrit de copula ſodomitica, ac de copula fornicaria quantum ad inceſtus ſpeciem contrahendam; ita ut omnes coitus ſodomitici, ſive perfecti, ut inter maſculos, ſive imperfecti, ut inter maſculum & feminam, in vaſe præpoſtero habiti, inter perſonas conſanguineas, vel affines, in linea recta, aut tranſverſali, &. inter cognatos legales, aut ſpirituales, addant ſpeciem inceſtus. Hoc ſolum diſcrimen eſt, quod inceſtus ſodomitici non ſunt impedimentum ad contrahendum matrimonium. Ceterum quod contrahatur hæc inceſtus deformitas, ratio eſt manifeſta: quoniam æque, immo gravius, læditur reverentia debita inter conſanguineos, & affines per coitus ſodomiticos, ac per coitus naturales. Ergo utrobique committitur inceſtus. Porro, cum Eccleſiæ lege ſtatutum ſit, hanc reverentiam lædi uſque ad quartum gradum, qui concedunt lædi in primo, & ſecundo, fateri debent violari etiam in tertio, & quarto gradu. Quid quod qui tactibus, oſculis, amplexibus, vel pollutionibus a-

gno-

gnoſcit conſanguineam, vel affinem, inceſtus crimen incurrit? Et, quando ultra tactus, amplexus, pollutionem, addit quoque abuſum nefarium indebiti vaſis, inceſtum non contrahet? Hæc omnia manifeſta ſunt.

X. Quæſt. V. *Sunt ne omnes ſodomiæ eiuſdem ſpeciei*? Reſp. Præciſis circumſtantiis, omnes ſodomiæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ut omnes ſodomiæ inter maſculos, vel inter feminas. Variantur vero ex circumſtantiarum diverſitate, ut ex conſanguinitate, affinitate, & cognatione, quemadmodum dictum eſt. Item, ſi complicis perſona ſit ligata voto, aut matrimonio; ſi interveniat violentia, oppreſſio, fraus; tunc ob circumſtantiarum diverſitatem varias ſodomiæ induunt ſpecies, iniuſtitiæ, ſacrilegii &c. quæ omnes explicari in confeſſione debent.

XI. Si quis virginem ſodomitice agnoſcat, non eſſe explicandam circumſtantiam, docent recentiores nonnulli: quam opinionem probabilem iudicant Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* VII. *punct.* 5. *num.* 99. Verum oppoſitum mihi dicendum videtur. Dum enim virginis corpus pollnitur, deformitas peculiaris eſt. Si fiat in vaſe naturali, eſt ſtuprum; ſi in poſteriore, erit fœditas ſtupro ipſo eo deterior, quo deterior eſt concubitus poſterior coitu anteriori.

XII. Quid, ſi copula ſodomitica cum coniugata aliena habeatur? Circumſtantiam neceſſario manifeſtandam induere copulam hanc, extra diſputationem eſt, aut eſſe debet. Coniugatus enim, ſive homo ſit agens, ſive femina patiens, in concubitu ſodomitico fidem coniugii frangit, carnem dividit, matrimonio iniuriam irrogat. Si adulterium eſt divortii cauſſa, potiore iure coniugum ſeparationem inducet crimen nefarium, eo quod maiorem pariat infamiam, & coniugem efficiat odioſiorem.

CAPUT XV.

De pœnis in ſodomitas, ſive laicos, ſive Clericos, conſtitutis.

I. DE pœnis a divina lege conſtitutis iam dictum eſt ſupra. Id nunc eſt reliqui ut pœnas ab humanis legibus, tum civilibus, tum ſacris ſancitas breviter indicemus. Et primum Ethnici ipſi pœna mortis multabant ſodomitas, utpote humanæ generationi, & propagationi infeſtos, humanæque naturæ temeratores. Hac noſtra tempeſtate vivicomburio puniuntur ſodomitæ, ſuper quos Deus pluit ignem, & ſulphur de cælo. Innumeri ſunt legum textus, quos non vacat tranſcribere, qui hoc ſupplicium præſcribunt.

II. Canonicæ leges excommunicationis anathemati ſubiiciunt laicos, ut colligitur ex *cap.* Clerici *de exceſſibus Prælator*. In Clericos vero hæc ſtatuit. *Quicum-*

que illa incontinentia quæ contra naturam eſt', propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque civitates igne conſumpſit, deprehenſi fuerint laborare : ſi Clerici fuerint, deiiciantur a Clero, vel ad agendam pœnitentiam in monaſterio detrudantur. Severius in eos animadvertit S. Pius V. in ſua conſtitutione, quæ apud Cherubinum eſt XXVII. in ordine, edita anno 1568. in qua hæc habentur. *Omnes, & quoſcumque Presbyteros, & alios Clericos ſæculares, & regulares cuiuſcumque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio eccleſiaſtico præſentis canonis auctoritate privamus; ita quod per iudicem eccleſiaſticum degradati, poteſtati ſtatim ſæculari tradantur, ut de eis illud idem capiat ſupplicium quod in laicos, hoc in exitio devolutos, legitimis reperitur ſanctionibus conſtitutum.*

III. Quæſt. I. *Incurrit ne præfatas pœnas Clericus ſodomita, ſi in concubitu ſemen non effundat?* Reſp. Erubeſcit atramentum, & natura ipſa horret talia proponere, & diſpicere. Verum quia in examen communiter vocantur, idcirco eadem indicta relinquere, ut optabam, nequeo. Ad propoſitam quæſtionem communior recentiorum ſententia eſt negativa. Nam, quando lex ſub pœna delictum prohibet, oportet delictum conſummatum eſſe, & perfectum, ut pœnam reus ſubire debeat. Siquidem leges pœnales ſtricto in ſenſu interpretandæ ſunt. Porro ſodomia non eſt perfecta abſque ſeminis effuſione. Quamobrem, ubi hoc crimen reſervatum ab Epiſcopo eſt, non eſt obnoxium reſervationi, niſi fuerit effuſio ſeminis. Hanc ſententiam defendunt Salmanticenſes *tract.* XXVI. *cap.* VII. *punct.* 6. *num.* 109. & pro eadem citant *Suarez*, *Garziam*, *Marchinum*, *Bonacinam*, *Dianam*, *Filliucium*, *Sayrum*, *Barboſam*, & alios.

IV. Laudati Salmanticenſes *loc. cit. punct.* 5. *num.* 87. docent, non eſſe circumſtantiam exprimendam, utrum quis agens fuerit, aut patiens, eo quod ad naturam, & eſſentiam ſodomiæ non requiratur ſeminis effuſio, cum coitus hic ad generationem non tendat. Copula cum femina in vaſe naturali, ut ſit perfecta, ſeminis effuſionem requirit, quia hæc ad generationem inſtituta eſt. Natura ergo & eſſentia nefandi criminis integra ſalvatur in ſola penetratione vaſis. Porro, quoties integra natura delicti habetur, tum pœnæ in idem conſtitutæ ſubeundæ ſunt. Utique effuſio ſeminis complet, & abſolvit opus nefarium. Ceterum, hac ſeminis effuſione ſublata, tota & integra conſiſtit ſodomiæ eſſentia in vaſis indebiti penetratione. Regula illa, quod leges pœnales ſtricto in ſenſu interpretandæ ſint, ſuas habet exceptiones. Quando enim delictum bono communi inſidias ſtruit, immo iacturam illius molitur; tum non in favorem rei, ſed legis, fieri interpretatio debet. Sodomiticum vitium horrendum ſcelus eſt, quod e cælo ignem, & ſulphur devocat, humani generis ſpeciem deſtruit, naturam inquinat, deturpat, infamat. Ergo, his omnibus ſpectatis, probabilius mihi eſt, coitum ſodomiticum,

quo-

quoties adeſt vaſis penetratio, & crimen eſſe reſervatum, & pœnis a iure conſtitutis obnoxium. Nec obeſt quod crimini aliqua accidentalis circumſtantia deſit, ſi integra natura eiuſdem habeatur. Fatentur autem adverſarii ad naturam criminis ſodomitiei nullatenus requiri ſeminis effuſionem.

V. Quæſt. II. *Clericus, agnoſcens feminam in vaſe præpoſtero, incurrit ne pœnas præfatas?* Reſp. Affirmant Auctores, qui contendunt, veram eſſe ſodomiam coitum cum femina in præpoſtero vaſe. Negant vero qui ſuſtinent hunc eſſe ſolum innaturalem concumbendi modum, ſecus ſodomiam preſſe acceptam. Et quia hanc eſſe D. Thomæ ſententiam ſupra declaratum eſt, ideo hæc ſecunda opinio probabilior mihi eſt ob tanti viri auctoritatem.

VI. Quæſt. III. *Qui patiuntur ſodomiticum concubitum, ſunt ne pœnis a iure latis obnoxii?* Reſp. Sententia adfirmans vera eſt. Quoniam pœnæ conſtitutæ ſunt adverſus ſodomitas patientes, ac agentes.

VII. Quæſt. IV. *Qui ſemel, aut bis perpetrat ſodomiæ crimen, obnoxius ne eſt pœnis a lege ſtatutis?* Reſp. Sententia negans videtur probabilior. Nam S. Pius V. licet in priori conſtitutione adverſus ſodomitas adhibeat verbum *perpetrantes*, cuius ſignificatio cadit etiam ſupra unicum actum; tamen in poſteriore conſtitutione uſus eſt verbo *exercentes*, quod verbum frequentiam, & repetitionem actuum iuxta communem ſignificationem inſinuat: qui enim actum aliquem elicit cuiuſque artis, talem artem exercere minime dicitur. Confirmat hanc ſententiam Martinus Navarrus in *Manuali cap.* XVII. *num.* 249. ubi teſtatur, Gregorium XIII. ſibi aſſeruiſſe, data opera verbum *exercentes* inſertum fuiſſe poſteriori conſtitutioni, & ſubſtitutum prioris conſtitutionis verbo *perpetrantes*. Heinc infert. *Ideoque arbitror tantum comprehendere eos qui quaſi ex uſu continuato id exercent. Argum. l. ſciendum §. illud, ff. de AEdil. edict. per quem Barthol. in proœm. ff. num.* 10. *dicit, artificem, vel mercatorem non dici eum qui ſemel aut iterum artem, vel mercaturam exercet; ſed eum qui toties, ut vulgi opinione habeatur pro tali. Sicut etiam erro, & abigens non dicitur quis pro uno vel altero actu. Ex l. Quis ſit fugitivus, §. Erronem, ff. eodem & l. ff. de Abig. Et ita temperanda videtur extravag. ſaltem quoad forum conſcientiæ, ut ſolum comprehendat eum qui ſic labitur in præfatum crimen, ut boni viri arbitrio dici poſſit exercitator eius, non autem qui tantum cadit aliquoties, & pœnitet feciſſe*. Extrema vitanda ſunt. Qui ſemel, aut bis ex paſſionis impetu, & occaſionis occurſu labitur, mea ſententia non eſt pœnarum ſeveritate multandus. Ceterum neque expectanda eſt continuata tanti criminis profeſſio, ut iſtius ſententiæ patroni docere videntur. Crimen eſt bono communi directe infeſtum. Cancer eſt ſuapte natura ſerpens. Si ſodomita deprehendatur puerorum, aut ſociorum ſeductor; ſi peculiaris pravitas, & ad vitium pronitas impotens, & effrenis appareat, poſt ſecundam, aut tertiam vicem ſupplicio ſupponendus eſt. Præferendum eſt

eſt privato commune bonum. Leges pœnales benigne interpretandæ ſunt, quoties clementia in reum non ſit ſævitia in innocentes; & quoties ſontis malitia in ipſo ſiſtat, ac non propagetur. Ceterum, quando lues aliquorum immaniter alios inficiat, vel inficere poſſit, tum ſontes ſevere corripiendi, atque puniendi ſunt, ut clementia, & iuſtitia exerceatur erga innocentes, quorum ratio ſemper habenda eſt, antequam ſceleſti, & prævaricatores abſolvantur.

VIII. Quæſt. V. *Clericus, nefariam ſodomiæ artem exercens, incurrit ne beneficiorum privationem, aliaſque pœnas ſuſpenſionis &c. ante iudicis ſententiam?* Reſp. Negant recentiores plures. Leges, inquiunt, ſuaves ſint oportet. Quod autem rei debeant ſemetipſos condemnare, pœnaſque ſibi imponere, nimis durum videtur. Quamobrem nullam incurri pœnam, quæ iure aliquo acquiſito privet, ante iudicis ſententiam, docent; quamvis lex aperte pronuntiet, *ipſo facto*, aut *nulla iudicis expectata ſententia*. Verum rationes adductæ infirmæ mihi ſunt. Caret ne ſupremus legiſlator poteſtate ſubiiciendi ſontes pœnis ante cuiuſque inferioris iudicis ſententiam? Neminem id adfirmaturum putaverim. Quoties ergo legiſlator conſtituit, reos pœnis obnoxios eſſe *ipſo facto*, *non expectata iudicis ſententia*; qui defendi poteſt, immunem a ſupplicio reum eſſe ante iudicis ſententiam?

IX. Quod mihi veriſimilius videtur, eſt, neminem adſtringi ſeipſum prodere. Si ſodomita occultus ſit, non tenetur ante iudicis ſententiam ſemetipſum diffamare, atque ſupplicio multare. Si notorius ſit, & publicus, tunc conſtitutas perferre pœnas, non expectata iudicis ſententia, debet. Offendicula publica removere iure naturæ adſtringitur. Debitam quoque compenſationem ipſum populo exhibere, & pœnitentiæ argumenta prodere, ius omne præſcribit. Quare mihi minime probatur ſententia Salmanticenſium, qui *tract.* XXVI. *cap.* VII. *punct.* 6. *§.* 3. *num.* 125. docent, Clericum ſodomitam, *etſi notorietate facti publicum*, liberum eſſe a pœnis Pianæ conſtitutionis. Pro qua ſententia laudant *Navarrum*, *Valentiam*, *Sayrum*, *Rodriquez*, *Bonacinam*, *Barboſam*, *Villalobos*, *Ioannem a Cruce*, *Hurtadum*, *Trullenchum*, alioſque. Clericus iſte publicus ſodomita publicam agere pœnitentiam tenetur. Porro, ſi ſincera hæc pœnitentia ſit, pœnarum ſeveritate in ſemetipſum animadvertere debet. Quænam vero congruentiores pœnæ quam conſtitutæ a legitimo ſuperiore? Quis dixerit ſinceram eſſe illius pœnitudinem qui obedire detrectat ſuperiori, qui pœnas a lege præſcriptas luere recuſat?

X. Quæſt. VI. *Clericus, reus peccati beſtialitatis, incurrit ne pœnas latas in ſodomitas?* Reſp. Adfirmant non pauci: quia lex pœnalis ab uno ad alium caſum extendi debet, quando eadem utriuſque ratio ſit; & non comprehenſus in lege ſit gravior illo expreſſe in lege contento. Idque habetur in Gloſſa *ad cap.* I. *de tempor. ordinand. Lib. VI.* Sed contraria ſententia probabilior eſt. Nam odia reſtringenda, ampliandi favores ſunt. Et quamquam leges præceptivæ reipſa extendan-

Digitized by Google

dantur ad alios caſus non expreſſos, quando eadem urget ratio, ut alias dictum ſuſius eſt; tamen legibus pœnalibus minime id congruit. Quoniam illæ a ratione, quæ honeſtatem ſpectat, pendent; hæ a voluntate legislatoris. Utique ratio' punienda crimina præſcribit; at pœnarum qualitatem non definit. Sola eſt legislatoris voluntas, quæ unam præ alia pœnam imponit, reſpectu ſemper habito ad criminis enormitatem. Accedit quod in propoſita quæſtione non eadem, ſed diverſa omnino ratio eſt. Nam beſtialitatem inter & ſodomiam magna eſt diſſimilitudo. Ad hanc homines proni ſunt; ſecus ad illam, a qua horror complicis diverſæ ſpeciei retrahit.

C A P U T XVI.

De beſtialitate.

I. Beſtialitas eſt *concubitus cum individuo alterius ſpeciei*. Crimen iſtud horrendum non variatur iuxta diverſas animalium ſpecies; ſed unicum eſt ſpecie infima: ſive enim coitus ſit cum aſina, ſive cum equa, aut vacca, eſt eodem modo contra naturam.

II. Ad peccatum beſtialitatis revocari ſolet concubitus cum dæmone, quia ſcilicet eſt coitus cum individuo alterius ſpeciei, immo alterius generis. Præter tamen crimen beſtialitatis accedit ſcelus ſuperſtitionis: ſiquidem concubitus cum æmone ſocietatem cum illo prodit; ſocietas autem hæc ſuperſtitionis crimen includit. Quapropter in hoc concubitu, quocumque modo ſe gerat dæmon, ſive ſit ſuccubus ad modum mulieris, ſive incubus ad modum viri, ſemper ſunt duæ malitiæ ſpecie diverſæ. Accidere aliæ circumſtantiæ poſſunt. Nam, ſi quis cum dæmone, ſub ſpecie viri apparente, affectu ſodomitico concumbat; erit tertia, præter duas recenſitas, malitiæ ſpecies. Si ſub ſpecie affinis, conſanguineæ, aut alienæ uxoris appareat; tunc erit crimen adulterii, vel inceſtus.

III. Beſtialitatis crimen excedit omnia alia flagitia contra naturam, eo quod præ omnibus recedat ab ordine rationis. In ipſa antiqua lege morte plectebatur: *Qui cum iumento, & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite. Mulier quæ ſuccubuerit cuilibet iumento, ſimul interficietur cum eo: ſanguis eorum ſit ſuper eos*. Levit. cap. xx.

CAPUT XVII.

De remediis adverſus luxuriam. Probabiliſtarum benignitas, luxuriæ nimium favens, non attendenda.

I. PRimum remedium libidinis eſt ſeria eiuſdem gravitatis meditatio. Ob luxuriæ flagitium univerſum humanum genus, octo ſervatis perſonis, aquarum diluvio olim ſubmerſum fuit. In hoc tam immani, atque horrendo ſupplicio gravitatem libidinis, quæ eiuſdem cauſſa fuit, quiſque dignoſcere, & meditari valet, ut ſibi caveat. Duo ſunt in hoc vitio notanda, eius univerſalitas, & eius malitia. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram.... Finis univerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra.* Gen. 1. Homines qui nunc incolunt mundum, eiuſdem naturæ ſunt cum illis qui aquarum diluvio perierunt. Idem libidinis æſtus, eadem ad malum pronitas, eadem carnis rebellio, & concupiſcentiæ colluctatio adverſus ſpiritum. Quod, ſi luxuriæ effectus meditari velis, animo tibi propone duos præſtantiſſimos viros in Scriptura divina commemoratos. David Rex ſanctus, & virtutibus omnibus ornatus, adulterio perpetrato, univerſam virtutum ſupellectilem exuit, & crudelis naturæ indolem induit. Uriam quippe familiarem ſuum, atque de ſe optime meritum, poſtquam illius deturpavit thalamum, dolo, & fraude interficiendum curavit. Salomon ſapientiæ fons, & virtutum ac innocentiæ exemplar, mulierum lenociniis captus, vel ipſius Dei cognitionem abiecit, & in idololatriam lapſus eſt. In his duobus præſtantiſſimis viris, mentis cæcitatem, cordis duritiem, animi immanitatem, aliorumque malorum cladem, quam libido parit, contemplari cuique pervium eſt. Si enim tam eminentes viri in exemplum omnium ſæculorum prolapſi ſunt; quid homunciones virtutibus deſtituti, vitiis inquinati, mente & ſpiritu infirmi, atque propriæ carnis, gulæ, iræque mancipia, triumphos inter familiares effrontium feminarum congreſſus iactant?

II. Secundum itaque, & omnium in hac materia validiſſimum, remedium eſt fuga mulierum, chorearum, theatrorum, comœdiarum. Hoc eſt remedium quod Scripturæ, & Patres omnes inculcant. Eccleſiaſticus xlii. *In medio mulierum noli commorari. De veſtimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri. Melior eſt iniquitas viri quam mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium* Emphaſis eſt, quæ vim mulieris ad ſeducendum humanum cor exprimit. Lenocinia mulieris, etiam piæ, & benefacientis, periculoſiora ſunt conſortio hominum vel improborum. Idem dixerat ſuperius cap. ix. *Speciem mulieris alienæ multi admira-*

mirati, reprobi facti ſunt : colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit . Cum aliena muliere ne ſedeas omnino , nec accumbas cum ea ſuper cubitum : & non alterceris cum illa in vino , ne forte declinet cor tuum in illam . Plura alibi ex Patribus, & Scripturis in hunc finem congeſſi, quæ, ne repetam, prætereo.

III. Quam ſit hæc teterrima libidinis peſtis diffuſa , quæ nec Regum purpuras timet, nec ſquallorem aſpernatur mendicantium, ut alicubi Hieronymus ait ; ſed cuiuſque ſtatus, ſexus, profeſſioniſque perſonas aggreditur, inquinat , & maiorem partem abſumit : experientia teſtatur . Nemo eſt qui ignis iſtius flammam non ſentiat : omneſque intimam concupiſcentiæ rebellionem lugent, deplorantque tentationum vehementiam, occaſionum frequentiam exaggerant.

IV. Cum hac immaniſſima lue totum humanum genus invadente conferas nunc velim plurium Probabiliſtarum ſummam benignitatem . Choreas ducere , theatra frequentare, familiaria, & diuturna utriuſque ſexus alloquia permittunt, ut licita. *Rigoriſmi* inſimulant eos qui choreas, theatra, promiſcuas converſationes Chriſtianis interdicunt . Quis , inquiunt, confeſſiones exciperet , ſi ſuſpendenda abſolutio eſſet iis qui recenſitis oblectamentis indulgent ? Hac via ſe blandos , benignoſque hominibus exhibent. Sed crudelis animabus eſt, & fallax hæc benignitatis larva. Caſtitatem ſervent neceſſum eſt Chriſtiani, aut coniugalem, ſi coniugati ſint; aut virginalem ; ſi liberi . Caſtitas virorum inter mulierum cantus , ſaltationes, aut theatralia præſtigia, vel mulierum inter hominum congreſſus, & frequentia colloquia, chimæra eſt manifeſta. Ita Scriptura, ita experientia teſtatur. Quid ergo ad ſacramenta accedunt , quoties hæc libidinis fomenta , atque irritamenta declinare recuſant? Quid Confeſſarii abſolutionis beneficium impendunt , ſi experientia perſpectum habent nihilo umquam meliores evadere pœnitentes ſuos, qui emendationem ſpondentes, præfatis oblectationibus, & illecebris renuntiare detrectant ? Benigne tractandos pœnitentes inclamant. Benigniſſime, ſubdo ego. Sed numquid benignitas ea eſt appellanda quæ infirmi vulnera fovet , quæ flagitiorum incitamenta permittit , quæ animas æternum perire ſinit ? Efferata crudelitas, & immanis ſævitia, non clementia, aut benignitas dicenda hæc eſt. Hæc ſit clementia tua. Ob oculos pœnitentium ſtatuito, numquam ſe libidinis cœno ſubducturos, niſi mulierum converſationem , & familiaritatem, theatrorum , & comœdiarum , atque chorearum frequentiam devitent. Si id præſtare renuant, ab Altari eos arceto, ne flagitia flagitiis accumulentur, & ſacrilegia ſacrilegiis addantur.

V. Tertium remedium eſt victus ſobrietas, veſtitus modeſtia, otii exilium. Scripturæ ſacræ admonent crapulam, & ebrietatem luxuriæ eſſe ſentinam. Propheta Ezechiel cap. XVI. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius.* Et Salomon Prov. VI. *Luxurioſa res vinum.* Et D. Paulus ad Epheſ. v. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*

xuria. Tertullianus Lib. de ieiuniis: *Appendices gulæ laſcivia atque luxuria*. D. Hieronymus Lib. II. adverſus Iovinianum: *Eſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitas ſeminarium libidinis eſt*. D. Gregorius de cura paſtorali Part. III. admon. xx. *Plerumque edacitas uſque ad luxuriam pertrabit: quia, dum ſatietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur*. Venter proximus eſt genitalibus: dum ille repletur, hæc foras emittunt redundantes ſalaceſque humores. Veſtium luxus, exquiſitus ornatus, vanæque pompæ ad libidinem provocant. Modeſtia contra veſtium, & demiſſus inceſſus, animi redolet, & fovet caſtimoniam.

VI. Remedium quartum eſt vigilans oculorum, ſenſuumque omnium cuſtodia. Eccleſiaſticus cap. ix. *Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius ..... Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias mulierem alienam*.

VII. Quintum remedium eſt averſio ab obſcenis tabellis, ſeu imaginibus, libriſque impudicis, qui *Romanzi* vulgo vocantur. Quamquam alibi de immodeſtis, obſceniſque tabellis dictum ſit; nihilominus non abs re cenſeo nonnulla hic adiicere. Fœdiſſima libidinum irritamenta obſcenas imagines pronuntiant omnes. S. Auguſtinus *Lib. I. Confeſſionum cap.* xvi. ait: *Ita vero non cognoſceremus verba hæc, imbrem aureum, & gremium, & fucum, & templa cæli, & alia verba, quæ in eo loco ſcripta ſunt; niſi Terentius induceret nequam adoleſcentem, proponentem ſibi Iovem ad exemplum ſtupri, dum ſpectat tabulam quamdam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc: Iovem quo pacto Danaæ miſiſſe aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum ſe concitat ad libidinem, quaſi cæleſti magiſterio. At quem Deum? inquit. Qui templa cæli ſummo ſonitu concutit. Ego homuncio id non facerem? Ego vero illud feci, ac libens*. Petulcus hic adoleſcens tabellam contemplans, quæ Iovem in Danaæ gremium e cælo delapſum per aureum imbrem referebat, ad explendam libidinem incitatum ſe ſenſit; ac de ſuo ſcelere gloriabatur, quaſi Deum imitatus fuiſſet. S. Patriarcha Chryſoſtomus dæmones aſſidere obſcenis picturis docet, ut potentius ſpectatoribus illudant, eoſque faſcinent. Hæc enim ſcribit in Pſal. cxiii. *Dæmon autem nudæ quoque figuræ aſſidet. Et nunc quidem ſtatuæ ſunt imagines fornicationis, nunc inſani in maſculos amoris. Quid enim ſibi vult Aquila? Quid vero Ganymedes? Quid Apollo, qui virginem perſequitur? Quid aliæ execrandæ figuræ? Ubique libido, ubique luxuriæ nefariorum concubituum, & inſanientium amorum ſtatuæ ubique cernuntur. Statuæ enim, & feſta, & publici conventus, & initia, ac myſteria turpiſſimarum rerum indicia ſunt, & monumenta, ac documenta*.

VIII. S. Carolus Borromæus *Lib. I. Conſtitut. Synod. num.* 26. hæc præcipit. *Quoniam chriſtianorum hominum mentes facile corrumpuntur peccandi libidine, inflammatæ ob rerum turpium, atque obſcenarum imagines; ideo illas effingi vetitum eſt Conſtan-*

ſtantinopolitanæ Synodi canone. Itaque curet Epiſcopus ut quicumque laici homines, id generis imagines habent, vel tabulis, vel parietibus expreſſas, pro pietatis chriſtianæ, cui addicti eſſe debent, ſtudio eas abiiciant, vel plane deleant, vel ad honeſtatem reconcinnentur .... Cum chriſtianæ pietatis rationi alienum ſit ad ornatum templorum adhiberi ea quæ non modo religionem non excitant, ſed intuentium mentes facile illiciunt in fœdas, turpeſque cogitationes: id propterea caveant, ne quis ad illa ornanda periſtromatis, aulæiſque utatur, quæ obſcenis ſignis intexta ſint; neque item pictas imagines, & ſigna adhibeat, quæ vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum loci ſanctitati repugnantium formam, ac ſpeciem præſeferant.

IX. Ab his ergo imaginibus avertendus aſpectus, tamquam a neſariæ libidinis irritamentis. Crimina graviſſima perpetrant familiarum domini, qui has fœdas tabellas aut igne non concremant, aut ab chriſtiani pictoris penicillo reconcinnari non faciunt ad modeſtiæ chriſtianæ formam.

X. Non minus libidinem concitant libri amatorii, ſeu vulgo *Romanzi*, Poetæque laſcivi. Immanius præ ipſis laſcivis picturis ſæviunt in animarum perniciem eiuſmodi infames libelli, dæmone ſane inſtigante exarati. Iſtorum ſcriptores in fronte ſignum æternæ reprobationis produnt. Sunt quippe diaboli doctores, & miniſtri ad caſtiſſimos mores inquinandos, animaſque æternum perdendas. Iſtorum librorum lectio, ceu animarum venenum & faſcinum, devitanda eſt. Tabellarum venerem referentium aſpectus ſenſus commovet, & phantaſmata concitat; at facilius elabitur. Turpiſſima libellorum theoremata, conciones, mutua alloquia, artis amatoriæ exquiſitæ fraudes, cordis humani obſidendi viæ, veneris excitandæ regulæ, & cetera omnia quæ in præfatis libellis fœdiſſima eloquentia traduntur, altius animo inſident, & vehementius multo ad libidinem pertrahunt. Quare ſummo ſtudio, & vigilantia ab iſtorum librorum lectione cuſtodiendi adoleſcentes ſunt. Qui vero hos libros flammis dare recuſant, ab Altari, & ſacramentis omnibus arcendi ſunt, tamquam indigni. Nec audias illorum excuſationes, qui hos libros amatorios, ſeu *Romanzos*, modeſtos, caſtoſque effutiunt. Sunt utique alii aliis turpiores, neſandioreſque, ſi verba, phraſeſque expendas. Si vim concitandæ veneris, amoremque libidinoſum accendendi conſideres, illi frequenter præſtant qui lutum venenoſum fuco illitum, verborumque minus turpium calamiſtro obtegunt. Peccant itaque bibliopolæ qui hos libros vendunt, typographi qui eoſdem imprimunt, reviſores qui eoſdem approbant, ut in lucem edantur.

XI. Hactenus remedia deſignavimus, quæ occaſionum & periculorum morbi huiuſmodi contrahendi fugam ſuadent. Nunc exhibenda nonnulla remedia, quæ intus vires augent, animam roborant, & rebelles ſubigunt appetitiones. Iſtius generis autem primum remedium eſt carnis compreſſio ieiuniorum, & abſtinentiæ moderatæ ſeveritate. Crapulæ, intemperantiæ, & ebrietatis declinatio quemque vel

ethni-

ethnicum hominem adſtringit. Virtus autem abſtinentiæ, qua caro ſpiritui ſubiiciatur, ut chriſtiana caſtitas excolatur, Chriſtianos decet. Humiliatio vero, & ſuperbiæ depreſſio adeo neceſſaria eſt, ut Deus in hoc infame crimen prolabi ſæpe permittat vel ipſos caſtos ſuperbia tumentes. Exagitanda ergo concupiſcentia eſt tum humiliatione, tum aſſidua occupatione, tum corporis maceratione, animique meditatione, ut amatoriis rebus vacandi tempus non ſuperſit. Opportuna eſt hiſtoria quam narrat Hieronymus *epiſt.* IV. ad Ruſticum: inquit enim: *Græcus adoleſcens erat in Cœnobio, qui nulla abſtinentia, nulla operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem Pater monaſterii hac arte ſervavit. Imperavit cuidam viro gravi, ut iurgiis, atque conviciis inſectaretur hominem; & poſt irrogatam iniuriam, primus veniret ad querimoniam. Vocati teſtes pro eo loquebantur qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium, quod nullus crederet veritati. Solus Pater defenſionem ſuam callide opponere, ne abundantiori triſtitia abſorberetur frater. Quid multa? Ita annus ductus eſt: quo expleto interrogatus adoleſcens ſuper cogitationibus priſtinis, an adhuc moleſtiæ aliquid ſuſtineret: Papæ, inquit, vivere mihi non licet, & fornicari libeat?*

XII. Secundum generis huius remedium eſt iugis oratio, noviſſimorum humilis & ſeria meditatio. Memorare noviſſima tua, mortem, iudicium, infernum, paradiſum, & non peccabis. Inquit enim Auctor Libri Sapientiæ cap. VIII. *Et ut ſcivi quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum.* D. Paulus II. ad Corinth. XII. *Et, ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Lubet nonnulla tranſcribere ex iis quæ ſcribit Hieronymus *epiſt.* XII. *ad Euſtochium* de ſemetipſo. *O quoties ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridum præſtat monachis habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis! Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia, & ſquallida cutis ſitum Ethiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis vero, & potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius, & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam.* Huc animum in-

intendant noſtri temporis heroes, qui in medio mulierculárum, quas *heroinas* vocant, lilium caſtitatis illibatum ſervare ſe iactant; ſeque cupediis, epuliſque ſelectioribus repletos, inter muliebria lenocinia carnis ſtimulos ſentire pernegant. Nullo ſuffunduntur pudore, ſe Apoſtolo Paulo, & ſanctiſſimis viris præferentes, ut liberius ſuis laxare oblectamentis habenas valeant.

XIII. Ultimum, atque ſaluberrimum remedium eſt piorum librorum lectio, ſacramentorum frequentia ſub pio, docto, & prudenti Confeſſario, qui animarum zelo flagret. Lubet iſthuc tranſcribere quæ habet eximius pietate ac doctrina Cardinalis Toletus *Lib. V. cap.* XIII. *num.* 10. ubi remedia aſſignat contra peccatum pollutionis, quod eo eſt frequentius, potiſſimum in adoleſcentibus, quo eſt enormius. Inquit ergo: *Eſt autem hoc peccatum difficillimæ emendationis, quia occaſio fere ſemper eſt cum homine; & eſt adeo univerſale, ut crediderim maximam partem damnatorum hoc infici peccato. Vix puto eſſe aliud efficax remedium, niſi frequentiſſimam confeſſionem cum uno eodemque Confeſſario, ut fiat ter in hebdomada, ſi fieri poſſit. Eſt enim hoc ſacramentum maximum frenum: & qui hoc non utitur, non ſibi promittat emendationem, niſi per miraculum a Deo factum, aut rariſſimum privilegium.* In corporum morbis ſanandis nihil proficiunt medicinæ vel ſaluberrimæ, niſi ægrotus a cibis noxiis abſtineat. Ita in morbis animæ accidit. Frequens confeſſio ſub eodem miniſtro docto, pioque remedium eſt veneri ſubiugandæ quammaxime idoneum, efficaciſſimumque; ſi prius omnia pericula removeantur. Diverſi ſexus perſonæ veluti mortalis naufragii ſcopuli devitentur; & cetera quæ indicavimus, non negligantur: atque tum confeſſionis frequentia optatos pariet fructus.

Digitized by Google

LIBER NONUS
IN DECALOGUM,
SEPTIMUM, ET DECIMUM PRAECEPTUM TRACTANS:

Non furtum facies. Exod. xx. verſ. 15.
Non concupiſces rem proximi tui. Ibidem 17.

DISSERTATIO UNICA.
CAPUT I.

Propoſitiones ab Eccleſia damnatæ in furti materia, & aliæ Caſuiſtarum laxæ nondum damnatæ.

I. SEcundæ tabulæ mandata humani generis tranquillitatem, & felicitatem ſpectant. Quartum, ſeu primum ſecundi ordinis, mutuum filiorum in parentes, & parentum in filios amorem cultumque præſcribit. Quintum, ac ſextum humanam vitam a cædibus, & corpora noſtra a qualibet turpi corruptione ſarta tecta cuſtodiunt. Septimum bona externa in tuto collocat, atque ab invaſoribus defendit. Antequam de præcepto hoc dicere inſtituo, de more propoſitiones ab Eccleſia damnatas, & alias cenſura dignas recenſeo.

Propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI.

II. *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*. Eſt in ordine 36.

III. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario quod recipiunt*. Eſt 37.

IV. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis*. Eſt 38.

Aliæ

Digitized by Google

Aliæ propoſitiones in hac ma teria damnatæ a Clero Gallicano.

V. *Poteſt uxor viro ſurripere pecuniam, etiam ad ludendum, ſi mulier talis conditionis ſit, ut ludus honeſtus pari loco cum alimentis, ac victu habeatur.* 47.

VI. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.* 49.

VII. *Etiamſi donatario perſpectum ſit bona ſibi donata fuiſſe a quopiam ea mente, ut creditores fruſtrentur, non tenetur reſtituere, niſi eam donationem ſuaſerit, vel ad eam induxerit.* 50.

Propoſitiones laxæ Caſuiſtarum.

I. „ Si aliquem qui iniuſtum damnum alteri inferre decreverat, conſilio, vel „ hortatu *magis etiam confirmaſti*, utrum ad reſtitutionem damnificato tenearis? „ Reſpon. probabiliter negari poſſe. " P. Paulus Layman in *Theol. Mor. Lib. III. tract.* 11. *cap.* v. *num.* 5.

II. „ Neque obſtare videtur, etſi hortatu tuo cauſa fueris ut citius, atque ex- „ peditius damnum inferretur. " Idem Layman *loc. cit.*

III. „ Si furi furandi gratia aſcendenti ſcalam teneas, quam, etſi nemo tene- „ ret, tamen aſcenderet; & ſi aſportando rem furtivam, adiuves aliquem, quam „ ſine tuo ſubſidio auferret tamen, & furaretur; non teneris ad reſtitutionem. „ Hæc omnia multum ad praxim conducunt. Ex quibus multos ſcrupulos, & „ onera reſtitutionis prudens Confeſſarius tollet. " P. Antoninus Diana *Tom. VIII. coord. tract.* VII. *reſol.* 39. *§.* 2.

IV. „ Notandum tertio, compenſationem etiam licitam eſſe, quamvis debitum „ actu non debeatur. Poteſt enim aliquando creditor prævenire, & compenſare „ ſibi nunc pro eo quod debitor nondum debet, ſi timet tempore ſolutionis de- „ bitum non ſibi ſolvendum. " Idem Diana *Tom. VI. coord. tract.* III. *reſol.* 150. *§.* 5.

V. „ Non ſolum creditor iuſte faceret compenſationem exiſtentibus creditoribus „ *anterioribus* . . . . ſed etiam licet poſſideret rem *iure depoſiti*. " Idem Diana *Tom. VI. coord. tract.* III. *reſol.* 153. *§.* 4.

VI. „ An, ſi quis tradat aliquibus vinum, ut *nomine ſuo vendatur*, ſi agnoſcat „ illos minuendo menſuram, & admiſcendo aquam vendituros, peccet? . . . In „ hoc poſſe excuſari ſic tradens vinum, ſi duo ſupponantur, exiſtimo. Primo, „ ſi adſit iuſta cauſa tradendi, quia videlicet pateretur grave damnum: ſecun- „ dum,

Digitized by Google

„ dum, quod tradat miniſtris vinum vendendum iuſto pretio: nec obſtat *quod* „ *ſciat* dictos miniſtros fraudibus uſuros. “ Idem Diana *Tom. VI. coord. tract.* 111. *reſol.* 94. §. 2.

VII. „ An quis poſſit vendere aliquid cum vitio occulto, *quod ſi emptor ſciret*, „ *non eſſet empturus* ſaltem eodem pretio? Reſpondeo adfirmative, dummodo „ venditor de pretio diminuat, quanto minus res propter defectum valet. “ Idem Diana *loc. cit. reſol.* 112.

VIII. „ Aliquis *ludendo falſis aleis* pecunias lucratus eſt, earumque partem ali- „ quam ſocio ſuo donavit, *quamvis ſcienti*, tamen non cooperanti ad fraudem „ committendam. *Recte* dici poteſt ſocium ad nullam reſtitutionem obligari, ſi „ luſor ille pecunias *ludo iniquo* acceptas cum propriis miſcuerat. “ P. Paulus Layman in *Theol. Mor. Lib. III. de iuſt. tract.* IV. *cap.* XVII. §. 3. *num.* 22.

IX. „ Obſervandæ ſunt conditiones a DD. requiſitæ, ut fieri poſſit occulta com- „ penſatio. Quarum prima eſt &c. Tertia, quod non *poſſit facile* via iuris debi- „ tum obtineri. Quamvis probabiliter, ſi hæc conditio deſit, non peccet morta- „ liter qui utitur occulta compenſatione. “ P. Dominicus Viva in *Trut. theolog. in prop.* 37. *Innoc. XI. num.* 1.

X. „ Quod in hac theſi proſcribitur, eſt poſſe famulos occulte compenſare id „ quod ipſi iudicant ex iuſtitia ſibi deberi in ſalarium . . . idcirco ad occultam „ hanc compenſationem faciendam requiritur iudicium viri docti ſimul, & peri- „ ti. “ Idem Viva *loc. cit. num.* 7. *&* *in Curſ. theol. Tom. I. par.* II. *quæſt.* VI.

XI. „ Si non poteſt creditor ſine gravi incommodo ad iudicem recurrere, pot- „ erit ſententiam quam iudex proferret, amplecti, & ſic compenſare ſibi debitum „ *probabile probabilitate iuris*: quamvis in praxi ſit valde periculoſum. “ Idem Viva *in Cur. theol. Tom. I. par.* II. *quæſt.* VI. *art.* 3. *num.* 2.

XII. „ Quarto docet Leſs. poſſe heredem ab inteſtato uti compenſatione oc- „ culta contra eum qui bona defuncti poſſidet ex teſtamento minus ſolemni: „ quia *probabilis eſt ſententia*, quod ea bona debeantur heredi ab inteſtato, cui „ opinioni poteſt ſe conformare. “ Idem Viva *loc. cit. num.* 12.

XIII. „ Famulus, vel officialis, qui ob errorem, neceſſitatem, vel aliam ſimi- „ lem cauſam operam ſuam minoris iuſto locavit, *quia ſaltem ſecundum quid* in- „ voluntarius fuit, adeoque animum donandi non habuit, poterit defectum ſti- „ pendii iure exigere; &, ſi aliter habere nequeat, occulte compenſare: & do- „ minus ſibi imputet. “ P. Patritius Sporer *Tom. II. tract.* V. *in* 7. *præcept. Decal. cap.* V. *ſect.* 3. §. 4. *num.* 83.

XIV. „ Pro omnibus caſibus licitum non eſt uti compenſatione occulta, cum „ ſolum detur opinio probabilis pro utraque parte, debitoris ſcilicet, & credito- „ ris; ſed in caſibus particularibus id licet. Et etiam licet in omnibus, quan-

„ do

„ do datur maior probabilitas ex parte creditoris quod tale debitum ſibi debe- „ tur. “ Collegium Salmanticenſe in *Curſu Theol. Mor. Tom. III. tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 19. *§.* 3. *num.* 319.

XV. „ Si dominus occupet famulum vel aliis horis, vel in aliis miniſteriis „ quam conventum eſt, poteſt famulus uti compenſatione. “ Idem Collegium Salmanticenſe *loc. cit. §.* 2. *num.* 316.

XVI. „ Si tu alium iniuſte infamaſti, qui te antea infamaverat, non teneris „ ei ad reſtitutionem, ſi ipſe tibi reſtituere nolit; ſed potes uti compenſatione, „ ſervata tamen æqualitate, quantum fieri poteſt. “ P. Leonardus Leſſius *de iuſtit. & iure Lib. II. dub.* 25. *num.* 132.

XVII. „ Quando unus alterum iniuſte infamaſſet, neque, ut teneretur, vellet „ eam famam illi reſtituere; tunc iniuſte infamatus, qui damnum in fama al- „ teri non dediſſet, poſſet in *pecunia* compenſare damnum famæ, in quo eſt, „ idque non *ſolum non ſolvendo debitum antiquum occultum*, quantum ad æqua- „ litatem ſufficere iudicaretur ad competentem compenſationem famæ, in quo „ eſt, *ſed etiam occulte accipiendo de novo*, *quantum ſatis eſſet ad eamdem com- „ penſationem*; dummodo non interveniret ſcandalum; & aliter commode obti- „ nere non poſſet reſtitutionem ſuæ famæ; & denique dummodo intervenirent „ conditiones omnes requiſitæ, ut licite in conſcientiæ foro fiat occulta compen- „ ſatio debiti. “ P. Ludovicus Molina *de iuſtit. & iur. Tom. IV. tract.* IV. *diſput.* 49. *num.* 5.

XVIII. „ Confeſſario dedi pecunias meo creditori reſtituendas, & poſt elapſum „ tempus ſcio Confeſſarium non reſtituiſſe, teneor denuo reſtituere? . . . Af- „ firmo non teneri. “ P. Antonius Eſcobar in *Sum. Theol. Mor. tract.* III. *exam.* II. *cap.* VI. *num.* 20.

XIX. „ An cedens bonis, tuta conſcientia poſſit ſibi, & familiæ ſuæ, ne in- „ decore vivat, neceſſaria retinere? . . . Aſſero poſſe: quod quidem eſt ve- „ rum, licet debita, pro quibus cedit, ſint ex iniuſtitia, & notorio delicto con- „ tracta, quamvis tunc non poſſit tantum, quantum alias, ſibi retinere. “ Idem Eſcobar *loc. cit.*

XX. „ Si tu, dum occulte tibi compenſas debitum, prævides alicui tertio, „ tamquam furtum ab ipſo fuiſſet commiſſum, fore imputandum, non obligaris „ id præcavere, niſi facile poſſis. “ P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. in Decal. tract.* II. *cap.* V. *§.* I. *num.* 5.

XXI. „ Furatus es v. g. decem aureos nudius tertius, utique cum peccato; „ verum hodie exiſtens in gravi neceſſitate, puta in gravi morbo, ſine ulla ſpe „ habendi pecuniam, illos ad vitam conſervandam expendis: obligaberis ne ad „ *meliorem fortunam rediens* ad reſtitutionem? Non eſt improbabilis ſententia te

„ nunc liberans ab omni reſtitutione. “ Idem Tamburinus *loc. cit. cap.* VI. §. 2. *num.* 3. Caſtropalaus *Tom. I. tract.* VI. *diſp.* II. *punct.* 10. *num.* 3.

XXII. „ Si quis ab eodem per parva furtiola gravem furatur quantitatem, „ letaliter non peccat in ultimo eam complente, dummodo tempus quatuor „ menſium inter ea mediet. “ Torrecilla *Tom. I. Sum. tract.* III. *diſput.* II. *cap.* IV. *ſect.* 2. *a num.* 12.

XXIII. „ Non eſt grave retinere alienum ex iniuſta acceptione, quamdiu quis „ eſt in gravi neceſſitate, ſaltem ſi creditor æquali non urgeatur, immo etſi „ urgeatur. “ Idem *ibid. ſect.* 3.

XXIV. „ Non eſt de gravi damnandus debitor, qui ratione contractus aliquid „ reſtituere tenetur, licet in mora ſit reſtituendi creditori ſæpius ſatisfactionem „ petenti, etſi iuſtam cauſam differendi non habeat; dummodo abſque gravi „ damno creditoris, periculoque, ut debitum nuſquam ſatisfieri valeat, & cum „ intentione ſatisfaciendi id fiat. “ Idem Torrecilla in *propoſ. damn. tract.* V. *conſult.* 10. *num.* 2.

XXV. „ Ex contractu trino aliquid ultra ſortem in pactum deducere, non eſt „ letale. “ Idem *ibid. conſult.* III. *ſect.* 3. *num.* 24.

XXVI. „ Etiam deficiente titulo lucri ceſſantis, & damni emergentis, pigno- „ ribus adhuc pro ſecuritate capitalis acceptis, poteſt exigi lucrum, etſi ad 7. „ pro 100. accedat, ex ſolo titulo periculi, & difficultatis (quæ ſemper accidit) „ ſortem recuperandi. “ Idem *ibid. num.* 25.

XXVII. „ Adhuc deficiente in præfato trino contractu titulo lucri ceſſantis, „ & damni emergentis, & periculo capitalis perdendi, poteſt quis ex alio titu- „ lo lucrari; immo & 5. vel 8. pro 100. ferre videlicet pecuniam ad quæſtum, „ mercatori exponendo, ut cum ea lucretur, etiam cum capitalis aſſecuratio- „ ne. “ Idem *ibid. num.* 26.

XXVIII. „ Probabile eſt, iuſtum pretium rerum venalium eſſe totum id quod „ abſque violentia vel fraude extorqueri poteſt ab emptore. “ Sic Fr. de Ieſu Maria in quadam *conſult.* quæ apud prædictum P. Torrecilla habetur *Tom. II. conſult. tract.* 4. *conſult.* 7.

XXIX. „ Quando merces in publica ſubhaſtatione exponuntur, etiamſi dimidio „ tantummodo ſui valoris pretio eas quis emat, nil reſtituere tenetur. Et idem „ dicendum de qualibet ſpecie venali omnibus expoſita. “ Idem *ibid. num.* 12.

XXX. „ Mercator in qualibet merce poteſt pluſquam 15. pro 100. ab empto- „ re exigere, etſi ad 24. accedat. “ Fr. Ioannes ab Aſſumptione *ibid. num.* 14.

XXXI. „ Mercator, qui pretio ad annum ſolvendo rem vendit, lucrum exige- „ re valet, etſi ad 8. vel 12. pro 100. accedat. “ Idem Fr. Ioannes ab Aſſumpt. *ibid. num.* 18.

Digitized by Google

XXXII. „ Qui per unum, vel duos annos multoties repetit ſe reſtituere nol„ le quod ex iuſtitia tenetur, unicum tantum peccatum mortale committit; „ dummodo per actus contrarios intentionem non retractet. “ Torrecilla *Tom. II. Sum. tract.* 11. *diſp.* 11. *cap.* 1. *num.* 14.

XXXIII. „ Satis probabile exiſtimo tributa, tametſi iuſta, fraudare, ſive in „ toto ſingulorum, ſive in parte, grave non eſſe conſcientiæ, ſi ab exactoribus „ non petantur. “ Idem *Tom. II. tract.* 11. *diſp.* IV. *cap.* III. *num.* 8.

XXXIV. „ Nec probabilitate caret de eiſdem tributis dicere, etiam merces oc„ cultare licere, ne tributa ab exactoribus exigantur. “ Idem Torrecilla *eod. Tom. II. tract.* 11. *diſp.* IV. *cap.* III. *num.* 8.

XXXV. „ Probabile, & *ſecurum* in praxi eſt, quod qui tenetur reſtituere, ſa„ tisfaciat obligationi ſuæ, ſi Confeſſario, vel alio viro prudenti det, ut reſti„ tuat, etſi id non præſtitiſſe poſtea animadvertat. “ Idem *ibid. diſp.* V. *cap.* IV. *num.* 12.

XXXVI. „ In proviſione beneficii, præbendæ, vel cathedræ, facta præcedente „ vocatione per edictum, & oppoſitionem litterariam, probabiliſſimum eſt ele„ ctores non teneri ex iuſtitia ad eligendum digniorem, dummodo dignum eli„ gant. “ Idem *ibid. tract.* III. *ſect.* 1. *cap.* 11. *a num.* 9.

CAPUT II.

Quid, & quotuplex ſit furtum.

I. PRiuſquam furti definitionem explico, pauca præfari iuvat, quæ ſceleris amplitudinem prodant. Fures infamia penes omnes cultas gentes laborant. Ius quippe naturæ, quod ſingulis propria aſſerit bona, furtum pervertit. Verum, quemadmodum ceteris flagitiis vocabulorum diverſitate horrorem, & deformitatem, ita quoque furto infamiam abſtulerunt mundani homines. Nemo eſt qui furtum non deteſtetur tali voce expreſſum. At, ſi aliis nominibus illud enunties, pravitatem exuit, & horrorem. In explicatione ſuperioris mandati vidimus communem luxuriæ proprio vocabulo prolatæ deteſtationem. Illam vero illecebris, fucis, & coloribus calamiſtratam ſpectavimus in theatris ſplendidam, in choreis ſaltantem, in promiſcua, & familiari utriuſque ſexus conſuetudine ſuis deliciis, delicate, exquiſitaque arte vacantem. Furtum adhuc facilius colores ſuſcipit, & calamiſtra. Acriter invecti ſunt Patres adverſus monſtroſam hanc vitiorum in virtutes metamorphoſim. *Multi ſunt* (inquit Baſilius in Pſal. lxi. verſ. 5.) *qui pro bonis pravas comprobant actiones, & vitia virtutibus vicinis honeſtare contendunt. Nam ſcurrilia loquentem urbanum ac lepidum, turpiloquum vero po-*

liticum, amarulentum, & iracundum neutiquam contemnendum prædicant. Parcum vero, & minime liberalem, ut ſobrium diſpenſatorem commendant, prodigum quoque ut liberalem, libidinoſum ac laſcivum ut rebus ſuis utentem, atque animi ſolutioris virum. Utque ſemel omnia expediam, vitium omne palliant adumbrata nomenclatura e vicino ſubiectæ virtutis. Quid quod ipſe ethnicus Seneca hanc prodigioſam immutationem deteſtatus eſt epiſt. xlv. *Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur.* Furtum, ut mox dicturus ſum, occulta eſt alienæ rei acceptio, ſeu detentio. Qui bona ſurripiunt nocturno tempore, ianuas, parieteſque ſuffodiendo, ſcrinia infringendo, fures habentur. Ceterum plurimi illi & plurimi qui uſuris, & fraudibus pauperum ſanguinem exprimunt; innumeri rurſus illi qui induſtriæ, & laboribus indicto bello, reditibus otioſam vitam traducunt; debita cum mercatoribus contrahunt, quibus ſolvendis ſe idoneos non eſſe ſciunt; alii item qui reapſe pecuniis abundant, & nihilominus ad ſplendidiorem luxum fovendum debitorum ſolutionem differunt, debita debitis aggerunt, artificibus pactam operum mercedem, mercatoribus iuſta rerum pretia detinent, iura omnia ſuſdeque miſcent cum ingenti & privatorum hominum, & boni publici detrimento, nec infamiæ, nec culpæ id ſibi vertunt. Hæc graviſſima furta, immo rapinæ multorum nominum varietate honeſtantur; perinde ac ſi vocabulorum honeſtas criminis abſtergeret malitiam, & vocum varietas aboleret reatus infamiam. Et tamen eo ventum eſt, ut vel ipſi qui Theologi nuncupantur, his fallaciis capiantur. Nam, dum ad eorum tribunal ſimiles rapaciſſimi fures accedunt, promiſſione ſolvendi pro ipſa ſolutione contenti, abſolutionis ſacramentalis beneficium iiſdem impertiunt. Enimvero & ipſi mollitiem benignitatem, laxitatem clementiam, iuſtitiam rigoriſmum appellant. At quid adhuc hæremus in limine?

II. Communis finitio furti hæc eſt, quam tradit D. Thomas 2. 2. quæſt. lxvi. art. 3. *Occulta acceptio rei alienæ invito domino.* Et quamquam in hoc articulo D. Thomas non exprimat ultimam particulam *invito domino*, eam tamen exprimit *quæſt.* lxii. *art.* 8. ubi clarius hanc primam finitionis particulam exponit, inquiens, non ſolum acceptionem, verum etiam retentionem alienæ rei invito domino iniuſtitiæ labe inquinari. *Sicut accipere rem alienam eſt peccatum contra iuſtitiam, ita etiam detinere eam: quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab uſu rei ſuæ, & ſic ei facit iniuriam.* Manifeſtius adhuc eodem *art.* 3. declarat ſub iniuſta acceptione includi quoque detentionem iniuſtam. *Ad ſecundum dicendum, quod detinere id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione iniuſta. Et ideo ſub iniuſta acceptione intelligitur etiam iniuſta detentio.*

III.

III. Paucis finitio perſtringitur. Vox *occulta* diſtinguit aliquo modo furtum a rapina. Contendunt enim furem dici a *furvo*, ſeu fuſco, ideſt obſcuro, eo quod fur potiſſimum tempore utatur nocturno. *Acceptio* ſignificat omnem uſurpationem, & retentionem adverſus iuſtitiam, ſeu ius alterius. *Rei alienæ*: per hanc particulam differt furtum ab aliis iniuriis contra proximum. Homicidium enim aufert vitam, adulterium lædit thalamum, detractio famam; furtum vero bona externa ſurripit. Tandem additur *invito domino*: quia, ſi res aliena accipiatur domino conſentiente, furtum non perpetratur. Tum vero *invitus dominus* dicitur, quando iuſte repugnat ſurreptioni. Toties vero iure repugnat, quoties legitimus poſſeſſor, aut retentor eſt rei quam ſurripere invaſor conatur. Heinc eſt quod, urgente extrema neceſſitate, acceptio rei alienæ furti malitiam exuit, quia poſſeſſor iniuſte reluctatur: quoniam tunc omnia ſunt communia, induuntque primævam inſtitutionem naturæ.

IV. Aliam furti finitionem tradit S. Raymundus Lib. II. tit. *de furtis* ex Lib. IV. inſtitut. Iuſtinian. tit. I. *Furtum eſt contrectatio rei alienæ mobilis, corporalis, fraudulofa, invito domino, lucrifaciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus eius, poſſeſſionifve*. Ponitur *contrectatio*, quia licet & interior voluntas furandi prohibeatur tum hoc ſeptimo, tum decimo præcepto; tamen furtum proprie perficitur externa contrectatione. Additur *rei alienæ*, quia furtum rei propriæ non committitur. Ad furti autem rationem ſatis eſt quod aliquo titulo ad alium pertineat. Quare furtum committit ille qui rem ſuam, pignori datam, aut commodatam, a commodatario ſurripit. Particulæ *mobilis*, *corporalis* denotant res incorporeas & ſpirituales attrectari non poſſe. Immobilia vero bona invadi, & rapi poſſunt; clam auferri (quæ eſt furti notio) nequeunt. *Fraudulofa* ſignificat furem eum non eſſe qui rem alienam accipit bona fide, putans eſſe ſuam; licet teneatur illam reddere. *Invito domino*: quia, ſi quis rem accipiat alienam, prudenter præſumens dominum conſenſurum, furtum non perpetrat. *Lucri faciendi cauſſa*: ſi enim ancilla rapiatur, non ad lucrum, ſed explendæ libidinis gratia; peccatum eſt, ſed non furtum. Poſtremum *vel ipſius rei, vel uſus eius, poſſeſſionifve*. Eiuſmodi particulæ denotant furem eſſe non modo qui dominium, verum etiam qui uſum, aut poſſeſſionem rei alienæ uſurpat.

V. Furtum dividitur in varias ſpecies. Primum ſimplex dicitur, quo privatus quidpiam alteri privato clanculum ſurripit. Secundum eſt *peculatus*, quo publicum patrimonium dilapidatur. Iſtius furti rei communiter ſunt patrimonii Principatus adminiſtratores, qui in propriam rem pecunias publicas convertunt, qui e publicis tabulis quidpiam expungunt, aut diminuunt, qui prædam ab hoſtibus captam, ſibi in totum, aut in partem appropriant. Peculatus quoque rei ſunt qui populos iniuſtis exactionibus gravant, & opprimunt, aut vectigalia inæqualiter

ter diſtribuunt; & Publicani, qui plus exigunt quam quod a Principe conſtitutum eſt. Tertia furti ſpecies eſt *plagium*, in hoc ſitum, quod homo liber, aut alienus ſervus vendatur, in ſervitutem propriam adducatur, vel permutetur, aut ematur. De hoc furto hæc ſcribit S. Paulus Apoſtolus I. ad Timoth. 1. *Sciens hoc, quia lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus, PLAGIARIIS, mendacibus, & periuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur*. Quarta furti ſpecies eſt *abigeatus*, in abductione pecorum, equorum, idque genus animalium poſitus, ut habetur Lib. XLVII. tit. XIV. digeſt. de abigeis l. 1. & 3. *Abigei, qui pecora ex paſcuis, vel ex armentis ſubtrahunt, & quodammodo depredantur, & abigendi ſtudium, quaſi artem, exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes. Ceterum, ſi quis bovem aberrantem, vel equos in ſolitudine relictos abduxerit, non eſt abigeus, ſed fur potius*. Magis autem abigeus habetur qui a ſtabulo quam qui a grege ſeu paſcuis; & magis qui a grege quam qui a ſilva pecus abigit. Iuriſtæ diſtinguunt etiam furtum *manifeſtum*, in quo fur, antequam rem ſublatam eo deferat quo deſtinaverat, deprehenditur; & non *manifeſtum*, in quo fur non deprehenditur. Item *diurnum*, nempe die commiſſum, & *nocturnum* in tenebris patratum. Tandem *qualificatum*, quod in iure habet ſpeciale nomen, & pœnarum ſeveritate punitur; & *non qualificatum*, quod nec ſpeciale nomen, nec peculiares pœnas ſancitas habet. Furtum qualificatum in iure eſt *peculatus*. Pœnæ latæ a ſacris canonibus, ut excommunicatio &c. contra fures, afficiunt tantum furta theologice ſpectata. Pœnæ vero conſtitutæ a iure civili ſpectant tantum furta iuxta leges civiles diſtincta. Illa enim furta quæ penes Iuriſconſultos, & leges civiles ſpecie differunt, ac variis pœnis plectuntur, apud Theologos eiuſdem ſunt ſpeciei.

VI. Theologi autem duas ſolummodo peculiares ſpecies furti diſtinguunt. Altera eſt *ſacrilegium*, quando nimirum auſertur vel ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro. Quare non ſunt audiendi recentiores aliqui, contendentes, ſacrilegium non eſſe furtum crumenæ in Eccleſia perpetratum; cum ſit non ſacrum de ſacro. Nam in cap. *Quiſquis inventus* XVII. quæſt. IV. perſpicue declaratum fuit, ſacrilegium eſſe ſurripere rem non ſacram de loco ſacro. Altera furti ſpecies eſt *rapina*, quæ varias ſignificationes admittit. Aliquando enim ſumitur pro quacumque illicita alienæ rei uſurpatione, vel retentione. Ipſi Epiſcopi, & ceteri Paſtores ſacri rapaces a Patribus vocantur, ſi patrimonia Eccleſiarum, proprio victu adempto, diſtribuere omittant. Rapina de qua in præſens ſermo inſtituitur, eſt *ablatio violentia rei alienæ*. Ratio qua rapina a furto diſtinguitur, hæc aſſignatur a D. Thoma 2. 2. quæſt. LXVI. art. 4. *Furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio eſt involuntaria ex parte eius cui aliquid ſubtra-*

Digitized by Google

trahitur. Involuntarium [illegible] *em dupliciter dicitur; ſcilicet per ignorantiam, & violentiam, ut habetur in III. Eth. Et ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum. Ergo propter hoc aſſerunt ſpecie*. In aliis peccatis diverſitas *voluntarii* non conſtituit diverſitatem ſpeciei. Hoc ſolum accidit, inquit S. Thomas, in peccatis contra iuſtitiam. Neoterici quidam reiiciunt hanc D. Thomæ doctrinam. Fatentur, furtum ſpecie a rapina differre, non ob voluntarii diverſitatem; ſed ob hoc quod furtum ſit circa res, & rapina circa perſonas, quas peculiari iniuria rapaces afficiunt. Nemo negat, rapinam iniuriam irrogare perſonæ, cui vi res ſubtrahitur: qua ratione gravior eſt etiam ſimplici furto. At hoc eſt quod rapinam conſequitur, ſeu effectus illius. Rapina enim non perſonam recta ſpectat, ſed bona ſurripienda. Hæc ſunt illius immediatum obiectum. Quoniam vero impotenti cupiditate raptor abripitur in bona aliena, hinc eadem ſurripit cum gravi domini contumelia, & iniuria. Sed quid in metaphyſica diſceptatione tempus tero, cum de ipſa re conveniat penes omnes? Lubet potius doctrinam tranſcribere quæ praxim ſpectat, & ſummopere eſt memoriæ commendanda.

VII. Catechiſmus Concilii Tridentini *III. Part. cap.* VIII. *de ſept. præcep. num.* 9. *& ſeq.* varia furtorum genera deſcribit his verbis. *Sunt igitur fures etiam qui furto ſublatas res emunt, vel aliquo modo inventas, occupatas, aut ademptas retinent . . . Eodem ſe alligant ſcelere qui in emendis, vendendiſque rebus fraudes adhibent, & vanitatem orationis. Horum fraudes vindicabit Dominus. Graviores, & iniquiores in hoc furtorum genere ſunt ii qui fallaces, & corruptas merces vendunt pro veris, & integris; quive pondere, menſura, numero, & regula decipiunt emptores . . . . Furtum etiam apertum eſt operariorum, & artificum, qui totam & integram mercedem ab eis exigunt quibus ipſi iuſtam, ac debitam operam non dederunt. Nec vero diſtinguuntur a furibus ſervi dominorum, rerumque cuſtodes infidi; quin etiam eo ſunt deteſtabiliores quam reliqui fures, qui clavibus excluduntur, quod furanti ſervo nihil domi obſignatum, aut occluſum eſſe poteſt.*

Furtum præterea facere videntur qui fictis, ſimulatiſque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent: quorum eo gravius eſt peccatum, quod furtum mendacio cumulant. Illi quoque in furum numero reponendi ſunt qui, cum ad privatum aliquod, publicumve officium conducti ſint, nullam, vel parvam operam navantes, munus negligunt, mercede tantum, ac pretio fruuntur. Reliquam furtorum multitudinem a ſolerti avaritia, quæ omnes pecuniæ vias novit, excogitatam perſequi longum eſt, & ut diximus, difficillimum . . . .

Rapinæ igitur patent latius: nam qui debitam operariis mercedem non perſolvunt, ſunt rapaces. Quos S. Iacobus ad pœnitentiam invitat his verbis: Agite nunc divites &c. . . . . *In hoc crimine rapacitatis includuntur qui, quæ Eccleſiæ Præſidibus, & Magiſtratibus debentur, vectigalia, tributa, decimas, & reliqua huius generis, non diſ-*

Digitized by Google

diſſolvunt, vel intervertunt, & ad ſe transferunt. Huc etiam referuntur feneratores in rapinis acerrimi, & acerbiſſimi, qui miſeram plebem compilant, ac trucidant uſuris . . . .

Item rapinas faciunt nummarii iudices, qui venalia habent iudicia; & pretio, muneribuſque deliniti, optimas tenuiorum, & egentium cauſas evertunt. Fraudatores creditorum, & inficiatores, quique, ſumpto temporis ſpatio ad ſolvendum, ſua, vel aliena fide merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem rapinarum crimine. Quorum etiam delictum gravius eſt, quod mercatores, illorum deſtitutionis, & fraudationis occaſione, magno detrimento civitatis carius vendunt omnia.

VIII. Ex quibus omnibus patet, mundum furtis, & rapinis ſcatere. Rariora ſunt furta nocturna, & quæ penes vulgus furti ſcelus audiunt, quæque perpetrant illi qui inopia premuntur; obvia vero, & frequentiſſima ſunt furta quæ exercent divites, nobileſque illi qui prætextu ſuſtinendi ſtatus decorem debita ingentia contrahunt, quamvis ſciant ſe non eſſe ſolvendo; &, ut faſtum, luxum, pompas vanas, & oblectamenta foveant, creditoribus debita ſubtrahunt. Quæ, & alia plura ſummopere advertere Confeſſarii debent, ut ſimiles ad ſe accedentes, antequam abſolvant, ad ſolvenda debita prius remittant. *Vade prius reconciliari fratri tuo.*

CAPUT III.

De quantitate materiæ neceſſariæ ad furtum mortale.

I. VIX eſt in univerſa chriſtiana Theologia controverſia aut reſolutionis difficilioris, aut maioris utilitatis hac quam modo ſuſcipimus. Diſtinctionem letalis, & venialis culpæ Catholici admittunt omnes in furto; at non omnes utriuſque culpæ diſcrimen facile agnoſcunt. S. Auguſtinus difficillimam eſſe iſtius diſtinctionis notitiam fatetur Lib. XXI. de Civ. Dei cap. XXVII. *Sed quis iſte ſit modus, & quæ ſint iſta peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum eſt invenire, periculoſiſſimum definire. Ego certe uſque ad hoc tempus, cùm inde ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortaſſis propterea latent, ne ſtudium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigreſcat. Quoniam, ſi ſcirentur quæ, & qualia ſint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitæ melioris abſumptis interceſſio ſit inquirenda, & ſperanda iuſtorum, eis ſecura ſe obvolveret humana ſegnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret; ſed tantummodo quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos ſibi de mammona iniquitatis eleemoſyna-*

Digitized by Google

narum largitione feciſſet. Nunc vero, dum venialis iniquitatis, etiam ſi perſeveret, ignoratur modus, profecto & ſtudium in meliora proficiendi orationi inſtando vigilantius, adhibetur, & faciendi de mammona iniquitatis ſanctos amicos cura non ſpernitur.

II. Caſuiſtæ recentiores nil familiarius habent quam decernere ſumma facilitate ac fiducia hoc veniale, illud eſſe mortale crimen. Fatemur utique, aliqua maniſeſte & certo eſſe venialia, ut verba otioſa, curioſi aſpectus, furta unius oboli, & cetera id genus, de quibus nulla eſt apud eruditos diſputatio. De illis ergo culpis nobis ſermo eſt quas in diſputationem Theologi revocant, diſſidentque inter ſe, ſint ne mortales, aut veniales. Iſtis certos fines ſtatuere, & quo in genere collocari debeant, difficillimum, ac periculoſiſſimum eſſe Auguſtinus docet: cui ſuccinit D. Thomas quodlib. VII. *Omnis quæſtio in qua de peccato mortali agitur, periculoſe determinatur, niſi veritas expreſſa habeatur.* Prudentes itaque animarum rectores Auguſtinum, Thomam, ceteroſque Sanctos imitentur, qui, licet ſapientiſſimi, tamen fateri non erubuerunt ſe frequenter ignorare limites culpæ venialis, & mortalis, docueruntque abſtinendum a tali iudicio, quando obſcura veritas eſt. Quid ergo agendum? In bivio ne fideles ancipites relinquendi? Minime gentium Sed inſtruendi, ut omni ſtudio abſtinere curent ab iis omnibus quæ certo mala eſſe cognoſcunt, quamquam evidenter malitiæ limites ignorent. Innumeræ ſunt corporis ægritudines, quarum vim ad mortem inferendam ignorant medici. Illis autem potiſſimum ſollicite remedia adhibent quarum dubium habent exitum. Voluit Deus, inquit S. Auguſtinus in laudato textu, plurima nobis abſcondita eſſe, ut ſecuritatis vanæ, & ſegnitiei periculum auferret, atque errandi in unico graviſſimo negotio timorem nobis incuteret, & proficiendi, conſequendique bravium diligens ac fervens ſtudium excitaret. Videant ergo quot periculis ſe ſe obiiciant qui facillime ſententiam ferunt circa eleemoſynarum diſtributionem, theatrorum, comœdiarumque frequentiam, exhibenda inimicis dilectionis evangelicæ ſigna, circa furta, iniuſtias, debita ſolvenda, & ſexcenta alia, hoc veniale, illud mortale eſſe pronuntiantes. Verum plus iuſto forte præfatus ſum; cum hoc de argumento uberior oratio futura ſit in tractatu de peccatis. Ad rem ergo accedamus.

III. Novem circiter ſunt Theologorum ſententiæ ſuper quantitate neceſſaria ad furtum letale. Martinus Navarrus ait, ſeptem vel octo aſſes ſatis eſſe ad furtum mortale. As duos ſolidos Venetos valet. Corduba ad peccatum mortale requirit unum iulium. Bartholomæus Medina duos, Valentia tres. Quinta opinio eſt Alphonſi de Vega, qui requirit ad furtum mortale quatuor, aut quinque regales. Ludovicus Molina eam materiam reputat gravem quæ ſatis ſit ad alendum per diem unum operarium. Septima opinio definit tres iulios eſſe materiam gravem furti

Digitized by Google

furti reſpectu etiam hominis ditiſſimi. Octava diſtinguit quatuor perſonarum genera. Unum eſt eorum qui ſplendide vivunt, ut magnates opulenti. Secundum eorum qui reditibus ſuis vitam tranſigunt, ut honeſti cives mediocriter divites. In tertio ſunt artifices. In quarto qui mendicato vivunt. Reſpectu primi generis nummus aureus eſt materia gravis, reſpectu ſecundi generis quatuor regales, reſpectu tertii duo, & reſpectu quarti unus regalis, ſeu unus iulius, aut viginti ſolidi Veneti. Nona opinio, quæ nec Dianæ placet, eſt Rodriquez, qui eam vocat materiam gravem quæ excedit duos aureos reſpectu valde divitum. Hanc ſententiam plures tribuunt etiam Dominico Soto; ſed falſo, quia Sotus *Lib. V. de iuſt. quæſt.* III. *art.* 3. ſolum dicit, aliquam materiam eſſe tam evidenter gravem, ut nullus ſit diſputationi locus; ut duo, aut tres aurei ducati, etiamſi ſurripiantur Cæſari. Ceterum quænam reapſe ſit gravis materiæ quantitas, infra quam furtum ſit veniale, ibi Sotus non declarat. P. Antoninus Diana *Tom. VIII. coord. tract.* 1. *reſol.* 3. recenſet omnes præfatas opiniones, nullamque ut falſam refellit; ſed de more electionem lectori remittit. Idem præſtat P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. in Decal. tract.* II. *cap.* II. *num.* 4. Porro ut in tanta opinionum varietate aliquid certi conſtituatur, quædam regulæ aſſignandæ ſunt.

IV. *Regula prima.* Deſignari poteſt certa pecuniæ ſumma, quæ ad nullum dominum, ſive divitem, ſive pauperem, relata, mortifera culpa furem conſtringat. P. Paulus Comitolus, multis mihi titulis ſuſpiciendus *Lib. IV. quæſt.* XXIII. *num.* 4. redarguit P. Dominicum Soto, quod præfatam doctrinam propugnet *Lib. V. de iuſt. quæſt.* III. *art.* 3. Quoniam, inquit Comitolus, furtum ſecundæ tabulæ præcepto prohibetur. Iſtius autem tabulæ mandata ad proximi caritatem referuntur. Ergo furtum quod proximum graviter non lædit, mortiferum non eſt. Niſi dicere velimus, caritatem non Deo, & proximo tantum deberi, verum etiam pecuniis, rebuſque vitæ, & rationis expertibus: quod nec cogitare convenit. Ad argumentum P. Soto, inquientis: Ergo furari a Cæſare centum aureos numquam erit mortale crimen: reſpondet Comitolus *num.* 5. ſæpe numero potentiſſimos Reges, atque Principes non minus quam aliquem privatum civem, uno egere aureo. Nam, licet ſint opulentiſſimi, nihilominus arces, oppida, & urbes, quas partim ædificant, partim reficiunt, partim muniunt, milites, quos conducunt ad cuſtodiam, exercitus, quos alunt ad prælia, innumerabilium hominum calamitoſorum, quibus opitulari debent, turba, familiæ tum profanæ, tum ſacræ, quibus ſubſidia ſuppeditant, quamplurimæ, miniſtri, quibus eſt merces perſolvenda, permulti, amici, quorum obſequia remunerantur, non pauci, in cauſſa ſunt cur Regibus, reliquiſque magnis Principibus deſint potius opes quam ſuperſint. Idque confirmat Salomon in Eccleſiaſtæ cap. V. *Ubi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt eas.*

V. Ve-

Digitized by Google

V. Vera ſunt hæc omnia. Quid inde? Ideone uno egent aureo opulentiſſimi, & ditiſſimi Reges, ut Comitolus contendit, non ſecus ac quiſque privatus? Rex aut Imperator, qui uno eget aureo, non valet aureum. Verum, ut palam fiat, quam ſit doctrina P. Soto firma, hypotheſim conſtituamus, ſcilicet Regem ditiſſimum, ut fuit Salomon, nec uno egere, nec decem, nec centum aureis; nullumque ex eorum ablatione incommodum percepturum. Hac poſitione facta, qui huic Regi ſurriperet duos, vel decem, vel viginti aureos, indemnis ne eſſet a furto gravi? Si conſiſteret doctrina P. Comitoli, hic ſane mortifero furto non ſe conſtringeret. Hoc tamen quam ſit falſum, nemo non videt.

VI. Doctrinam P. Comitoli defendunt plures tum recentiores, tum antiquiores, quos inter P. Dominicus Bannez 2. 2. *quæſt.* lxvi. *art.* 6. ubi aſſerit, nullam materiam eſſe gravem in furto, niſi quæ grave nocumentum infert proximo in bonis temporalibus. Ex qua doctrina hoc deducit conſectarium: *Si aliquis privatus Regis, cui committitur diſpenſatio multorum milliarium ducatorum, arripiat ſibi centum, vel ducentos, non eſt peccatum mortale. Ratio eſt, quia Rex non eſt rationabiliter invitus in ordine ad talem miniſtrum.* Laxiſſimam hanc opinionem non idcirco retuli, ut ipſam argumentis, & digna confutatione convellerem (ſeipſa quippe corruit) ſed ut intelligant omnes, me a partium ſtudio penitus abhorrere; & non minus in domeſticis, quam in extraneis illa refellere quæ tenuitati meæ aut falſa, aut laxa videntur. Et quia laxitatis plenam reputo hanc P. Bannez, Theologi alioquin graviſſimi, doctrinam; propterea diſſimulandam illam non duxi, ſed indicandam cenſui, ut ab eadem ſibi lectores caveant: tametſi opera P. Bannez vix in vulgi manus, ut illa Dianæ, Tamburini, Caſtropalai, aliorumque perveniunt.

VII. Ut itaque primam regulam explicem, conſtituenda eſt bonorum ſumma quæ abſolute, & reſpectu omnium, quacumque præciſione facta, ſit gravis, & quæ abſolute, ac ad omnes perſonas relata ſit parva. Terminus magnitudinis reſpectu omnium, etiam Regum, & Principum, erit v. g. unus aureus. Quoniam nummus aureus iuxta prudentum ſententiam bonum eſt gravi pretio æſtimabile. Furtum autem non perſonam, ſed bona externa reſpicit. Ergo, quoties bona in prudentum exiſtimatione gravis valoris auferuntur, toties perpetratur furtum grave. Materia parva reſpectu omnium erit unus & alter ſolidus. Hæc namque pecuniæ quantitas abſolute bonum leve eſt, atque adeo furtum leve conſtituit. Et ſicuti in primo caſu, quod Rex ditiſſimus non ſentiat incommodum ex ablatione unius aurei, non tollit quin furtum ſit peccatum mortale; ita in ſecundo caſu, quod aliquis pauper ſentiat grave damnum ex ablatione unius vel alterius ſolidi, non efficit quod unus & alter ſolidus non ſit bonum parvum in prudentum æſtimatione. Quare, ſi peccatum grave tum accidat ob grave nocumentum illatum,

non

Digitized by Google

non erit grave in genere furti proprie dicti; ſed gravis culpa erit ob damnum illatum. Aliqui illud vocant furtum damnificativum.

VIII. Dices. Materia gravis, etiam reſpectu Regis ditiſſimi, eſt iuxta plures unus ducatus; immo iuxta aliquos ſunt duo iulii. Ergo non poteſt deſignari materia certa abſolute gravis reſpectu omnium, ita ut nec minor ſufficiat, nec maior requiratur. Reſp. Verum habet, ſi ſermo ſit de deſignatione arithmetica, & individua; ſecus, ſi iuxta prudentum exiſtimationem res expendatur. Neque enim diximus, unum aureum ita gravem eſſe furti materiam, ut minor iuxta plures non ſufficiat; ſed quod maior non requiratur. Senſus ergo eſt, reſpectu etiam ditiſſimi Regis aureum ita eſſe materiam gravem, ut plus non requiratur, iuxta prudentum æſtimationem. Minorem vero ſufficere plures docent, nec ipſe repugno. Nam medius aureus ſatis eſt ad alendum per diem quemcumque Principem. Ablatio vero alimenti, quod per diem ſufficit perſonæ, cui res auſertur, videtur eſſe materia gravis, furtum reddens mortiferum.

IX. *Regula ſecunda.* Communiter furtum grave, aut leve dicitur relate ad perſonas. Hæc porro regula priori minime adverſatur. In illa quippe generatim ſtatutum fuit, ſummam aliquam eſſe quæ mortiferum furtum efficit; & aliquam item quæ per ſe veniale conſtituit, nullo ſpectato perſonarum ſtatu. In hac ſecunda regula declaratur, alia eſſe furta reſpectiva, quæ pro qualitate eorum quibus bona ſurripiuntur, gravia, aut levia cenſentur. Tres perſonarum ſtatus diſtingui communiter ſolent, ditiſſimi, divites, pauperes. P. Thomas Tamburinus *Lib.VIII. tract.* 11. *cap.* 11. *num.* 3. inquit: *Fateor, a ditiſſimo Principe, niſi duos, aut tres aureos fureris, fortaſſe te non peccaturum mortaliter.* Quantitas hæc dubio procul gravis eſt. At ea etiam minor, puta unus aureus, ſatis eſt ad efficiendum furtum grave, ut communis fert ſententia, ob rationem adductam: quia ſive hæc ablatio grave inferat Principi nocumentum, ſive ſecus, privat Principem iure quo potitur in rem gravi pretio æſtimabilem. Idque verum iudicant etiam Theologi illi qui materiam furti quamlibet reſpectivam eſſe contendunt. Falſam cenſeo ſententiam peculiarem Franciſci Sylvii in 2. 2. *quæſt.* lxvi. docentis, te peccare mortaliter, ſi a Rege auferas duos iulios. Hæc quippe pecunia reſpectu Regum, Principumque iuxta communem exiſtimationem levis eſt. Si, quod ipſe ſentio in hac involuta cauſſa, proferre mihi licet, exiſtimarem decem iulios eſſe abſolute reſpectu etiam Principis ditiſſimi materiam gravem: quia & hæc quantitas prudentum iudicio gravis videtur; ordinemque iuſtitiæ pervertit illius ſurreptio. Fateor, grave damnum ex tali furto divitem Regem non experiri: quod damnum forſitan non ſentiret, etiamſi decem, aut viginti aurei auferrentur. At propterea ne furtum decem aureorum non erit letale? Si divitibus privatis tres iulios, ſeu tres libellas Venetas, ſurriperes, crederem te peccare mortaliter. Si a perſonis inferioribus, puta

Digitized by Google

puta a mercatoribus, ab artificibus neque pauperibus, neque divitibus, ſed ſua induſtria commode vitam tranſigentibus, duos auferas iulios, forte gravem culpam non evades.

X. *Regula tertia.* Vera aliquo in ſenſu doctrina illa eſt qua ſtatuitur, materiam eamdem quæ reſpectu divitis levis eſt, reſpectu pauperum, artificum, mercenariorum gravem fieri poſſe. Quot ſunt artifices, & operarii, qui per totum diem laborantes nec iulium lucrantur in laboris pretium? Quare vix ambigendum videtur, graviter peccaturum eum qui hanc pecuniæ quantitatem eiuſmodi perſonis ſurriperet. Diſtinguunt hic Theologi materiam quam vocant *damnificativam*, a *furtiva*. Materia quæ *rei furtivæ* levis eſt, *rei damnificativæ* gravis eſſe poteſt; ut acus, ſubula, & id genus inſtrumenta ſunt abſolute, & etiam relata ad perſonas quaslibet, furti materia levis. Dictum enim eſt, dari materiam natura ſua, & abſolute levem reſpectu omnium perſonarum, quemadmodum & gravem. At, ſi a ſartore acum, a ſutore ſubulam accipias, ſine quibus inſtrumentis nequeunt illi ea die laborare, ut victum ſibi comparent; materia hæc, ut graviter *damnificativa*, gravis reputatur. Si tamen lata in furtum excommunicatio eſſet, eiuſmodi fures eidem non fierent obnoxii: quia furtum mortiferum revera non perpetraſſent; quamvis letale peccatum admiſiſſent ob grave damnum pauperibus irrogatum. Excommunicatio autem in fures, non in damnificatores, lata ſupponeretur. Hoc idem accidit ratione voluntarii ad furtum requiſiti. Ut furtum grave ſit, præter materiam gravem, exigit rationabilem domini repugnantiam, eo quod debet eſſe *invito domino*. Non raro dominus eſt graviter invitus ob ablationem rei levis, cuius vehementi tenetur affectu; & graviter ob eiuſdem privationem triſtatur. Tum furtum leve reapſe foret ob materiæ parvitatem; at gravis poſſet eſſe culpa, ſi quis rem tenuem ſurriperet conſcius triſtitiæ, & moleſtiæ, quam domino afferret. Ob oppoſitam rationem furtum unius aurei, licet grave ſit, materiæ quantitate ſpectata, leve ſub hoc ſecundo reſpectu fieri poteſt, eo quod dominus non ſit valde invitus; aut, ſi invitus eſt quantum ad modum, invitus non ſit quantum ad ſubſtantiam; ut contingere interdum in filio poteſt, qui patri ſurripiat unum aureum. Mortiferum quoque fieri valet furtum ratione ſcandali; licet materia ſublata levis ſit: ut, ſi prævideas dominum blaſphematurum, aut innocentem grave damnum incurſurum ob rem levem quam ſurripis.

XI. *Regula quarta.* Hinc colligas velim, quanto ſtudio cavendum a furto ſit. Varia Theologorum placita vigilem, non ſegnem te reddere debent. Nec qui laxa, nec qui ſevera docent, tibi ſecuritatem ſpondent. Si ergo æternæ ſalutis ſtudio ſincero tangeris, innocuas a qualibet re manus debes ſervare. Dum ad arctos cancellos duorum aut trium iuliorum gravem furti materiam reſtringere audis, dia-

Digitized by Google

diabolo ſuadente, clamas: Numquid ſuaviſſima Chriſti lex ob paucos denarios in æternum proiiciet animas, quas tanto ſibi comparavit pretio? Hoc pacto ratiocinabatur Eva, antequam furtum committeret. Numquid ob unius pomi ſurreptionem mortem infliget Deus? Nequaquam moriemini, reponebat ſerpens. Hac decepti illuſione furtum perpetrarunt infelices parentes, & mortis ſupplicio multati fuerunt. Furtum enim hoc fuiſſe S. Leo Papa cum pluribus aliis adfirmat *epiſ.* lxxxvi. ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum. *Furtum reperitur in peccato Adami, quia prohibitus uſurpatus eſt cibus: & avaritia, quia plus quam ſufficere illi debuit, appetivit.* Plantam illam ſibi Deus reſervaverat, vetuit ne ex eadem fructum quempiam acciperent parentes noſtri. Adam, & Eva, domini univerſorum conſtituti, minime contenti fuerunt, ex aliena planta pomum ſurripere auſi ſunt. Quot ſunt qui ſuarum vinearum, prædiorumque fructibus minime ſatures, alienas invadunt vineas, prædiorumque deprædantur fructus? Deinde cum ſerpente clamant: Numquid ob uvæ racemum, ob paucos fructus æternum Deus animas damnabit? Mitte has diaboli illuſiones, & ad Dei mandatum, *Non furaberis*, animum intende. Gravem malitiam furti meditare. Paulum ſanctum auſculta dicentem, fures non eſſe regnum Dei poſſeſſuros. Audi Oſeam clamantem cap. iv. *Audite verbum Domini filii Iſrael, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea.* Imitare Tobiam cap. ii. *Anna uxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum quem conſequi poterat, deferebat. Unde factum eſt ut hædum caprarum accipiens detuliſſet domi. Cuius cum vocem balantis vir eius audiſſet, dixit: Videte ne forte furtivus ſit: reddite eum dominis ſuis: quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Tandem principium illud a natura inſitum tibi ſæpius mente revolve. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Inſuavem reputas legem Chriſti, quod adeo ſevere paucorum denariorum furtum prohibeat? Quid, ſi dominus ad exercitium fidelitatis, obedientiæ, & humilitatis tuæ talem rogaſſet legem? Nonne iuſtiſſima foret? Quid vero quod ad communem omnium utilitatem, ad mutuam ſervandam pacem, tranquillitatem, iuſtitiam, & ſecuritatem, furta Deus vetavit? Fac Deum furta præcepiſſe. Quid heinc? Redundaret mundus latrociniis, ſanguine, homicidis, graſſatoribus, & omnia eſſent perturbata, atque confuſa. Cum itaque certum ſit, furtum peccatum eſſe, & quidem grave; ſæpius vero incerta ſit, & indefinita eiuſdem materia gravis vel levis: heinc inferre debes, omni cura abſtinendum a furto eſſe. Noli deſipere. Theologorum quorumdam laxis opinationibus furta tua, ſi gravia apud Deum ſint, levia ſane non fiunt. Inexcuſabilis enim es, quod omnes graviores Theo-

Digitized by Google

Theologi te admoneant, ſecuram præſcribi non poſſe regulam, qua furtum leve ſemper ſecernatur a furto gravi. Unica ergo ſecura via eſt abſtinere prorſus ab omni furto. Quod ſi, infirmitate humanæ naturæ cogente, furtum interdum perpetratum ſit, tum ut eiuſdem gravitatem deprehendere ſecurius valeas, expende ex parte furis, quo animo rem ſurripuerit. Nam ratione pravi animi, rem gravem rapiendi, ut grave damnum inferatur proximo, furtum rei levis grave peccatum eſſe poteſt. Perpende, quo fine, qua neceſſitate furatus homo ſit: ſæpe enim neceſſitas, & inopia, ſi non excuſant, diminuunt tamen criminis malitiam. Eius cui ſurrepta res fuerit, conſidera ſtatum, & conditionem, egeſtatem, vel opulentiam. Hæc forte paullo fuſius diſputata; ſed non præter ſcopum, nec inutiliter. Poſſunt enim Confeſſarii hinc colligere quæ populis debeant.

CAPUT IV.

De furtis minutis.

I. TRiplici pacto minuta furta committi valent. Primo, ſi ab uno eodemque per interruptas vices parva bona accipias, quorum prima non conſtituant damnum notabile; addita vero aliis poſterioribus furtis efficiant materiam gravem. Secundo, dum quis a pluribus perſonis parva bona ſurripit; nulli tamen grave infert damnum, ſed ſibi magnum commodum comparat. Poſtremo, cum ab uno eodemque parva bona ſinguli accipiunt, ita ut illorum nemo ſibi quidpiam notabile bonum acquirat; grave tamen detrimentum omnes ſimul domino inferant.

II. Qui ab uno, vel a pluribus minutatim pluribus vicibus parva bona ſurripit, animo perveniendi ad notabilem quantitatem, graviter prima vice peccat ob pravam animi cupiditatem; ſi tamen ad magnam quantitatem non perveniat, gravi reſtitutionis oneri non ſubiacet. Quare tam venditores, quam emptores, qui vel ſtateris doloſis, vel menſuris minutioribus modica furantur animo continuandi, peccant mortaliter, cum primum res parvas furantur.

III. Qui modica ab aliquo ſurripit, quamvis animo non attingendi ſummam gravem, ſi tamen repetitis furtulis ad quantitatem gravem perveniat, ſcienter furtum mortiferum perpetrat, & ad reſtitutionem tenetur. Porro, ut ex minutis furtulis grave furtum conſletur, oportet exigua furta eſſe moraliter continuata, ſeu non amplis intervallis ſeiuncta: ſi enim aliquo modo coniuncta non ſint, nequeunt unum totum conſtituere. Quodnam autem temporis ſpatium fluere inter unum & aliud furtulum debeat, ut interrupta cenſeantur, varia ſunt Auctorum placita. Alii requirunt quatuor annorum, alii duorum intervallum annorum expoſcunt.

Digitized by Google

Alii ſuſtinent ſufficere unius anni, alii ſex menſium ſpatium. Nulla ex his opinionibus arridet. Quid ergo dicendum? Hæret aqua, & regula præciſa vix occurrit. Continuatio furtulorum ex circumſtantiis furum, & rerum quæ furripiuntur, colligi poteſt. Si perſona quæ minutatim furatur, aſſueta ſit furtis iſtis; ſi nullam adhibeat diligentiam ab iiſdem ſibi temperandi, ſed quadam veluti aſſuetudine furtula hæc, interpoſitis morulis, & intervallis perpetret; continuata furta reputantur. Contra, ſi abſolute perſona ſurripiens a furtis abhorreat, ſed, occaſione oblata, &, appetitione urgente, furtulum committat, ac poſtea illud deteſtetur; ſi temporis decurſu maiori aut minori in furtulum relabatur, iterumque illud deteſtetur: tum furtula ſeiuncta, & diſparata ſunt; nequeuntque unum totum efficere furtum mortiferum. Ne multa. Quando perſona ſurripiens exigua bona, reapſe non advertit ad præcedentia furta nec expreſſe, nec interpretative; neque adeſt vel affectata, vel ſupina, vel gravis ignorantia; tunc furtulum non coniungitur cum præcedentibus. Convenit penes Auctores, maiorem quantitatem requiri in furtulis repetitis diverſis vicibus quam in furto unico, ad conſtituendam materiam gravem; ſicut maior quoque quantitas neceſſaria eſt, ſi exigua bona pluribus, quam ſi uni ſoli auferantur. Quænam autem ſit iſtius maioris quantitatis menſura, definiri nequit. Quare ſolum ex variis circumſtantiis rerum, temporis, & perſonarum colligi id poteſt.

IV. Diſputant in utramque partem Theologi, utrum qui repetitis furtulis ad quantitatem gravem pertingit, mortaliter peccet, dum ultimam illam partem complentem materiam gravem ſurripit; an ſolum, dum eam retinet; ſeu, utrum peccet *acceptione* illius ultimæ partis, aut *retentione*. Probabilior ſententia eſt, acceptionem ipſam eſſe mortiferam, quando fur conſcius eſt præcedentium furtulorum, nec eadem reſtituerit. Si enim eorumdem facta reſtitutio fuiſſet, iam ultimum furtulum non coniungeretur cum præcedentibus. Probatur. Hæc ultima acceptio, licet in ſe exigua ſit, iuncta tamen præcedentibus gravis evadit. Idque patet in aliorum præceptorum tranſgreſſione. Qui pluries in die ieiunii comedit, letaliter peccat in ultima comeſtione, quæ materiam gravem complet. Qui in die feſto ſæpius parum laborat, mortiferum peccatum peccat, dum ultimum opus exercet. Cedo. Cur retentio ultimi furtuli peccatum grave eſt? Non alia ſane ratione, niſi quia cum præcedentibus copulatur. Ergo eadem ratione letalis eſt ultima acceptio, quod aliis antecedentibus furtulis iungatur. Accedit quod, ſi reſtituas rem hac ultima acceptione ſurreptam, non teneris ſub mortali reſtituere exigua furta præcedentia. E. g. furatus es duos iulios, ultimo furaris tertium, qui gravem materiam conſtituit; ſi hunc unum reſtituas, non teneris ſub mortali reddere duos præcedentes furatos. Ita docent contrariæ opinionis patroni. Ergo iuxta eorumdem principia, ultima acceptio, complens materiam gra-

gravem; graviter noxia eſt. Verum hæc parum ad praxim, cum omnes adfirment peccare mortaliter eum qui poſt parva furta pertingit ad materiam gravem. Quod vero peccet acceptione, aut retentione, parum ad praxim confert.

V. Poſt completum furtum grave & interruptum, ſi iterum ſurripias rem exiguam, non peccas mortaliter, ſed venialiter: quia nova furtulorum ſeries incipit. Non enim exigua nova furta coniunguntur cum antecedentibus, ſed cum ſubſequentibus. Et quando iterum his adiecta ultima pars fuerit, erit novum diſtinctum mortale peccatum.

VI. Qui modica multis furatur, tametſi ſingulis notabile detrimentum non inferat, dum pervenit ad furtum gravis quantitatis, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem. Quoniam, licet ſingulis leve intulerit detrimentum, grave tamen inde Reſpublica damnum paſſa eſt, & rerum ordo graviter fuit læſus. Si enim hoc liceret; omnes ditari vellent hac via, & illico omnia perturbarentur. Accedit quod fur, dum bona aliena in gravi quantitate poſſidet, nullo iure eadem retinere valet. Reſtituere ergo illa debet. Quare Innocentius XI. damnavit ſequentem propoſitionem, quæ in ordine eſt 38. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per parva furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.* Propoſitio non eget ulteriori confutatione. Eius quippe falſitas ex iis quæ dicta ſunt, perſpicua eſt.

VII. Quæſt. I. *Cum plures ab eodem modica ſurripiunt, ſinguli ne mortaliter peccant, & reſtitutionis oneri ſubiecti ſunt?* Reſp. Caſus eſt frequentiſſimus. Plures milites, aut ſocii invadunt ſcrinium, vineam, domum. Singuli plures aureos, plures racemos, plura bona auferunt. Quid ergo dicendum circa eorum culpam, & onus reſtitutionis? Si mutuo conſenſu ſeſe ad furtum provocaverint, convenit penes omnes Theologos, ſingulos peccaſſe letaliter, ac reſtitutionis lege eſſe adſtrictos. Quoniam ſinguli cauſſæ fuerunt illati damni: neque eſt ratio cur hi, ſecus illi reſtituant. At numquid in ſolidum? Negant Salmanticenſes *Tom. III. tractat.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 5. *§.* 5. *num.* 147. pluresque alios Theologos laudant. Quam tamen opinionem, ut falſam, repellimus. Siquidem, quando mutuo conſenſu, nutu, atque adhortatione ſe ad damnum inferendum provocant urgentque, unicam damni moralem cauſſam efficiunt. Ergo ſinguli eorum tenentur in ſolidum, ceteris deficientibus. Quod ipſa adverſariorum doctrina evidentius confirmatur. Si unus ſit cauſſa princeps, qui ceteros moveat ad furta perpetranda; hunc in ſolidum ad reſtitutionem adſtringi, fatentur Salmanticenſes *loc. cit.* quia hic eſt cauſſa potiſſima detrimenti illati. Porro, quando omnes ſocii mutuo conſenſu, auxilio, & adhortatione animos ſibi ad furandum faciunt, quilibet eſt cauſſa princeps, quia reipſa alios hortatur. Si unus conſulat, ſuadeat, incitet; cer-

certe reſtituere in ſolidum debet. Cur, amabo, hoc idem præſtare alter non debet; ſi eodem modo conſulat, & hortetur? Quidni & tertius? Quidni & quartus? Cur non omnes? Profecto, ſi omnes conſulunt, ſi omnes hortantur, omnes illud reſtitutionis onus contrahunt quod ſubiret unus qui ſolus eſſet hortator, & conſultor. Singuli itaque reapſe pro rata parte tenentur. At, ceteris renuentibus, quiſque in ſolidum reſtituere conſtringitur. Et hæc mihi videtur certa ſententia, quam in tractatu de reſtitutione ſuſius explicabo.

VIII. Contra vero, ſi nemo alterum moveat, nec conſcius, aut particeps ſit damni ab altero illati; ſed fortuito ab eadem vinea, prædio, ſcrinio, racemum, iulium, aliamve parvam rem ſurripiat; licet grave detrimentum dominus ſubeat; nemo mortaliter peccat, nec aliquis ſub mortali ad reſtitutionem tenetur: quia nemo cauſſa eſt gravis damni, nec eiuſdem conſcius.

IX. Quæſt. II. *Quando plures ſeorſim modica furantur, & quilibet advertit ab aliis ſociis pariter modica ſurripi, abſque tamen communi conſilio, vel hortatu, peccant ne ſinguli mortaliter cum reſtitutionis onere?* Reſp. P. Thomas Tamburinus, tametſi ad benignitatem, ne dicam laxitatem, propenſus, *Lib. VIII. tract.* II. *cap.* III. *§.* 3. *num.* 3. reſpondet, probabile eſſe *peccari mortaliter, cum gravi obligatione reſtituendi:* & probabile *item eſſe ſolum leviter cum levi reſtitutionis obligatione*. PP. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* V. *punct.* 2. *§.* 3. *num.* 28. negantem ſententiam propugnant, eamque defendunt Thomas Sanchez *Lib. VII. in Decal. cap.* XXI. *num.* 22. Trullenchus *Lib. VII. cap.* V. *dub.* 4. *num.* 7. Leſſius *Lib. II. cap.* XII. *dub.* 8. *num.* 51. Lugo *diſput.* XVI. *ſect.* 3. *num.* 55. Salas 1. 2. *tract.* XIII. *diſp.* XVI. *ſect.* 27. *num.* 92. Malderus *tract.* IV. *cap.* 1. *dub.* 5. *caſ.* 3. Sotus *Lib. IV. de iuſtit. quæſt.* VII. *art.* 3. *colum.* 6. Tannerus 2. 2. *diſput.* IV. *quæſt.* VI. *dub.* 9. *num.* 285. Dicaſtillus *Lib. II. tract.* II. *diſput.* IX. *dub.* 79. Buſembau *Lib. III. dub.* 3. La Croix in commentariis eiuſdem Buſembau *loc. cit. num.* 1010. His accedit P. Gabriel Antoine, licet a laxitate prorſus abhorreat, *tract. de iuſtit. & iur. cap.* V. *quæſt.* VI. *reſ.* 5. Iſtius opinionis argumenta hæc ſunt. Adverſa ſententia ſcrupulis obnoxia eſt. Peccaret quippe mortaliter qui vel unum aſſem a Rege ſurriperet; cum ſciat paſſim Regibus plura modica auferri. Graviter peccaret Religioſus, qui vel pomum ex horto decerperet; cum ſciat plures alios ex eo talia modica accipere. Si videres grave damnum Petro inferri, & tu leviſſimum irrogares, mortaliter delinqueres. Si audires famam alterius proſcindi, & tu levem culpam patefaceres; delinqueres letaliter. Hæc omnia videntur nimis aſpera, immo & abſurda. Furta enim præfata ratione ſolius cognitionis, & advertentiæ moraliter non coniunguntur.

X. Oppoſitam ſententiam defendunt graviores Theologi. P. Franciſcus Suarez *Tom. V. in III. Part. diſp.* XX. *ſect.* 2. *num.* 3. Gabriel Vaſquez 1. 2. *diſput.* CXLVI.

cap.

cap. II. *num.* 5. & 6. Petrus Tapia *Tom. II. Lib. V. quæſt.* IX. *art.* 5. Covarruvias *Lib. I. var. cap.* III. *num.* 12. Petrus Navarra *Lib. III. cap.* I. *num.* 48. Corduba *in Summa quæſt.* VII. *punct.* I. Bonacina *de reſtit. diſput.* II. *quæſt.* VIII. *punct.* 2. *num.* 6. & 7. Filliucius *Tom. II. tract.* XXXII. *cap.* X. *num.* 249. Rebellus *I. Part. Lib. III. quæſt.* XV. *ſect.* 5. *num.* 41. Villalobos *tractat.* XIII. *diff.* 5. *num.* 4. Maior *in IV. diſt.* XV. *quæſt.* XXV. Ioannes Medina *cod. de reſt. quæſt.* X. Martinus Ledeſma *II. Part. quæſt.* XVIII. *artic.* 8. Ludovicus Lopez *I. Part. Inſtruct. cap.* XCIII. *quæſt.* I. Sayrus *de cenſuris Lib. I. cap.* IX. Manuel *in Summ. cap.* cl. Salon 2. 2. *quæſt.* lxvi. *art.* 6. *contr.* 3. Petrus Ledeſma *II. Tom. tract.* VIII. *cap.* XXVII. *num.* 3. Felix Poteſtas *Tom. II. num.* 15.

XI. P. Antoninus Diana *Tom. VIII. coord. tract.* VII. *reſol.* 3. *ſ.* inquit : *Affirmativam ſententiam recipiunt DD. communiter* : & pro eadem ultra citatos refert Turrianum *in* 2. 2. *Tom. II. diſput.* XXXV. *dub.* 2. *num.* 3. Megalam 2. 2. *Lib. II. cap.* VI. *quæſt.* III. *num.* 41. Anglez, & alios. P. Patritius Sporer *tract.* V. *in* 7. *præcept. cap.* V. *ſect.* 2. *num.* 47. inquit : *Affirmativa ſane communis eſt ſententia*.

XII. Si auctoritatem ergo ſpectemus, ſententia adfirmans probabilior eſt, adverſariis fatentibus. Rationum quoque momenta ſatis firma videntur conſiſtere. Qui advertens grave alicui damnum parvis furtis inferri, & una cum illis furatur, in hocce grave damnum influxum confert. Utique conſilio, & hortatu, ut conſtitutum eſt, furantes non adiuvat; ſed facto tamen operam ſuam in illud damnum confert. Qui conſulit, vel hortatur, cauſſa appellatur *impellens*, & *præveniens*. Qui vero ſcienter ſimul cum aliis ad damnum proximi concurrit, cauſſa *cooperans* nuncupatur. Accedit quod quiſque furum, inferentium grave damnum minutis furtis, eſt vera eiuſdem damni cauſſa. Omnes quippe ſciunt, advertuntque, quod, ſi ſinguli abſtinerent, damnum ceſſaret. Ergo quiſque ſuo levi furtulo, aliis adiecto, damnum illud inducit. Scientia ſeipſa hæc minuta furta non iungit: verum habet. At ſcientia ſimul cum facto reipſa damnum infert. Ablata enim ſcientia, & facto, nullum dominus ſubiret damnum. Ergo, adiecta ſcientia cum facto, detrimentum inducitur. Hæc itaque ſcientia, quæ ſimul manus operatrices ſecum defert, iungit reapſe hæc furtula, non cognitione, ſed operatione. Ea iungit, non ut ſpeculatrix, ſed ut operatrix eſt. Profecto quiſque furum dicere iure valet: Per me non ſtat ne dominus vineæ grave patiatur detrimentum. Furtum quippe meum aliis adiectis furtis in cauſſa eſt cur dominus tanto ſubiaceat damno. Si ego a furto abſtinerem, nullum induceretur grave damnum. Ergo e contrario furtum meum cauſſa erit gravis damni. Si diſcurſus iſte verus eſt, fur iſte graviter peccat. Atqui verus eſt diſcurſus. Ergo fures eiuſmodi graviter peccant, & reſtitutionis tenentur onere. Quid quod, niſi fures eiuſmodi graviter delinquerent, & reſtitutioni eſſent obnoxii, illud con-

 ſe-

ſequeretur abſurdum, quod dominus amplæ vineæ fructibus ſpoliatus remaneret; quin aliquis eoſdem auferendo graviter peccaſſet. Tandem, ut omnes fatentur adverſarii, excommunicationis pœna iure Epiſcopus eiuſmodi adigere fures valet, ut, quæ minutis furtis abſtulerunt, reſtituant. Hæc autem pœna nonniſi ob gravem culpam infligitur. Ergo planum eſt, graviter fures iſtos peccare, & reſtitutionis lege adſtringi.

XIII. Reſpondent adverſarii, lata excommunicatione peccare fures, niſi reſtituant, non ob iuſtitiæ læſionem; ſed quod legitimo ſuperiori non pareant. Quæ reſponſio nec tantillum vim elevat argumenti. Nam excommunicationis fulmen non infligitur, niſi grave præcedat crimen. Verum habet, inquiunt. At ſæpius res abſolute levis ob ſingularem cauſſam ſub gravi præcepto, adiecto anathemate, vetatur: & iſtius præcepti tranſgreſſio letalis eſt. Hæc reſponſio non enervat, ſed roborat argumentum. Præceptum grave cum excommunicatione numquam imponitur ob rem omnibus circumſtantiis ſpectatis undique levem. Sed frequenter res ſua natura levis ob peculiares circumſtantias gravis evadit. Hinc ſuperiores rem illam, his implicitam circumſtantiis, & conditionibus ſpectantes, gravem reputant; ideoque gravi præcepto illam prohibent lata in tranſgreſſores excommunicatione. Doctrina hæc, quæ univerſis Theologis probatur, magnam huic ſententiæ vim addit, eamque conſtituere extra diſputationem videtur. Racemus uvæ res levis eſt; & alter racemus quoque levis eſt. Quis dixerit, validam eſſe excommunicationem latam ob unius racemi furtulum, ſi abſolute, & ſeorſim ſpectatum fuerit? Et tamen iuſte Epiſcopus, adverſariis fatentibus, ſingulos fures unius racemi excommunicationis ſupplicio plectere iure poteſt. Furtulum ergo unius racemi excommunicatione iuſte punitur? Cur? Quia, licet furtulum iſtud abſolute, & ſeparatim leve ſit, iunctum tamen aliis grave ſit, & ut grave multatur. Nec enim res levis, ut levis, præcepto gravi, & ultimo ſupplicio ſubiacet; ſed tantum res levis, quæ ob circumſtantiam gravis evadit. Nec præceptum ſuperioris grave eſſet, niſi rem ob aliquam circumſtantiam gravem vetaret. Perridicula ergo eſt reſponſio adverſariorum, aſſerentium, fures tum peccare letaliter ob ſolam inobedientiam, qua præceptum violant, & excommunicationem contemnunt. Quoniam nullum eſſet præceptum, & vana excommunicatio, ſi res prohibita eſſet omnino levis, nullaque circumſtantia gravem illam redderet. Ex his quæ dicta ſunt, ſatis conſtat, cetera adverſariorum reſponſa infirma eſſe, & vana.

XIV. Rigor, & ſcrupuli, quos opponunt, puerilia ſunt & nugacia obiecta. Neque enim nunc ſermo eſt de furtulis omnino ſeparatis. Scimus, paſſim Regibus, & Principibus multa ſurripi. Ergo qui aſſem ab iiſdem acciperet, peccaret letaliter. Si hæc conſiſterent, vix aliquod furtulum eſſet leve; cum vix reperia-

tur

Digitized by Google

tur dives, vinearum & prædiorum dominus, cui paſſim minutatim gravia non ſurripiantur. Paucis ergo rem totam perſtringimus. Tunc dicimus furtula hæc gravia eſſe, quando iuxta prudentum æſtimationem coniuncta ſunt. Videt aliquis modo ex una, modo ex altera parte vineæ fructus auferri cum graviſſimo domini detrimento. Iſtius damni conſcius ſurripit & ipſe racemum. Hæc ſurta, licet abſque conſilio & hortatu, coniuncta tamen moraliter ſunt: ideo fures ſinguli mortaliter delinquunt. Ceterum qui rem levem auferret, ſive a Rege, ſive a quolibet alio divite, minime graviter peccaret; etiamſi ſciret, multa ab iiſdem diverſis temporibus auferri: quoniam hæc furta non ſunt aliquo modo coniuncta, ut ſupponitur; ſed a diverſis ſucceſſivo tempore perpetrata. Sententia ergo noſtra illa furtula levia evadere gravia defendit quæ a pluribus eodem moraliter tempore perpetrantur cum gravi domini damno, & cum reciproca notitia, quamvis nullo mutuo hortatu, vel auxilio: quia tunc ſinguli tenerentur in ſolidum, ut probavimus.

XV. Quæſt. III. *Qui poſt furtum mortiferum furatur ab eodem modica, peccat ne letaliter?* Reſp. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* V. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 23. docent, quod, etiamſi fur habeat animum retinendi quod furatur, neque tunc novum furtulum erit peccatum mortale, ſed veniale: quia, poſt completum primum furtum mortiferum, incipit nova furtulorum levium ſeries, quæ, uſque dum aſcendant ad magnam quantitatem, non conſtituunt novum peccatum mortale.

XVI. Hæc ſententia nobis non probatur. Unica diſtinctione res tota expeditur. Aut furem pœnituit antecedentis furti, reſtitutionemque fecit, vel propoſuit; aut ſecus. Si primum, furtum leve ſubſequens peccatum veniale eſt; ſi ſecundum, letale. Sic enim, quoties vel modica ſurripit, aut expreſſe, aut reipſa perſeverat in voluntate augendi damnum domino, & retinendi rem alienam in gravi quantitate ſublatam. Quare hoc novum furtulum grave peccatum eſt: nam voluntas, cum non ſit furtum antecedens deteſtata, dum furtula renovat, renovat quoque deliberationem augendi damnum grave irrogatum domino. In priori poſitione peccat venialiter: quia pœnitentia, & reſtitutionis propoſito reipſa abrumpit omnem continuationem furti antecedentis cum ſubſequenti.

CAPUT V.

De neceſſitate quæ a furti reatu excuſat. Laxiores Caſuiſtarum, & præſertim PP. Viva, & La Croix, opinationes reiiciuntur.

I. Furtum genere ſuo eſſe peccatum mortale, oppoſitum legi tum naturali, tum divinæ, fatentur omnes. Idque probat S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxvi. *artic.* 5. *&* 6. Excuſatur tamen a culpæ reatu triplici ex capite, ob levitatem materiæ, ob conſenſum expreſſum, aut interpretativum domini, & ob neceſſitatem. Hactenus quæ materiæ levitas excuſet a gravi culpa, declaratum fuit. In præſentia, quæ ſit illa neceſſitas qua preſſus homo inculpate valeat rem alienam ſurripere, diſceptandum eſt. Triplicem diſtinguunt Theologi omnes neceſſitatem. Prima eſt communis, qua premuntur pauperes, qui mendicato vitam tranſigunt. Secunda eſt gravis, quæ in diſcrimen adducit proprium ſtatum, amittendi nempe propriam dignitatem, ſubeundi aliquam gravem infamiam, vel perferendi diuturnam infirmitatem, famem, carcerem, aliaſque ſimiles afflictiones, & incommoda. Tertia eſt extrema, in qua de capite, & vita agitur; ut dum quis tanta premitur inopia, ut graviſſimo laboret periculo fame pereundi, graviter ægrotandi, vel amittendi aliquod corporis membrum, aut ſenſum: quam neceſſitatem urgentem D. Thomas appellat 2. 2. *quæſt.* lxvi. *art.* 7. Quibus poſitis, paucis quæſitis rem expediam.

II. Quæſt. I. *Licet ne in extrema neceſsitate furari?* Reſp. Adfirmant omnes. Rerum enim partitio iure gentium invecta eſt. Antea communia erant omnia in hunc finem a Deo condita, ut inſervirent humanæ alendæ vitæ. Hæc porro diviſio nequit conſiſtere cum præiudicio legis naturalis vitæ ſervandæ. Ergo, quoties imminet vitæ periculum ob rerum temporalium inopiam, communia evadunt bona eodem ac erant modo ante diviſionem. Hanc rationem his tradit verbis Doctor Angelicus loc. cit. *Ea quæ ſunt iuris humani, non poſſunt derogare iuri naturali, vel iuri divino. Secundum autem naturalem ordinem, ex divina providentia inſtitutum, res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc quod ex his ſubveniatur hominum neceſsitati. Et ideo per rerum diviſionem, & appropriationem, ex iure humano procedentem, non impeditur quin hominis neceſsitati ſit ſubveniendum ex huiuſmodi rebus. Et ideo res quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum ſuſtentationi.*

III. Opponit ſibi auctoritatem Decretalis, imponentis trium hebdomadarum pœnitentiam ei qui fame preſſus furatus fuerit cibaria, veſtem, aut pecus. Cui auctori-

Digitized by Google

ctoritati reſpondet Angelicus ad 1. Decretalem illam loqui *in caſu in quo non eſt urgens neceſſitas*.

IV. Subdit Doctor ſanctus, poſſe quemquam, bonis deſtitutum, aliena ſurripere, ut proximo extrema laboranti neceſſitate proſpiciat. *In caſu* (inquit ibidem ad 3.) *ſimilis neceſſitatis etiam poteſt quis occulte rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti*. Quod ſi dominus rei repugnaret, teque repelleret extrema neceſſitate preſſum, poſſes illum aggredi, & vi bona neceſſaria ſurripere; dummodo & ille in eodem non verſaretur neceſſitatis caſu: quia tunc melior eſſet conditio poſſidentis. Non licet tamen rem neceſſariam occulte, & inſcio domino ſurripere, quando ſpes ſubſit eam ab illo obtinendi, ſi petatur. Qui tamen hunc inverteret ordinem, graviter non peccaret: quoniam tunc bona ſunt communia reſpectu conſervandæ vitæ; iuſque habet indigens illa ſibi uſurpandi, ut vitæ ſuæ conſulat. Neque licitum eſt fame mori, ne aliena auferantur. In eo dumtaxat caſu liceret permittere corpus perire fame, in quo non probabile tantum, ſed certum firmumque occurreret virtutis exercendæ momentum; puta ut vitaretur ſcandalum, aut grave proximi detrimentum, vel aliud publicum bonum promoveretur. Sublato autem certo honeſtatis momento, minime licitum eſt iuri ſuo renuntiare, & fame perire: quia iure naturæ vitam conſervare adſtringimur.

V. Quæſt. II. *Quiſque ne tenetur ex iuſtitia extreme indigenti ſuccurrere?* Reſp. Affirmans ſententia mihi probabilior eſt; ſive is ſuperior ſit, cui ex officio incumbit ſubditorum vitæ proſpicere, ut fatentur omnes; ſive quilibet alius, qui bonis abundet, quibus periclitanti vitæ proximi ſuppetias ferre valeat. Ratio in promptu eſt. Tempore extremæ neceſſitatis omnia bona communia ſunt. Quiſque ergo ius in hæc bona habet. Ergo qui ea hoc tempore retinet, aliena retinet. Porro rei alienæ detentio iuſtitiæ læſio eſt. Et ſane qui impediret ne extrema preſſus neceſſitate neceſſaria bona acciperet, is utique iniuſtus foret, ut aſſerunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* V. *punct.* 3. *§.* 1. *num.* 34. conceduntque omnes. Ergo ſimiliter iuſtitiam lædit qui eadem bona non tribuit. At, inquiunt laudati Salmanticenſes, egentes ante apprehenſionem non ſunt bonorum communium domini; ſed ius tantum ad illa habent; domini vero evadunt, apprehenſione peracta. Sit ita quidem. At nec creditor dominium pecuniarum habet, antequam debitor eas perſolvat; & poſt ſolutionem dumtaxat fit dominus. Ergo debitor, qui pecunias non ſolvit, iuſtitiam non lædit? Ut autem debitor non reddens quod debet, iniuſtus eſt, quia retinet aliena; ita iuſtitiæ violator eſt is qui neceſſitatis tempore non ſuccurrit periclitanti, quia tum aliena retinet. In hæc quippe bona ius habet is qui iiſdem eget. Ergo lædit hoc ius quicumque hæc bona retinet. Nam hæc retentio impedit ne illa conſequi egens valeat. Sæpe enim impotens ad hanc con-

Digitized by Google

ſecutionem eſt. Ergo qui ea retinet, impedit ne ab egente accipiantur. Ergo adverſus iuſtitiam peccat.

VI. Quæſt. III. *Qui bona in extrema neceſſitate conſtitutus accepit, tenetur ne eadem, ſi conſumpſit, tranſacta neceſſitate, reſtituere?* Reſp. Sententia negans vera mihi eſt, quam defendit Dominicus Soto in *IV. diſt.* XV. *quæſt.* II. Bannez in 2. 2. *quæſt.* XXXII. *art.* 8. *ad* 3. Valentia *Tom. III. diſp.* V. *quæſt.* VI. *punct.* 7. Petrus Navarra *Lib. IV. cap.* IV. *num.* 24. & alii. Ratio ex iis quæ in ſuperiori ſententia probanda dicta ſunt, liquet. Tempore enim neceſſitatis omnia ſunt communia, non quantum ad uſum modo, ſed etiam quantum ad proprietatem. Sermo autem eſt de rebus quæ tempore neceſſitatis abſumptæ ſint. Nam, ſi tot bona egens accepiſſet, ut aliqua ſupereſſent, hæc dubio procul, elapſa neceſſitate, forent reſtituenda. Egebas equo ad fugam, declinato periculo, reſtituendus eſt equus. At, ſi tempore neceſſitatis, puta in evadendo periculo equus interierit, nihil reſtituere adſtringeris. Tuus enim erat tempore illo equus.

VII. Quæſt. IV. *Qui rem alienam ſurripit non egens, eam in extremam neceſſitatem delapſus conſumit, tenetur ne eam reſtituere, meliorem fortunam adeptus?* Reſp. Duo inter Probabiliſtas celebres Theologi hanc verſant quæſtionem, eamque exemplis ornant. P. Antoninus Diana *Tom. VIII. coord. tract.* VII. *reſol.* 14. hunc proponit caſum a ſe reſolutum. „ Quidam *furavit* catenam auream *magni valoris*. Aufugit, & in itinere incidit in morbum adeo periculoſum per multos menſes, ut „ illum conſtituerit in articulo mortis. Ex hoc vendidit catenam furatam, & ex „ pretio ſalutem recuperavit, ac convaluit. Sed cum poſtea ad meliorem fortunam pervenerit, quæſivit a me, an teneretur reſtituere pretium catenæ furatæ, „ quod conſumpſit, preſſus illa neceſſitate..... Probabiliter ad caſum propoſitum „ reſpondi negative."

VIII. P. Thomas Tamburinus alter celebris Probabiliſta hanc eamdem doctrinam docet *Lib. VIII. in Decal. tract.* II. *cap.* VI. *§.* 2. *numer.* 3. his verbis. „ Furatus es decem aureos nudius tertius, utique cum peccato. Verum hodie exiſtens „ in gravi neceſſitate, puta in gravi morbo ſine ulla ſpe habendi pecuniam: illos „ ad vitam conſervandam expendis: obligaberis ne ei ad meliorem fortunam rediens ad reſtitutionem?... Non eſt improbabilis ſententia, te nunc liberans ab „ omni reſtitutione." Hoc idem docet P. Ferdinandus Caſtropalaus *Tom. I. tract.* VI. *diſp.* II. *punct.* 10. *num.* 3.

IX. Relata opinio laxa videtur. Delictum enim perpetratum adverſus iuſtitiam, ſemper compenſandum remanet; quamvis, premente neceſſitate, obligatio reſtitutionis ſuſpendatur. Quod opponunt, ab onere reſtitutionis liberari iniuſtum detentorem, ſi abſque eius culpa res perierit furto ſublata, reiicitur ut falſum. Nec refert quod dominus teneretur ſuccurrere extreme indigenti: quoniam iſtius reſti-

reſtitutionis obligatio eſt ex iniuſta acceptione. Furtum enim ſemel admiſſum numquam ob futuram neceſſitatem iniuſtitiam ſuam amittit. Quare fur, ſimul atque delictum commiſit, debitum contraxit reſtituendi rem ablatam: quod debitum ſuperveniens neceſſitas non aufert; ſed, ut dictum eſt, excuſat tantum, ut licite ſolutio differatur. Hanc ſententiam docent Sotus in *IV. diſt.* XV. *quæſt.* II. Ricardus *in IV. diſt.* XV. *artic.* 5. *quæſt.* IV. Sylveſter. *verb.* Furtum *quæſt.* V. Armilla *numer.* 10. Tabiena *verb.* Reſtitutio *quæſt.* IV. Medina *cod. de eleemoſy. de bonis illicite acquiſitis*. Azorius *Lib. XII. cap.* VII. Lorca in 2. 2. *quæſt.* XXXII. *artic.* 9. *ſec.* 3. *diſp.* XXXVIII. *numer.* 17. Vaſquez *opuſc. de eleemoſ. cap.* 1. *dub.* 8. & alii.

X. Quæſt. V. *Licitum ne eſt in gravi neceſſitate furari?* Reſp. Sententiam adfirmantem defendunt Navarrus in *Manuali cap.* XVII. *num.* 5. Leſſius *Lib. II. cap.* XII. *dub.* 12. *numer.* 71. Serra 2. 2. *quæſt.* LXII. *art.* 6. Trullenchus *Lib. VII. cap.* V. *dub.* 6. *num.* 6. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. tract.* II. *cap.* VI. *§.* 1. *num.* 2. Diana *Tom. VIII. coord. tract.* VII. *reſol.* 13. Sa *verb.* Furtum *num.* 1. Layman, & Bonacina non improbabilem cenſent.

XI. P. Dominicus Viva in ſua Trutina refert ſequentem propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam, quæ eſt in 36. *Per* ordine *miſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*: eamque ad nihilum redigere videtur. Ne vero quidquam per invidiam imponere illi videar, illius verba transferenda huc ſunt. Inquit ergo *num.* 3. „ Bannez 2. 2. *quæſt.* XXXII. *art.* 7. *dub. ult.* putat, eſſe „ in extrema neceſſitate etiam illum cui ratione ſui ſtatus eſſet graviſſimum de- „ decus mendicare, nec aliunde haberet alimenta. Quod videtur admittendum; ſi „ mendicare illi eſſet moraliter impoſſibile. Sæpe enim nobilis morti potius ſe „ obiiciet quam huic ignominiæ.“ Deſideratur hic ſinceritas P. Viva in referenda ſententia P. Bannez. Is enim hoc non docet; ſed narrat ſolum a quibuſdam id doceri. En illius verba: *Si autem fuerit homo, cui pro ratione ſui ſtatus graviſſimum ſit mendicare, neque alia via poſſit victum neceſſarium acquirere, non deſunt opinantes, poſſe clanculum accipere, ubicumque invenerit, victum, aut veſtitum.* Nec verbum aliud ibi Bannez habet. Porro cuique compertum eſt, Bannez afferre dumtaxat aliquorum opinationem. *Non deſunt opinantes* licere furtum in gravi neceſſitate. Qui ſunt hi opinantes? Præter relatos unus eſt P. Viva, cui videtur hæc admittenda ſententia. Quæ tamen, ut laxa, refellenda eſt. Si enim ſtatus nobilitas impoſſibilem moraliter redderet induſtria propria victum comparare; ſi tantum privilegium pudor mendicitatis, & ſanguinis nobilitas tribueret, ut aliena poſſent accipere; mundus latrociniis ſcateret. Pudor quo pauperes nobiles afficiuntur, ut vel mendicare, vel laborare non auſint, mundanus eſt, & vitioſus; atque adeo voluntaria evincitur illa neceſſitas qua premuntur. Furtum ergo perpetrabunt

Digitized by Google

bunt nobiles iſti, ſi penuria urgente negligant ſe propria, cum poſſint, relevare induſtria; atque, ut ſibi proſpiciant, aliena accipiant. Opinantes in favorem nobilium, qui mendicare erubeſcunt, quorumque meminit P. Bannez, excuſatione digni erant, quod ſcripſerint ante propoſitionem damnatam.

XII. Sed, quod magis in P. Viva diſplicet, eſt quod ipſe propoſitionis damnatæ ſenſum omnino eludit. Eccleſia theſim proſcripſit eo in ſenſu in quo Leſſius, Tamburinus, Navarrus, ceterique eiuſdem Auctores illam docuerunt. Hi porro docent, licitum eſſe furari non ſolum in extrema neceſſitate, verum etiam in gravi. P. Viva, ut vim damnationis declinet, diſtinguit duplicem neceſſitatem gravem, alteram *communiter* gravem, alteram *valde* gravem. Non improbo abſolute diſtinctionem ſano in ſenſu intellectam. Nulla ex tribus neceſſitatibus indiviſibilis eſt, & mathematica. Extrema neceſſitas una eſt maior altera; ſemper tamen extrema dicitur, in qua de capite agitur; ita ut, niſi ſubſidium adveniat vita periclitetur. Quod autem aliquo gradu citius, tardiuſve vitæ iactura contingat, non impedit quominus extrema dicatur neceſſitas. Notio eſſentialis neceſſitatis gravis ab extrema diſtinctæ ea eſt quæ mortem non infert; ſed ſtatum aufert, vitamque cruciat, & vexat calamitatibus. Hæc autem neceſſitatis ſphæra plures gradus continet, graviores nimirum, & inferiores. Verum, quantumcumque gravis ſit hæc neceſſitas, dum vitam ipſam non aggreditur, ſemper intra ſuam ſphæram ſiſtit, ſuamque naturam retinet. Si hos limites tranſiliat, & mortem intentet, in extremam mutatur. Si dicamus, Eccleſiam damnaſſe furtum, non in neceſſitate *valde* gravi, ſed in neceſſitate gravi *communiter* dicta; damnatio irriſoria efficitur, atque fruſtranea omnino. Et tamen hoc contendit P. Viva *loc. cit. num.* 2. Hæc ſunt illius verba. „ Leſſius, Coninch, Tamburinus, & alii communius cum ipſo „ Diana docent, furtum eſſe licitum, non in gravi quacumque neceſſitate, *quod* „ *in tali theſi damnatur*, ſed in neceſſitate *valde gravi*, quæ ſcilicet æquiparatur „ extremæ. *Cum enim vita miſerrima ſit ipſa morte deterior*, iuxta illud Eccle- „ ſiaſtici xxx. *Melior eſt mors quam vita amara:* idcirco ſicut ad declinandam „ mortem in extrema neceſſitate permiſſum eſt furari; ita ex iſtorum DD. ſen- „ tentia permiſſum videtur furari ad declinandam hanc vitam miſerrimam mor- „ te ipſa peiorem, *in neceſſitate hac valde gravi, quod in hac theſi non pro-* „ *ſcribitur*.

XIII. Seneca alicubi inquit, paucos repertum iri qui hanc vitam ſuſciperent, ſi deliberate ſuſcipienda foret. Vitam morte amariorem ducit maior fere hominum pars. Ita clamant innumeri artifices, qui copioſa onuſti prole, unde eam alant, minime habent. Quid de tot operariis, quid de incluſis carcere, de damnatis ad triremes, ad fodinas, de tot infirmis, languidis, de tot nobilibus frigore, nuditate, & fame vexatis dicendum? Omnes iſti clamant, vitam ſibi morte acerbiorem

Digitized by Google

eſſe. Eſtque revera continuatum ſupplicium. Omnibus ergo iſtis iuxta P. Viva licitum erit furtum? Omnia divitum bona communia iſtis erunt? Hanc ſane P. Viva doctrinam horret communis Chriſtianorum ſenſus. Neceſſitatem *valde* gravem ſentit immenſa hominum multitudo, ut indicatum eſt. Iſti tamen conſcientiæ ſibi vertunt & religioni aliena ſurripere. Admiſſa autem recenſita doctrina, furta, & rapinæ quoquoverſum inundarent. Reiicienda ergo eſt, ut laxa, & ut Reipublicæ perniciosa, atque ut ſanctæ Romanæ Sedi iniurioſa hæc P. Viva ſententia. Eccleſia namque furtum damnavit in quacumque gravi neceſſitate patratum. Non ignorabat Eccleſia, varios reperiri poſſe in ipſa gravi neceſſitate gradus; & tamen abſolute theſim damnavit. Captioſa ergo eſt, & perniciosa expoſitio, qua aſſeritur, theſim præfatam damnatam fuiſſe de neceſſitate communiter dicta, ſecus de neceſſitate valde gravi.

XIV. Quid quod Auctores damnatæ theſis expreſſe loquuntur de neceſſitate *valde* gravi, prout extremæ oppoſita? Audiamus Dianam citatum a P. Viva. *Notandum eſt hic* (inquit Diana Tom. VIII. coord, tract. VII. reſol. 13. num. 6.) *quod non ſolum extrema neceſſitas, ſed etiam gravis, tua, vel proximi, qualis eſt periculum morbi, magnæ famis, nuditatis, captivitatis, vel diuturni, ac tetri carceris, & ſimilium afflictionum, excuſat a reſtitutione.* Porro ſimiles neceſſitates eſſe *valde* graves, fatentur omnes. De his neceſſitatibus *valde* gravibus loquitur Tamburinus cum reliquis damnatæ theſis patronis. Has porro neceſſitates valde graves diſtinguunt omnes præfati Theologi a neceſſitate extrema. Quare futilis, & ſophiſtica eſt P. Viva excogitatio, quod neceſſitas valde gravis æquiparetur extremæ. Similes enim diſtinctiunculæ rerum notiones pervertunt, ſuſque deque omnia miſcent: ſiquidem iuxta omnes Theologos, & præcipue proſcriptæ theſis Doctores, nulla neceſſitas gravis, licet gravitas hæc magna ſit, vitæ iacturam infert: quando enim huc pertingit, non gravis, ſed extrema eſt. Ergo aut nihil in præfata theſi Eccleſia Romana proſcripſit; aut proſcripſit furtum in quacumque gravi neceſſitate. Quæ ſcribit P. La Croix *Lib. III. p. 1. num.* 957. *§.* 9. ſimilia iis ſunt quæ ex P. Viva retulimus. Inquit enim: *Si neceſſitas gravis ſit urgens, recte docet Lugo, Leſſius &c. . . . privato eſſe licitum ſurripere neceſſaria ad illam ſublevandam.* Leſſius, Lugo, & alii docuerunt opinionem proſcriptam ab Eccleſia. Et P. La Croix illos citat, tamquam Auctores opinionis, quæ ſit tuta conſcientiæ regula. Quantumvis neceſſitas gravis ſit urgens, ut eſt illa amittendi honorem, decidendi a proprio ſtatu, ſubeundi gravem infamiam, & huius generis aliæ; numquam licitum efficitur furtum: quoniam eiuſmodi neceſſitates nullum vitæ periculum afferunt; & ideo non tranſiliunt limites neceſſitatis gravis. At PP. Viva, & La Croix, ne dicatur, Leſſium, & Lugo docuiſſe theſim proſcriptam, illam vana diſtinctione eludunt. Nemo utique Theologorum docuit, in neceſſitate communiter di-

Digitized by Google

dicta licitum eſſe furtum, ſed ſolum in neceſſitate valde gravi. In hac neceſſitate licitum eſt furtum, ſecundum PP. Viva, & La Croix. Nihil ergo quod docuerint Theologi chriſtiani, ſed ſolam chimæram a nemine productam, damnavit Eccleſia.

XV. Sententia nunc, quæ negat, licitum eſſe furari in gravi neceſſitate, ſub quocumque gravitatis gradu, demonſtratur. Et primo Theologorum auctoritate. S. Raymundus in Summa Lib. II. de furtis §. x. *Si aliquis furatur cibum, vel potum, vel veſtimentum propter neceſſitatem famis, vel ſitis, vel frigoris . . . ita quod, niſi furetur, credit ſe non poſſe evadere mortem, non committit furtum, nec peccat . . . . Si autem non patitur neceſſitatem ita magnam* (*nempe incurrendæ mortis*) *peccat . . . Attenuatur tamen peccatum propter neceſſitatem*. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxvi. *art.* 7. opponit ſibi auctoritatem petitam ex *cap. Si quis forte de furtis*, ubi hæc habentur : *Si quis forte per neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat per hebdomades tres*. Cui auctoritati reſpondet Angelicus : *Dicendum, quod Decretalis illa loquitur in caſu in quo non eſt urgens neceſſitas*. Urgentis neceſſitatis nomine, ut ex contextu patet, extremam intelligit. Auctoritates aliorum Theologorum prætereo : quia iam omnes Theologi ſuſtinent ſententiam oppoſitam damnatæ theſi. Ratio autem communis ſententiæ traditur ab Angelico *loc. cit.* In neceſſitate gravi non ſunt omnia communia, ſicut in extrema. Si enim bona communia fierent, gravi urgente neceſſitate, omnia redundarent furtis. Nam, ut dixi, maior hominum pars gravi penuria plus, minuſve urgetur. Et quiſque gravem, ne dicam graviſſimam, ſuam reputat egeſtatem. Si licita tum furta eſſent, homines communiter fures evaderent. Hoc animadvertit vel ipſe P. Viva *num.* 13. Cum neceſſitates, inquit, graves ſint frequentiſſimæ, facile perſuadere ſibi homo poteſt quod indigentiam valde gravem patiatur. Et tamen ipſe in neceſſitate *valde gravi* furtum licitum docuit *num.* 3.

XVI. Quæ in oppoſitum obtruduntur, nullius ſunt momenti. Dives tenetur ſuccurrere graviter indigenti : verum habet. Ergo graviter indigens valet divitis bona ſibi uſurpare : negatur conſequentia. Neque enim egens iudex legitimus eſt, qui iudicare poſſit, divitem tot habere bona ſuperflua, quibus teneatur proſpicere ſibi graviter indigenti. Idcirco fur eſt, ſi hæc bona ſurripiat.

XVII. Ut vero in hac frequentiſſima materia utrumque extremum tum rigoris, tum laxitatis devites, præ oculis habeto quæ ſupra dicta ſunt de variis gradibus tum neceſſitatis extremæ, tum neceſſitatis gravis. Ut neceſſitas ſit extrema, minime requiritur quod mors falcem immittat, vel reapſe aggrediatur egentem ; ſed ſat eſt, tale imminere periculum, quod, niſi repellatur, afferat vitæ iacturam. In hoc extremæ neceſſitatis genere collocari ſolet graviſſimum periculum incidendi in perpetuam captivitatem Turcarum, in qua religio ipſa in diſcrimen adducitur.

Digitized by Google

tur. Ut paucis omnia complectar, circumſtantiæ ſpectandæ ſunt, potiſſimum conditio egentis, illius conſcientiæ ſtatus, & quam ſit in evitandis peccatis vigilans, ac ſollicitus. Diſtinguendi ſunt item caſus rari, & fortuiti, in quibus bona fides, & prudens iudicium egentis facillime ipſum a culpa excuſare valent, a caſibus frequentibus, & familiaribus, cuiuſmodi ſunt pericula perdendi honorem, & ſubeundi magnum dedecus in petenda eleemoſyna. In his enim, & ſimilibus eventibus furari minime licet.

XVIII. P. Claudius La Croix *Lib. III. p. 1. num. 952.* rêfert Coninch, qui negat licere nobili furari, quod magno perſundatur pudore in petenda eleemoſyna; ſed addit, Leſſium, Caſtropalaum, Dicaſtillum docere oppoſitum, *putantes viris honeſtæ conditionis nimis durum eſſe oſtiatim mendicare*. Et, tranſcripto Coninch reſponſo, rem relinquit in medio. Pro ſententia negante unum, pro adfirmante licitum eſſe furari in citato caſu, laudat tres: deinde rem relinquit in medio, ac ſi Pyrrhoniſmum traderet. Sic enim lectores beneficio mirabilis Probabiliſmi illam eligere quæ ſibi magis arrideat, poſſunt. Hac methodo Hiſtorico-Theologica benignum ubique ſe præbet Auctor iſte.

XIX. Quæſt. VI. *Licitum ne eſt homini privato, in extrema neceſſitate conſtituto, ſurripere rem valde pretioſam?* Reſp. Ponamus hominem in tali conſtitutum neceſſitate, ut quinque aut ſex mille aureis egeat ad eam evadendam. Licitum ne erit ipſi tantam aureorum ſummam furari? Diſputant in utramque partem Theologi. Qui adfirmant, nituntur illo principio, quod omnia tunc ſunt communia. Qui negant, reſpondent omnia quidem eſſe communia quæ iuxta conſuetum communem ordinem neceſſaria ſunt ad vitam alendam, ſecus pretioſa, & bona ſummi pretii. Fateor me ſatis clare non perſpicere quid ſit dicendum. Utraque pars ſua videtur probabilitate frui. Prior ſententia principio valde firmo munita apparet. Ex altera parte nimis durum videtur, tam ingentem pecuniæ ſummam ſurripi licite poſſe. Quod videtur mihi veroſimilius, eſt: ſi furtum tot aureorum induceret dominum in extremam, aut gravem egeſtatem; putarem tunc non eſſe licitum tale furtum. Si autem dominus adeo locuples foret, ut talem miſeriam non ſubiret; tunc forte probabilior eſſet ſententia prior. Meliora nunc non occurrunt; neque operæ pretium exiſtimo longius rem hanc producere, quam vix in praxi arbitror poſſe contingere, ſive ex parte egentis, qui tanta egeat pecuniarum quantitate; ſive ex parte divitis, qui aut velit ipſe ſponte erogare tantam aureorum ſummam, aut negligat taliter ſcrinii cuſtodiam, ut furandos illos permittat ab indigente.

XX. Diſputant hic Theologi, an, cum aliquid accipitur in extrema neceſſitate, illud dicendum furtum ſit, vel ſurreptio. Furtum enim, cum vetitum lege naturali, & divina ſit, numquam licitum eſt. Qui ergo in extrema neceſſitate fur-

Digitized by Google

ſurripit quæ ſibi ſunt neceſſaria, furtum non committit: quia non aliena furatur, ſed ſua accipit; cum omnia tunc communia ſint. Verum hæc diſputatio ineptiſſima eſt ac nugatoria. Furtum abſolute vetitum eſt; adveniente extrema neceſſitate, malitiam amittit. Quod ipſum poſtea furtum voces, aut acceptionem, perinde eſt. P. Cardenas, huic doctrinæ innixus, contendit *diſſert.* XXIII. *cap.* 1. *art.* 1. Pontificem in propoſitione 36. damnaſſe furtum ſub ratione furti. Quamvis enim licitum eſſet, inquit, ſurripere aliena in gravi neceſſitate; adhuc damnata remaneret propoſitio, aſſerens *permiſſum eſſe furari in gravi neceſſitate*: quia furtum, ut furtum, neque in gravi, neque in extrema neceſſitate licitum eſt. Heinc deducit *art.* 3. *num.* 21. Pontificem non damnaſſe opinionem *ſpeculative* acceptam; quæ ſuſtinet, licitum eſſe ſurripere aliena in gravi neceſſitate. Si vero opinio hæc, ut in praxim deducenda ſpectetur, damnata eſt: quia, ut in praxi licita ſit, decem requiruntur conditiones, quæ moraliter impoſſibiles ſunt.

XXI. Verum hæc diſtinctio in præſens commentitia eſt. Quid enim tam abſonum quam Pontificem damnaſſe accipere rem alienam ſub *formalitate furti*; ſecus ſub voce *acceptionis*, vel *ſurreptionis?* Eædem quippe rationes militant, & eadem abſurda ſequuntur, quocumque modo, ſive ſub voce furti, ſive ſub nomine acceptionis, aliena auſerantur in gravi neceſſitate; ut conſideranti patebit. Accedit quod, quando in praxi deeſt aliqua conditio, vel additur, quæ ſub cognitione ſpeculatrice non venit, tunc propoſitio variatur, & alia evadit tum in ſpeculatione, tum in praxi, ut & ipſe Cardenas alibi animadvertit. Quare dicendum, Pontificem damnaſſe propoſitionem, quatenus hæc ſignificat, licitam eſſe acceptionem rei alienæ gravi tantum premente neceſſitate. Idque evidens eſt.

CAPUT VI.

De occulta famulorum, aliorumque compenſatione.

I. Graviſſimam quæſtionem diſpiciendam aggredimur. Nonnulla præmittenda ſunt ſatis communia, quæ varios ſpectant compenſationis ſignificatus. Duplicem diſtinguunt compenſationem. Altera dicitur propria, quæ definitur *debiti, & crediti inter ſe invicem contributio*. Tu mihi debes centum; ego totidem tibi. Mutua compenſatione hæc duo debita remitti poſſe, adfirmant omnes, non interpellata etiam iudicis auctoritate. Compenſatio altera impropria nuncupatur, quæ recuperatio potius debiti eſt quam compenſatio: ut, ſi Paulus debeat tibi centum, & nolit ea ſolvere, tu occulte centum accipias, & recuperes quæ tibi debentur. Hoc autem fieri nequit abſque iudicis auctoritate, ſi ad iudicem aditus pateat.

II.

II. In præſentia minime aſſumo pro dignitate hanc examinandam controverſiam; ſed eam dirimendam remitto ad tractatum de iuſtitia, ubi ex inſtituto difficultates omnes iſthuc ſpectantes reſolvam. Potiſſima nunc iſtius quæſtionis capita proponam. Aliqua recenſebo, quæ abſolute laxa mihi videntur. Alia vero, quæ graviſſimis difficultatibus implexa ſunt, ſapientum iudicio proponam, remque totam tribus paragraphis comprehendam.

§. I.

Conditiones neceſſariæ pro occulta compenſatione. Laxæ propoſitiones PP. Dianæ, Viva, aliorumque recentiorum.

I. ANtequam conditiones refero, quas pro licita compenſatione Theologi communiter aſſignant, propoſitionem, quam ſummus Pontifex Innocentius XI. damnavit, præmitto, quæ eſt in ordine 37. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario quod recipiunt.* P. Dominicus Viva in ſua Trutina hanc propoſitionem interpretans *num.* 1. hæc ſcribit. „ Conveniunt DD. poſſe famulos uti oc„ culta compenſatione, tum quando ſibi denegatur ab heris ſalarium ex pacto de„ bitum; tum etiam quando evidenter conſtat, non quidem ex mero iudicio ſa„ mulorum, ſed ex communiſſimo peritorum ſenſu, iniuſtitiam ab heris committi „ in ſolutione ſalarii iuxta communem æſtimationem debiti, ſpectatis omnibus „ circumſtantiis, ratione quarum poteſt pretium famulatus præſtiti creſcere, aut „ decreſcere." Conditiones autem quas ipſe P. Viva ibidem aſſignat, ſunt ſequentes. Prima, *quod vitetur damnum debitoris, ne iterato reſtituat, aut in mala conſcientia ſit, putando ſe debere quod non debet.* Secunda, *quod vitetur damnum proximi, ne illi furtum adſcribatur.* Tertia, *quod non poſſit FACILE via iuris debitum obtineri. Quamvis probabiliter, ſi hæc conditio deſit, non peccet mortaliter qui utitur occulta compenſatione, ut docet Diana T. VII. tract. x. reſol.* 17. Præcipuam hic omittit conditionem, quam Theologi addunt, quamque & ipſe alibi non negat, videlicet, quod debitum ſit liquidum, & certum. Sed audiamus, quid P. Viva decernat in propoſitione præfata damnatum fuiſſe. Inquit ergo: *Quod in hac theſi proſcribitur, eſt, poſſe famulos occulte compenſare id quod iudicant ex iuſtitia ſibi deberi in ſalarium.* Quando ergo ſoli *ipſi* famuli iudicant, ſalarium maius eo quod pactum eſt, ſibi deberi, peccant occulta compenſatione utentes. Et hoc in *theſi* proſcriptum fuit. Ceterum, ſi iudicio famulorum accedat *viri docti* iudicium, quo decernatur maius famulo deberi ſalarium, tunc licita compenſatio eſt. Sic conclu-

dit

Digitized by Google

dit idem P. Viva num. 7. *Idcirco ad occultam hanc compenſationem faciendam requiritur iudicium viri docti ſimul, ac periti, & paſſione denudati, qui ſpectatis omnibus, iudicet moraliter certum eſſe, quod maius ſalarium debeatur.* In hanc eamdem opinionem concedit P. Claudius La Croix *Lib. III. p. 1. num.* 974. ubi, reiecto iudicio famuli, & cuiuſque miniſtri in cauſſa propria, ſubdit, quod *requiratur ut vir valde doctus, multum prudens, ac verſatus in re morali, iudicet certum eſſe, quod tali homini fiat iniuria.* Idem docent Caſuiſtæ alii non pauci. Hæc opinio nobis laxa videtur, & in damnata propoſitione includi. Neque enim plus iuris in bona dominorum habent docti, & periti quam famuli. Si vetitum eſt famulis proprio iudicio præfinire taxationem maioris mercedis quam cum domino pacta fuerit; eadem ratione vetitum erit etiam eam augere iudicio alieno privato. Verum habet, facilius eſſe decipi famulum in cauſſa propria quam virum doctum a partium ſtudio alienum. At non propterea infertur, Confeſſarium, ſive quempiam alium doctum virum, iudicem legitimum eſſe iſtius inæqualitatis. Quare perdocti PP. Salmanticenſes, ut frivolam, hanc explodunt diſtinctionem *tract.* XXIV. *cap. unic. punct.* VII. *§.* 3. *num.* 137. ſubduntque; *Igitur in hac prohibitione attendendum non eſt, quis eſt qui iudicat operas eſſe minores ſalario; ſed an hoc ita ſit, & an famulus libere cum domino de minori ſalario pactum inierit; vel an metu, coactione, vel fraude id fecerit.* Contendunt Auctores iſti (ibidem num. 136.) ſervum, qui *ex neceſſitate ob levandam miſeriam* locavit operas ſuas pretio notabiliter minori, poſſe, *quod deficit, ſurripere.* Tale eſt obſequium quo multis titulis colo perdoctos hos Theologos, ut dolore afficiar, dum frequenter occaſio adeſt ab eiſdem diſſentiendi. Pace tamen tantorum virorum dixerim, hæc opinio ex una parte laxior ferme eſt præcedenti. Utique nemo dubitat, doctum piumque Confeſſarium, nullius emolumenti participem, meliorem iudicem eſſe, & a deceptionis periculo magis alienum, quam ſint ipſi famuli, & miniſtri in propria cauſſa, affectuum, paſſionum, & cupiditatum pleniſſimi. Quare in hypotheſi quod concedenda famulis eſſet occulta compenſatio, moderamen adiectum, quod iudicio non famuli, vel miniſtri, ſed docti Confeſſarii fieret, opportunum eſt, & prudens, pluribuſque furtis, & fraudibus impediendis occurrit. Quod autem addunt laudati Patres, tunc licitam compenſationem eſſe, quando famuli, & miniſtri, urgente neceſſitate, paciſcuntur mercedem notabiliter inferiorem ad levandam miſeriam, aperit, ut ego quidem arbitror, damnatæ compenſationi occultæ viam. Siquidem omnes famuli ad levandam neceſſitatem modo maiorem, modo minorem, operas ſuas dominis locant. Quare, ſi neceſsitatis levandæ velamen iuſta eſſet augendæ mercedis ratio, pauci reperirentur famuli quibus licita non foret compenſatio. Et hanc igitur opinionem, ut improbabilem, reiicimus.

II. Explicandæ nunc ſunt conditiones quas communiter Theologi præſcribunt, ut

Digitized by Google

ut licita cuilibet ſit, ſive famulo, ſive libero, compenſatio. *Prima* eſt, ut debitum ſit ex iuſtitia debitum, liquidum, atque certum. Hanc conditionem ſic limitatam communiter admittunt Theologi. Ioannes Sanchez, laxitatis patronus, omnium primus defendit *diſp.* XLIV. *num.* 57. ſatis eſſe, ſi debitum ſit probabile. Eamdem docet Cardinalis de Lugo *Tom. I. de iuſt. diſp.* XVI. *ſec.* 5. *art.* 94. uſque *ad* 107. cuius argumenta refert Diana *Tom. VI. tract.* III. *reſol.* 149. & de more ea non refutat; ſed addit ſolum eumdem Cardinalem iudicium ſuper hoc ſuſpendere. Hanc opinionem, ut evidenter laxam, improbant vel ipſi Probabiliſtæ. P. Matthæus Moya in opere proſcripto *ſelect. qq.* fuſo calamo hanc verſat quæſtionem *tract.* VI. *diſp.* IV. *quæſt.* I. & relatis plurium recentiorum, ac potiſſimum Cardinalis de Lugo, argumentis in favorem laxæ opinionis quam recenſuimus, ipſe *§. unico* mediam arripit viam. Docet enim, quando debitum eſt tantum probabile, nimirum quando militat duplex opinio probabilis, altera creditori, altera debitori; ſeu quando utrique parti ſua opinio probabilior eſt, ut communiter accidit, licitam eſſe compenſationem, non in *toto*, ſed *in parte*. Hæc quoque opinio abiicienda eſt, ut improbabilis, & laxa.

III. Requiritur etiam quod debitum ſit præſens, ſeu quod elapſum ſit tempus ſolutionis. Hanc conditionem extendit Diana etiam ad tempus futurum. En illius verba: *Notandum tertio, compenſationem eſſe licitam, quamvis debitum actu non debeatur. Poteſt enim aliquando creditor prævenire, & compenſare ſibi nunc pro eo quod debitor nondum debet, ſi timet tempore ſolutionis debitum non ſibi ſolvendum. Ita ego docui, & noviſſime, me citato, docet Cardinalis de Lugo, & etiam, me citato, Machadus.* Tom. VI. coord. tract. III. reſol. 150. num. 5. pag. 155.

IV. Hanc eamdem opinionem docent Tannerus, Patritius Sporer *tract.* V. *cap.* V. *num.* 71. Illſung *num.* 172. Tamburinus *Lib. VIII. tract.* II. *cap.* V. *§.* I. *num.* 2. Eam refert, nec improbat, atque adeo vi Probabiliſmi admittit, P. Claudius La Croix *Lib. III. p.* I. *num.* 963. Hanc quoque opinionem, ut improbabilem, & laxam, reſpuimus. Nequit vel ipſe iudex legitimus cogere debitorem ante tempus, quo debitum maturum ſit, & liquidum. Si liceret ob periculum futuræ ſolutionis occulta compenſatio, ut contendunt recentes Probabiliſtæ citati; perturbatio extrema, ſummaque confuſio in humanam ſocietatem inveheretur.

V. *Secunda* conditio eſt, ut res quam accipis, ſit tui debitoris. Quare non licet accipere rem alienam exiſtentem apud tuum debitorem, nec illi commodatam, aut apud eum depoſitam: quia ſimilium rerum dominus ille non eſt. Idem dicendum de re quam ipſe debitor apud te depoſuit. *Cap.* Bona fides *de depoſit. & L. ultim. cod. de depoſitis*. Hanc tamen conditionem limitant pro foro exteriori, ſecus pro foro interiori, Sporer *loc. cit. num.* 76. Leſſius *Lib. II. cap.* XXVII. *num.* 16. Tannerus, & alii apud *P. La Croix*, qui minime talem opinionem reiicit.

cit. Quin addit, te poſſe accipere rem quam debitor tuus mittit ad alterum in donum, aut in ſolutionem debiti; dummodo ab altero non ſit acceptata, ſed adhuc ſub tui debitoris dominio ſit. Quia, ſi tu prior occupes, ſtatim per apprehenſionem poſſeſſionis in te transfertur dominium. Quam opinionem defendit etiam Illſung cum aliis. Hæc quoque opinio nobis laxa videtur. Negant tamen laudati Auctores cum aliis, te poſſe accipere rem quam alius mittit ad tuum debitorem, qui eam nondum acceptaverit: quia ante acceptationem non eſt factus illius rei dominus.

VI. *Tertia*, ut rem tibi debitam nequeas *commode*, ſeu *facile* obtinere. Tum autem *commode*, & *facile* non vales rem obtinere, cum pro illius conſecutione debes litem intentare, tribunalia adire cum magnis expenſis; vel periculo amittendi *amicitiam*, & *benevolentiam* ipſius debitoris, vel iudicis, inquiunt Sporer *loc. cit. num.* 74. & P. Claudius La Croix *loc. cit. num.* 965. citans P. Tamburinum *ſ.* 1. *num.* 3. & Dianam, qui aſſerunt defectum iſtius conditionis non inducere culpam mortalem.

VII. Hanc quoque opinionem, ut falſam laxamque improbamus. Si ordo iuſtitiæ, a legitimo iudice exercendæ, non cadit ſub gravi obligatione, omnia ſuſdeque perturbantur, & Reſpublica fraudibus, furtis, doliſque repletur.

VIII. *Quarta* conditio, ut compenſatio occulta fiat abſque detrimento ipſius debitoris, ne plus videlicet accipias quam tibi debetur. Providendum eſt etiam, ne tibi, aut tuo heredi idem debitum iterum ſolvatur; curandumque ut debitor conſcius fiat, debitum eſſe ſolutum, ne in conſcientia culpæ perſiſtat. Hanc conditionem omnes admittunt, omni fuco ſublato.

IX. *Quinta*, ut compenſatio fiat abſque damno tertii, cuiuſmodi eſſet, ſi iſte reputaretur furatus rem quam tu accipis, & cogeretur reſtituere. Addunt tamen, hoc per accidens conſequi: & ideo, ſi quis nequiret, inquiunt, abſque gravi damno omittere occultam compenſationem, poſſet illa uti, etiamſi hoc ſequeretur, inquit citatus *La Croix num.* 968. cum *Sporer*, & aliis: quod alienum a lege evangelica videtur. Prævideo, proximum meum ex compenſatione mea reputandum furem, & ad rei, quam ego accipio, reſtitutionem adſtringendum; & nihilo ſecius poſſum illam ſurripere? Ut ego quidem arbitror, nullus Chriſtianus integræ conſcientiæ hoc ad praxim reduceret.

X. *Sexta*, ut compenſatio fiat in eadem ſpecie, ſi poſſit. Si tamen nequeat in eadem ſpecie fieri; communiter fatentur, licitum eſſe uti diverſa ſpecie.

XI. *Septima*, ut compenſatio fiat abſque damno aliorum creditorum; ut ſi eſſent creditores anteriores; aut ſi res eſſet locata, vel commodata alteri. De hac tamen conditione acriter diſputant Probabiliſtæ noſtri iuniores. Quin Paulus Comitolus Antiprobabiliſta celeberrimus defendit *Lib. III. Reſp. moralium quæſt.* XXXIX. lici-

Digitized by Google

licitum eſſe Caſtruccio creditori, habenti penes ſe bona debitoris demortui, uti occulta compenſatione, nullo habito ad anteriores creditores reſpectu: quia Caſtruccius eſt in poſſeſſione bonorum ſui debitoris, qua poſſeſſione carent ceteri creditores, licet anteriores. Lex autem ſtatuit, *potiorem eſſe conditionem poſſidentis*. Accedit quod in mea ſervanda vita non ſpecto, qui ante me in lucem ſuſcepti ſunt, nec in recuperanda mea fama, cogito, num detractor meus aliis quoque famam reſtituere debeat. Hæc & alia congerit Comitolus in ſuæ ſententiæ confirmationem. Addere etiam poſſet, tum Caſtruccium, habentem apud ſe pecuniam, aut bona demortui creditoris, dominio iam potiri eorumdem bonorum. Si denatus debitor ſolviſſet reapſe debitum Caſtruccio, anterioribus creditoribus prætermiſſis; ſane Caſtruccius eſſet vere dominus debiti ſibi ſoluti, nec teneretur ſe eodem in totum, vel in partem privare, ut quidpiam anteriori creditori ſolveret.

XII. Difficultas gravior eſt, utrum creditor, qui nihil debitoris apud ſe habet, poſſit eiuſdem bona ſurripere, quibus compenſetur. P. Diana *Tom. VI. tract.* 111. *reſ.* 153. 154. 155. 156. defendit, compenſationem licitam eſſe cum præiudicio anteriorum creditorum, ſive creditor habeat apud ſe bona creditoris, ſive non, ſive eadem habeat loco depoſiti. Nec obſtat, inquit ille *reſol.* 157. quod leges prohibeant compenſationem fieri in re depoſita: quia leges iſtæ, ſecundum Tannerum, obligant tantum in foro exteriori; compenſatio autem iure gentium licita eſt. Hæc opinio haudquaquam mihi probabilis eſt; licet pro eadem plures laudet Diana. Quoniam leges, ſive eccleſiaſticæ, ſive civiles, in re gravi, & quæ ſpectat bonum commune Reipublicæ, obligant in conſcientia. Si vero habeat apud ſe, non loco depoſiti, ſed ratione commercii, ſive alio titulo; cum laudato Comitolo idem Diana docet, licitam eſſe compenſationem: quam opinionem plures alii defendunt, uti & Sporer *loc. cit. num.* 82. Si res ſit apud debitorem, tamquam pignus proprii debiti præciſe; tunc vel ipſæ leges civiles concedunt retentionem: quia revera eſt talis rei poſſeſſor. Melior autem eſt conditio poſſidentis. Si vero abſolute eam habeat, non videtur poſſe eam retinere cum præiudicio anteriorum creditorum. Conſulenda tamen eſt legum diſpoſitio.

XIII. Addit tandem Diana *loc. cit.* licitum eſſe ſurripere bona debitoris, etiam cum præiudicio creditorum anteriorum. Cui opinioni ſubſcribit Sporer *loc. cit. num.* 78. Hæc doctrina laxa eſt, ut mea præfert opinio. Ius enim habent prius anteriores creditores in illa bona quæ tu accipis. Ergo tua compenſatione aliorum iura lædis. Porro leges civiles id expreſſe vetant; cum ordinem ſervandum iubeant in ſolutione creditorum anteriorum, & poſteriorum. Quare mihi minime probabilis eſt opinio iſta, quæ adverſatur communi ſententiæ Theologorum, ut fatetur vel ipſe Matthæus Moya *tract.* VI. *diſp.* IV. *quæſt.* II. *num.* 7.

XIV. Diſputant etiam Theologi, utrum Caius creditor Principis poſſit ſibi com-

Nn ij pen-

penſare defraudando tributa, ſeu gabellas, quas Titius conduxit. Affirmant plures: quia, inquiunt, Titius non emit niſi iuſtas gabellas. Porro Caius creditor Principis iam ſolvit illas, cum ſit creditor Principis. Igitur iterata ſolutio iniuſta foret. Inſtant adverſarii. Si Princeps locaſſet agrum Principatus Titio, poſſet ne Caius ſurripere fructus agri in compenſationem? Cur ergo poterit defraudare gabellas locatas eidem Titio? Diſparitatem aſſignant illi, quod fructus agri ſint Titii, non Caii, vel Principis; contra ſolutio gabellæ eſt ipſius Caii, qui, cum ſit creditor Principis, nihil ei debet; & propterea retinere illam valet. Hæc diſparitas probabiliſtica eſt, nempe materialis amphibolia, ſola verborum diverſa congerie turgens. Alii dicunt, non poſſe Caium compenſatione uti defraudando gabellas, ſi has Titius emerit; ſecus, ſi conduxerit. Probabilior, & vera ſententia negat utrumque. Sive enim conduxerit, ſive emerit Titius gabellas, ſemper detrimentum patitur ex Caii defraudatione. Accedit quod omnes miniſtri Principatus ſe creditores Principis iactant. Si ſolvenda eſſent debita omnia quæ officiales, & miniſtri Principatus ſibi deberi oſtentant; vix ſufficeret totum Principis ærarium. Quare has compenſationes, ut iniuſtas, damnat probabilior ſententia.

§. II.

Rationum momenta quæ evincunt abſolute illicitam eſſe occultam compenſationem.

I. DOctiſſimus P. Michael Elizalde *Lib. VIII. quæſt.* VII. *§.* 4. fatetur, a multis annis perſuaſum ſibi fuiſſe, licitam eſſe occultam compenſationem, exiſtimans, hanc doctrinam a D. Thoma doceri. Verum, poſtquam tanti Doctoris mentem expendit, ſubdit, ſe nihil in eodem reperiiſſe quod occultæ faveat compenſationi; ſed dumtaxat quemque repetere poſſe rem ſuam, ubicumque illam eſſe deprehenderit. Quare arbitratur, compenſationem occultam repugnare legi tum naturali, tum chriſtianæ; & eſſe ſingulis ac omnibus, maxime vero Regibus, & Principibus, perniciosam.

II. Inſitum gentibus omnibus eſt, ne quiſpiam inauditus condemnetur. Plura enim pars adverſa allegare valet, quibus evincat aut ſe non eſſe ſolvendo, aut ſolvere non teneri, Sed opinio occultæ compenſationis inauditos debitores damnat. Ergo communi hominum ſenſui repugnat.

III. Contra naturæ lumen eſt quod quiſquam ſit iudex in propria cauſſa. Quapropter lege tum divina, tum humana, vel penes barbaras ipſas nationes, erecta tribunalia, & inſtituti iudices ſunt, qui publica poteſtate æqualitatem conſtituant, & læſa perſonarum iura reſarciant, iudicio ipſarum partium vetito, & reiecto.
Sed

Digitized by Google

Sed opinio occultæ compenſationis hanc tribunalium, & iudicum poteſtatem ab imis convellit fundamentis, eiuſdemque cardines evertit. Statuit enim licitam eſſe compenſationem, quoties ſine magnis expenſis, ſine amiſſione *benevolentiæ*, & *amicitiæ* debitoris, vel iudicis, quin etiam cum *facile* & *commode* rem tuam obtinere nequis. Vix autem fieri poteſt ut ſine gravi incommodo, ſine expenſis, ſine amiſſione amicitiæ & partis, & iudicis, bona quæ tibi debentur, aſſequaris. Ergo hæc opinio de medio tollit publica iudicia, & tribunalia; ac ſingulos conſtituit ſuarum cauſſarum, atque iurium iudices. Quin ipſum Principatum, qui ſine magnis ſubditorum expenſis conſiſtere nequit, præfata opinio adoritur, atque improbare videtur.

IV. Opponis. Iuris æquitas poſtulat ut debita tibi a debitore ſolvantur. Dum ea tu accipis, æqualitatem conſtituis: nihil quod tuum non ſit, accipis. At videndum ſupereſt, *quis* ſit iſtius æqualitatis legitimus iudex. Omnis humanus actus rectus & licitus ab his conditionibus pendet, *Quis*, *quid* &c. Eſſet ne alter extraneus privatus homo iudex iſtius æqualitatis? Minime, inquis: quin clamares: Quis te conſtituit iudicem in hac cauſſa? Ergo multo minus tu ipſe in propria cauſſa iudex exiſtere potes. Si alter privatus, licet a partium ſtudio alienus, uſurpatæ auctoritatis reus haberetur; tu ne innocens eris, ſi talem tibi vindices iuriſdictionem?

V. Hæc omnia vera ſunt, inquis, quando rem meam apud iudicem ſine magnis ſumptibus, ſine iactura amicitiæ, & benevolentiæ, ne multa, quando *facile* & *commode* repetere valeo. Hæc oppoſitio iam labefactata eſt. Nullam quippe litem, hominum infirmitate ſpectata, intentare, nec tribunalia, & iudicem adire aliquis poteſt ſine impenſis, & abſque incommodo, & iactura amicitiæ debitoris, vel iudicis. Tollenda ergo tribunalia, reiiciendi iudices, publica iudicia auferenda, ſingulique homines iudices ſint in cauſſis propriis? Iudicia publica, & tribunalia, reponis, inſtituta ſunt pro decidendis iuribus dubiis; ſecus quando iura certa ſunt. Tunc enim quiſque ſibi uſurpare poteſt quod certum habet ſibi deberi. Ita ne vero? Unde, quæſo, hoc colligis? Ex quo codice? Ex qua lege? Et primo, quis litigantium eſt qui communiter certum non putet, rem quam apud iudicem repetit, ſibi deberi? Deinde Auctores, qui pro compenſatione occulta pugnant, licitam eam communiter aſſerunt in pluribus caſibus, etiam cum ſolo indicio probabili, ut indicatum eſt. Qua de re lege Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 19. *§.* 2. *num.* 319. *& ſeq.* ubi docent: *Pro omnibus caſibus licitum non eſt uti compenſatione occulta, cum ſolum datur opinio æque probabilis pro utraque parte, debitoris ſcilicet, & creditoris; ſed in caſibus aliquibus, quando datur maior probabilitas ex parte creditoris, quod tale debitum ſibi debetur.* Et, adiecta diſtinctione probabilitatis ſpeculativæ, & practicæ, tandem concludunt, licitam eſſe occultam com-

Digitized by Google

penſationem ſemper, cum adeſt probabilitas practica. Pro qua opinione graves Auctores laudant. Dicunt enim, quod, dum Theologi aſſerunt certum debere eſſe creditum, intelligendi ſunt *de certitudine morali*, *quæ habetur per probabiliorem opinionem*, *firmioribus nixam rationibus* & *CONIECTURIS*. loc. cit. num. 324. Qua doctrina poſita, quis inficias ire poterit, ſuperflua eſſe tribunalia, ſuperfluos legitimos iudices, publica auctoritate inſtitutos? Non eſt præſentis inſtituti, opiniones meo iudicio valde laxas convellere. Idcirco in ſemitam regredior.

VI. Quamvis certum ſit certitudine phyſica, & metaphyſica, nedum morali, rem tibi deberi; non propterea conſequitur te eſſe legitimum iudicem, & tali poteſtate inſtructum, qua iure valeas illam tibi accipere. Idque præter rationes allatas evincit auctoritas omnium tribunalium. Iudices quippe omnes, tum civiles, tum eccleſiaſtici, occultas compenſationes ſevere damnant, & puniunt. Id verum habet, inquis, in foro exteriori tantum, ſecus in foro conſcientiæ. Hanc cantilenam ad ravim recantant recentiores. Non nego, interdum contingere aliqua eſſe licita in foro interiori, ſecus in exteriori. At quando id occurrit? Quando iudicium fori exterioris nititur præſumptione ſuper aliquo facto. Quoties vero agitur de rei honeſtate, & æquitate, utrumque forum ſibi conſentit. Cur forum exterius damnat compenſationem occultam? Quia nemo eſſe debet iudex in cauſſa propria: quia nemo inauditus damnari debet: quia hanc occultam compenſationem neceſſario conſequuntur plurima incommoda, videlicet Reipublicæ perturbatio, fraudes, furta, anteriorum creditorum defraudationes, & innumera alia mala. Porro ad hæc omnia ſubmovenda iure gentium, legeque poſitiva inſtitutum eſt, ne quiſpiam ſit iudex in cauſſa propria, neque aliquis inauditus damnetur.

VII. Inſtauratur argumentatio. Leges humanæ, quæ non fundantur in aliqua peculiari præſumptione, ſed optimum Reipublicæ regimen, ipſumque bonum commune, pacem, & tranquillitatem ſpectant, obligant in conſcientia. Nec deſinunt adſtringere, licet reipſa aliquibus privatis incommodæ ſint, & detrimentum afferant etiam quandoque grave. Nonne lex legitimæ præſcriptionis ad evitandam confuſionem, & perturbationem humanæ ſocietatis, pacemque, & ordinem ſervandum, rerum dominia transfert? Auferendum ne præſcriptionis legitimæ ius, propterea quod nonnullis privatis damnum infert? Porro, ſicut lex præſcriptionis dominia transfert propter bonum commune; ita leges iure gentium latæ vetant ne dominia certa transferantur invito, & inſcio domino. Rem quam tu accipis, revera eſt ſub debitoris dominio. Qua via igitur in tuam tranſit poteſtatem? Via compenſationis, reponis. Verum hæc eſt petitio principii. Quia rerum dominia non transferuntur, niſi aut domini voluntate, aut publica poteſtate. Reſpondet

Digitized by Google

det P. Onnate *Tom. I. de contractib. diſp.* VIII. *num.* 180. per accidens licitum eſſe ſe ſe immittere in poſſeſſionem alterius propria auctoritate. Verum *τὸ per accidens* tanti non eſt, ut ſolemnes leges valeat infringere. Quærimus enim, cur *per accidens* liceat: cur leges iſtæ, in univerſale humanæ ſocietatis commodum latæ, violandæ ſint: *Nemo iudex in propria cauſſa: Nemo inauditus damnetur?* Cedo: leges iſtæ rectæ ne ſunt, & legitimæ? Annuis. Ergo æque in interiori, ac in exteriori foro obligant. In foro exteriori obligant, nullo habito ad privatum damnum reſpectu. Idem ergo dicendum in foro interiori. Perridicula ſane foret reſponſio, ſi reponeres, recenſitas leges in foro exteriori vim ſemper habere; in foro vero conſcientiæ obligare quidem, ſi *facile*, ſi *commode*, ſi abſque iactura *amicitiæ*, & *benevolentiæ*, ſi abſque expenſis in lite faciendis ſervari queant; ſi ſecus, minime obſtringere. Si iudices fori exterioris ab Theologis poſtularent rationem cur ob commodum, & æqualitatem privatam ordinem perturbent publici iudicii, partemque indicta cauſſa damnent; quid, quæſo, reſponſi audirent? Lubet hic enarrare quæ ſcribit præfatus P. Elizalde *loc. cit.* „ Cum quidam ex „ primariis iuſtitiæ commutativæ adminiſtris a me quæſiſſet, num huiuſmodi quæ- „ dam compenſatio cuipiam amico ſuo in foro conſcientiæ liceret; ego reſpondi: „ Hos caſus, domine, ac ferme omnes iuſtitiæ tutius nos dominationibus veſtris „ proponere poſſumus, ſententiamque quærere, quam contra. Dominationes, cre- „ do, veſtræ damnarent ſimilia, his, & his permoti. Affirmavit vir ſapiens. Tum „ vero ego: Credat dominatio veſtra, nobis nulla ſecreta cæleſtia reſervata ſup- „ petere, nec ullas diſpenſationes a Domino conceſſas, quibus hæc, & alia, quæ „ in iure ſanctiſſime conſtituta ſunt, reſcindamus. Laudavit tunc: & poſt reſpon- „ ſum amico aſſeverantiſſime diſſuaſit eam compenſationem.

VIII. „ Alter etiam eiuſdem ordinis vir inſignis, tamquam rem manifeſtam, „ caſum alium ſimilem occultæ compenſationis mihi propoſuit. Rem, inquit, „ cum multis Theologis tractavi, & omnes eam licere affirmarunt: &, num „ idem ego cenſerem, interrogavit. Aderat alter Theologus, qui, etſi non inter- „ rogatus, tamen exiliit, & rem licere tam prompte affirmavit, atque ſi caſus „ eſſet, utrum duo, & tria eſſent quinque. Ego inſignem virum ad forum ſuum „ deduxi, & cauſas rogavi, quas pleniſſime noverat, cur iſta ipſi in foro conde- „ mnarent. Tum ego eas ad conſcientiam applicavi, & deſtitit vir chriſtianiſſi- „ mus a propoſita compenſatione: ſubdiditque, exiſtimaſſe, nos Theologos habe- „ re pro conſcientia arcanas alias, & ſibi ignotas rationes.

IX. „ Nuper ſubditi cuiuſdam viri Principis, & Magnatis volebant plura mil- „ lia ſcutorum ex bonis eius repetere per occultam iſtam compenſationem, & „ magiſtrum Theologiæ conſuluerunt. Hic vero, qui propter conſuetum nihil „ quidem eatenus in compenſatione dubitabat, propter adiunctam quamdam cir-

„ cumſtantiam me interrogavit. Damnavi ego compenſationem ipſam : & ut eſt „ homo maximi ingenii, &, quod non minus intereſt, minime contentioſus, & „ citra partium ſtudium veritatis ſolius amator, facile conſenſit, & compenſa- „ tionem eam improbavit, meque enixe rogavit, ut hoc in opere aliquid de „ iſta compenſatione dicerem ; quam ſane vel ipſum nomen *occultæ* ſatis im- „ probat, iuxta illud, *Qui male agit, odit lucem*.

X. Neque reponas, P. Elizalde improbare compenſationem abſolute, ſuiſque limitationibus exutam. Nam manifeſtum eſt, ipſum oppugnare compenſationem iis omnibus, quas Theologi adiiciunt, circumſtantiis affectam. Sic enim exorditur ſuam diſputationem. „ Occultam compenſationem eam vocant qua quis clam „ ex bonis debitoris tantum propria auctoritate accepit, quantum ſibi debeba- „ tur. Quærunt itaque, utrum liceat? Et affirmant non tot, quin plures; quaſ- „ dam tamen conditiones requirunt. Primo, quod debitum ſit certum. *Et iam* „ *etiam ad probabile ampliarunt*. Secundo, quod plus non capiat. Tertio, quod „ heredibus debitoris, vel ſuis conſtet debitum eſſe ſolutum, ne idem bis ſol- „ vant. Alii requirunt, quod res commode in iudicio recuperari non poſſit. Ad- „ dunt tamen hodie, regulariter res iudicio commode repeti non poſſe. De de- „ poſito etiam docent fieri poſſe hanc occultam compenſationem. Item in ga- „ bellis, ſi debitor ſit Princeps, etſi tertiæ perſonæ locatæ ſint : nec intereſſe „ aiunt, ſi ſint alii creditores anteriores. “ Oppugnat itaque P. Elizalde compenſationem illam quam communiter Theologi defendunt ut licitam.

XI. Hæc, quæ breviter expoſui, rationum momenta magnum mihi faceſſere negotium fateor. Urget ex alia parte communis Theologorum auctoritas, quæ ſemper magni facienda eſt. Illud tamen admonere iuvat, falſo D. Thomam in patronum citari occultæ compenſationis; qnin oppoſitum non obſcure docere 2. 2. *quæſt.* LXVI. *art.* 5. *ad* 3. his verbis. *Ille qui furtim accipit rem ſuam apud alium depoſitam, gravat depoſitarium, qui tenetur ad reſtituendum eam, vel ad oſtendendum ſe innoxium eſſe. Unde manifeſtum eſt quod peccat, & tenetur ad relevandum gravamen depoſitarii. Qui vero furtim accipit rem ſuam apud alium iniuſte detentam, peccat quidem; non quia gravet eum qui detinet; & ideo non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad recompenſandum; ſed peccat contra communem iuſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei iudicium, iuris ordine prætermiſſo. Et ideo tenetur Deo ſatisfacere*. Interpretatio, qua hunc exponere textum communiter ſolent Auctores, minus idonea mihi videtur. Dicunt utique, peccatum eſſe uſurpare ſibi rei propriæ iudicium, ſi commode, & facile pateat ad iudicem via. At, quandonam homines controverſias ad tribunalia deduxerunt abſque gravi incommodo, & ſine magnis expenſis? Qui ſtatuunt, tum ad publicam poteſtatem pro rerum ſuarum aſſecutione recurrendum eſſe, cum acceſſus

ec-

Digitized by Google

occurrat ſine gravi incommodo, & magnis expenſis, definiunt numquam ad iudicem confugiendum eſſe. Quare magna recentiorum Probabiliſtarum pars, ut ſuperfluam, reiicit hanc conditionem de recurſu ad iudicem. D. Thomas vero, antiquioreſque Theologi eos peccare decernunt qui, prætermiſſo iuris ordine, res ſuas propria auctoritate ſibi uſurpant.

XII. Quid itaque ex iis quæ hactenus diſputata ſunt, colligimus? Hæc ſcilicet, quæ ſubiicio. Primum. Improbare abſolute non audeo, ob Theologorum auctoritatem, ſententiam quæ compenſationem occultam licitam defendit, ſi præſcriptæ conditiones revera ſerventur. Rationum tamen momenta, quæ expoſui, tantum mihi faceſſunt negotium, ut numquam ego compenſationem ſuaderem, tamquam licitam. Quid ergo? Anceps ſum, & perplexus. Rationes probabilius evincunt mihi illicitam compenſationem; auctoritas Theologorum oppoſitum decernit. In dubio ego tutiorem partem eligerem. Qui ſapientiores ſunt, quod veriſimilius illis apparet, amplectantur.

XIII. Ceterum in praxi rariſſime obſervantur omnes conditiones quas pro licita compenſatione Theologi aſſignant. Quapropter perdoctus Habert *de contr.* Tournely *part.* III. *de reſtitut. ſect.* 4. *quæſt.* II. Antoine *de iuſtit. & iur. cap.* V. *quæſt.* IX. Henricus a S. Ignatio *part.* VII. *cap.* VI. docent, quod, cum difficile ſit recenſitas conditiones impleri, numquam ſuadenda ſit hæc compenſatio. Si pœnitentes rogent Confeſſarium, licita ne ſit occulta compenſatio: tu reſponde, inquit Habert, Theologos eam propugnare ut licitam, dummodo plures obſerventur conditiones, quæ raro ſervari poſſunt; atque adeo, cum res periculi plena ſit, te non poſſe eam conſulere. Quod ſi pœnitens ea proprio marte uſus fuerit, ſi contritus ſit, eum abſolve a culpa. Prius tamen ſevere perpende, ſi conditiones iuſtitiæ ſervatæ ſint, nempe quod debitum fuerit certum certitudine evidenti, non probabili; quod fuerit evidenter liquidum, & actu debitum; quod in compenſatione ſervata fuerit æqualitas; & quod res accepta ſit domini, & non aliis anterioribus creditoribus debita, nec ab aliquo tertio loco depoſiti conſignata. Si omnes hæ conditiones ad iuſtitiam attinentes ſervatæ fuerint, nulla eſt reſtituendi obligatio; quamvis poſſit illicita eſſe compenſatio ob ordinis violationem. Et ab hac culpa poteris eum abſolvere.

XIV. Tertio, cum hæc compenſatio raro admodum recte fiat, & vix ad executionem reduci poſſit abſque culpa ob defectum conditionum, periculorum plena videtur doctrina quæ hanc occultam compenſationem propugnat, ſuadetque. Conferas velim ſententiam negantem cum ſententia adfirmante licitam eſſe occultam compenſationem, ut, quod expedientius videbitur, inferas. Sententia negans tibi ob oculos proponit leges gentium conſenſione, atque ipſa divina approbatione firmatas violari, ordinem iudiciorum perverti, rerum dominia abſque le-

Digitized by Google

legitima poteſtate transferri, furtis, fraudibus, rapiniſque latiſſimam aperiri viam, turbari Rempublicam, ſocietatem lædi ex hac occulta compenſatione. Leges univerſales, quas hæc ſententia allegat, certæ ſunt, & manifeſtæ, nemine diſſentiente. Exceptiones, limitationeſque, quibus nituntur Theologi ſententiæ affirmantis licitam compenſationem, incertæ ſunt, nulloque certo principio fultæ. Sunt meræ petitiones principiorum, quod præfatæ leges in adductis caſibus non obligent. Conditiones omnes neceſſariæ vix umquam implentur, quarum ſi una deficiat, culpa perpetratur. Theologi propugnant occultam compenſationem, ut privatorum quorumdam damnis occurrant. Raro tamen occurrunt, quia raro adſunt conditiones omnes neceſſariæ. In hoc autem conflictu publicæ tranquillitatis, & communis boni cum privata utilitate, & commodo quænam præferri ſententia debet? Vix aliqua lex eſt univerſalis humana, ex cuius obſervantia aliqui privati detrimentum non ſentiant. Quot ex Principatu privatorum incommoda? Numquid auferendum regimen, tollendus Principatus, quia quibuſdam infimis ſubditis oppreſſis, ac vexatis acceſſus difficilis eſt, & raro patet ad eumdem?

XV. Quarto animadvertas velim, compenſationem occultam, ſub initium invectam, conditionum plurium obſervatione fuiſſe munitam; temporis autem decurſu a probabiliſtica benignitate laxatam nimium fuiſſe. Lege Dianam *Tom. VI. tract.* 111. *a reſol.* 147. ubi offendes, non amplius requiri potiſſimas conditiones nimirum quod debitum ſit certum, quod creditores anteriores non fraudentur: quod res in iudicio repeti non poſſit, quod ſcandalum non ſequatur. Has ille cum aliis Probabiliſtis ſuſtulit conditiones, & compenſationis occultæ iura laxavit: *quia*, inquit reſolut. 154. *cognovi hanc opinionem cum gaudio a viris doctis fuiſſe ſuſceptam, ideo &c.*

XVI. Patritius Sporer *Tom. II. tract.* v. *in* 7. *præcep. Decal. cap.* v. *ſect.* 3. *§.* 4. *num.* 83. *pag.* 183. licitam admittit famulorum compenſationem ipſam, quam propoſitionis damnatæ doctrina defendit, ut ego quidem arbitror. Res facti cum ſit, quiſque arbiter ſedere poteſt. Hæc eſt illius doctrina. *Famulus, vel officialis, qui ob errorem, neceſſitatem, vel aliam SIMILEM cauſam operam ſuam minoris iuſto locavit, quia ſaltem ſecundum quid involuntarius fuit, adeoque animum donandi non habuit, poterit defectum ſtipendii iure exigere, &, ſi aliter habere nequeat, occulte compenſare. Et dominus ſibi imputet.* Vel hæc doctrina proſcripta eſt, niſi me ignorantia fallit; aut nihil proſcriptum fuit in propoſitione ab Innocentio XI. damnata. Legantur omnes Theologi, & Caſuiſtæ, qui damnatam propoſitionem docuerunt; & nemo unus reperietur qui eam non docuerit cum eiſdem omnino conditionibus quas adiicit P. Sporer *num.* 84. Sed, quod feſtivum eſt, & lepidum, ſub finem ſuæ ſcriptionis aſſuit propoſitionem damnatam, veluti laciniam

Digitized by Google

niam panno iam confecto. Quare hic te admonitum velim, lector optime, Auctorem iſtum multa ſcripſiſſe antequam propoſitiones proſcriberentur ab Innocentio XI. ut ex eodem colligitur, potiſſimum ubi ſcribit de præcepto amoris divini: & quia Auctor iſte in magiſtros ſibi delegit Theologos laxiores, Tamburinum, Dianam, Buſembau, Sanchez, & ſimiles; idcirco illorum opiniones plures damnatas defendit. Pontificio decreto promulgato, ad calcem doctrinæ laxæ adiicitur damnata propoſitio, ac ſi totum virus in illa propoſitione, vario charactere exarata, incluſum eſſet. Hæc damnatarum propoſitionum adiectio interdum facta fuit ab ipſis Auctoribus, interdum a Bibliopolis ipſis, ut felicius venales fierent merces. P. Sporer ipſe ſuo iam confecto operi damnatas propoſitiones adiecit, ut iam hic, & alibi dixi; ſed minime correxit laxa interpretamenta quæ iam exaraverat. In *Bonacinæ* operibus adiectæ ſuis locis ſunt damnatæ theſes, quin ulla præceſſerit correctio doctrinæ, cuius theſes ipſæ ſunt aut principium, aut conſectarium. Idem factum fuit in aliis Caſuiſtarum operibus, de quibus fuſius loco ſuo. Hæc nunc indicavi obiter, ut hinc colligas, quanta cautione, & quanta vigilantia Auctores iſtos legere debeas.

XVII. Poſtremum, ſi a communi Theologorum ſententia occultam compenſationem propugnante recedere nolis, ſaltem a Probabiliſtarum quorumdam laxitatibus caveto. Famulis, miniſtris, officialibus numquam compenſationem occultam permittas, cauſſa augendi mercedem, quam iuſto minorem aſſerunt: quia iſtius mercedis augmentum, inſcio invitoque domino factum, repugnat omni legi, damnatumque eſt ab Eccleſia. Ad ſummum admittenda eſſet compenſatio occulta, quando pactum ſtipendium non ſolveretur; quando debitum vi alicuius contractus certum certitudine evidenti, nec ab ipſo debitore negatum, ſolum ob iniquitatem eius non ſolveretur; & quando aliæ conditiones revera implerentur: quod raro eveniet. Admonendus autem tunc debitor foret, ne in mala fide perſiſteret, ratus ſe non ſolviſſe debitum. Sub his tantum circumſtantiis ad ſummum admittere interdum poteris occultam compenſationem. Eam tamen ego, etiam his limitibus circumſeptam, haud approbo in præſens, nec improbo; ſed iudicium ſuſpendo uſquedum ſapientum ſententias audierim. Res enim graviſſima eſt: quia, cum de peccato mortali agatur, definitio periculoſa eſt, D. Thoma teſte, niſi veritas expreſſe habeatur. Et hæc in præſentiarum dicta ſufficiant de occulta compenſatione.

XVIII. De quibuſdam aliis furtis famulorum facilis eſt reſolutio. Eſculenta, & poculenta, quæ famuli, & ancillæ clam accipere ſolent ad ſedandam famem, & ſitim, communiter non ſunt furta mortifera: quia domini non ſunt rationabiliter inviti. Dummodo tamen eiuſmodi non accipiantur ad gulam explendam.

XIX. Quare, ſi ſurripiant præfata ad compenſationes, ad luxum, ludos, mere-

retricia, venditionem, denique ad uſus alios quoſcumque, ſuæ famulatus conditioni non neceſſarios, eſſent furta letalia, ſi forent in magna quantitate. Quæ autem quantitas ſatis ſit ad peccatum mortale, conſule dicta ſuperius. Regula præciſa deſignari vix poteſt. Maior quantitas requiritur in furtis minutis & ſucceſſivis, quam in furtis gravibus ſimul ſumptis: maior in eſculentis & poculentis, quam in pecuniis, aut rebus rarioribus. Famuli & ancillæ communiter ſibi conſcientiæ non vertunt minuta furtula. Quare pii Confeſſarii eſt illos inſtruere, & obiurgare, cum in hoc delinquentes repererint. Sæpius impotentes ſunt ad reſtitutionem eorum quæ furtim ſurripuerunt: & tunc curent, ut ſaltem maiori induſtria, labore, & vigilantia damnum domino illatum compenſent. Ut id in praxi Confeſſarius facilius decidere valeat, expendat qualitates dominorum, nempe eorum tenacitatem, avaritiam, inhumanitatem, & ſervorum conſcientiam, fidelitatem, ac cetera id genus. Heinc enim facile colliget, quomodo ſe gerere debeat, ne famulos, vel dominos plus iuſto aggravet.

§. III.

Quam ſit pernicioſa Principibus, dominis, & mercatoribus benignitas illorum Probabiliſtarum qui defendunt, occultam compenſationem licitam eſſe famulis, officialibus, & Principum miniſtris.

I. Conſectarium iſtud, iis conſtitutis quæ ſupra explicata ſunt, ſeipſo manifeſtum eſt. Explicatione, non probatione eget. Ego ſtatui, ad ſummum compenſationem licitam interdum defendi poſſe, cum rem ſuam quis accipit. Puta, rem tuam invenis furto ſublatam; tibi ex legitimo contractu debentur centum aurei &c. Via ad tribunalia difficillime patet. Si aliquo in caſu eſſet licita compenſatio; in his, & ſimilibus admittenda foret. Numquam vero, dum creditum tuum contentioſum eſt. Tu aſſeris tibi tot deberi; negat alter; nec datur evidentia certa, ut ſuppono: nullus hic compenſationi locus umquam eſſe poteſt.

II. Benigni Probabiliſtæ compenſationem licitam famulis, miniſtris, opificibus aſſerunt: & quamvis doctrina fuerit proſcripta ab Eccleſia; tamen unius, aut alterius voculæ ſubſidio damnationem tentant eludere. Iudicium Confeſſarii, aut viri gravis adiicit P. Viva; & tum licitam fieri poſſe compenſationem docet. Sed laxas Caſuiſtarum opiniones iam dedimus ſupra.

III. Explicandum nunc conſectarium eſt, videlicet quam ſit hæc benignitas proba-

babiliſtica exitioſa dominis, mercatoribus, & Principibus. Non ita pridem Principis cuiuſdam inſignem miniſtrum præclaris animi dotibus, & morum, ac præcipue iuſtitiæ integritate ornatum alloquebar. Narrabat mihi, Theologos non paucos, nec obſcuri nominis, licitam ſibi approbaſſe compenſationem expenſarum, quas in Principatus bonum facere cogebatur, eo quod diminutum a Principe ſtipendium conſuetum eſſet. Repoſui continuo: Theologi illi qui veſtræ dominationi licitam occultam compenſationem probant, licitam quoque eam faciunt famulis, & miniſtris veſtris. Vah, exclamavit repente ille, Probabiliſtarum doctrinam, ſocietati, tranquillitati, & ſecuritati infeſtam. Utinam omnes miniſtri, immo & Chriſtiani ſimili bona præditi mente eſſent, qua tandem aliquando intelligere vellent, ſolam evangelicam doctrinam, ſincere & ingenue explicatam, non animarum ſaluti modo, verum etiam veræ politicæ, ſocietati, & tranquillitati conſulere, ac ſummopere conſentaneam eſſe.

IV. Si Principes, ſi domini, ſi mercatores perciperent damna, detrimenta, furta, quæ vi benignitatis probabiliſticæ patiuntur; non adeo plauderent doctrinis laxis, fuco ementitæ benignitatis obtectis. Vix eſt famulus qui labori ſuo pactum ſtipendium iuſtum, & æquum iudicet. Labores famuli, diurnas nocturnaſque vigilias ſervientes exaggerant. Clamant, ſtipendia victui, & veſtitui haud ſufficere. Confeſſarii, doctrina imbuti Probabiliſtarum, licitam compenſationem probant. Officiales Principum expenſas factas in aſſecutione gradus, vel miniſterii, munera oblata illis qui officia diſtribuunt, & quæ offerre in dies debent, ob oculos ponunt ex una parte; ex altera ſtipendii parvitatem repræſentant. Fieri non poſſe reipſa evincunt ut vitam ducere adeo tenui ſtipendio valeant. Principum immediati, & proximi miniſtri maiori eloquentia diminutum familiæ patrimonium ob ſervitia Principi præſtita, & taxata ſtipendia diminuta eſſe deprædicant. Id ne iuſtitia præſcribet, ut poſt vitæ moleſtias, vigilias, labores, etiam domeſticum patrimonium abſumam, inſerviendi Principi gratia? Cur ego præ aliis civibus ſubire hoc detrimentum debeo? Theologi his ſermocinationibus excantati, & nova Caſuiſtarum doctrina iam præoccupati, compenſationem licitam faciunt. Et omnes recenſiti, iuxta graduum, & officiorum diverſitatem, diverſos compenſationis gradus conſtituunt. Famuli parvula furta, mercatorum, dominorumque officiales mediocria, miniſtri vero medii, & propinquiores Principatui ingentia furta perpetrant, ſplendidiſſimo compenſationis occultæ fuco tecta. Conſenſum ipſius Principis iactare aliqui ſolent in ſimiles compenſationes. Mendax & plane confictus iſte eſt Principis conſenſus. Si, iuris ordine ſervato, Princeps dignoſcere has compenſationes, ſeu furta poſſet; eadem ſevere plecteret. Et en quam perniciosa ſit probabiliſtica benignitas Principibus, dominis, mercatoribus, & univerſæ hominum ſocietati. Heinc abſque vitæ periculo, abſque infamiæ nota, furta parva, me-

Digitized by Google

media, magna, maxima : heinc publici patrimonii dilapidatio : heinc tributa ingentia, quibus publicum reparetur patrimonium : heinc iuſtitiæ diſtribuentis violatio : quia ſpe futuræ compenſationis candidati munera ſplendida offerunt, ut gradum, officium, dignitatemque aſſequantur. Plura dicturus eſſem, ſi per otium liceret.

CAPUT VII.

Quæſtiuncula de Comaclenſi compenſatione.

I. DUm hæc ſcriberem, pluribus epiſtolis nuntiatum mihi fuit, in civitate Comachii diſputationem fervere ſuper compenſatione occulta piſcatorum. Valles ibi plures ſunt piſcibus redundantes, quarum dominus Princeps eſt, qui eaſdem publicis conductoribus locat. Hi ad cuſtodiendas, farciendaſque valles, & capiendos piſces homines Comaclenſes conducunt, taxato pretio. Pretii parvitatem exaggerant piſcatores, propriæ familiæ ſuſtentandæ minime ſufficientem; atque compenſationem his rationum momentis ſibi licitam eſſe contendunt. Iuris naturæ eſt, inquiunt, vitam alere iis fructibus quos propria regio, & hominum induſtria parit. Aquæ iſtæ, adiecta induſtria noſtra, piſces nobis in alimentum porrigunt. Toto anno diu noctuque his vallibus inſtaurandis, farciendis, cuſtodiendiſque deſudamus. Artes alias ignoramus. Conductores, ſeu publicani, avaritia, faſtuque abrepti, ingens peculium Principi offerunt, ut vallium utile dominium aſſequantur. Ipſi repente divites fiunt, ſplendide vivunt, munera inſignia Magnatibus exhibent. Ut has ingentes ſuſtinere expenſas queant, propriumque faſtum fovere, ſanguinem noſtrum emungunt, ac pellem veluti excoriant mercedis diminutione. Labor continuus eſt, toto anno, neque feſtivis diebus exceptis. Frequentiſſime noctu laborandum, dum pluviæ, venti, fluctus, tempeſtates undique verſum nos exagitant : quia tum opportunitas ſæpe adeſt piſces capiendi. Ocreæ neceſſariæ ſunt, quibus ab aqua nos defendamus; veſtitus etiam adverſus frigora, ventos, pluviaſque congruus neceſſarius eſt. Quodnam pro tot laboribus, incommodis, periculiſque fere continuis ſtipendium ? *Otto baiocchi* in dies ſingulos, & piſces ad ſaturitatem. AEſtatis tempore, dum ſol urit, & media vita intra aquam, & media nuda radiis ſolaribus expoſita capiendis piſcibus operam damus, tanta ardemus ſiti, ut *otto baiocchi* vix vino emendo ſufficiant. Reliquum cibum quis nobis ſuppeditabit? Quis filios, quis uxores, quis familias noſtras alet, induetque? Alias artes ignoramus. Ab infantia huic arti aſſueti ſumus. Tanta eſt civitatis paupertas, ut neque mendicandi facultas adſit. Aquam ipſam pecunia bibimus, cum nihil territorium noſtrum præter piſces ſuſtentandæ vitæ porri-

Digitized by Google

rigat. Alio migrare, relictis domibus noſtris, non poſſumus. Artifices, operariique omnes ſua arte & laboribus vivunt: & nobis ſolis, qui in nativo fundo noſtro piſces capimus, qui labores perferendo, vitamque affligendo in exercitio artis noſtræ, omnes artifices, baiulos, operarioſque longe maxime ſuperamus, licitum non erit arte noſtra congrua alimenta, & indumenta comparare?

II. Nec eſt quod opponatur, nos libere locare conductoribus operas noſtras, ſudores, incommoda, labores, pericula, pactoque pretio contentos eſſe. Siquidem ſponte coacti aſſentimur. Tanta eſt humanæ naturæ malitia, & pravitas, ut nos ipſi certatim conductoribus operas noſtras offeramus, & mutuis calumniis infamemur, ut unus a valle excludatur, aliuſque ſubſtituatur. Quandoquidem non aliunde nobis panem comparare ſcimus. Et ideo libertate, neceſſitatis filia, taxatum pretium acceptamus; ſed occultæ compenſationis doctrina præventi. Itaque ſinguli quotannis piſces pro valore duodecim ſcutorum, & quandoque plus accipimus, & minori vendimus. Quamobrem damnum circiter viginti & amplius ſcutorum in annos ſingulos conductoribus vallium inferimus.

III. Hæc ſunt Comaclenſium piſcatorum ratiocinia, quibus licitam ſibi eſſe compenſationem probare contendunt. Verum hæc omnia duo tantum evincunt: unum ſcilicet infelicem, miſeram, lugendamque iſtorum piſcatorum conditionem eſſe; alterum, publicanorum iniuſtitiam, pravitatemque immanem.

IV. Paucis ergo rem expedio. Compenſatio iniuſta eſt. Nec aliquid evincunt argutationes piſcatorum. Alioquin omnibus licitum eſſet ex fructibus agrorum proprii territorii tantum accipere, quantum ſat eſt ad victum, & veſtitum. Sophiſmata recitata inferunt verum eſſe oraculum Salomonis: *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium emptionis, & venditionis anguſtiabitur peccatum.* Conductores, videntes piſcatorum neceſſitatem, pretium infra æquitatem diminuunt. Piſcatores, neceſſitate utique urgente, ſed tamen libere, operas locant. Et poſt initum contractum furta, compenſationis fuco tecta, exercent. Quid ergo agendum, ut animarum ſaluti proſpiciatur?

V. Compenſatio nullo modo licita eſt, nulloque probabilitatis velo honeſtari valet. Publica opus auctoritate eſt. Nam in præſens compenſatio vix dici occulta poteſt; cum publice de eadem diſputetur. Princeps itaque mediis civitatis magiſtratibus taxare congruum pretium debet, ut & avaritiæ conductorum modum imponat, & pauperum ſubditorum vitæ provideat. Peculiaris caſus eſt, quem dirimere ſola Principis auctoritas valet. Nos invictis rationum momentis iniuſtitiam occultæ compenſationis demonſtrare poſſumus. At quid inde? Ratiocinia noſtra non alunt vitam piſcatorum, quibus certo *otto baiocchi* non ſufficiunt. Ceterum vivere ipſi per fas aut nefas ſua arte volunt. Conductorum intereſſet pretium ad congruam quantitatem augere, tum ne ſtipendii tenuitate anſam furandi piſcatori-

ribus porrigendo, alienorum peccatorum participes efficerentur; tum ut propriæ utilitati, & conſcientiæ conſulerent. Iniuſtitiæ iſti rei ſunt, niſi pretio congruo conducant piſcatorum operas; & ſimul rei ſunt furtorum, quæ ob ſuam avaritiam a piſcatoribus committuntur.

VI. Quid de præteritis compenſationibus, ſeu furtis dicendum? Si vera ſunt quæ narravimus, impotentia excuſat. Cum factum publicum ſit, curanda eſt mutua tranſactio inter locatores & conductores. De futuro autem æquum pretium conſtituendum. Hæc obiter, & curſim.

CAPUT VIII.

De furtis domeſticorum.

I. POſt generalem de furtis diſputationem ſuccedit diſquiſitio de furtis domeſticorum, quibus accenſentur etiam famuli, & ancillæ; Sed de iſtorum furtis dictum eſt capite antecedenti. Domeſtici potiſſimum ſunt filii, & uxores. Quare de iſtorum furtis nobis in præſentia ſermo erit.

II. Quæſt. I. *Peccant ne filii qui bona furantur parentibus*? Reſp. Diſtinguenda ſunt bona quorum filii dominium habent, a bonis quæ cadunt ſub parentum poteſtate. Filii, etiam ſub patria poteſtate conſtituti, habent dominium, & adminiſtrationem bonorum *caſtrenſium*, & *quaſi caſtrenſium*. De his diſponere pro arbitrio valent. Bonorum, quæ *adventitia* nuncupantur, proprietatem filiifamilias habent, parentes vero uſumfructum, & adminiſtrationem. Profectitiorum autem bonorum pater adminiſtrationem, & proprietatem habet. Filii qui de bonis quorum dominium, vel uſusfructus penes parentes reſidet, ſurripiunt notabilem quantitatem abſque eorumdem parentum licentia vel conſenſu, peccant mortaliter. Idque docet Salomon Prov. XXVIII. *Qui ſubtrahit aliquid a patre ſuo, & matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt.* Ratio eſt evidens. Nam furtum eſt occulta acceptio rei alienæ invito domino. Filius, donec pater vivit, nullum dominium habet bonorum patris. Ergo furtum perpetrat, eo invito illa ſurripiens.

III. Quæſt. II. *Quæ bonorum quantitas requiritur in furtis filiorum?* Reſp. Si vix certa præſcribi regula poteſt pro furtis extraneorum, multo minus deſignari poterit pro filiorum furtis. P. Bannez 2. 2. *quæſt.* LXVI. *art.* 6. docet, in filio patris prædivitis non eſſe mortiferum furtum, ſi ſit infra quinquaginta aureos. Quæ opinio, ut falſa, communiter reiicitur: quia nec in filio Regis tantum eſſet concedendum. Alii ad furtum letale requirunt viginti, aut triginta aureos, ſi pater mille & quingentos aureos annuatim percipiat. Alii ſuſtinent ſufficere duos aut tres

tres aureos, ut ſurtum ſit grave. Hæc omnia gratis dicuntur. Circumſtantiæ ſpectandæ ſunt, nempe parentum divitiæ, filiorum numerus, domus expenſæ, patris indoles, finis ob quem filii bona ſurripiunt, & id genus ſimilia. Maior ſane quantitas requiritur ad gravem culpam in furto filii divitis quam in ſurto filii hominis pauperis, puta artificis. Admiſſa vera iuſtitia inter patrem & filium, quando nullo modo præſumi prudenter poteſt conſenſus patris in filii acceptionem, non video cur poſſit aſſignari maior quantitas in furto filii ac in furto extranei. Nam quod dicunt, parentes non eſſe invitos in filiorum, ſicut in extraneorum furtis, id oſtendit, ſurta filiorum non eſſe ſurta, quando prudenter præſumi conſenſus paternus poteſt. Dicerem ergo, quod, quando ex circumſtantiis colligi poteſt, parentes eſſe invitos, tum moderanda ſit quantitas in furtis filiorum eadem regula præter propter qua moderatur quantitas in furtis extraneorum: Facilius utique præſumitur conſenſus patris reſpectu filii quam domini reſpectu extranei in bonorum ablatione. At hinc ſolum ſequitur filios auferendo bona patris interdum ſurtum non perpetrare. Ceterum, quando ex circumſtantiis colligeretur, ſicuti facile colligi poteſt, patrem eſſe rationabiliter invitum, tunc exiſtimarem eam quantitatem eſſe gravem reſpectu filii quæ gravis foret reſpectu extranei. Et, ſi aliquod diſcrimen permitterem, hoc non excederet valorem unius aut alterius iulii; quando, ut dixi, perſpecta eſſet patris repugnantia.

IV. Filii excuſantur a furti delicto, quando parentes omittunt ipſis ſubminiſtrare congrua pro victu, & veſtitu, quia ad alimenta ius filii habent. Sub alimentis autem ea omnia veniunt quæ proprio ſtatui congruunt, ut honeſtæ recreationes. Quod plures addunt, poſſe quoque filios qui negotia patris gerunt, detractis expenſis, tantumdem accipere, quantum pater dare extraneis ſolet, communiter falſum eſt. Quia filii, ſub patria poteſtate conſtituti, tenentur adiuvare parentes, quemadmodum parentes tenentur alere filios. Si filii a patre poſtularent pro labore ſtipendium, nonne pater iure denegare iiſdem poſſet alimenta? Si enim filius aſſumere velit extranei conditionem in ſalarii exactione, etiam pater poterit, veluti extraneum, filium reſpicere. Quare, ut evidenter laxa, reiicienda eſt opinio illorum qui docent, licite filium clam ſurripere patri poſſe tantum bonorum, quibus compenſet ſalarium ſibi debitum ob præſtitos labores in mercatura, aut agricultura, aliove labore. Quandoquidem, etiamſi probabilis foret (quod ego nullo modo admitto) oppoſita ſententia; adhuc compenſatio iniuſta eſſet. Verum, ut dixi, falſa eſt prior opinio, quæ filiis, patres in laboribus, mercatura, agricultura, aliove opere adiuvantibus, ſalarium iure deberi aſſerit: falſiſſima vero altera, quæ compenſatione iſtius ſalarii illos uti, ſi a patre ſalarium negetur, poſſe contendit.

V. Furti rei ſunt parentes qui, filiis ſuis invitis, de bonis caſtrenſibus, aut quaſi ca-

caſtrenſibus, quorum dominium, adminiſtrationemque habent, ſurripiunt in magna quantitate. Inviti filii cenſentur etiam tum cum ob pudorem, & reverentiam precibus, & blanditiis parentum contradicere minime audent.

VI. Quæſt. III. *Furti ne reatum contrahunt uxores quæ bona maritis ſurripiunt?* Reſp. Diſtinguenda ſunt bona quæ tum ad uxorem, tum ad maritum pertinent. Duo ſunt bonorum genera uxorum propria. *Dotalia*, quæ uxor marito dat in matrimonii ſuſtentationem. Iſtorum dominium eſt penes uxorem, uſusfructus, & adminiſtratio penes maritum. *Paraphernalia*, quæ præter dotalia uxor affert, vel acquirit induſtria ſua, aut legato, donatione, aliave via, abſque mariti opera, eidem obveniunt. Iſtorum dominium, & adminiſtratio penes uxorem eſt; ſicut eorum quoque quæ maritus dat uxori pro ſuis peculiaribus ſumptibus, ut inter nobiles fieri ſolet. Omnia alia bona ſunt mariti.

VII. Sententia omnium eſt, furtum mortiferum perpetrare uxores quæ, invitis maritis, bona quorum dominium, & adminiſtratio penes maritos eſt, in magna quantitate ſurripiunt. Maiorem quantitatem in eiuſmodi furtis Theologi requirunt ad gravem culpam quam in furtis extraneorum. Sed quæ de furtis filiorum dicta ſunt, furtis uxorum applicari debent. Quod obiici ſolet, tutorem quoque adminiſtrare pupillorum bona, nec tamen pupillos furtum committere, bona propria ſurripientes, quia eorumdem dominio potiuntur; nullius momenti eſt. Siquidem tutores in commodum, & utilitatem pupillorum bona adminiſtrant; mariti contra in commodum proprium. Idcirco dominium quod uxores in bona dotalia retinent, ius eiſdem non tribuit ut valeant quidquam ſurripere, quoad mariti vixerint. Hæc certa penes omnes ſunt. In ceteris locorum conſuetudines ſpectandæ ſunt.

VIII. Plures aſſignantur caſus in quibus uxores, abſque furti reatu, maritis ſurripere quædam bona valent. I. Si maritus præbere omittat ſumptus conſuetos, & neceſſarios ad ſuſtinenda familiæ onera; tum uxor clam accipere iure valet quantum ſatis ſit ad præfatos ſumptus. Ad hoc quippe quod attinet, irrationabiliter invitus maritus eſt. II. Ad impediendum grave familiæ damnum: quia ſic agendo mariti negotium gerit. III. Ad erogandas eleemoſynas congruas, & conſuetas. IV. Contendunt plures, poſſe uxorem bona accipere diſtribuenda in pia opera, in Miſſarum celebrationem, & id genus ſimilia pro mariti converſione, ſeu reductione ad meliorem frugem. Sed cautione, & moderatione magna hic opus eſt; & prudentia directoris requiritur, ne uxores, falſa pietate deceptæ, liberius quam par ſit, bonis mariti abutantur. V. Si filiis ad ſtudia, vel alias addiſcendas artes neceſſaria pater non porrigat; poteſt uxor ſupplere ex mariti bonis. VI. Si maritus fatuus ſit, adminiſtratrix uxor evadit. VII. Quando prudenter præſumitur mariti conſenſus. VIII. Ut extreme, vel graviter indigenti ſuccurrat. IX. Si maritus

Google

ritus bona familiæ dilapidet in ludos, compotationes, & in alia ſimilia; poteſt uxor bona clam ſurrepta in utilitatem familiæ ſervare.

IX. Regula tamen generalis eſto: Nihil uxores diſponant de maritorum bonis, illis inſciis, exceptis caſibus manifeſto & evidenter urgentibus. Facile ſibi uxores arrogant facultatem, & dominium in bona mariti; & quemadmodum corporis, ita & fortunæ bona communia ſibi reputant. Quare prudens Confeſſarius curet ut uxores ſubditæ ſint viris ſuis; & neceſſaria tam ſibi, quam familiæ, a maritis petant. Earum pietas, devotio, & virtus eluceant in obedientia, & conformitate ad maritorum voluntatem in iis omnibus quæ malitiam non redolent: ſtudeant, quomodo placeant viris ſuis.

X. Regulam, quam paucis perſtrinxi, tradunt communiter Patres. S. Auguſtinus *epiſt.* CXCIX. ad Ecdiciam hæc habet: *Cum vero de faciendis ipſis eleemoſynis loqueretur, ait* (Apoſtolus:) *Non ut aliis refectio ſit, vobis autem anguſtia. Pariter ergo conſilium de omnibus haberetis, pariter moderaremini, quid theſaurizandum eſſet in cælo, quid ad vitæ huius ſufficientiam vobis, & veſtris, veſtroque filio relinquendum, ne aliis eſſet refectio, vobis autem anguſtia. Et in his diſponendis, atque faciendis, ſi quid tibi forte melius videretur, ſuggereres viro reverenter, eiuſdemque auctoritatem, tamquam tui capitis, ſequereris obedienter; ut omnes qui ſanum ſapiunt, ad quos poſſet hoc bonum veſtrum fama perferre, de domus veſtræ fructu, ac pace gauderent, & adverſarius revereretur, nihil habens de vobis dicere pravi. Porro, ſi de faciendis eleemoſynis, & in pauperes impendendis rebus tuis, de quo bono opere, & magno tam evidentia præcepta ſunt Domini, cum viro tuo fideli, & tecum ſanctæ continentiæ pacta ſervante, conſilium communicare deberes, eiuſdemque non ſpernere voluntatem; quanto magis de habitu, atque veſtitu, nihil tibi præter eius arbitrium mutandum, vel uſurpandum fuit, unde nihil divinitus legimus imperatum?* Plura alia hac de re ibidem habet Doctor ſanctus.

XI. D. Raymundus Lib. II. tit. de furt. §. 9. *De rebus autem viri, aut de pane, vino, & aliis, quæ bono, & approbato more ſolent ad diſpenſationem uxoris pertinere, poteſt, & debet facere eleemoſynam, moderate tamen, ſecundum facultatem viri, & maiorem, aut minorem multitudinem, vel neceſſitatem pauperum; & debet ſemper ſibi conformare conſcientiam, quod non diſpliceat marito in corde, licet forte aliquando prohibuerit ore. Solent enim mariti facere prohibitionem uxoribus abſolute, ut ſic temperent eas, non a toto, ſed ab exceſſu, quem ſuſpicantur. Poteſt etiam formare ſibi conſcientiam ex qualitate, & miſeria pauperis, cogitans, quod, ſi maritus illum videret, omnibus modis placeret ei quod illi faceret eleemoſynam. Si autem omnino, & præciſe ipſi uxori conſcientia, ſit, quod viro diſplicet, & ſcandalizatur inde, deponat conſcientiam illam, ſi poteſt. Sin autem, non debet dare; & doleat, quia non poteſt dare: & ſic intelligitur quod dicitur* III. *quæſt.* V. *can.* Quod dico. *Hoc autem*

Digitized by Google

tem ultimum dico, niſi videret pauperem indigere ad mortem : tunc enim deberet dare intrepide; alias peccaret.

XII. Qua ratione furti fontes ſunt uxores, ſi mariti bona ſurripiunt, eadem rei furti mariti ſunt, ſi bona quorum uxores dominium, & adminiſtrationem habent, rapiant : item, ſi vivum dotale dilapident, aut diminuant; ſi bona communia, uxoribus invitis, abſumant.

XIII. Quæſt. IV. *Quid de opificum furtis dicendum?* Reſp. Opifices, qui materiam elaborandam a domino ſuſcipiunt, ut ſartores, textores, molitores, & ſimiles, furtum perpetrant, dum quidquam materiæ ſibi traditæ, invito domino, ſurripiunt. Nec quidquam eiſdem ſuffragantur prætextus quos allegare ſolent. Sartores fragmenta, & lacinias ſurripere in more habent. Iſti omnes fures ſunt. Et quæ de parvis furtis diximus, iſthuc revocari debent. Si fragmenta nullius ſint valoris, ita ut in nullam cedere domini utilitatem valeant, tum nullum furtum committitur. At, quoties domino inſervire apta ſunt, ut plerumque accidit; tunc furtum committitur, gravius, leviuſve, prout maior eſt, aut minor materia fragmentorum. P. Thomas Sanchez *Lib. II. conſil. cap.* VII. *dub.* 2. defendit, Sartores fragmenta etiam alicuius valoris ſibi retinere poſſe : tum quod domini, talis moris conſcii, non cenſentur inviti; tum quod iuſtum pretium laboris ſolvere domini recuſant, idcirco compenſatione occulta uti ſartores poſſe contendit. Verum hæc doctrina omnino falſa eſt. Nulla adeſt præſumptio conſenſus dominorum in hæc furta. Multo minus adeſt fundamentum iuſtæ compenſationis. Pretium laboris pactum eſt. Illud autem ſibi propria ſponte augere ſartores nequeunt. At, inquis, non libere, ſed coacte ſartores conſentire in pretium ſolent, ne alius minori pretio conficiendam veſtem ſuſcipiat. Effugium iſtud nullum eſt. Hæc enim non coactio, ſed voluntaria deceptio, & manifeſta fraus eſt, qua domino illuditur. Nulla quippe lege permittitur ut artifices queant ad libitum ſui operis mercedem augere, inſcio domino; ut iam ſupra de occulta compenſatione demonſtravi. Plurima alia in tractatu de reſtitutione diſcutientur.

XIV. Quæſt. V. *Quid de furtis Religioſorum dicendum?* Reſp. Paucis rem expediam. Si Clauſtrales furentur ab e xtraneis, perinde ſe habent ac alii fures. Si furentur de communi Monaſterii penu gravem quantitatem, peccant & contra iuſtitiam, & contra votum. Quare rei ſunt & ſacrilegii, & iniuſtitiæ. Ratio eſt manifeſta : quoniam Religioſi vi paupertatis Deo per votum promiſſæ cuiuſcumque rei dominio privati ſunt. Ergo quoties bona Monaſterii ſurripiunt abſque licentia ſuperioris, furti rei evadunt, utpote, invito domino, aliena accipientes. Nec eſt quod rem certam & evidentem rationibus confirmem; cum nullum ſit de hoc penes Theologos diffidium.

XV. Diſputant Theologi, ſit ne in furto Religioſorum ea quantitas neceſſaria quæ

Digitized by Google

quæ aſſignari in furtis filiorum ſolet. PP. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* VI. *punct.* 5. *num.* 43. ſententiam adfirmantem defendunt: atque pro eadem allegant Sanchez *Lib. VII. Decal. cap.* XXI. *num.* 31. Rebellum *I. Part. Lib. III. quæſt.* XV. *ſec.* 3. Fagundez *Lib. VI. Decal. cap.* V. *num.* 2. Pellizarium *tract.* IV. *cap.* II. *ſec.* 4. *num.* 187. Ledeſmam *Tom. II. cap.* IV. *dub.* 6. Cenedo *tract. de pauper. Relig. dub.* 20. Caramuelem *in Regulam D. Bened. diſp.* LXIII. *num.* 944.

XVI. Hæc ſententia falſa videtur, nulloque nixa fundamento. Falſo pro eadem citatur Sanchez, qui *Lib. VII. cap.* XX. *num.* 3. oppoſitum docet. Patritius Sporer *tract.* V. *cap.* V. *ſec.* 2. *§.* 3. *num.* 62. communem vocat DD. ſententiam, quæ aſſerit, eam quantitatem ſatis eſſe in Religioſis ad furtum mortiferum quæ ſufficit in ſæcularibus. P. Thomas Tamburinus adeo communem reputat hanc ſententiam, ut quærat *Lib. VIII. cap.* IV. *num.* 4. num ſaltem *probabiliter* defendi poſſit ſententia Fagundez, Cenedo, & aliorum. Et laudatus Sporer reſolvit, non eſſe in praxi ab hac communi ſententia recedendum.

XVII. Si ratio conſulatur, non modo quantitas furti Religioſorum non eſt augenda ad menſuram furti filiorumfamilias; ſed minor potius conſtituenda foret quam in ipſis ſæcularium furtis. Siquidem Religioſi non lege iuſtitiæ, & ſeptimo præcepto Decalogi tantum prohibentur furari, ſed etiam ſolemni paupertatis voto. Prælati utique patres Religioſorum reputantur; ſed ſpirituales, non carnales. Patres ſunt, & magiſtri, qui in evangelicæ paupertatis ſchola eos exercere debent. Qua ergo ratione præſumi poteſt, eos non fore invitos, quemadmodum patres reſpectu filiorum, ſi Religioſi ſurripiant eam quantitatem quæ in furto communi extraneorum eſt materia gravis? Cur non præſumuntur inviti Prælati Religioſorum? Quia, inquiunt, ſunt loco parentum. Parentes autem non cenſentur inviti reſpectu filiorum in ea quantitate quæ in extraneo eſſet furtum mortiferum. Perridicula eſt iſta ratiocinatio. Parentes conſentire iure valent ut filii centum, mille, bis mille aureos accipiant. In idem ergo conſentire Prælati regulares poterunt? Quid ſtultius? Religioſi adſtricti voto paupertatis ſunt, ſecus filiifamilias. Quæ ergo ratio paritatis filiorum cum Religioſis, aut parentum cum Prælatis? Parentes domini abſoluti ſunt; Prælati regulares adminiſtratores tantum. Libere conſentire valent illi in quamcumque acceptionem bonorum; iſti nequeunt, niſi infra leges paupertatis monaſticæ. Futilis ergo omnino eſt paritas filiorumfamilias cum Religioſis.

XVIII. Hinc colliges, quam ſint inepta alia conſectaria, quæ ex convulſa paritate Religioſorum cum filiisfamilias eliciunt citati Theologi. Salmanticenſes *loc. cit. punct.* 8. *num.* 94. cum aliis Caſuiſtis docent, Religioſos poſſe, quemadmodum filiosfamilias, congruam quantitatem ludo licito exponere. Hæc, & alia plura laxitatis plena, quæ de ludis pecuniariis Religioſorum docent recentiores, fuſe, & niſi

Digitized by Google

niſi fallor, valide, confutavi in *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica*. Quare, ne actum agam, conſule quæ ibidem dicta ſunt. Nullum omnino ludum pecuniarium permittendum Religioſis oſtendimus.

XIX. Quæ de reſtitutione a Religioſis facienda docent iidem recentiores, ſimiliter vana mihi videntur. Nam, ſi quæ ſurrepta fuerunt, conſiſtant, nemo ambigit ea fore reſtituenda; ſi conſumpta fuerint, ad nihil Religioſus tenetur. At, inquiunt, ſi peculium habeant proprio uſui deſtinatum, nonne valent ex illo compenſare quod furati fuerint? Reſpondetur, Religioſos qui peculium retinent ultra neceſſarium victum, & veſtitum, proprietarios eſſe, & iuſtitiæ violatores. Quare, etiamſi fures aliunde ex iniuſta acceptione non eſſent, fures ſunt, & proprietarii ob iniuſtam retentionem. Qui tamen res Monaſterio furatas, aut peculium, quo compenſare furtum poſſent, retinent, novum flagitium perpetrant, ſeu gravius peccant. Laudati Theologi reſtitutioni obnoxios Regulares docent, ſuppoſito quod peculium habeant. Licite enim ex ſuperioris licentia habere peculii uſum illos poſſe credunt. Idcirco inferunt, illos ex hoc peculio reſtituere, & compenſare bona furtim accepta debere. Nos vero dicimus, nullum illos retinere peculium poſſe, niſi urgente neceſſitate victus, & veſtitus. Victu autem, & veſtitu neceſſario privare ſe non tenentur, nec debent, ut reſtituant. Quid quod, cum nullius rei dominium habeant, nec uſum *independentem*; de nulla re diſponere queunt, inconſulto ſuperiore? Quare quæ recentiores Moraliſtæ de reſtitutione, & ludis Religioſorum verſant, falſo nituntur principio, quod ſcilicet licitum illis peculium ſit. Hoc falſo ſublato fundamento, cetera ſponte ſua corruunt. Verum de his præter ea quæ in citata *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica* dicta ſunt, plura ediſſeram in tractatu de Statu religioſo.

L I-

Digitized by Google

LIBER DECIMUS
IN DECALOGUM, OCTAVUM PRAECEPTUM TRACTANS:

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.
Exod. xx. 16.

DISSERTATIO PRIMA.
DE FALSO TESTIMONIO, MENDACIO, EIUSQUE MALITIA.

CAPUT I.

Cenſus propoſitionum laxarum, quas Probabilitatis patroni adverſus octavum præceptum evulgarunt.

IN explanatione ſecundi mandati, quod Deum recta ſpectat, plures laxioris Ethices propoſitiones, quæ periuria, æquivocationes, reſtrictiones mentales variis linimentis percolorant, recenſui. Nonnullas in præſentia, quæ falſitatem proximo exitialem propugnant, exſcribam.

I. „ Ad tormenta, damnaque gravia vitanda poſſe quemlibet ſibi falſum gra- „ ve crimen imponere, etiamſi mors ſit ſibi ſecutura. “ P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. in Decal. cap.* III. *§. 6. num. 6.*

II. „ An, ſi alio modo te ab iniuſto teſte tueri nequeas, licite falſa crimina „ illi poſſis obiicere, quanta ſufficiunt ad tuam iuſtam defenſionem? Duo affe- „ ro. Unum mihi ſatis probabile; alterum ſatis incertum. Probabile mihi eſt „ te, ſi id facias, non peccare contra iuſtitiam: unde nec obligari ad reſtitutio- „ nem . . . Incertum mihi eſt, an id poſſit fieri licite ſine ulla culpa. “ Idem „ Tamburinus *loc. cit. cap.* II. *§. 2. num.* 4. 5. & 6.

III. „ Si ſit neceſſe publicas ſcripturas ementiri, poſſet ne Notarius publicus ad

„ hoc induci, ſi Notario conſtaret mea innocentia? Quid ni? Reſpondebis. Id „ enim non eſt eſſe infidelem Reipublicæ, ſed maxime fidelem; dum eiuſdem „ Reipublicæ innocentes ſic defenduntur. Verum, ſi aperiatur huiuſmodi oſtium, „ quomodo ſtabunt publica iudicia? Inveniantur, reſpondebis, teſtes veri, ut „ ſancta requirunt tribunalia. Dum enim falſi teſtes quacumque arte repellun- „ tur, publica iudicia firmantur potius quam infirmantur. Sed ego iterum au- „ dio: libenter nodum hunc in aliud tempus evolvendum reſervo. " Idem Tamburinus *loc. cit. num.* 7.

IV. „ Quando taxa alicuius rei eſt iniuſta, ſi pluris vendens, aut defraudans „ in pondere, ita ut ſibi ſatisfaciat pro pretii iniuſtitia, & reddat correſponden- „ tes merces pretio dato, poteſt hic rogatus a iudice, an pluris vendiderit, vel „ defecerit in pondere, aut menſura, id negare, aſſerereque ſe pretio taxato ven- „ didiſſe, & integre pondus, & menſuram tradidiſſe, intelligendo hæc, ita ut „ pluris vendens, aut deficiens in pondere, & menſura deliquerit. Atque ad hoc „ ſatis eſt, opinionem eſſe probabilem, eam taxam non obligare. " P. Thomas Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* VI. *num.* 29.

V. „ Quoties ſive vere, ſive ficte promittens matrimonium, immunis eſt *ob* „ *aliquam cauſam* ab implenda obligatione, probavimus, poſſe eum a iudice vo- „ catum *iurare* ſe non promiſiſſe, intelligendo, ita ut tenear implere. Quod di- „ ximus *procedere* non tantum, quando eſt certa cauſa non implendi; ſed *etiam* „ *quoties ſapientum iudicio eſt probabile* non teneri ſervare. Quia poteſt *ample-* „ *ctendo opinionem probabilem* exiſtimare ſe tuta conſcientia non obligatum. " Idem Sanchez *loc. cit. num.* 32.

VI. „ Clericus rogatus a cuſtodibus, an aliqua portet, eo fine ut gabellam „ ſolvere compellatur, poteſt iurare ſe nihil portare, intelligendo, ex quo ga- „ bellam debeat. " Idem Sanchez *loc. cit.*

VII. „ Idem credo, quoties laicus aliqua portat, aut habet, aut vendidit, ex „ quibus gabellam *aliqua ratione* non debet, aut non debet integram iuxta pro- „ babilem opinionem. Poteſt enim iuramento negare ſe habere, portare, vendi- „ diſſe eam ſolam quantitatem, ex qua gabellam non debet, *intelligendo intra* „ *ſe*, ita ut ex illa debeat. " Idem Sanchez *loc. cit.*

VIII. „ An habens iuſtam, vel probabilem cauſſam occultandi Fiſco, vel cre- „ ditoribus aliqua bona, poſſit uti reſtrictione mentali, iurando, ſe non occultaſ- „ ſe? Reſpondeo probabilius, poſſe. " P. Leander a SS. Sacramento *in Decal. Tom. II. tract.* I. *diſp.* XLV. *quæſt.* XVI.

IX. „ An ſit peccatum mortale iurare cum reſtrictione mentali *abſque iuſta* „ *cauſſa*? Probabilius reſpondeo, non eſſe mortale, ſed veniale tantum. " Idem Leander *loc. cit. quæſt.* XII.

X.

X. „ Is a quo mutua pecunia petitur, quam revera habet, poteſt iureiurando „ affirmare abſque periurio, & peccato, ſe eam non habere pecuniam in alio „ loco. “ P. Vincentius Candidus *Tom. II. diſquiſ.* XXVI. *art. 3. dubit.* 12.

XI. „ Mutuo accipiens centum aureos ſolvendos poſt annum, ſi terminus, ad „ quem mutuum datum fuit, non eſt impletus, rogatus a iudice de mutuo, iu„ rare poteſt ſe illud non accepiſſe, intelligendo, ita ut teneatur ſolvere ante „ terminum impletum. “ Idem P. Vincentius Candidus *loc. cit. dub.* 18.

XII. „ Mercatores, qui non poſſunt iuſtum pretium ab emptoribus obtinere, „ niſi iurent tanti, vel tanti ſibi mercem ſtare, cum de facto non ſtet; iura„ re quidem poſſunt, tanti ſibi ſtare, ſubintelligendo cum alia merce, quam „ habent domi, vel alibi emerant. “ P. Ferdinandus de Caſtropalao *Part. III. tract.* XIV. *punct. 7. num. 6.*

XIII. „ Etiamſi rogans omnem æquivocationem vellet excludere, & ultra iu„ ramentum de calumnia, exigat iuramentum dicendi veritatem ſincere abſque „ ulla æquivocatione; adhuc poteris iurare amphibologico iuramento, & reſtri„ ctione facta: quia ſubintelligere potes te iuraturum abſque æquivocatione in„ iuſta. Nulla enim propoſitio ita ample ſumi poteſt, quin aliquam reſtrictionem „ habere poſſit in mente. “ Idem P. Caſtropalaus *loc. cit. verſic. Denique.*

XIV. „ Quando tamen non occurrit *commoda* æquivocatio, aut reſtrictio ex„ terna, ſi cauſa ſit gravis, ruſtici poſſunt uſu duplicis ſcientiæ communicabilis, „ & incommunicabilis facile obvio veritatem occultare, non animo decipiendi, „ ſed ſolum permittendi deceptionem. “ P. Dominicus Viva *in Trut. Theol. in propoſ.* 26. *&* 27. *Innocentii XI. num.* 14.

XV. „ Qui conſuetudinem habet leviter mentiendi, etiamſi eam habeat verum „ abſque neceſſitate iurandi, non ex hoc in ſtatu peccati mortalis eſt conſtituen„ dus; etſi quandoque ex utraque conſuetudine periuret. “ P. Martinus Torrecilla *Tom. I. Sum. tract.* III. *diſp.* I. *cap.* I. *ſect.* I. *num.* 87.

XVI. „ Contumeliæ, conviciaque erunt venialia, ſi ex defectu cautelæ inter „ rixantes proferantur; ut accidit in mulierculis, quæ ira correptæ mutuo ſibi „ graviter conviciantur. “ Idem Torrecilla *ibid. ſect. 6. §. 1. a num.* 10.

XVII. „ Grave non eſt adhuc temerarie iudicare de alio, ſtirpe eſſe Iudæum, „ vel ſpurium, & quævis mala non moralia; dummodo ex hoc eum non con„ temnamus, neque diffamemus. “ Idem *ibid. ſect. 7. §. 1. num.* 5.

XVIII. „ Non eſt iudicium temerarium malum, etſi grave, de proximo ex ſo„ lis indiciis, vel coniecturis probabilius iudicare. “ Idem *ibid. num.* 6.

XIX. „ Suſpicio de crimine, quantumvis enormi, de perſona honeſta, etiamſi „ ſit temeraria, numquam eſt grave peccatum; licet de crimine hæreſis, vel in„ ceſtus, & ſimilium ſuſpicio ſit. “ Idem *ibid. num.* 22.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Una & altera animadverſio in doctrinam P. Tamburini, aſſerentis, non peccare contra iuſtitiam eum qui imponit alicui falſa crimina ad tuendam propriam famam.

I. DOcet ergo P. Thomas Tamburinus in exſcripta theſi, te poſſe ad tuendum proprium honorem, atque adeo potiori iure ad aſſerendam, vindicandamque Inſtituti, & Communitatis famam, a falſo accuſatore, & calumniatore læſam, licite imponere eidem calumniatori falſa crimina eo graviora, quo gravius læſa fama tua eſt, ſeu quantum ſat eſt ad famæ reparationem. Ut plenius, evidentiuſque teneas ſyſtema, ſeu moralem practicam, quam docent non pauci iuniores, ad memoriam revoca quæ in explicatione v. *mandati Decalogi* ſupra diximus *cap.* IV. *§.* 3. adverſus trucem nonnullorum Caſuiſtarum benignitatem probabiliſticam. Narravimus ibi ſophiſmata, quibus circumveniuntur propoſitiones 17. ab Alexandro, & 18. ab Innocentio XI. proſcriptæ. Manifeſtavimus inhumanam illam, ſanguinariamque doctrinam quorumdam recentiorum, qui effundi humanum ſanguinem licite poſſe docent ob ſartum tectum cuſtodiendum quid? Ludicrum mundani honoris ſimulacrum. Illa omnia cum hac Tamburiniana ſententia conferas velim: & tum, quæ ſit nativa benignitatis probabiliſticæ imago, ipſe iudex eſto.

II. In medium recurrat P. Tamburini doctrina. *An ſi alio modo te ab iniuſto teſte tueri nequeas, licite falſa crimina illi poſſis obiicere, quanta ſufficiunt ad tuam iuſtam defenſionem? Duo aſſero. Unum mihi ſatis probabile; alterum ſatis incertum. Probabile mihi eſt, te, ſi id facias, non peccare contra iuſtitiam; unde nec obligari ad reſtitutionem . . . Incertum mihi eſt an id poſſit fieri licite ſine ulla culpa.* O tempora! o mores! Huccine malorum perventum inter Chriſtianos eſt, ut incertum aſſeratur, num mentiri, num calumniari peccatum ſit? Reponet ne P. Francolinus, exclamationes iſtas Ianſeniſtarum inventa eſſe? At nos reſpondebimus, Tamburini doctrinam & Ianſeniſtis, & Hæreticis, atque Ethnicis ipſis ſcandalum graviſſimum ingerere. Non peccat ergo contra iuſtitiam qui calumnias falſo accuſatori impingit ad propriam famam vindicandam, honoremque tuendum? Quid? Non modo falſa crimina impingere, ſed occidere etiam honoris & famæ invaſorem licite poſſe docet cum aliis P. Tamburinus *Lib. VI. cap.* 1. *§.* 3. *num.* 1. Honeſtus ergo vir, inquit, ne alapa percutiatur, occidere etiam ſine

Digitized by Google

ne periculo irregularitatis invaſorem poteſt, quando aliter conſulere ſibi nequeat. Papæ, etiam ſine periculo irregularitatis?

III. Pauca adiicio in alias quas recenſui propoſitiones laxas. Fuſo calamo explicata fuit implexa quæſtio de reſtrictionibus mentis ſupra in commentatione ſecundi præcepti. Adiicere tranſcriptas propoſitiones libuit, ut evidentius Probabiliſtarum quorumdam opinationes laxæ pateant. Mendacia quæcumque prohiberi docent Catholici omnes, ut mox oſtendam. Probabiliſtarum plures, conſueto zelo auferendi de mundo peccata, novis vocibus mendacia vocare cœperunt. Difficillimum exiſtimarunt veracitatis ac ſinceritatis legibus homines ſubiicere. Durum nimis ex alia parte peccati illos damnare qui vix ſermonem in civili commercio adhibent a mendaciis vacuum, illis viſum eſt. Idcirco mediam excogitarunt viam æquivocationum, amphiboliarum interiorum, quibus veritatem occultarent. Locutiones quaſdam obſcuras, figuris, tropiſque intermixtas, quæ veritatem imperitis obtegerent, ſed tali moderatione, ut ſimul vi earumdem locutionum percipi veritas poſſet, antiqui quoque Theologi licitas interdum iudicarunt. At recentiores ultra progreſſi ſunt. Veritatem ſola mentis interiore præciſione abſcondi poſſe docuerunt. Hanc doctrinam, quam de *reſtrictionibus pure mentalibus* vocant, damnavit Eccleſia. Recentiores Moraliſtæ, qui poſt damnatas ab Eccleſia propoſitiones ſcripſerunt, conceptis verbis illas propugnare non audent; reapſe tamen, quibuſdam adiectis fucis, & calamiſtris illam defendunt. Sanchez, Caſtropalaus, Tamburinus, Leander, Candidus, qui recenſitas opiniones, in propoſitionibus ab Eccleſia damnatis contentas, docuerunt, excuſatione digni ſunt, quia ante Eccleſiæ declarationem ſcripſere. At non tam facile excuſandus eſt P. Viva aſſerens in 10. propoſitione, licitam eſſe interiorem reſtrictionem, quando externa *commode* non occurrit ruſticis, qui, hebetioris ingenii cum ſint, artem ignorant mendacia fucandi. Fucus obvius, inquit, vel ipſis ruſticis eſt uſus duplicis ſcientiæ communicabilis, & incommunicabilis. Cuius doctrinæ ſenſus eſt. Mendacium eſt, ſi falſitatem pro veritate abſolute obtrudas. Mendacium vero eſſe deſinit, ſi falſitatem pro veritate divendens, intus mente adiicias: Hoc factum *verum eſt*. At, quia occultum eſt, noxiumque tibi evadit, ſi retegatur; ad dicendum, ſeu ad communicandum aliis *falſum eſt*. Evitare itaque mendacii reatum ſibi blandiuntur recentiores quidam Caſuiſtæ, ſi aliud ore proferant, aliud mente teneant; quaſi in hoc oris a corde diſſenſu mendacii pravitas ſita non eſſet. A ſingulis expendendis propoſitionibus ſuperſedeo, quia eædem ſua propria, & manifeſta laxitate horrorem incutiunt.

Digitized by Google

CAPUT III.

De falſo teſtimonio vetito in octavo præcepto.

I. FAlſum perhibere teſtimonium adverſus proximum tuum aut mente, aut ore vales. Mente, dum falſam de eo concipis opinionem, atque interiore ſententia iniuſte illud malitiæ damnas. Ore duplici via: aut coram iudice illum falſo accuſando; aut coram privatis hominibus illum diffamando. De his omnibus mihi diſputandum eſt. Rectus poſtularet ordo ut primum de teſtimonio falſo interiori, quod iudicium temerarium vocant, poſt de exteriori, quod falſum teſtimonium coram iudice communiter nuncupatur, dicerem. At lubet prius de externa locutione, utpote gravioris momenti, verba facere.

II. Quæſt. I. *Quid ſit falſum teſtimonium?* Reſp. Teſtimonium eſt dictum illud quod teſtis interrogatus a iudice in ipſo iudicio profert, iuramento adiecto. Eſt verum, aut falſum, prout reſpondet, aut diſſonat vel mentis conceptioni, vel rebus a teſte conceptis. Siquidem dictum, ſeu externa locutio immediate interiorem mentis conceptum, mediate vero obiecta, ſeu res conceptas ſignificat. Quando externa locutio reſpondet tum mentis perceptioni, tum rebus ipſis a teſte conceptis, undique vera eſt; ut ſi quis teſtetur ſe vidiſſe Sempronium occidentem Paulum, revera ab eodem Sempronio interfectum. Contra tam menti, quam rebus diſſona teſtificatio eſt, & omnino falſa, cum teſtis, intus iudicans canem eſſe equum, aſſereret eſſe aſinum. Hic adeſſet tam ignorantia, qua canis reputaretur equus; quam malitia, qua aſſereretur, canem eſſe aſinum, dum teſtis alioquin exiſtimat eſſe equum. Interdum teſtificatio eſt menti conformis, ſed rebus difformis; ut, cum teſtis affirmat, Paulum occidiſſe Sempronium, quem peremptum ab eo exiſtimat, reipſa tamen interfectus ab eo non eſt. Poſtremum menti opponitur, ſed rebus congruit; ut, ſi quis adfirmaret corvum eſſe nigrum, quem album credit. In his tribus combinationibus præter primam, ſemper occurrit falſitas, vel cum ignorantia, vel cum malitia coniuncta.

III. Quæſt. II. *Falſum teſtimonium eſt ne ſemper peccatum mortale?* Reſp. Quando iunctum eſt periurio, ſemper mortiferum crimen eſt; etiamſi res teſtificata minima eſſet. Si vero periurium non ſit, & teſtimonium ſit contra iuſtitiam; tum eſt peccatum mortale ex genere ſuo, ſicut quælibet iniuſtitia: & ſub hoc reſpectu vetatur in Decalogo: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Denique, ſi tum periurium, tum iniuſtitia abſint; tunc non erit peccatum mortale. Ita docet D. Thomas 2. 2. quæſt. lxx. art. 4. *Falſum teſtimonium habet triplicem deformitatem. Uno modo ex periurio: quia teſtes non admittuntur niſi*

niſi iurati : & ex hoc ſemper eſt peccatum mortale . Alio modo ex violatione iuſtitiæ : & hoc modo eſt peccatum mortale in ſuo genere, ſicut & qualibet iniuſtitia. Et ideo in præcepto Decalogi ſub hac forma interdicitur falſum teſtimonium , cum dicitur Exod. xx. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium . Non enim contra aliquem facit qui eum ab iniuria facienda impedit , ſed ſolum qui ei iuſtitiam ſuam tollit . Tertio ex ipſa falſitate, ſecundum quod omne mendacium eſt peccatum : & ex hoc non habet falſum teſtimonium quod ſemper ſit peccatum mortale*. Tria ſibi de more argumenta opponit Angelicus , quorum ſolutiones , quæ apud ipſum videri queunt, clariorem veritatem reddunt.

IV. Ex hac angelica doctrina colliges quam enormis ſit falſi teſtimonii gravitas. Falſus teſtis Deum ipſum in mendacii patrocinium appellat; cum illius ſanctiſſimum nomen iurando invocet . Iuſtitiam, & caritatem in proximum violat . Quare optime inquit S. Iſidorus Lib. III. de ſumm. bono cap. lix. *Falſidicus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius . Primum Deo , cuius perſonam contemnit : deinde iudici, quem mentiendo fallit : poſtremo innocenti , quem falſo teſtimonio lædit* . Salomon vero ait Prov. vi. verſ. 16. *Sex ſunt quæ odit Dominus . . . . Cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem*. Item cap. xxi. verſ. 28. *Teſtis mendax peribit*. Eius flagitii fontes ſunt qui inſtrumenta apocrypha, ut vera, obtrudunt, aut falſa conficiunt, aut vera adulterant . Item illi qui ut certum teſtificantur quod vel dubium, vel probabile tantum reputant; atque ex auditu compertum habent. Quapropter ſubdit Angelicus loc. cit. ad 1. *In teſtimonio ferendo non debet homo pro certo aſſerere , quaſi ſciens id de quo certus non eſt ; ſed dubium debet ſub dubio proferre, & id de quo certus eſt, pro certo aſſerere*.

V. Quæſt. III. *Quid agendum teſti qui, debita adhibita diligentia , memoria deceptus falſum teſtatus eſt , vi cuius innocens damnandus eſt capitis ?* Reſp. Quando nulla præceſſit negligentia in aſſequenda veritatis cognitione , nullam perpetravit teſtis culpam ; etiamſi falſum teſtatus fuerit , quod ſincere verum credebat. Quare nec mendacii, nec periurii reus eſt; nec mala, quibus innocens proximus ſubiicitur, reparare tenetur : non vi rei acceptæ; cum teſtimonium ferat , non in propriam , ſed in alterius utilitatem : non vi iniuſtæ actionis , nil quippe iniuſtum commiſit . Si tamen , antequam innocens damnetur, ſuæ deceptionis conſcius evadat , tenetur , qua meliori via valet , periclitanti ſuccurrere, & ſuam detegere ignorantiam , ne ex ſuo ſilentio proximus damnum ſubeat . Et quamquam, attento iurium rigore, teſtes ad mutanda teſtimonia non admittantur , niſi confeſtim & illico; tamen ſæpius admittuntur etiam multo poſtea , iuxta eximias ipſorum prærogativas. Viri enim probitatis fama clari, & integri, vix repelli valent , quoties propriam deceptionem fatentur ; nec ulla adeſt probabilis

con-

Digitized by Google

coniectura ſuſpicandæ fraudis. Denique teſtimonii correctio etiam poſt temporis intervallum plurimum confert ad extenuandam teſtimonii firmitatem, & certitudinem.

VI. Quæſt. IV. *Ad quid tenetur teſtis ſua pravitate falſum teſtimonium ferens in iudicio contra proximum?* Reſp. Si teſtis falſus unica ſit mali cauſſa, tenetur liberare innocentem, cum ſuæ famæ, & honoris diſpendio dictam falſitatem retractando, malaque temporalia inde ſecuta reſarciendo. Idque convenit penes omnes. Quod vero docent Salmanticenſes *tract.* XXVII. *cap.* 1. *punct.* 3. *num.* 13. non teneri teſtem falſum teſtimonium retractare, quando nulla eſt ſpes liberandi innocentem, tametſi teneatur damna reſarcire, non arridet. Qua enim lege teſtis ſolvitur ne, quantum per ipſum ſtat, a crimine falſo impacto innocentem liberet? Lex retractationis non ita ab effectu pendet, ut, hoc fruſtrato, illa evaneſcat. Sed natura impoſturæ, & calumniæ talis eſt, ut, quoties innocenti retractatio non nocet, debeat calumnia aboleri. Accedit quod, licet retractatio inutilis ſit ad ſubtrahendum ſupplicio innocentem; fruſtranea tamen non eſt ad famam redintegrandam. Denique teſtis falſus, ut ſuæ conſulat ſaluti, ea omnia præſtare debet quæ ſibi poſſibilia ſunt. Retractare falſitatem in iudicio iuramento aſſertam valet. Qua ergo lege ab hoc implendo debito liberatur? Quia hæc retractatio ad innocentem ſubducendum inflictæ pœnæ non conducit? At, tametſi huic fini idonea non ſit; congrua tamen, immo neceſſaria eſt, ut teſtis officio fungatur ſuo. Nec minus diſplicet quod laudati Auctores ibidem addunt, teſtem vinculo retractationis non adſtringi, quando ceteri teſtes, a ſe non inducti, & ſecum contra innocentem teſtificati, retractare ſe renuunt. Non ergo a malo recedere teſtis debet, quod alii velint in ſua pravitate perſiſtere? Si hæc doctrina conſiſteret, immania ſequerentur abſurda. Non teneretur Paulus abſtinere a ſcelere, ſe pœnitere, in Dei amicitiam redire; quod illius ſocii nolint ab arrepta iniquitatis via recedere. Quo quid abſurdius? Et quia vix credi poteſt, hæc perdoctos PP. docere, idcirco illorum verba tranſcribo: *Nec enim ob eamdem rationem tenetur ſe retractare, quando alii teſtes, a ſe non inducti, ſecum tamen contra innocentem teſtificati ſunt, quos certo ſcit ſuum teſtimonium minime retractaturos*. Quin, quo magis pervicaces ſunt ceteri teſtes in calumnia impacta innocenti aſſerenda, eo ferventius conari teſtis iſte urgetur, ut periclitantis vel famæ, vel vitæ, vel utriſque, ſi via patet, ſuccurrat. Denique, ſi iniuſte infamatus morti addictus ſit, tenetur teſtis falſus ſe retractare; etiamſi ſubeunda ſibi mors eſſet. Quoniam, licet in pari cauſſa innocentiæ iure propriam alterius vitæ præferre poſſis; tamen, quando tu in cauſſa es ut alter iniuſte puniatur, cum pari periculo adſtringeris removere cauſſam, ſeu calumniam, propter quam innocens periclitatur.

VII.

Digitized by Google

VII. Quæſt. V. *Quid præſtare debet qui alterum induxit ad falſum teſtimonium dicendum contra proximum?* Reſp. Debet omni conatu eumdem ſuadere, ut falſum teſtimonium retractet coram iudice. Quod ſi iniquus teſtis recuſet, ipſe ſuaſor iudicem adire tenetur, & iniquam fraudem, perfidamque machinationem manifeſtare. Contendit Leſſius *Lib. II. de iuſtit. cap.* xxx. *dub.* 7. *num.* 54. quem ſequuntur Salmanticenſes *loc. cit. num.* 14. Fagundez, & alii, nullam adeſſe obligationem manifeſtandi pravam machinationem, retractandique falſum teſtimonium, ſi nulla ſpes concipiatur reum liberandi: quam ſententiam non audeo approbare. Primum, quod vix quiſquam certo ſcire valeat non fore reum liberandum, aut pœnam eidem diminuendam poſt retractationem falſi teſtimonii. Deinde, hoc etiam admiſſo, adhuc tenentur iniqui falſarii ea omnia præſtare quæ ex ſe præſtare valent, ut reus liberetur, utque ſuæ conſcientiæ, quoad fieri poteſt, conſulant, pœnitentiamque peragant. Quare futilis ratio eſt quam P. Felix Poteſtas allegat *Tom. I. par.* II. *de* 8. *præcept. num.* 2784. neminem teneri ad opus inutile. Numquam quippe inutilis eſt retractatio iſta, niſi inutilem vocare velis calumniæ retractationem, & innocentiæ manifeſtationem. Quod iudices nolint poſt retractationem falſo accuſatum liberare, ipſi viderint. At non propterea falſarii a proprio implendo debito liberi ſunt.

VIII. Plurima de teſtibus, iudicibus, advocatis, aliiſque ad iuſtitiam tum commutantem, tum vindicantem ſpectantibus, diſpicienda remitto ad tractatum de iuſtitia, & iure.

CAPUT IV.

De mendacii notione, & malitia. Licita interdum mendacia non modo Ethnicorum plures, verum etiam Origenes, Caſſianus, Chryſoſtomus, aliique Græcorum docuerunt.

I. HAEC eſt mendacii definitio quam tradit Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. cx. art. I. *Enuntiatio falſi cum voluntate ad fallendum prolata, manifeſtum eſt mendacium*. Sub voce *enuntiationis* comprehenditur verbum ſcriptura, ſignis, nutibus, aut voce expreſſum. Ceteræ particulæ notionem propriam mendacii exhibent. Advertit Doctor ſanctus, neceſſario minime requiri ad rationem mendacii voluntatem fallendi auditorem. Hoc enim eſt veluti complementum mendacii, cuius natura ſufficienter ſalvatur in prolatione falſi cum deliberatione falſum dicendi. Hoc enim eſt contra mentem loqui. Contra, ſi falſum enuntiet quis, repu-

Digitized by Google

putans eſſe verum, non mentitur; ſed materialem profert falſitatem. Omnia hæc clare explicat Angelicus ipſe loc. cit. *Intentio vero voluntatis inordinatæ poteſt ad duo ferri: quorum unum eſt, ut falſum enuntietur; aliud eſt effectus proprius falſæ enuntiationis, ut ſcilicet aliquis fallatur. Si ergo iſta tria concurrant, ſcilicet quod falſum ſit id quod enuntiatur, & quod adſit voluntas falſum enuntiandi, & iterum intentio fallendi; tunc eſt falſitas materialiter, quia falſum dicitur; & formaliter propter voluntatem falſum dicendi; & effective propter voluntatem falſitatem imprimendi. Sed tamen ratio mendacii ſumitur a formali falſitate, ex hoc ſcilicet quod aliquis habet voluntatem falſum enuntiandi. Unde & mendacium nominatur ex eo quod contra mentem dicitur. Et ideo, ſi quis falſum enuntiet, credens id eſſe verum, eſt quidem falſum materialiter, ſed non formaliter: quia falſitas eſt præter intentionem dicentis, unde non habet perfectam rationem mendacii. Id enim quod præter intentionem dicentis eſt, per accidens eſt: unde non poteſt eſſe ſpecifica differentia. Si vero aliquis formaliter falſum dicat, habens voluntatem falſum dicendi, licet ſit verum id quod dicitur, inquantum tamen huiuſmodi actus eſt voluntarius, & moralis, habet per ſe falſitatem, & per accidens veritatem: unde ad ſpeciem mendacii pertingit. Quod autem aliquis intendat falſitatem in opinione alterius conſtituere, fallendo ipſum, non pertinet ad ſpeciem mendacii, ſed ad quamdam perfectionem ipſius.* Mendacium ergo preſſe acceptum eſt *deliberata enuntiatio contra mentem.*

II. Tribuitur primum in materiale, & formale. Mendacium materiale quis committit, dum adfirmat quidquam quod verum eſſe credit, ſed falſum reapſe eſt: & hoc vocatur mendacium materiale tantum. Mendacium vero formale tantum tunc contingit, quando quis enuntiat aliquid ut falſum, & cum animo falſum dicendi, quod in ſe verum eſt, ut ſi quis exiſtimans Petrum occidiſſe Paulum, quem tamen non occidit, adfirmaret non occidiſſe. Formale tantum hoc mendacium nuncupatur, quod ſit dumtaxat contra mentem loquentis, exiſtimantis Petrum occidiſſe Paulum, quem reapſe non interemit. Mendacium quoque eſt, dum certum pro dubio aſſeritur.

III. Dividitur ſecundo mendacium ratione finis, in quem dirigitur, in *ioeoſum*, *efficioſum*, & *pernicioſum*. Iocoſum eſt quod in aliorum, aut proprium oblectamentum dicitur. Officioſum ſpectat aut propriam, aut alienam utilitatem; aut nocumentum declinare abſque alterius damno. Pernicioſum illud eſt quod in alterius damnum profertur. Hoc mendacium genere ſuo eſt peccatum mortale; & ſolum veniale evadit ob materiæ tenuitatem. Mendacii iocoſi fontes communiter ſunt garruli, loquaces, ſcurræ, qui, ut ſe lepidos oſtentent facetoſque, plurima comminiſcuntur ut vera, quæ proprio cerebro fabricarunt. Hi venialiter peccant. Conſcientiæ tamen ſibi iſti vertere plurimum debent, quod, cum ſint ad

ad eiuſmodi iocoſa mendacia ſemper parati, parum aut nihil eadem reputantes ob malitiæ levitatem, habitum venialiter delinquendi contrahunt. Hic porro habitus ad mortifera crimina viam parat, ut fuſius in quæſtione de peccato veniali dicetur. Mendacii officioſi illi maxime rei ſunt qui nimio amore ſui flagrant, valdeque cupidi ſunt rerum temporalium, propriæ exiſtimationis, & mundanæ gloriæ. Ut enim hæc bona aut cuſtodiant, aut augeant, aut ſervent a quolibet detrimento, mendaciis veluti opportunis præſidiis utuntur.

IV. Dividit D. Thomas iterum mendacium in iactantiam, & ironiam. Tunc quis iactantiæ mendacio peccat, cum maiora de ſe prædicat quam ſibi conveniant. Ille vero ironiæ reus eſt qui minora, quæ vera ſunt, negat. Ut omnes mendacii partitiones compertas habeas, tranſcribam quæ docet D. Thomas 2. 2. quæſt. cx. art. 2. *Mendacium tripliciter dividi poteſt. Uno modo ſecundum ipſam mendacii rationem, quæ eſt propria, & per ſe mendacii diviſio: & ſecundum hoc mendacium in duo dividitur; ſcilicet in mendacium quod tranſcendit veritatem in maius, quod pertinet ad iactantiam; & in mendacium quod deficit a veritate in minus, quod pertinet ad ironiam; ut patet per Philoſophum in IV. Ethic. Hæc autem diviſio ideo per ſe eſt ipſius mendacii, quia mendacium, inquantum huiuſmodi, opponitur veritati, ut dictum eſt. Veritas autem æqualitas quædam eſt, cui per ſe opponitur maius, & minus. Alio modo poteſt dividi mendacium, inquantum habet rationem culpæ ſecundum ea quæ aggravant, vel diminuunt culpam mendacii ex parte finis intenti. Aggravat autem culpam mendacii, ſi aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium perniciosum. Diminuitur autem culpa mendacii, ſi ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile, & ſic eſt mendacium iocoſum; vel utile, & ſic eſt mendacium officioſum, quo intenditur iuvamentum alterius, vel remotio nocumenti. Et ſecundum hoc dividitur mendacium in tria prædicta. Tertio modo dividitur mendacium univerſalius ſecundum ordinem ad finem, ſive ex hoc addatur, vel diminuatur ad culpam mendacii, ſive non. Et ſecundum hoc diviſio eſt octo membrorum, quæ dicta eſt. In qua quidem tria prima membra continentur ſub mendacio pernicioſo: quod quidem ſit vel contra Deum; & ad hoc pertinet primum mendacium, quod eſt in doctrina religionis; vel eſt contra hominem; ſive ſola intentione nocendi alicui, & ſic eſt mendacium ſecundum, quod ſcilicet nulli prodeſt, & obeſt alicui; ſive etiam intendatur in nocumento unius utilitas alterius, & hoc eſt tertium mendacium, quod uni prodeſt, & alteri obeſt. Inter quæ tria primum eſt graviſſimum, quia ſemper peccata contra Deum ſunt graviora, ut ſupra dictum eſt. Secundum autem eſt gravius tertio, quod diminuitur ex intentione utilitatis alterius. Poſt hæc autem tria, quæ ſuperaddunt ad gravitatem culpæ mendacii, ponitur quartum, quod habet propriam quantitatem ſine additione, vel diminutione: & hoc eſt mendacium, quod fit ex ſola mentiendi libidine; quod procedit ex habitu. Unde & Philo-*

Digitized by Google

ſophus dicit in IV. Ethicorum, quod mendax, eo quod talis eſt ſecundum habitum, ipſo mendacio gaudet. Quatuor vero ſubſequentes modi diminuunt de culpa mendacii. Nam quintum eſt mendacium iocoſum, quod fit placendi cupiditate. Alia vero tria continentur ſub mendacio officioſo, in quo intenditur quod eſt alteri utile: vel quantum ad res exteriores; & ſic eſt ſextum mendacium, quod prodeſt alicui ad pecuniam conſervandam: vel eſt utile corpori; & hoc eſt ſeptimum mendacium, in quo impeditur mors hominis: vel etiam utile eſt ad boneſtatem virtutis; & hoc eſt octavum mendacium, in quo impeditur illicita pollutio corporalis. Patet autem quod quanto bonum intentum eſt melius, tanto magis minuitur culpa mendacii. Et ideo, ſi quis diligenter conſideret, ſecundum ordinem prædictæ enumerationis eſt ordo gravitatis culpæ in iſtis mendaciis. Nam bonum utile præfertur delectabili, & vita corporalis præfertur pecuniæ, honeſtas autem ipſi corporali vitæ.

CAPUT V.

Sit ne omne mendacium peccatum, etiam cum ob finem bonum profertur.

I. PLura de mendacio dicta ſunt in ſecundo Decalogi mandato. Paucis nunc rem expediam. Mendacii pravitas, utpote naturali ſocietati adverſa, Ethnicis ipſis comperta fuit. Nonnulli tamen celebriores Philoſophi utendum aliquando mendacio docuere. Sophocles, ob orationis ſuavitatem vulgo dictus *Apis*, apud Stobæum *ſerm.* x. hæc habet. *Haud quidem honeſtum eſt mendacia loqui. Cui autem diram perniciem veritas affert, huic venia danda, licet inboneſta loquenti*. Euripides apud eumdem Stobæum. *Profecto res eſt intolerabilis mendacia loqui. Equidem aio legem quoque non colendam in periculis plus quam neceſſitatem*. Breviſſime Democritus. *Vera dicenda ſunt, ubi id præſtat*. Plato, quem Labeo apud Auguſtinum Lib. II. de Civit. Dei cap. XIV. & Lib. IV. contr. Iulianum, *Semideum* appellat, & Cicero *Philoſophorum pene Deum*; ceteris Philoſophis luculentius mendaciorum ſuſcepit patrocinium; atque ſua auctoritate in eamdem ſententiam quoſdam chriſtianæ profeſſionis Doctores pellexit: quos inter Origenem recenſet S. Hieronymus *Lib. I. contra Ruffin. num.* 18. „ Indignantur (inquit) quare Origeniſtas ſcripſerim „ inter ſe *orgiis mendaciorum fœderari*. Nominavi librum, in quo hoc ſcriptum „ legerim, ideſt ſextum Stromaton Origenis, in quo Platonis ſententiæ noſtrum „ dogma componens ita loquitur (Origenes) *Plato in tertio de Republica libro*: „ *Veritas, inquit, ſectanda magnopere eſt. Si enim, ut paullo ante rectiſſime dicebamus, Deo indecens, & inutile mendacium eſt, hominibus quandoque utile* (*ut utan-*

„ *tur*

Digitized by Google

„ *tur eo quaſi condimento, atque medicamine*) *nulli dubium eſt quin huiuſmodi licen-*
„ *tia medicis danda ſit, & ab imprudentibus removenda. Vera, inquit, aſſeris. Ergo*
„ *Princeps urbium, ſi quibus, & aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri,*
„ *vel contra hoſtes, vel pro patria, & civibus; ab aliis vero, qui uti mendacio ne-*
„ *ſciunt, auferendum eſt omne mendacium. Et nos igitur illius præcepti memores:*
„ *Loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: non debemus dicere: Quis eſt*
„ *proximus meus? Sed conſiderare, quomodo Philoſophus caute dixerit, Deo indecens,*
„ *& inutile eſſe mendacium, hominibus interdum utile; & quod ne pro diſpenſatio-*
„ *ne quidem putandus ſit Deus aliquando mentiri. Sin autem commodum audientis*
„ *exegerit, verbis loquitur ambiguis, & per ænigmata, quæ vult, profert: ut &*
„ *veritatis apud eum dignitas conſervetur, & quod noxium eſſe poterat, ſi nudum*
„ *proferretur in vulgus, quodam tectum velamine proferatur. Homo autem, cui in-*
„ *cumbit neceſſitas mentiendi, diligenter attendat, ut ſic utatur interdum mendacio,*
„ *quomodo condimento, & medicamine; ut ſervet menſuram eius, ne excedat termi-*
„ *nos, quibus uſa eſt Iudith contra Holofernem, & vicit eum prudenti ſimulatione ver-*
„ *borum. Imitetur Eſther, quæ Artaxerſis ſententiam, diu tacita gentis veritate, cor-*
„ *rexit. Et in primis Patriarcham Iacob, quem legimus benedictiones patris artifici*
„ *impetraſſe mendacio. Ex quo perſpicuum eſt quod niſi ita mentiti fuerimus, ut ma-*
„ *gnum nobis ex hoc quæratur bonum, iudicandi ſimus, quaſi inimici eius qui ait: Ego*
„ *ſum veritas.* " Hæc Origenes ſcripſit.

II. In eamdem ſententiam conceſſiſſe Ioannem Chryſoſtomum, patet ex eius *hom.* XXXII. XLV. & LIII. *in Geneſim*: & *Lib. I.* de Sacerdotio circiter finem, de mendacio Rahab loquens, vocat illud *pulchrum mendacium*. Videſis Sixtum Senenſem *Lib. V. Biblioth. annot.* 89. & 107. Quin huic ſententiæ acceſſiſſe ipſum S. Hieronymum, teſtatur S. Auguſtinus *epiſ.* VIII. his verbis. *Legi etiam quædam ſcripta, quæ tua dicerentur, in Epiſtolas Apoſtoli Pauli: quarum unam ad Galatas cum enodare velles, venit in manus locus ille quo Apoſtolus Petrus a pernicioſa ſimulatione revocatur. Dictumque ibi patrocinium mendacii ſuſceptum eſſe vel abs te tali viro, vel a quopiam, ſi alius illa ſcripſit, faseor, non mediocriter doleo, donec refellantur, ſi forte refelli poſſunt, ea quæ me movent. Mihi enim videtur exitioſiſſime credi aliquod in Libris ſanctis eſſe mendacium.* Ad hanc Auguſtini expoſtulationem reſpondet Hieronymus *epiſt.* LXXXIX. quæ inter Auguſtinianas eſt XI. adfirmatque ſcripta illa ſua eſſe. Atque Auctores allegat quos in mendacii quæſtione verſanda ſecutus eſt, his verbis. *Imbecillitatem virium mearum ſentiens, Origenis Commentarios ſecutus ſum... Prætermitto Didymum videntem meum, & Apollinarem Laodicenum de Eccleſia nuper egreſſum, & Alexandrum veterem hæreticum, Euſebium quoque Emiſſenum, & Theodorum Heracleotem.... Quid dicam de Ioanne, qui dudum in pontificali gradu Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiam, & proprie ſu-*

Digitized by Google

per hoc capitulo latiſſimum exaravit librum, in quo Origenis, & veterum ſententiam eſt ſecutus? Si igitur me reprehendis errantem, patere me (quæſo) errare cum talibus; & cum me erroris mei multos ſocios habere perſpexeris, tu veritatis tuæ ſaltem unum adſtipulatorem proferre debebis.

III. Reponit S. Auguſtinus ſecum ſentire Cyprianum, Ambroſium, & unum pro omnibus Paulum Apoſtolum. Hæc enim habet *epiſt.* XIX. poſt medium. *Flagitas a me ut aliquem ſaltem unum oſtendam, cuius in hac re ſententiam ſim ſecutus; cum tu tam plures nominatim commemoraveris, qui te in eo quod adſtruis, præceſſerunt; petens ut in eo ſi te reprehendo errantem, patiar te errare cum talibus; quorum ego fateor neminem legi. Sed, cum ſint ferme ſex, vel ſeptem, horum quatuor auctoritatem tu quoque infringis. Nam Laodicenum, cuius nomen taces, de Eccleſia dicis nuper egreſſum. Alexandrum autem veterem hæreticum, Origenem vero, ac Didymum reprehenſos abs te lego in recentioribus opuſculis tuis, & non mediocriter, nec mediocribus quæſtionibus, quamvis Origenem mirabiliter ante laudaveris. Cum his ergo errare puto quia nec te ipſe patieris; quamvis hoc perinde dicatur, ac ſi in hac ſententia non erraverint. Nam quis eſt qui ſe velit cum quolibet errare? Tres igitur reſtant, Euſebius Emiſſenus, Theodorus Heracleotes, quem paullo poſt commemoras, Ioannes, qui dudum in pontificali gradu Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiam. Porro, ſi quæras, vel recolas quid hinc ſenſerit noſter Ambroſius, quid noſter itidem Cyprianus, invenies fortaſſe nec nobis defuiſſe quos in eo quod aſſerimus, ſequeremur. Quamquam, ſicut paullo ante dixi, tantummodo Scripturis canonicis hanc ingenuam debeam ſervitutem qua eas ſolas ita ſequar, ut conſcriptores earum nihil in eis omnino erraſſe, nihil fallaciter poſuiſſe non dubitem. Proinde, cum quæro tertium, ut tres etiam ego tribus opponam, poſſem quidem, ut arbitror, facile reperire, ſi multa legiſſem. Verumtamen ipſe mihi pro his omnibus, immo ſupra hos omnes, Apoſtolus Paulus occurrit. Ad ipſum confugio.*

IV. In Auguſtini ſententiam tandem conceſſit Hieronymus, ut Auguſtinus ipſe teſtatur *epiſt.* CLX. inquiens: *Sed quid hinc diutius, cum de hac quæſtione inter nos ego, & venerabilis Frater Hieronymus ſatis litterarum egerimus: & in hoc opere recentiſſimo, quod ſub nomine* Critoboli *adverſus Pelagium modo edidit, eamdem de iſta re geſta, dictiſque apoſtolicis ſententiam tenuit, quam beatiſſimi Cypriani etiam nos ſecuti ſumus.* Quid quod Hieronymus ipſe in citata ſua *epiſt.* XI. ſub initium teſtatus eſt, ſe non propria in hac quæſtione, ſed Origenis, Chryſoſtomi, aliorumque Græcorum Patrum ſenſa promere. *Si quid* (inquit) *reprehenſione dignum putaveras in explanatione noſtra, eruditionis tuæ fuerat quærere, utrum ea quæ ſcripſimus, haberentur in Græcis; ut, ſi illi non dixiſſent, tunc meam proprie ſententiam condemnares, præſertim cum libere in præfatione confeſſus ſim, Origenis commentarios me eſſe ſecutum, & vel mea, vel aliena dictaſſe.... Ex quo oſtendi, me non*

Digitized by Google

non ex definito id defendere quod in Græcis legeram.... ut lectoris arbitrio derelinquerem, utrum probanda eſſent, an improbanda.

V. Hinc colligas velim, Græcos, quos inter Ioannem Chryſoſtomum, licita interdum docuiſſe mendacia. Chryſoſtomi textus ſunt apertiſſimi locis ſupra laudatis. Hieronymus palam teſtatur, Chryſoſtomum Origenis ſententiam fuiſſe ſecutum, & pro mendaciis ſtetiſſe. Aquam itaque cribro hauriunt qui de hoc lapſu purgare Chryſoſtomum contendunt. Idque evidentius adhuc evincerem, ſi inſtituti ratio ferret. Caſſianus quoque mendaciorum patrocinium ſuſcepit *collat.* XVII. Verum de his pluſquam ſatis. Lege quæ fuſius hoc de argumento diſputata ſunt in ſecundum Decalogi præceptum.

CAPUT VI.

De gravi mendacii malitia.

I. MEndacia mala eſſe, & ſuapte natura peccata, Catholici omnes docent Illud nunc in quæſtionem vocatur, ſint ne mendacia omnia peccata gravia, ſeu mortifera.

II. Quæſt. I. *Mendacium iocoſum, & officioſum eſt ne peccatum mortale?* Reſp. Sententia negans communis eſt. Neutrum quippe ex his mendaciis caritati opponitur; cum nullum inferat proximo nocumentum, ſed e contrario potius utilitatem, aut oblectationem. Nemo D. Thoma clarius, & enucleatius hanc ſententiam explicuit. Inquit ergo 2. 2. quæſt. CX. art. 4. *Peccatum mortale proprie eſt quod repugnat caritati, per quam anima vivit Deo coniuncta, ut dictum eſt. Poteſt autem mendacium contrariari caritati tripliciter: uno modo ſecundum ſe; alio modo ſecundum finem intentum; tertio modo per accidens. Secundum ſe quidem caritati contrariatur ex ipſa falſa ſignificatione. Quæ quidem, ſi ſit circa res divinas, contrariatur caritati Dei, cuius veritatem aliquis tali mendacio occultat, vel corrumpit. Unde huiuſmodi mendacium non ſolum opponitur virtuti veritatis* (al. *caritatis*) *ſed etiam virtuti fidei, & religionis. Et ideo hoc mendacium eſt graviſſimum, & mortale. Si vero falſa ſignificatio ſit circa aliquid cuius cognitio pertineat ad hominis bonum, puta quæ pertineat ad perfectionem ſcientiæ, & informationem morum; tale mendacium, inquantum infert damnum falſæ opinionis proximo, contrariatur caritati quantum ad dilectionem proximi. Unde eſt peccatum mortale. Si vero falſa opinio, ex mendacio generata, ſit circa aliquid de quo non referat, utrum ſic, vel aliter cognoſcatur; tunc ex tali mendacio non damnificatur proximus: ſicut ſi quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus, ad ſe non pertinentibus. Unde tale mendacium ſecundum ſe non eſt peccatum mortale. Ratione vero finis intenti aliquod men-*

Digitized by Google

dacium contrariatur caritati : puta quod dicitur aut in iniuriam Dei ; quod ſemper eſt peccatum mortale , utpote religioni contrarium : aut in nocumentum proximi, quantum ad perſonam , divitias, vel famam ; & hoc etiam eſt peccatum mortale, cum nocere proximo ſit peccatum mortale. Ex ſola autem intentione peccati mortalis aliquis mortaliter peccat. Si vero finis intentus non ſit contrarius caritati, nec mendacium ſecundum hanc rationem erit peccatum mortale ; ſicut apparet in mendacio iocoſo, in quo intenditur aliqua levis delectatio ; & in mendacio officioſo, in quo intenditur etiam utilitas proximi. Per accidens autem poteſt contrariari caritati ratione ſcandali, vel cuiuſcumque damni conſequentis : & ſic erit etiam peccatum mortale , dum ſcilicet aliquis non veretur propter ſcandalum publice mentiri . Animadvertenda ſunt ultima Angelici verba, quibus aſſeritur mendacia interdum ob ſcandalum audientium crimina eſſe mortifera . Quare Magiſter Sententiarum *in III. diſt.* XXXVIII. docet, mendacia iocoſa in viris perfectis peccata eſſe mortalia. Et Oſtienſis *in Sum. Lib. V. tit. de pœnit. & remiſs. §. Quæ interrogationes* ſuſtinet , conſuetudinem mentiendi iocoſe peccatum eſſe mortale . Tametſi hæc ſententia communiter reiiciatur, tamen ſumma diligentia Religioſi potiſſimum a quocumque mendacio , ſive iocoſo ," ſive officioſo, temperare ſibi debent. Quandoquidem etſi verum habeat quod frequentia, & continuata tranſgreſſio peccandi venialiter, non immutat ipſius peccati naturam ; de hoc ipſo tamen dubitant nonnulli . Ceterum ſimul verum eſt mendacia etiam iocoſa, vel officioſa a Religioſis prolata , non ex fragilitate, & ſubreptione, proprioque amore mentem faſcinante , & linguam ſeducente, ſed ex habitu, conſuetudineque , ſcandalum parere laicis . Nec immerito iſti ſcandalum patiuntur. Quid enim magis indecens quam Sacerdotem paſſim mendaciorum fuligine labia polluere ſua, quibus ſanctum Evangelium quotidie recitat, ſacratumque Chriſti corpus percipit? D. Bernardus clamat, nugas in ore laicorum nugas eſſe, in ore Sacerdotum ſacrilegia . Vitandum ergo ſcandalum iſtud eſt , & in ſermone quolibet ſinceritas illa ſervanda quam & natura ipſa, & evangelica lex præſcribunt.

III. Oppones. Pſalmiſta inquit Pſal. v. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et Salomon Sap. I. *Os quod mentitur, occidit animam* . Accedit mendacium eſſe contra octavum decalogicæ legis mandatum . Quod autem cum mandatis Decalogi pugnat, peccatum mortale eſt . Reſpondet Auguſtinus in commentariis ſuper illum verſiculum, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* „ Duo ſunt mendacio- „ rum genera, in quibus non eſt magna culpa; ſed tamen non ſunt ſine culpa : „ cum aut iocamur, aut proximo conſulendo mentimur." Nec ſtatus , aut ſanctitas perſonæ, ſcandalo ſublato, efficiunt ut peccata venialia immigrent in mortalia. Apoſtolus Ioannes *Epiſt. I. cap.* I. inquit : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sermonem hic habere

Evan-

Evangeliſtam de peccatis venialibus, adfirmant Interpretes omnes. Non ergo vel in ipſis viris perfectis iocoſa mendacia crimina ſunt mortifera. Scandalum tamen iſti frequentius ingerunt, ſi ſermonis verſutiam, & fraudulentiam præferant.

VI. Quæſt. II. *Eſt ne omne mendacium pernicioſum peccatum mortale?* Reſp. Genere ſuo peccatum letale eſt; ſed ob materiæ parvitatem, ut cetera crimina, veniale evadit. Porro quod genere ſuo ſit peccatum mortale, patet ex Angelico, cuius textum deſcripſi ſupra. Nam mendacium, ſi ſit in materia fidei, & morum, ut ſi doceatur licitum adulterium, furtum, periurium, & cetera id genus (quod mendacium, inquit Angelicus *loc. cit.* non modo dilectioni Dei, verum etiam fidei, & religioni adverſatur) peccatum eſt graviſſimum. Simile grave crimen perpetrant Concionatores narrantes ficta miracula, falſas indulgentias, vel apocryphas reliquias diſtribuentes: quoniam verbum Dei adulterant, vera miracula falſis immixta ſuſpecta reddunt, religionem ludibrio exponunt. Mendacium pernicioſum proximo non ſolum eſt contra caritatem, ſed etiam contra iuſtitiam; ut ſi falſum crimen illi imponas, aut mendacio illius auferre bona ſtudeas. Idcirco obligat ad reſtitutionem tum famæ, tum bonorum temporalium. Porro hoc mendacium pernicioſum, quod genere ſuo eſt peccatum mortale, fieri veniale poteſt vel ob ſubreptionem, ſeu imperfectam deliberationem, vel ob materiæ levitatem.

V. Quæſt. III. *Mendacium rei genere ſuo levis, ſi fiat in confeſſione, eſt ne peccatum mortale?* Reſp. Sermo non eſt de peccato veniali, quod ſit tota & unica materia confeſſionis: quoniam planum eſt tunc fore peccatum mortale. Nullum enim eſſet ſacramentum ex defectu materiæ. Confiteris leve furtum, quod reapſe non perpetraſti. Forma ſacramentalis tunc nullam habet materiam veram; cum furtum confeſſum falſum ſit. Mendacium itaque, quod ſubiicitur præſenti quæſtioni, non ſpectat peccatum quod ſit unica, & ſola materia confeſſionis; ſed reſpicit aliquam levem peccatorum circumſtantiam: puta, interrogaris a Confeſſario numerum peccatorum venialium, & tu deliberate auges, aut diminuis numerum; inter confitendum aliquod intermiſces mendacium leve. De hoc mendacio ſermo nobis eſt.

VI. Diſputant in utramque partem Theologi. Sententiam adfirmantem defendunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxix. *art.* 1. *ad* 3. Sylveſter *verbo* Mendacium *quæſt.* 11. allegantque primum auctoritatem S. Thomæ, qui 2. 2. *quæſt.* lxix. *art.* 1. *ad* 3. hæc ſcribit: *Ille qui mentitur in iudicio, ſe excuſando, facit & contra dilectionem Dei, cuius eſt iudicium, & contra dilectionem proximi, tum ex parte iudicis, cui debitum negat, tum ex parte accuſatoris, qui punitur, ſi in probatione deficiat.* Ergo qui in confeſſione ſacramentali mendacium profert, lædit dilectionem Dei, cuius eſt iudicium ſacramentale; atque adeo graviter peccat. Deinde mendacium leve

Digitized by Google

in iuramento aſſertorio eſt peccatum mortale, ut patet ex hac propoſitione damnata ab Innocentio XI. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.* Ergo idem dicendum de mendacio levi in confeſſione prolato. Item qui inter quatuor hoſtias triticeas unam poneret hordeaceam, peccaret mortale crimen, quod ſubiiceret conſecrationi materiam ineptam, ſeu falſam. Ergo peccabit itidem mortaliter qui data opera addet in confeſſione peccatum quod non fecit, aut negabit quod commiſit.

VII. Sententia negans his nititur rationum momentis. Pœnitens, rogatus a Confeſſario, utrum hæc, aut alia perpetraverit, poteſt ea ſilere, ſi fuerint venialia, eo quod non ſint hæc neceſſaria, ſed libera confeſſionis materia. Quod ſi confiteatur aliquod veniale quod non commiſit, aut neget commiſſum, ſi alia confiteatur, nullam irrogat ſacramento iniuriam; cum iam materiam neceſſariam, & congruam ſubiiciat poteſtati clavium, ſuper quam cadat abſolutio ſacramentalis. Neque peccat in Confeſſarium. Is quippe ius habet ad interrogandum pœnitentem in omnibus quæ valorem ſpectant ſacramenti, aut quæ neceſſaria ſunt, ut cognoſcatur pœnitentis ſtatus. Peccata autem venialia nec officiunt valori ſacramenti, nec ſtatum occultant pœnitentis, quatenus neceſſario aperiendum Confeſſario. Ergo nec ſacramento, nec Confeſſario mendacium leve gravem infert iniuriam. Accedit quod ſi mendacium leve peccatum grave eſſet in pœnitente; grave itidem eſſet in Confeſſario; cum non minus hic quam ille teneatur veritatem in ſacro illo tribunali inviolatam cuſtodire. Quis porro dixerit, Confeſſarium mortaliter peccare, ſi mendacium leve in tribunali protulerit? Ergo idem dicendum de pœnitente. Poſtremo, quamquam proferre mendacium in iudicio, ſive interiori, ſive exteriori, ſit peccatum genere ſuo mortale; tamen ob materiæ parvitatem leve fieri poteſt. Nam etiam in religionis negotio parvitas materiæ reperitur; ut patet in illo qui obulum ſurripit in loco ſacro. Sed etiam in ſacramento pœnitentiæ peccatum veniale, quando alia ſubiiciuntur clavibus, parva materia eſt. Ergo mendacium rei levis etiam in ſacramento pœnitentiæ eſt leve peccatum. Hanc ſententiam defendunt Sotus *Lib. V. de iuſt. quæſt.* VI. *art.* I. & in *relect. de teg. ſec. memb.* 2. *quæſt.* VII. *concl.* 2. Bannez 2. 2. *quæſt.* LXIX. *art.* 2. *p.* 2. *dub.* I. Valentia *Tom. III. diſp.* V. *quæſt.* XIII. *punct.* I. Navarrus in *Manuali cap.* XVIII. *num.* 3. Lugo *de pœnit. diſp.* XVI. *ſec.* 2. *num.* 99. Salmanticenſes Scholaſtici *Tom. XII. part.* II. *tract.* XXIV. *num.* 141. & 142. Salmanticenſes Morales *tract.* XXVII. *cap.* II. *punct.* 3. *num.* 26. aliique plures.

VIII. Ad primum argumentum prioris ſententiæ reſpondent recenſiti Theologi, D. Thomam ſermonem habere de materia neceſſaria, quam reus confiteri tenetur, & iudex facultatem habet interrogandi. Confeſſarius autem ius non habet interrogandi pœnitentem de peccatis venialibus, nec pœnitens tenetur ea fateri. Secun-

Digitized by Google

cundum argumentum ſeipſo corruit. Nam in iuramento Deus vocatur in teſtem mendacii, quod graviſſimam prodit iniuriam: & mendacium leve eſt materia iuramenti aſſertorii. At, dum mendacium profertur in confeſſione, nec Deus in teſtem mendacii adducitur, nec ſacramentum iniuria afficitur: nam alia peccata manifeſtantur, ne forma abſolutionis falſa evadat. In tertio argumento diſparitas patet. Nam hoſtia hordeacea ſuapte natura materia gravis eſt reſpectu Euchariſtiæ ſacramenti; & graviſſimam iniuriam irrogaret ſacramento, & idololatriæ crimen induceret. Hoſtiæ enim plures conſecrantur, ut populo diſtribuantur, & publicæ adorationi proponantur. Hoſtia ergo hordeacea adorationi propoſita cultum ſuſciperet latriæ a populo fideli. Hoc graviſſimum crimen perpetraret qui talem hoſtiam conſecrandam Sacerdoti doloſe ſupponeret. Nil ſimile ſequitur in mendacio levi.

IX. Hæc ſecunda ſententia probabilior videtur. Aliqua tamen addenda explanatio eſt. Si pœnitens prava venialium conſuetudine inquinatus teneretur, & rogatus a Confeſſario hanc negaret conſuetudinem, non video cur a gravi culpa liberari poſſet. Verum utique habet, hanc venialium aſſuetudinem non eſſe abſolute mortiferam. At nemo iure inficias ire valet, plurimum illam conducere ad ſtatum pœnitentis dignoſcendum. Nemo in doctrina Patrum verſatus, & experientia edoctus, negaverit, hanc animi habitudinem periculi plenam eſſe, ultimamque ad mortalem animæ ſtatum diſpoſitionem. Quare, ut paucis rem perſtringam, mihi dicendum videtur, graviter non delinquere pœnitentem, ſi aliquod veniale peccatum mendacio neget, vel adfirmet in confeſſione a ſacro miniſtro rogatus. A gravi autem, ſeu letali culpa eumdem haud abſolverem, ſi aſſuetus venialiter delinquere, & pravo harum culparum habitu inquinatus, Confeſſario interroganti hunc ſuum ſtatum mendacio occultaret. Quoniam tum grave detrimentum, & periculum extremæ ſpiritualis ruinæ propriæ animæ intentaret, & clavium poteſtati iniuriam inferret. Quamvis enim ſacer miniſter iure cogendi pœnitentem ad manifeſtanda venialia ſit deſtitutus; tamen ius habet cognoſcendi pœnitentis ſtatum, & diſpoſitiones illas quæ proxime, & non remote tantum, ad æternam mortem viam parant. Porro convenit penes omnes, habitum culparum venialium proximam eſſe viam, ac diſpoſitionem ad mortalia flagitia. Ergo hanc multitudinem, ſive habitum peccandi venialiter in ſacro tribunali mendacio celare, & intra proprium ſinum fovere nec rationi, nec chriſtianæ doctrinæ videtur conſentaneum.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE DETRACTIONE, ET IUDICIO TEMERARIO.

CAPUT I.

Quid ſit honor, & fama; & qua ratione differant.

I. CUM detractio honorem, & famam lædat, ac peſſumdet, recta diſputandi ratio poſtulat ut, priuſquam detractionis naturam, & malitiam prodamus, bonum quod aufert, manifeſtemus. Bonum iſtud in honore, & fama ſitum eſt. De his ergo primum omnium differendum.

II. Quæſt. *Quid ſit honor?* Reſp. Finitio quam exhibet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CIII. *art.* 2. hæc eſt: *Honor nihil aliud eſt quam quædam proteſtatio de excellentia bonitatis alicuius.* Verus igitur, & non fucatus honor importat in perſona honoranda excellentiam aliquam. Aliquam dico, quia haud requiritur ut qui honoratur, præſtantior ſit honorante; ſed ſatis eſt ut abſolute aliqua ſit prærogativa ornatus, aut comparate ad aliquos. Sic enim pergit Angelicus loc. cit. *Poteſt autem alicuius excellentia conſiderari non ſolum per comparationem ad honorantem, ut ſcilicet ſit excellentior eo qui honorat, ſed etiam ſecundum ſe, vel per comparationem ad aliquos alios. Et ſecundum hoc honor ſemper debetur alicui propter aliquam excellentiam, vel ſuperioritatem. Non enim oportet quod ille qui honoratur, ſit excellentior honorante, ſed forte quibuſdam aliis, vel etiam ipſo honorante quantum ad aliquid, & non ſimpliciter.* In honorante requiritur opinio, ſeu perſuaſio talis excellentiæ, & eiuſdem proteſtatio, quæ ſignis exterioribus, nempe verbis, vel factis, manifeſtari debet. Honor abſolute abſque reverentia, & ſubmiſſione conſiſtit. Reverentia enim aut eſt principium impellens ad honorandum, aut eſt finis eiuſdem. Deus Sanctos honorat, quin illos colat, aut revereatur. Et ſuperiores honorant inferiores, nec tamen illis ſe ſubmittunt, aut illos reverentur. Honor frequentiſſime eſt etiam inter æquales, ut ſuadet Paulus Apoſtolus ad Rom. XII. *Honore invicem prævenientes.*

III. Fama a *fando* nuncupatur. Sita eſt potiſſimum in interiori iudicio, ſeu opinione probitatis, aut iniquitatis perſonarum. Fama quippe tum in bonam, tum in malam partem uſurpatur. In bonam partem accepta ſic a Theologis definitur:

Eſt

Digitized by Google

Eſt clara illa notitia quam alii de nobis habent. Iſtius famæ materia primario eſt vita bene morata, & virtutibus inſtructa. Materia ſecundaria ſunt aliæ prærogativæ ſcientiarum, eruditionis, nobilitatis, peritiæ in artibus, idque genus ſimilia.

IV. Fama, & honor interdum ſimul, interdum ſeparatim conſiſtunt. Homines virtutibus, divitiis, nobilitate, aliiſque dotibus decorati & fama clarent, & ſimul honoris tributa recipiunt. Contra plures honorantur propter divitias, aut ſanguinis nobilitatem, aut potentiam, qui tamen vitiorum infamia laborant. Plures e contrario privati virtutum, & ſanctitatis fama ſplendent, nihilominus latitant in angulis, & honorum ſignis carent. Hinc eſt quod quis adverſus honorem, ſecus adverſus famam, peccare valet; ut ſi aliquem alapa, vel fuſte percutiat occulte, honorem, non famam lædit.

V. Fama pretioſior honore eſt. Illa quippe in interna opinione, ſeu exiſtimatione; hic in externa teſtificatione reſidet. Fama ſuapte natura morum probitate, & aliis prærogativis nititur. Honor ſæpe vitioſis, & ſceleratis tribuitur: abſtrahit enim a vera probitate, & dignitate illius qui honoratur. Porro multo excellentius bonum eſt interna, & ſincera perſuaſio quam homines de tua habent probitate, quam ſit externa, ſæpe mendax, & ſimulata teſtificatio de tua excellentia. Verum, quia internæ hominum perſuaſiones, & perceptiones minime videntur; hinc eſt quod plus gaudere homines ſolent de exteriori teſtificatione quam de interiori exiſtimatione. Sed hoc evenit, quia tunc honorem cum fama permiſcent, & confundunt, atque pro eodem accipiunt; aut ſaltem honoris externa inſignia reputant ceu interioris exiſtimationis argumenta. Idcirco namque ſe honorari ab hominibus reputant ob optimæ famæ opinionem, quam in illorum a quibus honorantur, mente poſſidere credunt. Ne multa, ſigna honoris fructus bonæ famæ, qua apud honorantes fruuntur, exiſtimant. Hinc Philoſophi, & Doctores communiter dicunt, *honorem eſſe* bonorum maximum, nihilque in eiuſdem comparatione eſſe divitias, & Principatus, quæ propter honorem optanda ſunt. De honore enim loquuntur, ut famam includit. Immo Spiritus ſanctus, non honori, ſed famæ tribuit indicatas prærogativas. Inquit enim: *Melius eſt nomen bonum quam divitiæ multæ*: Prov. XXII. & Eccleſiaſtici XLI. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quam mille theſauri pretioſi, & magni*. Bonum nomen pro ipſa fama, ſeu propriæ probitatis clara notitia hic accipitur; ſecus pro honore, qui interdum eſt fructus iſtius boni nominis, & frequentius mendacis ſimulationis, vanæque oſtentationis abortus. Quare duplex diſtingui honor poteſt: alter eſt verus, virtute & probitate nixus; alter commentitius & vanus, hominum opinione confictus. Hunc contemnendum, illum cuſtodiendum Scriptura prædicat. Iterum infra de obligatione conſervandi proprium honorem, proximumque honorandi ſermo redibit.

C A-

CAPUT II.

De contumelia.

I. Contumeliæ definitio ſumitur ex S. Thoma 2. 2. quæſt. lxxii. art. 1. *Dehonoratio alicuius per verba, quibus id quod eſt contra honorem illius, deducitur in notitiam eius, & aliorum.* Contumelia differt a detractione duplici pacto. Contumelia primario, & per ſe in verbis, in faciem hominis prolatis, ſita eſt. Si quæ proximo obiectas, peccata ſunt, ut ſi dicas, *Tu es latro, mœchus, mendax*; dicitur *contumelia*. Si defectus ſunt naturales, ut ſi exprobres, *Tu es ſtultus, cæcus, ſurdus, gibbus, claudus*; vocatur *convicium*. Si in memoriam eidem revoces præteritam indigentiam, beneficia illi præſtita; *improperium* appellatur. Quamvis ſæpe ex his unum pro alio accipiatur. Differt quoque a detractione, quod hæc famæ, illa honori deroget. Hæc ſunt D. Thomæ verba 2. 2. quæſt. lxxiii. art. 1. *Detractio differt a contumelia dupliciter. Uno modo quantum ad modum proponendi verba, quia ſcilicet contumelioſus manifeſte contra aliquem loquitur, detractor autem occulte. Alio modo quantum ad finem intentum, ſive quantum ad nocumentum illatum, quia ſcilicet contumelioſus derogat honori, detractor famæ.* Notio itaque contumeliæ eſſentialis eſt, quod per ſe proferatur in faciem proximi. Natura e contrario detractionis eſt, quod ſit in abſentia eiuſdem. Advertit tamen D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxii. *art.* 1. quod contumelia etiam factis irrogari quandoque poteſt. *Tamen, quia etiam per facta aliqua ſignificatur aliquid, quæ in hoc quod ſignificant, habent vim verborum ſignificantium; inde eſt quod contumelia extenſo nomine etiam in factis dicitur.*

II. Quæſt. I. *Contumelia eſt ne genere ſuo peccatum mortale?* Reſp. Affirmat D. Thomas, eo quod lædit honorem, bonum ſuapte natura pretioſum. Contingit vero eſſe veniale, tum reſpectu honoris, qui leviter læditur, tum ex intentione improperantis, qui interdum aut ex ſubreptione verbum contumelioſum profert, aut correctionis cauſſa; ſeu, non ut honorem lædat, ſed ut emendationem procuret proximi ſui: quod frequenter locum habet in ſuperioribus reſpectu ſubditorum. Hæc ſunt verba Angelici 2. 2. quæſt. lxxii. art. 2. *In peccatis verborum maxime conſiderandum videtur, ex quo affectu aliquis verba proferat. Cum ergo convicium, ſeu contumelia de ſui ratione importet quamdam dehonorationem, ſi intentio proferentis ad hoc feratur, ut per verba quæ profert, honorem alterius auferat; hoc proprie, & per ſe eſt dicere convicium, vel contumeliam: & hoc eſt peccatum mortale, non minus quam furtum, vel rapina. Non enim minus homo amat ſuum honorem quam rem poſſeſſam. Si vero aliquis verbum convicii, vel contumeliæ alteri dixerit,*

non

Digitized by Google

non tamen animo dehonorandi, ſed forte propter correctionem, vel propter aliquid huiuſmodi; non dicit convicium, vel contumeliam formaliter & per ſe, ſed per accidens & materialiter; inquantum ſcilicet dicit id quod poteſt eſſe convicium, vel contumelia: unde hoc poteſt eſſe quandoque peccatum veniale, quandoque autem abſque omni peccato. In quo tamen neceſſaria eſt diſcretio, ut moderate homo talibus verbis utatur: quia poſſet eſſe ita grave convicium, quod per incautelam prolatum auferret honorem eius contra quem proferretur: & tunc poſſet homo peccare mortaliter, etiamſi non intenderet dehonorationem alterius; ſicut etiam ſi aliquis incaute alium ex ludo percutiens graviter lædat, culpa non caret.

III. Advertit tamen Angelicus ibidem, obiurgationes contumelioſas cautione magna adhibendas eſſe. Lucrandus frater eſt benignitate, & blando ſermone, ſi fieri poteſt. Urgente dumtaxat neceſſitate, omiſſa ſuavitate, ſevera obiurgatio adhibenda eſt; ſi tamen prudenter præſumatur quod hac via fructus correctionis ſit obtinendus. Quandoque etiam adhiberi obiurgatio contumelioſa poteſt ad infringendam pervicacem alterius audaciam, & ad ſuperbiam deprimendam, ac in aliorum exemplum, & inſtructionem. *Ad ſecundum*, inquit Angelicus, *dicendum, quod ſicut licitum eſt aliquem verberare, vel in rebus damnificare cauſa diſciplinæ; ita etiam cauſa diſciplinæ poteſt aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convicioſum dicere. Et hoc modo Dominus diſcipulos vocavit ſtultos: & Apoſtolus Galatas inſenſatos. Tamen, ſicut dicit Auguſtinus in Lib. II. de ſermone Domini in monte, raro, & ex magna neceſſitate obiurgationes ſunt adhibendæ; in quibus non nobis, ſed ut Domino ſerviatur, inſtemus.*

IV. Quæſt. II. *Perferre ne patienter vir chriſtianus debet contumelias ſibi illatas?* Reſp. Tolerantia contumeliarum, & improperiorum eſt veluti character chriſtianæ profeſſionis. Sed duplex diſtinguenda tolerantia eſt. Altera in præparatione animi, qua nempe homo paratus eſt contumelias, & iniurias ob Chriſti amorem perferre, quoties id expediens ad Dei gloriam, propriam ſalutem, & proximi ædificationem iudicaverit. Altera actualis, ſeu qua homo reipſa tolerat iniurias irrogatas. Prior ſemper neceſſaria Chriſtiano eſt; altera non ſemper, ſed prout conſentaneum proximi utilitati, & bono communi exiſtimatur. S. Thomas enucleate de more hæc omnia tradit 2. 2. *quæſt.* LXXII. *art.* 3. his verbis. *Sicut patientia neceſſaria eſt in his quæ contra nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his quæ contra nos fiunt, ſunt in præparatione animi habenda, ſicut Auguſt. in Lib. I. de Ser. Domini in monte exponit illud præceptum Domini:* Si quis percuſſerit te in unam maxillam, præbe ei & aliam: *ut ſcilicet homo ſit paratus hoc facere, ſi opus fuerit. Non tamen hoc ſemper tenetur facere actu: quia nec ipſe Dominus hoc fecit; ſed cum ſuſcepiſſet alapam, dixit:* Quid me cædis? *ut habetur Ioannis* XVIII. *Et ideo etiam circa verba contumelioſa, quæ contra*

Digitized by Google

tra nos dicuntur, eſt idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, ſi expediens fuerit. Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum eius qui contumeliam infert, ut videlicet eius audacia reprimatur, & de cetero talia non attentet, ſecundum illud Proverb. XXVI. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. *Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius dicit ſuper Ezechiel. hom.* IX. *Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere; ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant.* Plura Sanctorum exempla allegat S. Thomas *opuſc.* XIX. quibus evincit, viros apoſtolicos frequenter reſtitiſſe contumeliis, & impoſturis, atque apologeticos libros ſcripſiſſe, ut ſuam defenderent famam. Advertit tamen, in ſpiritu lenitatis, & manſuetudinis id præſtandum eſſe. Hæc enim ſcribit quodlib. X. art. 13. *Quod utrumque, ſcilicet & contemptus famæ, & appetitus, poteſt eſſe laudabile, & vitioſum. Fama enim non eſt neceſſaria homini propter ſeipſum, ſed propter proximum ædificandum. Appetere ergo famam propter proximum, caritas eſt; appetere vero propter ſeipſum, ad inanem gloriam pertinet. E converſo contemptus famæ ratione ſui ipſius, humilitas eſt; ratione vero proximi, ignavia, & crudelitas.*

V. Utrum contumeliarum tolerantia, an earumdem impugnatio expedientior in praxi ſit, diiudicari nequit, niſi plures circumſtantiæ conſulantur, qualitas ſcilicet perſonæ cui irrogatur contumelia, conditio perſonæ conviciantis, natura contumeliæ, & alia huiuſmodi. Quando prudenter prævidetur fore ut auditores contumeliarum ex tolerantia, & chriſtiana patientia ædificentur, ac ſilentium, & tolerantiam non ignaviæ, animique infirmitati, ſed virtuti patientiæ tribuant; tum patientia exercenda eſt, potiſſimum ſi contumeliæ, & convicia ſolam perſonam ſpectent, non miniſterium, profeſſionem, vel doctrinam. Hæc defenſionis via Religioſis ſecurior eſt. Hi enim peculiari iure patientiam profitentur, humilitatem, & mundi contemptionem. Communiter mundani homines magis ædificantur ex Religioſorum patientia, quam ex defenſione. Si contra prudenter prævideatur, diſſimulationem, patientiam, & tolerantiam adſcriptam iri aut afflictæ cauſſæ, aut mentis imbecillitati, aut obſiſtendi impotentiæ; tum repellere contumeliam expediens videtur. At, ne ſpiritus vindictæ, iræque, ſub larva zeli boni publici latitans, in impoſtores, & contumelioſos irruat nimis vehementer, numquam ſibi fidendum; ſed conſilium prudentum, proborumque virorum audiendum eſt. Raro in patientia & diſſimulatione, frequenter in propugnatione peccatum occurrit. Idque, ut dixi, locum habet, quando defenſio ſolam perſonam contumeliis affectam ſpectat; ſecus ſi veritas aliqua, aut ſanior doctrina in diſcrimen adducatur, vel

Digitized by Google

vel contumelioſis verbis proſcindatur: tum enim exaltanda vox eſt, acuendus calamus ſemper contra errorem, ut ſarta tecta doctrinæ veritas cuſtodiatur. Sanctorum exempla hoc nos docent.

VI. ***Licet ne obiicere teſti falſum crimen, quoties hoc conducit ad tuam tuendam famam?*** Reſp. Affirmant plures Probabiliſtæ. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* XIV. *punct.* 2. *numer.* 18. laudant Bannez, Ledeſmam, Ioannem La Cruz, Dicaſtillum. P. Dominicus Viva tribuit hanc opinionem Caramueli in ſua *Theol. Fundam. numer.* 1051. Subdit Cardinalem de Lugo probabilem ſpeculative reputare præfatam opinionem. Quid hac de re doceat P. Thomas Tamburinus, dictum eſt *cap.* 1. *iſtius Libri*, ubi verba eiuſdem Tamburini dedimus. Ne in confutanda manifeſta laxitate diutius immoremur, transcribendæ ſunt propoſitiones 43. & 44. damnatæ ab Innocentio XI. quarum prima hæc eſt. *Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?* Altera. *Probabile eſt non peccare mortaliter qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam iuſtitiam, & honorem defendat*. Harum propoſitionum, atque adeo propoſitæ quæſtionis falſitas ex ſe patet. Mentiri quippe in materia gravi peccatum grave eſt. Qui imponit iniquo teſti crimen falſum, mentitur in re gravi. Ergo graviter peccat. Nec tantum virtuti veracitatis, ſed etiam iuſtitiæ, tum legali, ſi fiat in iudicio, tum commutativæ, ſi fiat inter privatas perſonas, opponitur; & debitum inducit reſtitutionis. Quod adverſetur tale mendacium iuſtitiæ legali, oſtenditur. Iudex etenim iure potitur ne a quopiam decipiatur in ſui officii adminiſtratione. Qui imponit falſum crimen iniquo teſti, decipit iudicem, eumque impellit ad condemnandum teſtem ob crimen ab eo non perpetratum. Ergo lædit iuſtitiam legalem in iudiciorum adminiſtratione. Porro, ſive extra iudicium, ſive in iudicio hoc mendacium proferatur, pervertit iuſtitiam commutantem, quæ debitum imponit reſtitutionis. Nam tum violatur iuſtitia commutativa, quando læditur ius, quod quiſque habet, ne ab aliis infametur. Sed teſtis, tametſi iniquus, ius habet ne falſo crimine infametur. Ergo mendacium iſtud, ſeu verius calumnia hæc, qua falſum affingitur teſti flagitium, iuſtitiam pervertit commutativam.

CAPUT III.

De ſuſurratione, deriſione, & maledictione.

I. QUæſt. I. *Quid ſit ſuſurratio, & quomodo a detractione differat?* Reſp. Suſurrationem communiter definiunt Theologi cum D. Thoma, quod ſit *verbum ſeminans inter amicos diſcordias*. Quare notio propria ſuſurrationis eſt infringere amicitiam. Unde ſpecie differt a detractione. Hæc quippe famam proxi-

mi

mi diminuit, denigratque; illa amicos ſeparat. D. Thomas his verbis ſuſurrationem explicat, & diſcrimen eius a detractione patefacit 2. 2. quæſt. XIV. art. I. *Suſurro, & detractor in materia conveniunt, & etiam in forma, ſive in modo loquendi: quia uterque malum occulte de proximo dicit: propter quam ſimilitudinem interdum unum pro alio ponitur. Unde Eccl.* V. *ſuper illud* Non appelleris ſuſurro, *dicit Gloſs. ideſt detractor. Differunt autem in fine: quia detractor intendit denigrare famam proximi: unde illa mala de proximo præcipue profert ex quibus proximus infamari poſſit, vel ſaltem diminui eius fama; ſuſurro autem intendit amicitiam ſeparare; ut patet per Gloſs. inductam, & per illud quod dicitur Prov.* XXVI. Suſurrone ſubtracto iurgia conquieſcunt. *Et ideo ſuſurro talia mala profert de proximo quæ poſſunt contra ipſum commovere animum audientis, ſecundum illud Eccli.* XXVIII. Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.... *Ad tertium dicendum, quod bilinguis proprie dicitur ſuſurro. Cum enim amicitia ſit inter duos, nititur ſuſurro ex utraque parte amicitiam rumpere. Et ideo duabus linguis utitur ad duos, uni dicens malum de alio. Propter quod dicitur Eccli.* XXVIII. Suſurro, & bilinguis maledictus eſt. *Et ſubditur:* Multos enim turbavit pacem habentes.

II. Suſurratio itaque genere ſuo peccatum mortale eſt, & quidem gravius ipſa detractione. Quoniam ſuſurratio altius bonum deſtruit, videlicet commune. Perturbat quippe pacem, & concordiam communitatis. Quapropter ſuſurrones ſunt infeſti bono communi. Fama, quæ detractione læditur, via eſt, & diſpoſitio ad amicitiam, quæ in humana ſocietate neceſſaria eſt. Exſcribamus verba ipſius Angelici loc. cit. art. 2. *Peccatum in proximum tanto eſt gravius, quanto per ipſum maius nocumentum proximo infertur. Nocumentum autem tanto maius eſt, quanto maius eſt bonum quod tollitur. Inter cetera vero exteriora bona præeminet amicus: quia ſine amicis nullus vivere poteſt, ut patet per Philoſ. in VIII. Ethic. Unde dicitur Eccleſ.* VI. Amico fideli nulla eſt comparatio. *Fama autem ipſa, quæ per detractionem tollitur, ad hoc maxime neceſſaria eſt, ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. Et ideo ſuſurratio eſt maius peccatum quam detractio, & etiam quam contumelia: quia amicus eſt melior quam honor, & amari quam honorari.*

III. Quæſt. II. *Licita ne eſt aliquando ſuſurratio?* Reſp. Malitia ſpecifica ſuſurrationis ex fine deſumitur, non ex materiali obiecto, inquit Angelicus *loc. cit. ad* I. Suſurratio quæ honeſtam amicitiam, & concordiam diſcindit, ea eſt quæ reprobatur, ut graviſſimum peccatum. Suſurratio vero quæ pernicioſam amicitiam diſſolvere ſtudet, licita eſt, & laude digna, ſi finem bonum ſpectet, debitaſque circumſtantias ſervet. *Suſurrare* (inquit Sotus *Lib. V. quæſt.* XI. *art.* I. §. Alterum dubiolum) *ad dirimendam pernicioſam amicitiam, dummodo citra infamatio-*

tionem fiat, virtus eſt; etiamſi nonnulla naturalia vitia hominis commemorentur; ut ſi ad dimovendum hominem ab amica, dicas eſſe deformem, atque inſulſam. Ad hoc autem ut ſuſurro licite perniciosam amicitiam diſſolvat, mediis licitis uti debet, & a falſis delictis abſtinere. Vera vitia ordinis naturæ occulta, immo etiam moralia, inquiunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 3. *num.* 21. retegi poſſunt. In manifeſtandis tamen morum vitiis occultis maiori cautione opus eſt. Conandum primo ſola exhortatione, & communium rationum explanatione perniciosam infringere amicitiam. Poſt naturæ defectus retegere quis poteſt. Poſtremum, ſi amicitia, vel confœderatio in damnum communitatis, puta diſciplinæ regularis, vel publicæ tranquillitatis conſpiret; tunc poteris morum quoque crimina patefacere, ſed ore caritatis freno moderato, ut nimirum tantum, & non amplius mali patefiat, quantum ſatis ſit ad diſſolvendam amicitiam bono communi infeſtam.

IV. Quæſt. III. *Licitum ne eſt quorumdam amicitiam diſſolvere, non ut inimici fiant, ſed ut locum amici expulſi occupes?* Reſp. Explicanda quæſtio eſt. Titius videt Sempronium amicum eſſe, & familiarem Prælati, vel Principis. Advertit amicitiam eiuſmodi utilitatem, & commoditatem parere. Titius ambit hanc amicitiam Prælati, Principis, Magnatis &c. At fieri nequit ut eam aſſequi valeat, niſi ab eadem excludatur Sempronius. Quæritur, licite ne Titius valeat defectus naturales Sempronii narrare, ut illo ab amicitia reiecto, locum eiuſdem occupet. Adfirmant Salmanticenſes *tractat.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 3. *num.* 22. Quoniam, inquiunt, cuique licitum eſt, ſublata vi, & fraude, illud ſibi comparare bonum quod ex gratuita voluntate pendet; tametſi hinc alius expellatur. Porro amicitia & dum contrahitur, & dum conſervatur, bonum gratuitum eſt, ab alterius voluntate pendens. Ergo quiſque ſibi illud indipiſci iure poteſt; etiamſi alius repellendus ſit. Laudant pro hac opinione *Sotum*, *Arragon*, *Pradum*, *Serram*.

V. Hæc ſententia repugnare mihi videtur inſito illi a natura principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Semper audivi, ſimplices Chriſtianos, caſuiſtica Theologia non edoctos, ſed lumine ſuper eorum vultum ſignato a Deo perfuſos, conſcientiæ ſibi vertere proximi defectus etiam naturales retegere, aut obvios exaggerare, ut, proximo ab utili amicitia expulſo, eiuſdem teneant locum. Fateor, cuique licitum eſſe honeſtis mediis, viiſque amicitiam, & patrocinia procurare ſibi; etiamſi prævideat quod, ſi ipſe includatur, expellendus alter ſit. At nego, licitum eſſe alterius defectus ad examen amici, ſeu patroni, a quo reiiciendus eſt amicus, revocare, eoſdem ob oculos ſtatuere, & exponere eum in finem, ut alter pellatur. Hæc ne tecum peragi velles? Minime gentium. Cur ergo eadem tu adverſus proximum tuum agis? Accedit quod vix hæc fieri in praxi valeant, quin invidia, ſuſurratio, & detractio linguam dirigant, & ſaga-

ciſſime moderentur. Hinc inimicitiæ, rixæ, mutua inteſtina odia, & detractiones graviſſimæ. Hanc noſtram ſententiam defendunt Bannez 2. 2. *quæſt.* lxxiv. *art.* 2. Azorius *III. Part. Lib. XIII. cap.* VIII. *dub.* 5. aliique plures.

VI. Quæſt. IV. *Quid ſit deriſio?* Reſp. Communis eius definitio eſt: *Verborum ludus ex proximi defectibus, ut erubeſcat.* Finitio hæc diſtinguit irriſionem a contumelia, quæ honorem deprimit; a detractione, quæ famam lædit; a ſuſurratione, quæ amicitiam frangit. Irriſio autem pudorem inducit, & verecundiam. Hæc doctrina traditur a D. Thoma 2. 2. quæſt. lxxv. artic. 1. *Peccata verborum præcipue penſanda ſunt ſecundum intentionem proferentis. Et ideo ſecundum diverſa quæ quis intendit contra alium loquens, huiuſmodi peccata diſtinguuntur. Sicut autem aliquis conviciando intendit conviciati honorem deprimere, & detrahendo diminuere famam, & ſuſurrando tollere amicitiam; ita etiam irridendo aliquis intendit quod ille qui irridetur, erubeſcat. Et quia hic finis diſtinctus eſt ab aliis, ideo etiam peccatum deriſionis diſtinguitur a præmiſſis peccatis.* Irriſiones omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, niſi malitiam aliis virtutibus oppoſitam contrahant. Deum, & quæ ad Deum pertinent, irridere blaſphemia eſt. Parentum irriſio adverſatur pietati: de qua irriſione Salomon ſcribit Proverb. xxx. *Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Iuſtorum quoque deriſio ſcelus eſt graviſſimum, eo quod in contemptionem virtutem, & ſanctitatem adducat. Clarius & diſtinctius hæc omnia docet Angelicus loc. cit. art. 2. *Dicendum, quod irriſio non ſit niſi de aliquo malo, vel defectu. Malum autem, ſi ſit magnum, non pro ludo accipitur, ſed ſerioſe. Unde, ſi in ludum, vel riſum vertatur, ex quo irriſionis, vel illuſionis nomen ſumitur; hoc eſt, quia accipitur ut parvum. Poteſt autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter: uno modo ſecundum ſe; alio modo ratione perſonæ. Cum autem aliquis alterius perſonæ malum, vel defectum in ludum, vel riſum ponit, quia ſecundum ſe parvum malum eſt, eſt veniale, & leve peccatum ſecundum ſuum genus. Cum autem accipitur quaſi parvum ratione perſonæ, ſicut defectus puerorum, & ſtultorum parum ponderare ſolemus, ſic aliquem illudere, vel irridere, eſt eum omnino parvipendere, & eum tam vilem æſtimare, ut de eius malo non ſit curandum, ſed ſit quaſi pro ludo habendum. Et ſic deriſio eſt peccatum mortale, & gravius quam contumelia, quæ ſimiliter eſt in manifeſto: quia contumelioſus videtur accipere malum alterius ſerioſe, illuſor autem in ludum: & ita videtur eſſe maior contemptus, & dehonoratio. Et ſecundum hoc illuſio eſt grave peccatum, & tanto gravius, quanto maior reverentia debetur perſonæ quæ illuditur. Unde graviſſimum eſt irridere Deum, & ea quæ Dei ſunt, ſecundum illud Iſaiæ* XXXVII. Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem tuam? *& poſtea ſubditur:* Ad Sanctum Iſrael. *Deinde ſecundum locum*

tenet

Digitized by Google

tenet irriſio parentum . . . Deinde iuſtorum deriſio gravis eſt, quia honor eſt virtutis præmium. Et contra hoc dicitur Iob XII. Deridetur iuſti ſimplicitas : *quæ quidem deriſio valde nociva eſt : quia per hoc homines a bene agendo impediuntur ſecundum illud Gregor. Qui in aliorum actibus exoriri bona reſpiciunt, mox ea manu peſtiferæ exprobrationis evellunt*. Itaque, ſi deriſio iocoſa ſit de levi malo, aut nullum, aut veniale crimen eſt. Ad virtutem enim eutrapeliæ, ſeu honeſtæ oblectationis revocari interdum poſſunt moderatæ, & cautæ deriſiones de levi alicuius defectu. Quandoque tamen accidere valet ut quis graviter peccet, deridendo alterum ob malum non adeo magnum; ſi irridens prævideat, graviſſime contriſtandum proximum ſuum ob leve illud malum quod obiicit. Cavendum ergo a proximi deriſione : quoniam aliquando delinqui graviter poteſt contra caritatem ob gravem triſtitiam qua afficitur perſona deriſa. Non ideo tamen facile damnandi gravis culpæ deriſores ſunt, quando ioci cauſſa leves defectus exprobrant. Nam qui ob irriſionem levium defectuum graviter perturbatur, iſtius gravis commotionis cauſſa non eſt irriſio, ſed eius fatuitas, & ſtultitia. Quare ſibi imputare debent ſuam gravem afflictionem illi qui de rebus exiguis plus iuſto erubeſcunt, & pudore ſuffunduntur, & triſtitia vexantur.

VII. Quæſt. V. *Quid ſit maledictio ?* Reſp. Maledictionis naturam, & qualitates mira conſueta claritate explicat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxvi. *art.* 1. his verbis. *Dicendum, quod maledicere idem eſt quod malum dicere. Dicere autem tripliciter ſe habet ad id quod dicitur. Uno modo per modum enuntiationis; ſicut aliquid exprimitur modo indicativo : & ſic maledicere nihil aliud eſt quam malum alterius referre : quod pertinet ad detractionem. Unde quandoque maledici detractores dicuntur. Alio modo dicere ſe habet ad id quod dicitur, per modum cauſæ : & hoc quidem primo & principaliter competit Deo, qui omnia ſuo Verbo fecit, ſecundum illud Pſal.* XXXII. Dixit & facta ſunt : *conſequenter autem competit hominibus, qui verbo ſuo alios movent per imperium ad aliquid faciendum : & ad hoc inſtituta ſunt verba imperativi modi. Tertio modo ipſum dicere ſe habet ad id quod dicitur, quaſi expreſſio quædam affectus deſiderantis id quod verbo exprimitur : & ad hoc inſtituta ſunt verba optativi modi. Prætermiſſo ergo primo modo maledictionis, qui eſt per ſimplicem enuntiationem mali, conſiderandum eſt de aliis duobus. Ubi ſcire oportet quod facere aliquid, & velle illud, ſe conſequuntur in bonitate, & malitia, ut ex ſupradictis patet. Unde in iſtis duobus modis, quibus malum dicitur per modum imperantis, vel per modum optantis, eadem ratione eſt aliquid licitum, & illicitum. Si enim aliquis imperet, vel optet malum alterius inquantum eſt malum, quaſi ipſum malum intendens, ſic maledicere utroque modo erit illicitum : & hoc eſt maledicere per ſe loquendo. Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius ſub ratione boni, ſic eſt licitum ; nec erit maledictio, per*

Digitized by Google

ſe loquendo, ſed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, ſed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando, ſub ratione duplicis boni. Quandoque quidem ſub ratione iuſti: & ſic iudex licite maledicit illum cui præcipit iuſtam pœnam inferri: & ſic etiam Eccleſia maledicit anathematizando: ſicut etiam Prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quaſi conformantes voluntatem ſuam divinæ iuſtitiæ: licet hæ imprecationes poſſint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque vero dicitur aliquod malum ſub ratione utilis: puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipſe melior efficiatur, vel ut ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet.

VIII. Maledictio ergo, de qua nunc loquimur, vel imprecando, ſeu imperando, aut optando alicui malum, committitur; ut ſi dicas: *Abi in malam crucem, utinam diabolus te rapiat.* Hæc maledictio ſuo genere peccatum mortale eſt, inquit Angelicus Doctor loc. cit. art. 3. *Maledictio, de qua nunc loquimur, eſt per quam pronuntiatur malum contra aliquem vel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius, ſecundum ſe repugnat caritati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipſius: & ita ſecundum ſuum genus eſt peccatum mortale, & tanto gravius, quanto perſonam cui maledicimus, magis amare, & revereri tenemur. Unde dicitur Levit.* xx. Qui maledixerit patri ſuo, & matri, morte moriatur. *Contingit tamen verbum maledictionis prolatum eſſe peccatum veniale vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum eius qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex ſurreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maxime ex affectu penſantur.*

IX. Peccatum iſtud frequentiſſimum eſt, præſertim in ruſticis, & mulieribus, quæ, quo imbecilliores ſunt, eo impotentiori abripiuntur ira. Ut iſtius peccati gravitatem extenuent, impetum iræ prætexunt. Tranſacto enim, inquiunt, illo iræ impetu, imprecatio mali diſplicuit. Tanta obducuntur cæcitate, ut peccatum peccato excuſare auſint. Ira ipſa peccatum eſt, & tum eſt mortalis, cum rationis lumen prorſus, veluti ebrietas, obnubilat, ut quod rectum, & malum eſt, non diſcernatur. Quare haud ſunt facile admittendæ excuſationes patris, matris, aliorumque, dum dicunt, ſe ira percitos maledixiſſe. Utique interdum eiuſmodi imprecationes non excedunt culpam venialem ob ſubreptionem mentis, atque inadvertentiam, abſque propria culpa rationem prævenientem. Ceterum frequenter etiam ſunt peccata mortalia.

X. Tria requiruntur ut maledictio ſit peccatum mortale. I. ut ex animo fiat. II. ut deliberate. III. ut malum optatum, ſeu imperatum ſit grave. Sæpe parentes ore tenus maledicunt filiis abſque magno impetu iræ, aut etiam ioci cauſſa. Hæ ma-

maledictiones, ſcandalo ablato, culpam non excedunt venialem. Ceterum, quando maledicta in ipſo impetu iræ evomunt, ſive parentes, ſive alii, valde timendum eſt ne ira tranſeat in odium, & animam letaliter feriat. Quod, prolata imprecatione, & extincto iracundiæ furore, illos pœniteat, haud eſt indicium ſufficiens, mortalem non fuiſſe imprecationem. Nam, ut ſit mortalis, ſat eſt te illo momento quo imprecationem contorquebas in alium, ex animo id peregiſſe; tametſi ſtatim te pœniteat. Omnes paſſiones, impetu expleto, languent, ut patet in fornicatore, homicida, aliiſque. Tantum abeſt ut ira communiter auferat malitiam imprecationis, quin ſæpius argumento eſt unde colligere liceat gravem extitiſſe culpam; quando nempe iræ furor comprimi poterat, & habenæ laxatæ ſunt. Ob pravum iracundiæ habitum iam contractum mulierculæ, aliique homines efferati, qualibet oblata occaſione, maledictorum grandinem evomunt, & iaculantur. Deferveſcente poſtea furore, animo contriſtantur; & ob hanc triſtitiam ſibi illudentes autumant ſe graviter non peccaſſe. Quod aliquis ſubitaneæ iræ motus valeat minuere maledicti malitiam, nemo negat. At illa furoris & iracundiæ conſuetudo ob quam irrumpunt in imprecationes ad quemlibet eventum, non excuſat, ſed auget culpam.

XI. Quare minime arridet doctrina Salmanticenſium, qui *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 4. *num.* 28. hæc ſcribunt. „ Ex quo fit, tria neceſſario requiri ut maledictio „ ſit peccatum mortale. Primo quod ex animo, & intentione malum imprecetur. „ Secundo, quod ex perfecta deliberatione procedat talis imprecatio. Tertio quod „ optatum malum grave ſit. *Quolibet ex his deficiente, etiamſi ex ira, & mala con-* „ *ſuetudine maledictio procedat, non erit mortale.* " Si hæc doctrina conſiſtat, qui ex impetu libidinis, & pravo habitu fornicantur, & ex impetu iræ, & iniqua conſuetudine blaſphemant, periurant, odio habent proximum, non peccabunt peccatum mortiferum. Ipſa conſuetudo iraſcendi, & imprecandi mala eſt, ſcandaloque plena. Hanc doctrinam præfati Theologi tribuunt *Azorio*, *Dianæ*, *Dicaſtillo*, *Trullencho*, *Lugoni*, *Molinæ*. Vereor ne eiuſmodi opinio, zelo ſcelera minuendi in hominibus adinventa, in cauſſa ſit cur mundus chriſtianus ſcateat maledictis, periuriis, obſcenis colloquiis, blaſphemiis, aliiſque flagitiis. Patres, matreſque imprecari, iurare, obſcena loqui in more habent. Filii a parentibus hæc, antequam malitiam dignoſcere valeant, cum lacte hauriunt. Parentes non corriguntur, quod nolint vim paſſionibus ſuis inferre, nolint frenum linguæ imponere, nolint ſerio in ſalutis æternæ negotium incumbere. Hinc habitus, conſuetudineſque pravas contrahunt, & eiſdem veluti funibus devinciuntur. Confeſſarii, & recentiores Theologi, ne tantam hominum multitudinem mortalis peccati damnent, & cum ex alia parte ad meliorem revocare illos frugem nequeant, benignitate ſumma decernunt, eos qui ex ira, & pravo habitu imprecantur, atque adeo peierant, vel

Digitized by Google

vel blaſphemant, non peccare. Chriſtiani Theologorum, & Confeſſariorum benignitatem experti, ſtudio, curaque ſe ſe emendandi neglecta, deſides, ignavique fiunt, ſeſeque ſuis pravis affectionibus, moribus, & conſuetudinibus dedunt. Et hac via iniquitates a parentibus in filios, ab his in nepotes propagantur. Hæc omnia pluribus confirmare experientiæ documentis poſſem. Ipſe pluries a pœnitentibus, quos habitibus imprecandi, & peierandi irretitos increpui, eiſque iræ pravæque conſuetudinis malitiam, atque æternæ ſalutis diſcrimen manifeſtavi, hæc accepi reſponſa: Si olim ceteri Confeſſarii hæc nobis aperuiſſent, ſi admonuiſſent, ſi nos ſacramentis indignos declaraſſent, ab eiſque removiſſent, minime nunc in hoc vitiorum cœno volutaremur; ſed tantæ iniquitatis terrore perterrefacti, iam pridem ab his expediti vinculis emendationem noſtram ſedulo ſtudio curaviſſemus. Pluries ego, pluries alii docti probique ſacri miniſtri ſimilia a pœnitentibus audiere reſponſa. Porro quam ſit hæc imprecandi conſuetudo enormis, inde etiam colligi poteſt quod omnes Chriſtiani bene morati eam deteſtentur. *Si quis* (inquit Angelicus in Pſal. xlix. lit. K) *ex lapſu linguæ aliquid inordinatum dicat, facilius portatur . . . ſi quis autem os ſuum implet maledictionibus, tunc ex malitia propria procedit, ſecundum illud Matth.* xii. *Ex abundantia cordis os loquitur*. Et tamen noſtro tempore locum habet quod ait Oſea cap. iv. *Maledictum, & mendacium inundaverunt.*

XII. Quæſt. VI. *Licitum ne eſt maledicere creaturis irrationalibus?* Reſp. Hanc etiam quæſtionem ita enucleate Angelicus diſpicit, ut nulla egeat expoſitione. Quare illius tantum verba tranſcribam, quibus varios Scripturæ textus explicat. Inquit ergo 2. 2. quæſt. lxxvi. art. 2. *Creaturis irrationalibus bonum, vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam ſunt. Ordinantur autem ad eam multipliciter. Uno quidem modo per modum ſubventionis, inquantum ſcilicet ex creaturis irrationalibus ſubvenitur humanæ neceſſitati: & hoc modo Dominus homini dixit Gen.* iii. Maledicta terra in opere tuo, *ut ſcilicet per eius ſterilitatem homo puniretur. Et ita etiam intelligitur quod habetur Deuter.* xxviii. Benedicta horrea tua *: & infra :* Maledictum horreum tuum. *Sic etiam David maledixit montes Gelboe, ſecundum Gregorii expoſitionem. Alio modo creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum ſignificationis: & ſic Dominus maledixit ficulneam in ſignificationem Iudææ. Tertio modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modum continentis, ſcilicet temporis, vel loci: & ſic maledixit Iob diei nativitatis ſuæ propter culpam originalem, quam naſcendo contraxit, & propter ſequentes pœnalitates: & propter hoc etiam poteſt intelligi David maledixiſſe montes Gelboe, ut legitur II. Reg.* i. *ſcilicet propter cædem populi quæ in eis contigerat. Maledicere autem rebus irrationalibus, inquantum ſunt creaturæ Dei, eſt peccatum blaſphemiæ: maledicere autem eis ſecundum ſe conſideratis, eſt otioſum, & vanum, & per conſequens illicitum.*

XIII.

Digitized by Google

XIII. Nec diabolo ipſi maledicendum eſſe, Angelicus docet *loc. cit. art.* 1. *ad* 4. his verbis. *In diabolo eſt conſiderare naturam, & culpam. Natura quidem eius bona eſt, & a Deo; nec eam maledicere licet. Culpa autem eius eſt maledicenda, ſecundum illud Iob* III. Maledicant ei qui maledicunt diei. *Cum autem peccator maledicit diabolum propter culpam, ſeipſum ſimili ratione iudicat maledictione dignum: & ſecundum hoc dicitur maledicere animam ſuam.* Et hic eſt ſenſus illius textus Eccli. XXI. *Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam.*

CAPUT IV.

De detractione.

I. Detractionis flagitium, commiſſione facile, emendatione difficile, uſu univerſaliſſimum, explicandum aggredior. Apoſtolus Iacobus *cap.* III. linguam aſſimilat clavo navis, equi freno, flammæque ignis. Quibus exemplis illud nobis innuit, quod ſicut navis ad portum pervenit, ſi clavus bene moderetur; equus recta currit, ſi optimo regatur freno; ignisque illuminat, & calefacit, ſi flammæ intra iuſta confinia coerceantur; ita probe & ſancte vivit homo linguam ſuam caute cuſtodiens: & contra, ſicut navis clavo deſtituta ad ſcopulos allidit, equus freno ſolutus in præceps ruit, & ignis abſque cuſtodia univerſa incendit, voratque; ita, niſi lingua diligenti, ſeveraque cuſtodia cohibeatur, anima hominis in omnium vitiorum ſentinam prolabitur. Verba ipſius Apoſtoli exſcribamus. *In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Poteſt enim freno circumducere totum corpus. Si autem equis frena in ora mittimus ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naves, cum magnæ ſint, & a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam ſilvam incendit! Et lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis.* Hoc textu explicat Apoſtolus difficillimam linguæ cuſtodiam, & malorum multitudinem, quæ indiſciplinatam linguam conſequuntur. In hanc doctrinam divinitus traditam intendere animum vellem nonnullos qui, cum longe a vitiis illis quæ famam, honoremque denigrant, abſint, licitum ſibi exiſtimant aliorum famæ detrahere, linguam in proximi defectus acuere, ceteroſque omnes dicteriis, conviciis, & irriſionibus proſcindere, iiſdemque phanatiſmi, imprudentiæ, & tantum non ſtultitiæ, labem aſpergere. Turpiloquia, viliumque hominum phraſes, & proverbia, vix ruſticorum ore digna, paſſim ſuis miſcent ſermonibus: & eo cæcitatis pertingunt, ut ſe virtute præditos reputent, quia non omnibus vitiis inquinati ſunt. Ignorant miſeri homines oraculum divinum: *Qui de-*

deficit in uno, factus eſt omnium reus. Quot lingua ſola non occidit? Iſtorum malitia eo eſt gravior, atque inexcuſabilior, quo linguæ peccata nullum commodum vel temporale pariunt. Non eſt quod innumeros Scripturæ textus adverſus detractores commemorem, quia vix eſſet ſcribendi finis. Notionem ergo dumtaxat detractionis, eiuſque gravitatem paucis exponam.

II. Quæſt. I. *Quid ſit detractio?* Reſp. Eſt, inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxiii. art. 1. *denigratio alienæ famæ per occulta verba*. Communiter proximi fama denigratur per verba occulta: quia illo abſente eiuſdem occulta crimina manifeſtantur. Ceterum non infrequenter contingit quod præſente proximo illius famæ detrahatur. Et tunc detractio eſt ſimul contumelia. Quare contumelia directe fertur in hominem præſentem, ut eum deprimat; adeoque illius honorem lædit. Detractio directe intendit diminuere, ſeu obſcurare proximi famam, quæ inſidet aliorum mentibus. Fama enim, ut dixi ſupra, eſt optima exiſtimatio, ſeu perſuaſio alienæ virtutis, & probitatis.

III. Quæſt. II. *Detractio eſt ne genere ſuo peccatum mortale?* Reſp. Adfirmant omnes, hancque rationem prodit Angelicus 2. 2. quæſt. lxxiii. art. 2. *Peccata verborum maxime ſunt ex intentione dicentis diiudicanda. Detractio autem ſecundum ſuam rationem ordinatur ad denigrandam famam alicuius. Unde ille per ſe loquendo detrahit qui ad hoc de aliquo obloquitur, eo abſente, ut eius famam denigret. Auferre autem alicui famam valde grave eſt: quia inter res temporales videtur fama eſſe pretioſior, per cuius defectum impeditur homo a multis bene agendis. Propter quod dicitur Eccli.* xli. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quam mille theſauri magni, & pretioſi. *Et ideo detractio, per ſe loquendo, eſt peccatum mortale. Contingit tamen quandoque quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicuius, non hoc intendens, ſed aliquid aliud. Hoc autem non eſt detrahere per ſe, & formaliter loquendo, ſed ſolum materialiter, & quaſi per accidens. Et ſi quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum neceſſarium, debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate, vel propter cauſam aliquam non neceſſariam, non eſt peccatum mortale; niſi forte verbum quod dicitur, ſit adeo grave, quod notabiliter famam alicuius lædat, & præcipue in his quæ pertinent ad honeſtatem vitæ: quia hoc ex ipſo genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad reſtitutionem famæ, ſicut ad reſtitutionem cuiuslibet rei ſubtractæ.* Duplicem ergo detractionem Angelicus diſtinguit: alteram formalem, qua quis ex animo infamandi proximum eius crimina occulta aliis patefacit; alteram materialem, qua non denigrandæ famæ animo, ſed alio fine, occulta aliorum ſcelera reteguntur. Prima numquam eſt abſque peccato; ſecunda iuxta finis diverſitatem, bonitatem, aut malitiam habet.

IV.

Digitized by Google

IV. Quæſt.III. *Quot modis detractio perpetratur?* Reſp. Octo communiter recenſentur, his verſibus contenti.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut reticet, minuit, laudatve remiſſe.

Septem modos recenſet Doctor Angelicus 2. 2. *quæſt.*lxxiii. *art.* 1. in quibus comprehenditur etiam octavus. Diſtinguit primum detractionem in directam, & in indirectam his verbis ad 3. *Aliquis dicitur detrahere, non quia diminuit de veritate, ſed quia diminuit famam eius. Quod quidem fit quandoque directe, quandoque indirecte. Directe quidem quadrupliciter. Uno modo, quando falſum imponit alteri: ſecundo, quando peccatum adauget ſuis verbis: tertio, quando occultum revelat: quarto, quando id quod eſt bonum, dicit mala intentione factum. Indirecte autem, vel negando bonum alterius, vel malitioſe reticendo, vel diminuendo.* In hoc ultimo modo continetur octavus frigide laudando. Gravius enim aliquando eſt frigide laudari quam graviter vituperari.

V. Primo itaque proximus diffamatur, ipſique detrahitur, falſum ei crimen imponendo: quæ detractionis ſpecies omnium graviſſima eſt, vocaturque calumnia. Secundo frater iniuſte traducitur, dum illius peccatum augetur. Nam augmentum iſtud calumnia eſt, quæ falſum crimen imponit. Quando crimen verum occultum eſt, ſi reveletur, committitur tertio modo detractio. Tandem, ſi quod bonum eſt, aut adiaphoron, promulgetur tamquam malum, aut prava intentione factum. Hi quatuor modi recta proximi famam petunt, eamque proſcindunt. Indirecte vero fama læditur, negando alterius bonum, vel illud malitioſe reticendo, dum ſilentium prævidetur fore confirmationem detractionis; vel bonum quod narratur, minuendo; vel denique frigide laudando, quando hæc verſuta laus in detrimentum proximi cedit. Advertendum, ſolam reticentiam non inducere debitum reſtitutionis, quando non ſit peculiare debitum ex officio manifeſtandi alterius merita. Omnes præfati modi ſunt eiuſdem ſpeciei. Alius tamen alio gravior eſt iuxta circumſtantiarum diverſitatem.

VI. Quæſt.IV. *Eſt ne peccatum grave conficere libellos famoſos?* Reſp. Antequam reſponſum præbeatur, quid ſit *libellus famoſus*, dicendum eſt. Communis eius finitio hæc circumfertur. *Scriptura eſt, aut ſignum, in quo continetur alterius infamia ſecreta, vel non omnino publica, ut publica fiat, aut in pleniorem notitiam ſtatim, vel paullatim deveniat.* Libellus ergo famoſus vel ſcriptura, ſchedula, folio, aut libro, vel ſigno aliquo conſtare poteſt: ut ſi ad alterius ianuam, vel feneſtram appendas cornua eo fine ut indices uxoris adulterium, ipſumque virum cornutum. Dicitur *infamia ſecreta*: nam, ſi crimina publica ſint, non eſt libellus famoſus. Item libellus famoſus haud eſt, dum quis exercendi ingenii cauſſa quidquam de alio ſcribit; dummodo animo non publicandi id fiat, nec periculum ſit

ut

Digitized by Google

ut publicetur. Item libellus famoſus non eſt, ſi zelo correctionis, vel reparationis mali noxii Reipublicæ, aut communitati, alicuius occultum crimen manifeſtetur.

VII. Quando itaque publica ſcriptura occulta crimina revelantur, aut falſa imponuntur, ut in aliorum notitiam deveniant, *libellus* appellatur *famoſus*, ſeu *infamatorius*. Nomine libelli venit etiam pagina, ſchedula, folium in quo infamia proximi contineatur; ut ſunt ſatyræ. Item qui, nomine proprio occultato, ad iudicem defert alicuius ſcelera, ut vi illius delationis ad inquirendum procedatur, libellum famoſum conficit; etiamſi citet teſtes, qui confirmare crimen valeant. Quoniam nequit iudex, vel ſuperior vi talis ſcripturæ ad inquiſitionem procedere; ut ſtatutum eſt cap. *Inquiſitionis*, eſtque communis Doctorum ſententia.

VIII. Explicata libelli famoſi notione, reſpondetur quæſtioni propoſitæ, grave crimen perpetrare libellorum huiuſmodi auctores; eoque gravius, quo latius fama proſcinditur. Libelli enim famoſi non modo in præſens famam lædunt proximorum, ſed in poſteros quoque diffamationem derivant. Permanent enim eiuſmodi ſcriptiunculæ, & ab aliis tranſcribuntur. Nec minuit Scriptoris ſcelus, quod libellus a viro probo inventus flammis addicatur. Quoniam ſcriptor iam ex parte ſua totum poſuit quod ad alterius infamiam conducit. Peccant ergo libellatores tum contra iuſtitiam, tum contra caritatem; atque adeo reſtitutionis publicæ debito conſtringuntur, ſi publice diffamatus proximus fuerit. Idque præſtandum eſt aut altera ſcriptura, in qua retractentur vitia evulgata, aut præconis voce, aut alia via, prudentis Theologi iudicio præſcribenda.

IX. Præter culpam, pœnas iure civili, & canonico latas incurrunt libellatores famoſi. Ius civile capitis damnat Auctores libelli famoſi *l. 1. C. de libellis famoſis*. Ius canonicum virgis verberandos eos decernit cap. *Qui in alterius*. Eadem pœna puniuntur ii qui ſtercore ianuas domorum, vel cubiculorum deturpant. Inventores alicuius libelli famoſi peccant mortaliter, ſi eum agnoſcentes ut talem, non lacerent, aut comburant; & iiſdem pœnis ac Auctor, aut quaſi Auctor, plectendi ſunt.

X. Qui contra Papam, aut Cardinales ſcribunt libellos famoſos, incurrunt ipſo facto excommunicationem. Alexander IV. tulit excommunicationem contra eos qui adverſus Ordines Prædicatorum, & Minorum libellos famoſos evulgaverint. S. Pius V. conſtitutionem, quæ incipit, *Romani Pontificis providentia*, anno 1572. edidit contra ſcribentes, dictantes, retinentes, tranſmittentes, & non lacerantes libellos famoſos, continentes læſionem famæ, aut revelationem ſecretorum quæ pro regimine eccleſiaſtico tractantur: eoſque multandos decernit confiſcatione bonorum, & etiam ultimo ſupplicio.

XI. Quæſt. V. *Eſt ne peccatum detrahere defunctis?* Reſp. Affirmans ſententia com-

Digitized by Google

communis eſt; eſtque peccatum mortale, aut veniale, iuxta materiæ gravitatem. Quandoquidem fama eſt bonum perpetuum, etiam poſt mortem in hominum memoria perſeverans. Ergo hoc bono privare defunctos peccatum eſt. Gravius tamen peccatum eſt detrahere vivis quàm defunctis: quoniam minus iſtis quam illis diffamatio nocet. Fama enim vita moralis eſt, quæ vitam civilem alit, eſtque iſtius veluti patrimonium; quo ſublato, vita ipſa phyſica languet, & tabeſcit. Defuncti vero haud indigent ad bene vivendum fama; ſed extra ictum fortunæ ſunt, ceteraſque iſtius mundi vices. Quare plus requiritur ad peccatum mortale detractionis contra defunctos ac contra vivos. Et tamen contraria fere inveteravit perſuaſio apud homines, qui religioni, & pietati quodcumque verbum adverſus defunctorum famam efferre ſibi ducunt, vivorum autem famam denigrare in deliciis habent. Non improbo, quin laudo, in defunctorum famam reverentiam, & pietatem. Sed invidentiam damno, odiumque, quod ad lacerandam vivorum famam inducit. Salva conſiſtat mortuorum fama. Sed diligentius, ſeveriuſque abſtinendum eſt ab illorum lædenda fama qui nobiſcum vivunt. Si quando tamen defunctorum famam lædi contingat, reſarcienda eſt. Sæpe etiam ex diffamatione defunctorum parentes ſuperſtites detrimentum ſubeunt: quo in caſu gravior urget obligatio reſtituendi defunctis famam, ut qui vivunt, etiam priſtinum ex bono illorum nomine, meritiſque recipiant commodum. Nam non raro accidit ob denatorum parentum merita filios, & nepotes præmiis a Principe donari. Si illorum denigretur fama, evaneſcunt poſterorum merita, & ſucceſſores patiuntur detrimentum. Neceſſaria itaque eſt compenſatio infamiæ defunctis irrogatæ: quamvis, ut dixi, rarius graviter peccetur in defunctorum quam in vivorum diffamatione.

XII. Quæſt. VI. *Eſt ne peccatum detrahere defunctis damnatis, puta paganis, hebræis, hæreticis?* Reſp. Negant Molina, Malderus, Rebellus, aliique, niſi detractio illorum cedat in eorumdem familiæ detrimentum. Quoniam, inquiunt, damnati hoſtes ſunt, & inimici Dei; nec amplius ſunt proximi noſtri. Sed hæc ſententia videtur falſa, & communiter reiicitur. Etenim quantum ad naturam proximi noſtri remanent, licet in alio ordine inimici nobis ſint. Accedit quod lex naturæ, prohibens calumnias, & mendacia, urget reſpectu omnium. Nec enim ſpectandum eſt, quod damnati ſint inimici Dei, ſed quid nos loqui deceat. Calumniari cuique malitiam prodit. Quæ lex permittit ut hæreticum nobilem iam mortuum enuntiem proditorem fuiſſe Reipublicæ, ſicarium, carnificem? Verum inutilis eſt quæſtio iſthæc; ſicuti nimium inſipientes ſunt illi qui mentem, aut linguam occupant in damnatorum delictis. Relinquantur illi ſub flagello vindicantis divinæ iuſtitiæ.

XIII. Hinc conſequitur, peccare hiſtoricos qui defunctorum occulta crimina revelant. Quamquam diſtinguenda crimina ſunt perſonæ, & officii, ſeu dignitatis,

& mi-

& miniſterii. Crimina occulta quæ vocantur perſonalia, alto ſunt prætereunda ſilentio; & qui eadem pandunt, ſcriptiſque conſignant, peccant plus, vel minus iuxta criminum quæ propalantur, gravitatem. Crimina vero illa quæ commercia, negotia publica, rerum procurationes, bella, pacta, & cetera id genus, licet ad tempus thecnis, & fraudibus occultata, dum ad veritatem hiſtoriæ, ad factorum dilucidationem, & poſterorum inſtructionem pertinent, litteris conſignari valent. Duo tamen cavenda. Primum, ne odio, invidia, aliave humana paſſione id fiat. Alterum, reſpectus habendus eſt ad conſanguineos, familiamque illius cuius enarrantur crimina. Serio perpendendum, num proſapia illius cuius manifeſtantur flagitia, ſit ex tali narratione gravem ſubitura infamiam. Deinde ponderandum, num abſque gravi ſinceri hiſtorici nota omitti crimina valeant. Et, facta collatione, id præſtetur quod bono communi, & publicæ utilitati expedire viſum fuerit. Cavendum ne defectus augeantur, exaggerentur plus iuſto. Si coniecturæ occurrant, quod non ex malo animo, ſed fortuna adverſa, & fortuito erratum ſit, indicentur. Ne multa: ſemper ad caritatis, & ſinceritatis leges reſpiciendum eſt. Et, niſi neceſſitas manifeſtandæ veritatis urgeat, malum ſilendum eſt.

CAPUT V.

Quæ regulæ ſpectandæ, ut colligi poſſit, detractionem eſſe peccatum mortale, vel veniale.

I. QUod detractio ſit peccatum mortale, aut veniale, ex variis circumſtantiis pendet. Narratio venialium criminum ſuo genere eſt venialis, mortalium mortalis. Non raro accidit oppoſitum. Nam manifeſtare, quod aliqui iuvenes ſint laſcivi, impudici, mulieroſi, laborantes morbo gallico, puellarum inſidiatores, ſæpe nullum eſt peccatum detractionis: quia iſti ſe iactant de eiuſmodi peccatis, ſibi gloriæ, & honori vertunt illa committere. E contrario de puella, aut femina honeſtiſſima narrare etiam leve peccatum, illius pudicitiæ, quæ ſummopere illi cordi eſt, contrarium, poteſt eſſe peccatum mortale. Aſſerere probum Religioſum eſſe mendacem, tametſi mendacium ſit culpa venialis, eſſet grave peccatum; ſecus, ſi diceres, ſemel, aut bis eſſe mentitum: quia id ex infirmitate, & ſubreptione accidere ſæpe ſolet; at mentiendi conſuetudo nonniſi ex malitia proficiſcitur: quod magnopere dedecet virum religioſum, & quemcumque hominem honeſtum. Circumſtantiæ ergo & perſonæ cui detrahitur, & auditorum, & temporis, & detractoris expendendæ ſunt, ut inde colligi poſſit culpæ qualitas. Doctrina communis.

II. Quæſt. I. *Eſt ne mortale peccatum generatim aſſerere, talem hominem eſſe ſuper*

Digitized by Google

perbum, avarum, iracundum, contentioſum, præſumptuoſum, vanum, & id genus ſimilia? Reſp. Diſtinguendum eſt. Si perſona cui detrahitur, tantæ famæ, ſanctitatis, probitatis, atque integritatis ſit, ut apud auditores graviter his generalibus verbis illius fama denigretur; dubio procul erit peccatum mortale; maxime ſi perſona detrahens magnæ ſit auctoritatis, quæ opinionem imprimat auditoribus pravam adverſus perſonam quæ prius magno in pretio habebatur. Si contra perſona non ſit ſingularis probitatis, quæque communiter graviter non lædatur, cum præfata vitia generatim accepta comitentur humanam naturam peccato originis ſauciatam; non videtur mortale, cum non afferatur, quod talis perſona mortaliter in hoc vitiorum genere peccet, ſed quod his vitiis laboret: quod pro naturali inclinatione accipi poteſt. Doctrina communis.

III. Conſuetum, atque perniciosum detrahendi genus illud eſt quo confuſe maledici detrahunt proximo, nihil ſigillatim dicentes, ſed confuſe plurima, & gravia indicantes, altiuſque vulnera hac confuſa locutione infligentes, quam ſi ſingulare crimen aliquod enarrarent. Locutiones iſtæ eiuſmodi ſunt. *Si loquerer quæ ſcio de Petro. Et ego poſſem multa de illo dicere. Ipſe non ignorat quæ ego taceo de illo. Sane coram me ille pudore confuſus obmuteſceret.* Verſutæ iſtæ infamandi formulæ omnium ſunt pernicioſiſſimæ. Quare & graviter peccant, & ad reſtitutionem teneantur eiuſmodi detractores. Similes aliæ ſunt, quibus detractores effutiunt ſe audiviſſe de hac, aut illa perſona hoc crimen; ſubdunt vero, ſe illud minime credere. Ego, inquit ille, hoc audivi de Petro; ſed illud ut credam, inducere nequeo. Audita refero, penes auctores veritatem relinquens. Eſt, inquit Dominicus Soto *Lib.V. quæſt.*v. *art.* 5. ingenioſus, ſed peſtilens detrahendi modus. His formulis ſibi cavere ſtudent, & detractionis virus, infamiamque occultare, ut ſecurius proximum lædant. Quo enim ſanctior habetur ille qui detrahit, eo nocentior reputatur alter, cuius fama proſcinditur. Spectandæ tamen ſunt circumſtantiæ. Nam interdum ſimiles locutiones aut parum, aut nihil nocent, ſpectata tum loquentis, tum audientium conditione. Quando crimina ſunt graviſſima, ut hæreſis, ſodomiæ, furti, perfidiæ, ea etiam ut audita narrare eſt peccatum mortale. Quare ſemper ſpectandæ ſunt circumſtantiæ.

IV. Quæſt. II. *Eſt ne grave peccatum revelare naturales defectus alicuius?* Reſp. Aſſerere aliquem eſſe indoctum, ineruditum, cæcum, gibboſum, deformem, communiter non eſt peccatum. Attamen & hic ſpectandæ ſunt circumſtantiæ, potiſſimum affectus, & finis illius qui talia narrat. Item, ſi iſtorum defectuum manifeſtatione impediretur diffamatus ab aliquo bono conſequendo. Si tamen aliquis haberetur communiter ut doctus, detractionis vitio non careret qui illum ignarum, indoctumque publicaret: nam videtur ius acquiſiviſſe ad talem famam. Hoc tamen ius, ut verum fatear, ad famam, falſitate nixam, poſſidendam videtur

ſatis

Digitized by Google

ſatis ambiguum: ſi enim falſus eſt titulus, evaneſcit ius. Opinio illius famæ errore laborat. Quare etiam in hoc, ut & in ceteris modis detrahendi, circumſtantiæ ponderandæ ſunt. Manifeſtare defectus natalium peccatum detractionis frequenter eſt; ut ſi dicas, talem eſſe filium Clerici, ſpurium, illegitimum; hominem honeſtum ac nobilem, avum habuiſſe viliſſimum, furem, & quid ſimile. Gravius vero, aut levius peccatum erit iuxta varias circumſtantias.

V. Quæſt. III. *Revelare uni aut alteri honeſto, proboque viro grave occultum delictum eſt ne crimen letale?* Reſp. Sermo eſt de crimine vero: nam falſum imponere, nemo ambigit eſſe peccatum. Similiter non inquiritur, licitum ne ſit viro prudenti, conſilii capiendi cauſſa, revelare crimen occultum. Nam communis eſt ſententia, quempiam ſecreto graviter iniuriatum & læſum, amico gravi, leniendi doloris cauſſa, poſſe patefacere iniuriatorem, & ut conſilium, quo ſe regere debeat, accipiat, manifeſtare crimen occultum. Quæſtio ergo eſt, peccatum ne ſit uni aut alteri viro prudenti ex animi levitate, loquacitate, aliove fine ſub ſigillo revelare crimen occultum.

VI. Negat prima ſententia, quam defendunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxiii. *artic.* 2. Petrus Navarrus *Lib. II. cap.* iv. *num.* 335. Diana *II. Part. tract.* iii. *Miſcell. reſolut.* 2. *tract.* v. *reſolut.* 33. ubi refert Navarrum, Ioannem a Cruce, Baunium, Tannerum, aliosque plures. Quoniam, inquiunt, parum, aut nihil detrimenti hinc ſequitur. Fama enim publica eſt notitia, ſeu perſuaſio probitatis, & honeſtatis proximi. Ergo ſola publica diffamatio huic famæ opponitur. Porro quod uni vel alteri crimen occultum reveletur, non dicitur quiſpiam diffamatus. Accedit quod revelare complicem in confeſſione probabilius non eſt peccatum.

VII. Oppoſitam ſententiam conceptis verbis tradere S. Thomas videtur 2. 2. quæſt. lxxiii. art. 1. ad 2. *Quamvis etiam ſi uni ſoli aliquis de abſente malum dicat, corrumpit famam eius, non in toto, ſed in parte.* His paucis verbis totam rationis efficacitatem Doctor ſanctus comprehendit. Qui coram multitudine crimen patefacit, publice proximum infamat; atque adeo univerſam famam denigrat, corrumpitque. Qui uni alterive crimen revelat, partem famæ corrumpit. Ergo peccat. Numquid ſolum illud furtum dicitur peccatum mortale quod univerſum patrimonium aufert, & ad extremam inopiam adigit; ſecus vero furtum portionis patrimonii? Nemo id dixerit. Quemadmodum ergo fur graviter peccat, dum partem gravem patrimonii ſurripit, tametſi inopem non efficiat illum a quo furatur; ita graviter peccat detractor, qui partem famæ lædit detrahendo. Porro qui uni aut alteri prodit delictum, penes iſtos fama labefactata eſt. Quid quod pluris Titius facit exiſtimationem, bonamque opinionem, quam de ſe habet vir ille prudens, & gravis, quam vulgi, & magnæ multitudinis iudicium?

Quin

Digitized by Google

Quin parum, aut nihil curat plebis & multitudinis opinionem, comparatam ad exiſtimationem prudentum, ſapientumque. Hinc patet ſolutio ad argumentum contrariæ opinionis. Paritas, a revelatione complicis in confeſſione petita, futilis eſt. Nam Chriſtianus peccans cum alio, vel alia, ipſo facto cedit iuri ſuo ſuper ſecreto peccato in confeſſione retegendo. Profeſſio quippe chriſtiana obligat ad integram confeſſionem. Ergo qui peccat cum alio, nequit ab eo exigere ut ſacrilegium perpetret, diminuendo confeſſionem, ne ſe manifeſtet. Hanc ſententiam defendunt Bannez 2. 2. *quæſt.* lxxiii. *art.* 2. Dominicus Soto *Lib. IV. quæſt.* x. *art.* 4. Pradus *cap.* xxv. *quæſt.* ii. *num.* 8. Tapia *Lib. V. quæſt.* xiv. *art.* 4. *num.* 3. Salmanticenſes *tractat.* xiii. *cap.* iv. *punct.* 5. La-Croix *Lib. III. part.* ii. *num.* 1197. qui laudat Illſung, Buſembaumque.

VIII. Quæſt. IV. *Utrum diffamatum aliis criminibus diffamare peccatum ſit?* Reſp. Si crimina nova ſint eiuſdem generis, aut ſint iiſdem valde affinia, quæ novam non afferant infamiam; non eſt novum detractionis crimen. Si furem dicas ſimul eſſe periurium, ſi meretricem afferas uxoratos admittere, & Clericos, ſi luſorem publicum manifeſtes ſuam negligere familiam, filios male educare, miniſteria ſua haud diligenter obire; communiter non committis peccatum grave: quoniam hæc poſteriora delicta ſunt familiaria illis qui priora perpetrant, nec priorem infamiam multum augent. Si vero nova ſcelera ſint diverſi generis, & non affinia; peccatum eſt.

IX. Quæſt. V. *Letaliter ne peccat qui crimen publicum in hoc loco, narrat in alio, ubi publicum non eſt?* Reſp. Trifariam dicunt Theologi aliquid notum eſſe, 1. *facto*, 2. *iure*, 3. *fama*. Notorium *facto* illud vocant quod coram multitudine perpetratum eſt, ut in foro, in platea publica, ſeu quod ſuapte natura in omnium oculis verſatur. Notorium *iure*, quod per iudicis ſententiam declaratum eſt, aut quod rei confeſſione, vel teſtium aſſertione ante iudicis ſententiam conſtat. Notorium *fama*, quod maioris civitatis, collegii, conventus, congregationis parti compertum eſt. Caietanus *Tom. X. opuſc. tract.* xxxi. *reſol.* 9. illud publicum eſſe docet quod ſuapte natura in communem notitiam pervenire poteſt. Addunt alii, diffamatum in Aula Regia, vel in Metropoli, diffamatum eſſe per totum regnum, vel provinciam. Alii contendunt, ad criminis publicationem ſufficere, ſi ſex illud ſciant: quia hic numerus ſatis eſt ad efficiendam parochiam. Alii requirunt decem: quia hic numerus exigitur ad conſtituendam parochiam. Prudentius loquuntur illi qui volunt, hoc colligendum eſſe ex circumſtantiis, nempe ex loci, & perſonarum qualitate, quibus cognitum crimen eſt. Nam ſi 30. viri graves, & prudentes ſciant aliquod crimen, non eſt illud dicendum publicum: quia iſti tacere ſolent, & prudenter præſumi poteſt iſtos non eſſe propalaturos crimen cognitum: contra dicendum, ſi homines iſti leves eſſent, & loqua-

quaces*. Denique diſtinguunt aliqui inter locum parvum, & magnum. Ut crimen ſit publicum in loco parvo, requiritur notitia maioris partis; ſecus in loco magno. Si civitas conſtat 1000. aut 2000. hominibus, ſatis eſt ut 30. vel 40. diſperſi per civitatem crimen ſciant. Qui docent, ex circumſtantiis colligendam eſſe hanc publicam diffamationem, quando ita eſt cognitum crimen, quod facile natura ſua diffundatur in alios, tum publicum dicendum eſſe arbitrantur.

X. Convenit penes omnes, nullum eſſe peccatum loqui de crimine, quamvis occulto, coram iis quibus notum eſt. Hæc tamen locutio bona, aut mala eſſe poteſt ex fine loquentis. Si ſit ex animi levitate, & loquacitate; erit otioſa, atque adeo culpa venialis. Si ſit ex odio, vel invidia; erit crimen letale. Si ob bonum finem, ut audientes ex aliorum ruina proventum faciant, & cautius incedant; tunc actus virtutis erit. Similiter narratio delicti eo loci ubi notorium eſt, nullum eſt peccatum; etiamſi ignorantibus manifeſtetur: eo quod per accidens ſit quod ab his ignoretur. Similiter non eſt peccatum detractionis crimen publicum in uno loco, in alio revelare, ad quem ſpectatis circumſtantiis humanæ ſocietatis, brevi perventura eiuſdem notitia eſſet.

XI. Crimen, publica iudicis ſententia declaratum, poteſt ad quemcumque locum, etiam diſtantem, deferri, & ſcribi; tametſi facile illuc notitia non ſit perventura. Quoniam iudex damnando reum aut pœna capitis, aut flagellationis, alteriuſve ſupplicii, & eiuſdem ſcelera his pœnis digna publicando, privat reum quoque iure ad famam. Quin potiſſimum ſupplicium eſt illius diffamatio in toto terrarum orbe, ut ceteri perterrefacti abſtineant a criminibus. Quare & hiſtorici litteris conſignare hæc facta, nempe delicta, & ſupplicia, licite valent, & alii per epiſtolas ad remota etiam loca ſcribere poſſunt; dummodo bono fine id agatur, ut ſcilicet boni caveant ſibi a malo, & quia intereſt humanæ Reipublicæ noſſe facinoroſos. Limitant hanc doctrinam Theologi in hypotheſi quod crimen ſit publicum dumtaxat teſtium depoſitione, non iudicis ſententia. Tum enim haud liceret ad remota loca, ad quæ facile non perveniret notitia, deferre eiuſmodi delicta: quoniam tunc reus non eſſet legitima auctoritate privatus iure ad ſuam famam. Secus tamen dicendum, ſi delictum notorium ſimul eſſet notorietate facti.

XII. Quid, ſi ſententia publicata eſſet, dumtaxat intra aliquam Congregationem, Cœnobium, aut Religionem? Huiuſmodi ſententiæ non ſunt abſolute publicæ, ſed cum limitatione, in tali nempe loco. Quare peccaret proculdubio qui delicta, publica ſententia punita in hac aut illa Congregatione, extra revelaret. Peccaret tum contra ipſam communitatem, tum contra ipſum reum, qui ſolummodo intra ſuam Religionem eſt diffamatus, nec maiori infamia illum iudex multavit. Pariter, quando in S. Inquiſitionis tribunali quis reprehenditur, pu-

puniturve coram conſultatoribus, aliiſque aſſiſtentibus, peccat qui hæc revelat: quia iudices nolunt maiorem diffamationem.

XIII. Hæc quæ recenſui, communia ſunt penes Theologos. Diſputant autem in utramque partem, utrum delictum, notum notorietate facti, vel famoſum in hac civitate, poſſit abſque gravi culpa deferri ad aliam civitatem, ad quam facile minime creditur perventurum. Negat prima ſententia: quia quiſque habet ius ad ſuam famam, ubi non eſt diffamatus. Porro in illa civitate in qua crimen omnino ignoratur, & aliunde difficile illuc notitia perveniret, illæſam iſte habet ſuam famam. Ergo iniuſte eadem privatur. Ergo peccat tum contra iuſtitiam, tum contra caritatem, qui præfata crimina evulgat. Altera ſententia docet, peccatum eſſe contra caritatem, ſecus contra iuſtitiam, eiuſmodi crimina ad loca remota deferre. Quoniam licet qui publice crimen perpetravit, ius non habeat ad ſuam famam; quia tamen abſque alterius iniuria eam poſſidet in loco ubi non ſunt illius crimina manifeſta, peccat contra caritatem qui tali fama illum privat.

XIV. Tertia ſententia ſuſtinet, nec contra caritatem, nec contra iuſtitiam peccare qui crimina publica publicitate facti in una civitate, provincia, vel regno, in alio remoto loco, ad quem difficile pervenirent, deferret, ſcriberet, revelaret. Rationum momenta obvia ſunt, & efficacia. Quando delicta ſunt aliqua in civitate publice perpetrata, auctor abſolute amiſit ius ad ſuam famam. Qua voluntate in publico, & coram univerſo populo crimen commiſit, eadem ſuam prodegit famam. Contra vero quiſque ius habet ad facti publici notitiam acquirendam. Et revera quis ſibi religioni duceret, factum publicum litteris, & hiſtoriis commendare? Id præſtant viri vel ſeverioribus ornati moribus. Hanc ſententiam defendunt Caietanus *Tom. X. opuſc. tractat.* XXXI. *reſp.* 9. Bannez 2. 2. *quæſt.* LXXIII. *art.* 2. *dub.* 3. Tapia *Lib. V. quæſt.* XIV. *art.* 5. *num.* 8. Pradus *cap.* XXV. *quæſt.* II. *num.* 37. Nunius *Tom. II. in III. Par. quæſt.* VIII. *art.* 6. *difficul.* 3. Navarrus *in Manuali cap.* XVIII. *num.* 26. Fagundez *præcept.* II. *Lib. V. cap.* III. *num.* 10. Filliucius *Tom. II. tract.* XXXII. *cap.* IX. *num.* 235. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 5. *num.* 61. & alii penes ipſos.

XV. Quid, ſi in primo loco iniuſte publicatum crimen fuerit? Reſpondent Salmanticenſes *loc. cit. num.* 56. quod ſive iuſte, ſive iniuſte priori in loco delictum publicatum fuerit, poſſit quiſque ad alia loca illud deferre. Quoniam, inquiunt, nihil refert ad veri criminis publicationem, quod iuſte, aut iniuſte publicatum ſit, quando reapſe publicatum eſt. Quia hoc ipſo quod factum publicum ſit, limites occulti egreditur; & diffamatus ius non habet ut alii a tali narrando facto abſtineant. Pro hac ſententia citant perdocti Theologi Molinam, Leſſium, Lugonem, Dicaſtillum, Tapiam, & Banneſium. Hæc doctrina mihi non arri-

det. Nam, quando mihi conſtat, iniuſte alios hoc crimen publicaſſe; qua ratione, quo titulo poſſum ego iniuſta hac publicitate uti ad extendendam diffamationem ad alia loca? Quando quis iniuſte bonis ſuis ſpoliatur, licitum ne illis eſt quibus conſtat iniuſta bonorum ablatio, præfata bona emere? Quando delictum iniuſte publicatur, iniuſte reus ſua fama privatur. Ergo ſemper retinet ius ad eamdem. Igitur ſicuti peccat qui bona iniuſte ſurrepta accipit; ita peccat qui diffamationem iniuſtam ad alia loca extendit.

XVI. Quid, ſi diffamatus honeſte vivendo poſt publicationem delicti, ſuam famam recuperaverit? Aliqui contendunt, contra caritatem eſſe, non contra iuſtitiam, talia crimina commemorare apud eos qui illa ignorant; dummodo non ita referantur, ut indicetur adhuc diffamatum in iiſdem permanere. Quod non ſit contra iuſtitiam, probant: quoniam, licet diffamatus ius habeat ad famam, quam bene vivendo comparavit; tamen ius non habet, nec potuit acquirere, ut dicatur fuiſſe probum illo tempore quo erat diffamatus. Ergo qui narrat, olim illum facinoroſum fuiſſe, non facit illi iniuriam. Pro hac opinione citant Salmanticenſes Leſſium, Bonacinam, Dicaſtillum. Illi tamen eam improbant, & merito. Ratio quam opponunt adverſarii, inepta eſt. Verum habet quod diffamatus nequivit acquirere ius, ut dicatur fuiſſe probus eo tempore quo delictum perpetravit, ſeu quo improbus reapſe erat. Ceterum ius acquirere potuit ne apud neſcientes palam fieret, ipſum aliquando extitiſſe improbum. Et revera hoc ius acquirit, quoties emendatis moribus integram a criminibus vitam ducit, famaque probitatis potitur apud homines, omni præteritorum ſcelerum memoria antiquata. In hac quippe hypotheſi oblivionis præteritorum criminum illa fruitur fama qua gaudebat ante criminum manifeſtationem. Ergo, quando perfecta oblivione obruta ſunt præterita crimina olim publica, tunc qui eadem neſcientibus revelat, peccat & contra caritatem, & contra iuſtitiam. Hanc ſententiam defendunt præter laudatos Salmanticenſes Molina *diſp.* XXXIII. *num.* 2. Lugo *diſp.* XIV. *ſec.* 6. *num.* 85. Tapia *Lib. V. quæſt.* XIV. *art.* 5. *num.* 8. Addunt tamen laudati Salmanticenſes, quod, ſi præterita infamia non ſit oblivione ſublata, tametſi crimina emendata ſint, nec contra caritatem, nec contra iuſtitiam delinqueret qui eadem crimina commemoraret.

XVII. Quæſt. VI. *Quando neceſſitas manifeſtandi criminis excuſat a peccato detractionis?* Reſp. Priuſquam reſpondeo, lubet doctrinam D. Thomæ tranſcribere. Inquit autem 2. 2. quæſt. LXXIII. art. 2. in corp. *Et ſi quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum neceſſarium, debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio.* Quam doctrinam repetit ad primum argumentum, ubi aſſerit, licitum eſſe revelare crimina delinquentis ob illius emendationem, illum denuntiando ad iudicem. Quapropter;

Digitized by Google

pter, ſi ſubditi corrigi nolint, ob bonum iuſtitiæ denuntiandi ſunt ad ſuperiorem, filii ad parentes, ſervi ad dominos. Item licitum eſt occulta retegere flagitia, quæ cedunt in grave damnum publicum, aut in condemnationem innocentum. Quare, ſi innocens accuſatur de homicidio, licitum, immo debitum eſt, manifeſtare auctorem eiuſdem. Scis Petrum furem habitare cum aliis qui hoc ignorant; licite potes eos monere ut ſibi caveant: quoniam Petrus fur ius minime habet conſervandi famam ſuam cum gravi aliorum detrimento. Et quando in tali caſu revelatur furtum Petri, non læditur fama ex intentione; ſed malum vitatur, ad quod per accidens ſequitur læſio famæ. Hanc opinionem docent Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 5. *num.* 64. & pro eadem citant Bannez 2. 2. *quæſt.* lxxIII. *art.* 2. *dub.* I. *concluſ.* 2. Sotum *Lib. V. quæſt.* VII. *art.* I. Tapiam *Lib. V. quæſt.* XIV. *art.* 6. *num.* 4. Lugo *diſp.* XIV. *ſec.* 7. *num.* 95. alioſque. Advertendum tamen, quod tanta cautione manifeſtandum eſt furis, ſive cuiuſque malefactoris peccatum, ut non plus mali reveletur quam neceſſarium ſit ad reparandum damnum quod inde ſecuturum timetur. Noſti quempiam falſa imbutum doctrina aliis bonis ſociis commiſceri: ea tantum pateſacere debes quæ ſatis ſint ad diſſolvendum vinculum ſocietatis. Quæ dicta ſunt, confirmari poſſunt auctoritate S. Baſilii, qui in Regulis brevioribus *ad interrogat.* 25. reſpondet: *Duo eſſe exiſtimo tempora in quibus licet aliquid mali de aliquo dicere: videlicet & quando neceſſe habet aliquis conſultare una etiam cum aliis, qui ad hoc idonei iudicati ſunt, quo pacto corrigendus ſit qui malum commiſit; & item quando neceſſitas poſcit ut periculo conſulatur aliquorum, qui ſæpe ex ignorantia commiſceri poſſent cum malo tamquam cum bono.*

XVIII. Quæſt. VII. *Qui iniuſte alterius criminis notitiam acquiſivit, puta aperiendo litteras obſignatas, valet ne abſque culpa eiuſmodi notitia uti ad impedienda indicata mala?* Reſp. Negat id licitum eſſe Sanchez *Lib. VI. Conſil. cap.* VI. *dub.* 2. *n.* 6. Sotus *Lib. V. quæſt.* x. *art.* 2. Tapia *Lib. V. quæſt.* XIV. *art.* 5. *num.* 8. Quoniam is habere ſe debet, ac ſi crimen prorſus neſciret: quia ſicuti nemo valet iniuſtam criminis notitiam quærere ad proprium, vel alienum commodum; ita neque iniuſte acquiſita eadem uti poteſt. Verum ratio iſta non conſiſtit. Quoniam quamvis iniuſta acquiſitio notitiæ fieri nequeat abſque culpa; uſus tamen notitiæ, eſto per fraudem comparatæ, licitus eſſe valet. Igitur quamquam hic peccaverit ſecretum extorquendo, aut alia iniuſta via notitiam criminis comparando; nihilominus non apparet ratio cur nequeat tali notitia uti ad reparandum grave damnum vel publicum, vel alicuius innocentis. Nam hic actus bonus eſt: uſuſque notitiæ, etiam iniuſte acquiſitæ, in bonum finem directus, actus eſſe poteſt virtutis. Iniuſte rapuiſti equum; & tamen, extrema urgente neceſſitate, licite eodem uti potes. Perperam ergo opponitur quod fraude habita no-

Digitized by Google

titia fuerit, quando iuſta eadem utendi cauſſa occurrit. Quare licitum uſum talis notitiæ in caſu noſtro defendunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 5. *num.* 66. & pro eadem ſententia laudant Tapiam, Villalobos, Dicaſtillum. Mihi quoque probabilior apparet. Addunt tamen laudati Auctores, quod, ſi grave ex manifeſtatione damnum ſequeretur, leve autem evitaretur, illicita manifeſtatio eſſet. Ut igitur manifeſtatio culpa careat, grave ſit oportet damnum vitandum. Nec refert quod ſit minus eo quod imminet homini diffamando, dummodo abſolute grave ſit. Innocenti iniuſte accuſato imminet aut triremis, aut exilii perpetui ſupplicium. Si revelas iniuſti accuſatoris crimen, hic pœna mortis plectendus eſt. Debes manifeſtare crimen, ut innocenti ſuccurras; malumque, quod ſubibit reus, debet ſibi ſoli imputare.

XIX. Quæſt. VIII. *Licitum ne eſt patefacere ignorantiam Medici, Advocati, Theologi, aliorumque artificum?* Reſp. Quando eiuſmodi profeſſores cum damno proximi exercent ſuas artes, tunc patefacienda eſt eorum ignorantia, ut innocentes damno ſubtrahantur. Quare, ſi quis vellet in gravi cauſſa imperito Advocato, in gravi morbo imperito Medico, in aliquo ædificio ignaro artifice uti; licita eſſet eorum imperitiæ manifeſtatio. Quando autem eiuſmodi homines magnum ſibi pepererint nomen, etiam viis illicitis, ut hypocriſi, impoſturis, conſuetiſque artibus, non licet falſitatem revelare; dummodo in damnum aliorum hæc illorum fama iniuſte acquiſita non cedat. Summopere etiam advertendum, ne profeſſorum, aut artificum ignorantia ex invidia, odio, aliove pravo affectu manifeſtetur, ut frequentiſſime fit. Communiter ipſi profeſſores non ſunt legitimi iudices: qui tamen ſoli eſſe iure deberent; cum ipſi præ aliis potiantur artis peritia. Verum, quia æmulatio ſemper viget inter artifices, ut trito proverbio fertur; periculum adeſt ne potius cupiditatis dictamina quam mentis iudicium ſequantur. Licitum quoque eſt occultos defectus illorum patefacere qui aliquem ſtatum volunt aſſumere, v. g. ingredi Religionem, ſocietatem, collegium canonicorum, ſimileſque congregationes, quando defectus opponantur profeſſioni aſſumendæ: quia communiter leges harum ſocietatum excludunt candidatos tali vel tali defectu laborantes. Si ergo candidati ipſi manifeſtare omittant proprios defectus; poterunt alii, quibus innoteſcunt, eoſdem patefacere.

XX. Crimina publica in uno Monaſterio poſſunt revelari, & ſcripto deferri ad alia Monaſteria eiuſdem Religionis; quando Religioſi mutuo communicant, & modo in uno, modo in altero Cœnobio degunt, & invicem permiſcentur. Secus dicendum, ſi Monaſteria eſſent ſeparata, & mutua communicatione carerent: tunc enim notitia criminis concluſa eſſet intra illius Monaſterii ſepta; neque natura ſua facile ad alia pervenire Monaſteria poſſet.

XXI. Quæſt. IX. *Peccatum ne detractionis eſt traducere aliquem ut ſcrupuloſum?*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Si per hominem ſcrupuloſum prodere intendas virum optime moratum, integræ conſcientiæ, æquum, iuſtum, evangelicæ legis obſervatorem exactum, veritatis vindicem, falſitatis hoſtem; nullum peccatum eſt hoc in ſenſu *ſcrupuloſum* quempiam vocare. Contra, ſi per hominem ſcrupuloſum intelligas hominem meticuloſum, anxium, perplexum, qui loco peccati habet quod bonum eſt &c. ſi hoc in ſenſu traducas hominem gravem, & maxime publicis officiis deſtinatum, qui prudentiæ, maturitatis, firmi iudicii, optimique conſilii, atque conſtantis animi fama clarere debet: dubio procul grave detractionis peccatum erit. Et ſæpe damna temporalia hanc detractionem conſequuntur. Homines quippe, his depicti coloribus, ab officiis, & miniſterio excluduntur.

XXII. Quæſt. X. *Eſt ne peccatum detractionis traducere Chriſtianorum aliquos, & maxime Theologos, ut Rigoriſtas, & Laxones?* Reſp. Novum eſt detractionis genus, quod hoc noſtro ſæculo dire graſſatur, non modo in piorum hominum, ſed in ipſius chriſtianæ Theologiæ, & evangelicæ pietatis detrimentum. Theologi non pauci mutuo Rigoriſtarum, & Laxonum vocabulis ſe ſe mordere fere in deliciis habent. A Theologis has detrahendi formulas didicerunt vel ipſi de plebe homines. Antequam rem definio, detractionis huius vocabula explicanda ſunt. *Rigoriſtæ* illi vocantur qui legem evangelicam iuſto rigidiorem efficiunt, qui conſilia pro præceptis obtrudunt, qui denique aliquam opinionem ut rigidiorem ab Eccleſia damnatam propugnant. *Laxones* vero illi dicuntur qui contra plus iuſto legis evangelicæ rigorem laxant, qui opiniones ab Eccleſia ut laxas damnatas vanis diſtinctiunculis eludunt, verborum circuitione extenuant, & ad nihilum redigunt, vel alias omnino ſimiles defendunt.

XXIII. Ad quæſtiunculam propoſitam hæc eſt reſponſio. Qui præfatos veros *Rigoriſtas* revelant, qui illorum rigidiores opiniones patefaciunt, non modo non peccant, ſed actum virtutis exercent; atque de univerſa chriſtiana Republica optime merentur. Idem dicendum de illis qui *Laxones*, eorumque laxitates oſtendunt. Idque convenit penes omnes. Hoc tamen fieri ſervato caritatis ordine debet. Auctorum, quoad fieri poteſt, excuſanda pia intentio eſt. Scripſere plurimi æquo laxius, aut rigidius, quia ita expedire credebant Eccleſiæ bono. Paucis, illorum animus divino relinquendus iudicio; eorumdem autem opinationes noſtro ſubſunt examini.

XXIV. Detractionis virus quod hodie ſerpit, eo pertinet, ut hæc *Rigoriſmi* larva falſo, & per ſummam iniuriam, ſanioris doctrinæ Theologis affingatur. Ut quis *Rigoriſta* audiat, ſatis eſt quod Probabiliſmum improbet, quod quorumdam Probabiliſtarum opinationes, nimium a chriſtiana doctrina recedentes, oppugnet. Porro qui ſic pro libito ut *Rigoriſtas* traducunt graviores Theologos, nullam æquo ſeveriorem ſententiam docentes, ſunt detractores: &, niſi eos ignorantia, vel mentis ſubreptio excuſet, graviſſime peccant: quoniam non modo detrahunt,

ſed etiam calumniantur. Et eo eſt atrocior calumnia, quo tetrior eſt *Rigoriſmi* nota, viris innocentibus impacta. Nam Rigoriſtæ Ianſeniſmi etiam ſuſpicionem ingerunt; cum omnes Ianſeniſtæ ſint etiam Rigoriſtæ, ut inquit *Francolinus* in Præf. ad Tyrocinium; quamvis non omnes Rigoriſtæ ſint ſimul Ianſeniſtæ. Advertas tamen velim, aliud eſſe *Rigoriſmi*, aut *Laxiſmi* notam alicui ſententiæ affigere vi theologici ratiocinii; aliud longe diverſum Auctores ipſos ut *Rigoriſtas*, aut *Laxones*, traducere. Primum fieri abſque culpa poteſt. Quin hac ſcholaſtica methodo infertur, aliquam ſententiam eſſe hæreticam; ut patet in materia de gratia. Thomiſtæ theologico ratiocinio concludunt Semipelagianiſmi fuligine tinctam eſſe gratiam Molinianam. Contra Moliniani contendunt inferre, gratiam Thomiſtico in ſenſu defenſam Calviniſtarum redolere errorem. Nec propterea aliquis eorum peccare dicitur. Verum qui Theologos Calviniſtas, aut Semipelagianos aſſererent, calumniatores forent. Videant ergo, qua via a calumniæ graviſſimæ macula ſe purgare valeant illi qui ubique *Rigoriſmum* crepant, ſuoſque in morum controverſiis adverſarios *Rigoriſtas* appellant. Iſti non modo detractores, & calumniatores ſunt; ſed etiam detrimentum maximum univerſæ Eccleſiæ inferunt. Nam, admiſſa hypotheſi quod Theologi ſanioris doctrinæ *Rigoriſmi* falſo inſimulentur, inepti confeſtim evadunt ad excolendam animarum vineam. Tales ergo non ſolum peccant, quod detrahant famæ innocentum; verum etiam quod animarum profectum impediant, ſchiſmata in Eccleſiam invehant, pacemque perturbent. Idem prorſus dicendum de iis qui ut *Laxones* alios traducunt, ſi illi laxitatis expertes ſint. Itaque, ut rem paucis perſtringam, qui æquo ſeveriora, aut laxiora publice docent, aut voce, aut ſcriptis, publice manifeſtandi ſunt, ut ſeductio, & deceptio Chriſtianorum impediatur. Qui vero falſo nimiæ ſeveritatis, vel laxitatis accuſant Theologos, & quoſcumque viros, ſolius evangelicæ moralis aſſertores, & ab utriſque extremis alienos, detractionis, atque calumniæ rei ſunt. Ut ergo quiſque ſuæ conſulat conſcientiæ, priuſquam notas *Rigoriſmi*, aut *Laxiſmi* cuiquam impingat, facti veritatem inquirat, ut calumniæ, & detractionis reatum declinet; atque ut ſecurius ſibi caveat, in opiniones, non in perſonas cenſuras vibret. Catholicorum Theologorum vix ullus eſt, ſaltem in Italia, Hiſpania, Germania &c. qui nimii rigoris ſententias docuerit. Contra vero damnatæ ab Eccleſia laxitatis plurimi ſunt Auctores. Et tamen Probabiliſmi fautores plures ſuos adverſarios *Rigoriſmi* poſtulant, eos publice traducunt, quin ullam valeant propoſitionem damnati rigoris ab illis defenſam commoſtrare. E contrario, ſi Antiprobabiliſtæ proſcriptæ laxitatis dicam pluribus Caſuiſtis impingunt, ſententias laxas, quas iſti docuerunt, & quas Eccleſia damnavit, in medium proferunt. Verum de his plura dicta ſunt in noſtra Hiſtoria italice ſcripta *Probabiliſmi*, & *Rigoriſmi*, iterumque ſermo redibit.

XXV.

XXV. Quæſt. XI. *Licitum ne eſt infamato ſuum infamatorem diffamare?* Reſp. Negant communiter Theologi: quoniam diffamatio alterius non eſt medium aptum & efficax ad propriam famam recuperandam. Ergo non licet eo uti. Diſtinguendum tamen eſt crimen falſum a crimine vero. Imponere falſum crimen teſti calumnianti ad propriam tuendam famam, eſt peccatum mortale; & contraria opinio proſcripta fuit ab Eccleſia. Ad crimen vero occultum quod attinet, ſi quis poſſit abſque manifeſtatione talis criminis propriam tueri famam, peccat, crimen iſtud occultum, tametſi verum, revelans.

XXVI. P. Buſembau *Lib. III. P. II. tract.* VI. *cap.* I. *dub.* 2. *num.* 1190. apud ſuum commentatorem P. La Croix hæc ſcribit: *Hinc quoque ſi quis iniuſte lædit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare alia via, quam imminuendo famam illius, id licet; dummodo falſa non dicas, in tantum, quantum ad tuam famam conſervandam neceſſe eſt; nec magis lædas quam lædaris.* Doctrina hæc abſoluta eſt, tam extra iudicium quam in iudicio. Quod quiſquam falſo accuſatus apud iudicem, ubi periculum vitæ imminet, valeat ſui falſi diffamatoris famam imminuere, verum illius crimen revelando, ut capiti ſuo conſulat, dum nullum aliud medium ſuppetit, docent plures & graves Theologi. Quæ ſententia, dum pœna capitis imminet, non occurrit urgens ratio cur debeat improbari. Neceſſaria tunc, atque adeo iuſta defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ videtur. Bonum etenim vitæ, altioris ordinis eſt quam bonum famæ. Porro, ut licita ſit præfata manifeſtatio veri criminis accuſatoris, neceſſe eſt ut ſequentes conditiones adſint. I. Ut crimen manifeſtandum ſit reapſe aptum medium ad tuendam tuam famam, teque morti ſubtrahendum. II. Ut valeas crimen quod detegis, probare. III. Ne ulla alia occurrat via, qua mortem declinare valeas. Quando hæc conditiones adſint, non apparet cur reus nequeat ſe defendere. Nam calumniator, reum impetendo in iudicio, cedit iuri ſuo; conceditque reo ius ſe ſe defendendi. Cardenas *diſſ.* XXVI. *cap.* V. *num.* 48. refert *Lugonem*, *Banneſium*, & *Malderum* aſſerentes, hoc locum habere etiam tum cum accuſatus manifeſtat crimen verum, ſed occultum: quia, inquiunt, teſtis, habens talem defectum occultum, ineptus eſt ad teſtandum in iudicio. Hæc ſententia mihi negotium faceſſit, & ipſi laudati Theologi eam limitant ad ſolum caſum in quo reus maximum malum ſubire deberet, minus vero accuſator. E contrario concedunt, letaliter peccaturum reum, ſi manifeſtaret occultum crimen teſtis, quando is graviſſimum perferre malum deberet, leve vero reus.

XXVII. Sententia P. *Buſembau* abſolute accepta mihi laxa eſt. Videtur enim vindictam, iram, odium, & detrahendi ſpiritum fovere, & alere, ſi quibuslibet, & abſolute licitum ſit detractores detractione repercutere. Quare, ut falſitas iſtius opinionis appareat, documenta Chriſti Domini recitanda ſunt. Inquit ergo Matth. V. *Ego*

Digitized by Google

autem dico vobis, non reſiſtere malo. Sed, ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et prius ibidem dicit: *Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Et tandem ibidem *verſ.*44. concludit: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Verum utique eſt, præfata documenta non eſſe præcepta, quæ ſemper obligent. Animi præparationem ad id exequendum, ſi opus fuerit, non actuale exercitium, ſemper iubent, inquit Angelicus. Chriſtus ipſe, illæſis caritatis regulis, impactam ſibi a Phariſæis calumniam ſanandi cæcum, & eiiciendi ſpiritum mutum in Beelzebub, retudit. Præclare hac de re loquitur Auguſtinus epiſ. v. ad Marcell. *Paratus itaque debet eſſe homo iuſtus, & pius patienter eorum malitiam ſuſtinere quos fieri bonos quærit, ut numerus potius creſcat bonorum, non ut pari malitia ſe quoque numero addat malorum. Denique iſta præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus eſt, pertinere, quam ad opus, quod in aperto fit; ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia, in manifeſto autem id fiat quod eis videtur prodeſſe poſſe quibus bene velle debemus: hinc liquido oſtenditur, quod ipſe Dominus Ieſus, exemplum ſingulare patientiæ, cum percuteretur in faciem, reſpondit:* Si male dixi, exprobra de malo; ſi autem bene, quid me cædis? *Nequaquam igitur præceptum ſuum, ſi verba intueamur, implevit. Neque enim præbuit percutienti alteram partem, ſed potius probibuit ne qui fecerat iniuriam augeret ..... Nec Paulus Apoſtolus præceptum Domini & magiſtri ſui videtur impleviſſe, ubi etiam ipſe percuſſus in faciem, dixit Principi Sacerdotum: Percutiet te Deus, paries dealbate &c.*

XXVIII. Dictum iam ſupra eſt, duplici in caſu Chriſtianum lege caritatis urgeri ad ſe contra calumniatores purgandum. Alter eſt, in quo ageretur de bono detractoris. Alter vero, in quo auferendum eſſet ſcandalum, cui ſuccumbunt illi qui detractores audiunt. Utriuſque rei exempla dedimus ex ipſo Servatore noſtro divino, qui & ſe iniuſte cædi coram Pontifice declaravit; & Phariſæis in virtute Dei, & non in Beelzebub, ſe eiicere dæmonia, & miracula patrare oſtendit. Quando ergo detractoris tui ſaluti providendum ſit, repellenda calumnia erit. Si vero ſubtrahendus ſit offendiculo proximus, & fama tui nominis ad proficiendum in populorum ſalute neceſſaria ſit; tum reprimendi detractores erunt mediis licitis, inquit Angelicus 2. 2. quæſt. lxxii. art. 3. *Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo: Primo quidem propter bonum eius qui contumeliam infert, ut videlicet eius audacia reprimatur, & de cetero talia non attentet, iuxta illud Prov. xxvi.* Reſponde ſtulto &c. *Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.*

XXIX. Porro, niſi alterutrum ex recenſitis momentis occurrat, opinio quam

ex

ex P. Buſembau deſcripſi, non videtur conſiſtere cum Evangelio poſſe. Contemnendum eſſe mundanum honorem, & fallacem famam, niſi aliquod ex dictis momentis urgeat, præcipit Chriſtus in ſuo Evangelio. Recentior autem Probabiliſta docet, tantum lædendam detractoris famam eſſe, quantum ſatis ſit ad tuam reſarciendam, & non plus. Hanc doctrinam proculdubio ebibit Auctor libelli, lingua Italica exarati, cuius titulus eſt, *Diſeſa della Diſſertatione de' Signori Copellotti e Caſali*. Ultima quippe pagina minatur, eadem iniuriarum menſura ſe velle adverſarium ſuum repercutere qua iſte fuerat in laxas opiniones invectus. *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*. Hæc omnia chriſtianæ legis ſpiritui, qui eſt amoris, patientiæ, manſuetudinis, & miſericordiæ, adverſantur.

XXX. Quæſt. XII. *Eſt ne peccatum grave detractionis uni aut alteri ſub ſecreto revelare occultum proximi peccatum?* Reſp. Dictum eſt ſupra, quod manifeſtare viro prudenti peccatum alterius ad capiendum conſilium, quo aliquis ſe ſe dirigere debeat, nullum ſit peccatum. Modo quæritur, num licitum ſit manifeſtare crimen ſub naturali ſigillo, nulla urgente cauſſa: qui modus detrahendi ſatis eſt familiaris. Secretum iſtud, quo ſibi a culpa cavere blandiuntur loquaces homines, via planiſſima eſt, qua crimen brevi in publicam erumpit lucem. Hoc ſecreto ſe ſe tegit detractor, ut certius, ſecuriuſque lædat proximi famam; non ſecus ac milites, qui ut ad expugnandam ſecurius arcem accedant, cuniculos effodiunt, & ſubterraneis viis obtecti, arcem expugnant. Quare ad propoſitum quæſitum reſpondetur affirmative. Vide quæ ſupra dicta ſunt. Sanctus Patriarcha Chryſoſtomus ſcitiſſime hanc detrahendi verſutiam exprimit hom. III. ad popul. Antioch. *Hoc vero ridiculum magis eſt, quod talem habentes vitam, & propria negligentes, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, & adiurant ne cuiquam amplius alteri dicat: hinc declarantes quod rem reprehenſione dignam commiſerint. Si enim illum, ut nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat. In tuto ſermonem habebas: poſtquam ipſum prodidiſti, tunc ſalutem ipſius curas. Si non vis effari, neque alteri ipſe dicas: poſtquam vero alteri prodidiſti ſermonis cuſtodiam, ſuperflua facis, & inutilia, admonens, & obteſtans pro dictorum cuſtodia. Sed iucundum detrahere; immo iucundum non detrahere. Detrahens enim deinceps in agonia eſt, ſuſpicatur, & timet, pœnitentiam agit, & linguam ſuam mandit, timens, & tremens, ne forte aliis enuntiatum verbum magnum ſibi periculum afferat, & ſuperfluam, & inutilem inimicitiam, his qui dixere, operetur. Apud ſeipſum vero continens in ſecuritate plurima cum multa vivet voluptate.* Audiſti ſermonem (inquit Eccli. XIX.) moriatur in te: confide, non te diſrumpet. *Quid eſt* moriatur in te? *Extingue ipſum, defodi; nec exire, neque penitus moveri permittas.*

XXXI. Quæſt. XIII. *Utrum licitum ſit infamare ſeipſum?* Reſp. Quæſtio hæc ab illa pendet, ſit ne homo dominus ſuæ famæ. Negantem ſententiam defendit Caie-

Digitized by Google

Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxiii. *art.* 2. Adfirmantem ſuſtinet Dominicus Soto *Lib. IV. de iuſt. & iur. quæſt.* ii. *art.* 3. *& Lib. V. quæſt.* x. *art.* 2. Hæc ſecunda ſententia communior eſt, & mihi magis arridet. Eam in præſentia verſare pro dignitate non vacat; cum ea diſpicienda ſit in tractatu de rerum dominio. Ut autem nunc breviter rem expediam, dico, hominem ita dominum eſſe ſuæ famæ, ut valeat ob iuſtam cauſſam, honeſtumque finem, eiuſdem iacturam facere, & detrimentum ſubire.

XXXII. Peccat tamen quicumque abſque iuſta cauſſa ſuam prodigit famam. Idque declarat Scriptura divina Eccl. xli. *Curam habe de bono nomine. Hoc enim magis permanebit tibi quam mille theſauri pretioſi, & magni*. Prolixum hac de re S. Auguſtinus ſermonem habet Lib. de bono viduitatis cap. xxii. *Nec audiendi ſunt ſive viri ſancti, ſive feminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam vitam longe abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem, quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita Sanctorum; ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis a criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit; quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra: & utique, etiam quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem. Unde non fruſtra Apoſtolus II. Cor.* viii. Providemus bona non ſolum coram Deo, verum etiam coram hominibus. *Item dicit*: Placete omnibus per omnia, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant. *In quadam etiam exhortatione* (ad Philip. iv.) *dicit*: De cetero, fratres, quæcumque ſunt vera.... quæcumque ſunt bonæ famæ. *Cernis, quemadmodum inter multa quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere*, quæcumque bonæ famæ, *duobuſque verbis cuncta concluſerit, ubi ait*: Si qua virtus, ſi qua laus. *Ad virtutem namque pertinent quæ antea memoravi bona; fama vero ad laudem. Puto, quod non laudem hominum pro magno ſumebat Apoſtolus, alio loco dicens*: Mihi autem minimum eſt ut a vobis iudicer, aut ab humano die: *& alibi*: Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem: *& iterum*: Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. *Sed illorum duorum, ideſt bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel, quod brevius dicitur, virtutis, & laudis, unum propter ſeipſum ſapientiſſime retinebat; alterum propter alios miſericordiſſime providebat. Sed, quoniam quantalibet humana cautela ſuſpiciones malevolentiſſimas non poteſt omni ex parte vitare, ubi pro exiſtimatione noſtra, quidquid recte poſſumus, fecerimus; ſi aliqui de nobis vel mala fingendo, vel male credendo, famam noſtram decolorare conan-*

Digitized by Google

nantur, adſit conſcientiæ ſolatium, planeque etiam gaudium, quod merces noſtra magna eſt in cælis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, pie tamen iuſteque viventibus. Illa enim merces tamquam ſtipendium eſt militantium per arma iuſtitiæ, non ſolum dextra, verum & ſiniſtra, per gloriam ſcilicet, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.

XXXIII. Itaque quicumque, nulla urgente cauſſa, ſeipſum infamat, prodigus eſt ſuæ famæ; peccatque, non contra iuſtitiam, cum dominus ſit famæ ſuæ, eamque, prout expediens viſum in Domino fuerit, licite amittere valeat, ſed contra caritatem, ut inquit Dominicus Soto. Advertas tamen velim, numquam licitum eſſe ſemetipſum infamare, ſibi falſum crimen imponendo: quia mendacium ſemper illicitum eſt. Caietanus contendit, mendacium iſtud pernicioſum eſſe, & genere ſuo peccatum mortale. Contra probabilius Sotus defendit, non eſſe pernicioſum, cum homo dominus ſit famæ ſuæ; atque adeo nec letale crimen, ſi abſolute ſpectetur. Itaque in uſu propriæ famæ circumſtantiæ ſpectandæ ſunt. Si fama neceſſaria ſit ad bonum publicum, ad propria obeunda munia, miniſteria, animas, ſubditoſque regendos; peccat quicumque illam negligit, dilapidatque. Levius vero, graviuſque peccatum erit, iuxta circumſtantiarum varietatem. Quare Parochis, Prælatis, Superioribus, Concionatoribus, Magiſtris, Confeſſariis, & miniſtris omnibus famæ integritas neceſſaria eſt. Idcirco communiter iſti famam ſuam denigrantes peccant plus minuſve iuxta diverſitatem circumſtantiarum. Præciſis his circumſtantiis, abſque omni culpa quiſque ſubire poteſt propriæ famæ iacturam, ut perſpicue docet D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxiii. art. 4. ad 1. *Sui arbitrii eſt detrimentum ſuæ famæ pati, niſi hoc vergat in periculum aliorum. Et ideo in hoc poteſt commendari eius patientia, quod patienter proprias detractiones ſuſtineat. Non autem eſt ſui arbitrii quod patiatur detrimentum famæ alterius.* Innumera ſunt ſanctorum Ambroſii, Auguſtini, Anſelmi, aliorumque exempla, quibus famæ ſuæ diſpendium aliquando fecerunt.

XXXIV. Ut autem clarius adhuc rem expediam, præ oculis habendum eſt quod innuimus, videlicet numquam licitum eſſe ſemetipſum mendacio infamare: quod mendacium licet non ſit genere ſuo mortale, mortale tamen poteſt eſſe ob circumſtantias. Nam, ſi homo abſolute conſideretur, a ſocietate, & Republica ſeiunctus, & ab aliis circumſtantiis, dominus videtur ſuæ famæ; ſecus, ſi conſideretur ut pars Reipublicæ ſive civilis, ſive chriſtianæ: quemadmodum ſervus ſui iuris eſt, ſi ut homo ſpectetur; ſecus, ſi ut ſervus qui domino ſuam locavit operam. Porro peccaret ſervus, non ſolum contra caritatem, ſed etiam contra iuſtitiam, quoties ſe ineptum libere conſtitueret ad inſerviendum domino. Similiter peccat homo & contra caritatem ſibi debitam, & contra iuſtitiam erga Rempublicam, vel ſocietatem, cui præeſt, dum famam Reipublicæ, vel ſocietati regen-

gen-

gendæ neceſſariam prodigit. Hac diſtinctione utraque conciliari ſententia poteſt. Nam ſententia Caietani vera in uno ex duobus ſenſibus videtur, eamque docet Auguſtinus tum *loc. cit.* tum *ſerm.* xlix. de diverſis, qui primus eſt *de vita & moribus Clericorum*, alias cccl v. tum *Lib. I. de Civit. Dei cap.* xx. ubi ait. *Nec ideo tamen, ſi adverſus ſeipſum quiſquam falſum teſtimonium dixerit, ab hoc crimine ſe putaverit alienum: quoniam regulam diligendi proximum a ſemetipſo dilector accepit. Quandoquidem ſcriptum eſt*: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Porro, ſi falſi teſtimonii non minus reus eſt qui de ſeipſo falſum fatetur quam ſi adverſus proximum falſum hoc faceret, cum in eo præcepto quo falſum teſtimonium prohibetur, adverſus proximum prohibeatur; poſſitque non recte intelligentibus videri non eſſe prohibitum ut adverſus ſeipſum quiſquam falſus teſtis aſſiſtat; quanto magis intelligendum eſt, non licere homini ſeipſum occidere?* In altero autem ſenſu vera eſt Soti, & aliorum opinio, qua aſſeritur, ob bonum finem, chriſtianæ Reipublicæ utilem, quemquam diſpendium facere ſuæ famæ poſſe. Concedit vel ipſe Sotus, graviter peccaturum eum qui ſibi graviſſimum crimen hæreſis, vel aliud ſimile imponeret. Verum de hoc plura alibi.

CAPUT VI.

De ſecreti revelatione.

I. Quæſtionem & ſcitu neceſſariam, & explicatu difficilem, enucleandam aggredior. Plura de ea dicta ſunt in ſecundum Decalogi mandatum; plurima dicentur in tractatu de iuſtitia & iure. Pauca in præſentia perſtringam. Materiam hanc pro dignitate diſcuſſit Dominicus Soto, qui integrum ſuper eadem opuſculum elucubravit inſcriptum *de ratione tegendi, retegendique ſecreti*. Animadvertit in ipſo præloquio, ſummi eſſe momenti ad humanam ſocietatem ſervandam ſecreti cuſtodiam, & uſum; cum & tegere illud, & retegere pro rerum diverſitate neceſſum ſit. Quamobrem qui ſuam oppignoravit cuſtodiendi ſecreti fidem, inter Scyllam, inquit Sotus, & Charybdim ſe navigare intelligat, quod Philipides ille, Lyſimacho Regi gratiſſimus, ſapienter admonuit. Nam, cum a Rege rogaretur, quidnam ſibi vellet ſuarum rerum impartiri, reſpondiſſe fertur: *Quidvis, o Rex, modo ne quid arcani.* Et Ariſtoteles rogatus, quid in vita eſſet difficillimum, reſpondit, ea reticere quæ minime eſſet opus umquam efferri. Et Socrates facilius eſſe dicebat imperitis, & malis hominibus flammam ore inardentem continere, quam arcanum: quod divina Scriptura prius dixerat.

II. Verum, non imperitis modo, ut ego quidem ſentio, ſed vel ipſis peritis difficilis eſt cum arcani cuſtodia conſociare veritatem. Duo potiſſimum neceſſaria ſunt

Digitized by Google

ſunt arcano, ab iniquis verſutiſque aggreſſoribus vindicando, ſpiritus præſentia, & voluntatis integritas. Vultus rubore, vel pallore, inopportune negando, meticuloſe reticendo, aliiſque pluribus modis arcanum panditur ab homine minus experrecto, minuſque ſolertis indolis: & hoc ex capite frequentiſſime arcana, ſin in totum, ſaltem in partem produntur. Ex ſilentio aut inſolito, aut nimis ſevero, ex aliqua vel levi animi commotione, in vultu apparente, plurima colligunt acuti exploratores. Si virtus poſtea fidelitatis non valde firma & conſtans ſit, ſi motus ſpei, aut timoris, cupiditatis, vel inopiæ accedat, facillime reſeratur arcanum. Propterea, quorum magnopere arcani intereſt ſilentium, ii numquam abſque urgentiſſima neceſſitate arcanum aliis confidant. Et priuſquam illud communicent, explorent amici non probitatem tantum, ſed æque etiam ingenii acumen, & animi fortitudinem, qua, occaſione data, reſiſtere inſidiatorum machinationibus valeat. Sed neque tu facile tantum onus recipias ferendum, niſi honeſtas compellat. Antequam arcanum ſartum tectumque cuſtodiendum ſuſcipias, tecum ſerio reputato, te legi graviſſimæ ſubiici & tacendi, & etiam quandoque loquendi, graviſſimo adiecto periculo temere prodendi aut legem ſilendi, aut legem loquendi. Sed de his pluſquam ſatis. Ad rem.

III. Quæſt. I. *Quid, & quotuplex ſit ſecretum?* Reſp. Hæc vox *ſecretum*, etiam latine accepta, non modo quid ſeparatum, ſed etiam mentis arcanum ſignificat: quo in ſenſu nunc illam accipimus. Secretum ergo generatim ſpectatum rem prodit quæ ſuapte natura digna eſt ut ſecreta ſervetur: ſcilicet quæ aut mala eſt, & peccatum; aut cuius revelatio eſt pernicioſa, inquit Sotus *loc. cit. memb.* 1. *quæſt.* 1. Virtutes enim, & opera quæ ad gloriam hominis conferunt, nec ſunt celatu digna, nec appellantur ſecreta. Secretum autem, & quod huic opponitur, publicum, ſeu manifeſtum multis modis uſurpatur, ut de manifeſto iam dictum eſt ſupra. Igitur in præſentia vocamus ſecretum quidquid non eſt notum, nec facto, aut infamia proclamatum. De ſecreto ſacramentali, ſeu ſigillo confeſſionis ſacramentalis nullus nobis nunc ſermo eſt. Porro ſecretum, in ſua amplitudine acceptum, varios excipit gradus. Aliud eſt omnino occultum, quod præter Deum ſoli auctori criminis compertum eſt. Aliud ſecretum dicitu quod probari iuridice nequit. Tertio dicitur ſecretum quod nec laborat infamia nec ad tribunal delatum eſt; licet probari valeat, ſi deferatur. Iterum ſecretum aliud proprium, aliud alienum eſt. De revelatione proprii ſecreti ſeipſum infamando dictum eſt ſupra: quocirca illud prætermittimus. Secretum alienum trifariam accipitur a Theologis. Primum eſt quod rei naturam conſequitur; puta ſi tu noveris alterius delictum occultum vel fortuito, vel ex alterius relatione abſque promiſſione illud ſervandi; ut quando aliquis ex malitia, aut loquacitate quidquam proximi pandit, quod dignum eſt ut occultetur. Secundum eſt quod nec

nec rei naturam conſequitur, quod tale non ſit ut occultari mereatur; nec auctor eiuſdem ſub ſecreti vinculo tibi illud manifeſtavit; ſed tu ſponte promiſiſti ſecreto cuſtodire: & nuncupatur ſecretum *promiſſum*, non *commiſſum*. Tertium eſt quod ab alio tibi expreſſe, aut tacite commiſſum fuit; & viciſſim tu expreſſe, aut tacite ſervaturum promiſiſti. Tum dicitur expreſſe commiſſum, quando claris verbis onus tacendi tibi alter impoſuit, & tu conceptis verbis ſilentii cuſtodiam ſpopondiſti; tacite vero, quando ex circumſtantiis colligitur, alterum tibi rem ſub lege ſilentii committere; tametſi verbis id non exprimat. Sic Medici, Chirurgi, Theologi, Advocati, obſtetrices, aliique, qui ex officio, aut electione aliorum arcana dirigenda, expediendaque ſuſcipiunt, reipſa ſecretorum legi obnoxii ſunt, nulla licet accedente promiſſione, aut commiſſione.

IV. Quæſt. II. *Quænam ſit ſecreti tegendi obligatio?* Reſp. Antequam recta quæſtiunculæ occurram, nonnulla præmitto. Secreti cuſtodia ad virtutem fidei pertinet. Porro duplex cum Dominico Soto *loc. cit. memb. 1. quæſt. 1.* diſtinguenda fides eſt: altera, quæ dicitur virtus intellectualis; altera, quæ virtus moralis nuncupatur. Primo etenim fides ſignificat habitum, & virtutem mentis, qua certo, & conſtanter cuiuſpiam dictis adhæremus. Significat ſecundo habitum voluntatis, qui & fidelitas appellatur, quo dicta, & facta complemus, certaque efficimus; ut communi proverbio circumfertur: *Accipe, daque fidem*. Hanc fidem his verbis deſcribit Cicero Lib. I. de offic. *Fides eſt dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas*. Fides hoc in ſenſu, ut idem Cicero docet, ideo ſic vocatur, quia fit quod dicitur: id enim præſeferunt duæ illæ ſyllabæ *fi, des;* quarum altera facere, altera dicere ſignificat. Hanc virtutem tanti fecere Romani, ut non ſecus ac Iovi optimo maximo ei ſtatuam erexerint, & pro eiuſdem cultu ſanguinem, ac vitam ſundere religioni ſibi duxerint, etiam tum cum hoſtibus ſervanda erat: quemadmodum ex Marco Regulo conſtat.

V. Hanc fidem duplicem eſſe, idem Sotus docet: altera eſt quæ verſatur circa debitum legale, quod eſt vere, ac iure debitum, quale eſt in commerciis, & contractibus civilibus; in quibus, inquit, eſt ratio dati, & accepti. V. g. fides eſt, emptorem ſtatuto tempore promiſſum pretium perſolvere, & coniuges mutuas ſibi operas impendere, & cives Principi parere, ac denique Principem, qui tributa populi recipit, cives viciſſim armis tueri, ornare moribus, legibus emendare. Et hanc fidem iuſtitiæ fundamentum Cicero appellat, quod omnis inde iuſtitia pendeat: ſublata enim mutua fidelitate, omnis corruat iuſtitia oportet. Hinc eſt quod contra fidei fractores deorum hominumque fides imploretur. Altera fides eſt, ſeu fidelitas, quæ verſatur circa debitum morale, quod non eſt abſolute debitum, ſed ad quamdam debitam pertinet honeſtatem naturalem; ut ſi quis ex liberalitate ſua quidpiam promiſerit, ad fidem illius pertinet ut impleat.

pleat.

Digitized by Google

pleat. Hæc fides non eſt proprie iuſtitia ; cum nitatur ſola liberalitate promittentis , quæ rationem debiti non ſupponit : eſt tamen, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxx. pars potentialis iuſtitiæ : nam partem potentialem cardinalis virtutis illam appellant Philoſophi, in qua non eſt tota ratio talis virtutis cardinalis; ſed propter magnam ſimilitudinem ad illam reducitur . Hactenus Sotus totidem fere verbis.

VI. Ad quæſtiunculam itaque reſpondetur primum , ſervare ſecretum eſſe officium fidei : quoniam , ut dictum eſt , proprium obiectum fidei , quam deſcripſimus, eſt implere promiſſum . Ergo executio iſtius promiſſionis ad fidei virtutem pertinet. Eſt enim tritum apud Philoſophos principium, eiuſdem virtutis eſſe habitum, & actum exteriorem : quia tam habitus , quam actus circa idem verſantur obiectum . Hoc vero officium fidei in iis qui vi proprii officii & miniſterii ſervare adſtringuntur ſecretum , eſt pars ſubiectiva , ſeu propria iuſtitiæ ; in iis vero qui ex honeſtate tantum tenentur lege ſecreti , hoc fidei officium ſolummodo eſt pars potentialis iuſtitiæ.

VII. Quæ hactenus diximus , generalia ſunt . Ut igitur propius ad rem accedamus, dicimus, omnes adſtringi ad ſervandum ſecretum illud quod rei naturam conſequitur iuſtitiæ lege , quando ex manifeſtatione aliquod damnum in fama , vel fortunæ bonis imminet illi a quo ſervandum ſecretum commiſſum fuit. Et qui hoc in caſu ſecretum revelat, reſtitutioni obnoxius eſt. Secretum theſaurum Petri, tibi notum, revelaſti furibus, qui illum diripuere : Principis arcanum manifeſtaſti hoſtibus. Omnia quæ hinc proficiſcuntur damna , reſarcire adſtringeris ; niſi tormentorum vi cogaris arcanum retegere . Neque enim cum vitæ diſpendio illud tibi ſervandum eſt. Excipe tamen caſum , quo arcani revelatio cederet in damnum publicum; ut ſi miles revelaret ſecretum, ex quo ſequeretur exercitus excidium. Quare qui vi officii arcano cuſtodiendo adſtricti ſunt , omnia perferre tormenta, & cruciatus debent potiuſquam ſecretum pandere.

VIII. Ad ſecretum ſecundi generis quod attinet , quando nullum ſequatur damnum in fortunis , vel fama , ex revelatione rei non eſt peccatum grave tale ſecretum detegere; niſi in ipſa promiſſione animus tibi fuerit gravem contrahendi obligationem . Quod, niſi expreſſe id decreveris, non eſt præſumendum. Quocirca maior , aut minor obligatio iſtius ſecreti promiſſi , & non commiſſi , ex tua pendet voluntate ; cum ex natura ſecreti vix diſcerni gravis obligatio valeat .

IX. Debitum ſervandi ſecreti tertii generis, quod eſt commiſſum, & promiſſum, graviſſimum eſt, ab iuſtitia commutante dimanans. Eſt enim verus contractus oneroſus inter committentem & promittentem ſecreti cuſtodiam . Ergo qui illud violat , legem iuſtitiæ violat, & omnium damnorum reſtitutioni obnoxius eva-

evadit. Quod ſi promiſſio iurata fuerit, ultra malitiam iniuſtitiæ periurus erit ſecreti violator.

X. Quæſt. III. *Occurrit ne cauſſa quæ a ſervando ſecreto excuſet?* Reſp. Tria ſunt excuſationum manifeſtandi ſecreti capita a Theologis deſignata, quæ breviter expediam. Primum, materiæ tenuitas, quæ interdum nullius momenti eſt, a gravi obligatione, & letali culpa eximit. Res enim undequaque levis gravem obligationem vix inducere poteſt, niſi aliqua addatur circumſtantia. Rem gravem, ſub ſecreto commendatam, uni aut alteri revelare pariter ſub ſecreto non eſſe peccatum mortale, contendunt plures; dummodo nulla hinc infamia, damnumve ſequatur. Parvi enim refert, inquiunt, quod uni vel alteri ſecretum pandatur; ſi nullum inde, qui commendavit ſecretum, incommodum capiat. Sic docent Azorius *III. Par. Lib. XIII. cap.* XXXI. Lugo *diſp.* XIV. *ſec.* 9. *num.* 14. Dicaſtillus *Lib. II. tract.* 11. *diſp.* XII. *num.* 583. aliique plures, quibus ſubſcribunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 6. *num.* 80. qui tamen limitant in caſu particulari, quo ob peculiares rationes nollet qui ſecretum commiſit, illi retegi cui tu pandere decernis.

XI. Hæc opinio omnino mihi diſplicet, eamque ut improbabilem reiicio. Sublata quippe urgente neceſſitate, quæ natura ſua a ſecreti cuſtodia excuſet, aio nec uni, nec alteri licitum umquam eſſe ſecretum detegere. Præfata enim opinione admiſſa, continuo ſecretum omne publicum evaderet. Si tu, quin letaliter pecces, uni & alteri referare ſecretum vales; quid prohibet quominus hic alter uni quoque & alteri pandat ſub ſecreto, & hic alter alteri, & ſic deinceps, donec res occulta de ſecreto in ſecretum erumpat tandem in publicam omnium notitiam? Materiam levem tu reputas, quod uni ſoli ſecretum pandas. Idem ſibi privilegium alter adſciſcet. Nulla aſſignari ratio poteſt cur tu, & non alter id queat. Immo tu, cui primo commiſſum arcanum eſt, ſtrictiori vinculo illud cuſtodire adſtringeris. Ergo, poſitione facta quod tu ob materiæ parvitatem queas abſque gravi culpa uni manifeſtare arcanum; potiore iure idem præſtare alter valebit, & ita ceteri omnes, ut ſupra ex Patriarcha S. Ioanne Chryſoſtomo animadvertimus. Id ſolum verum habet, quod, ſi aliunde ſecretum publicum factum fuerit, tum omne vinculum illud cuſtodiendi diſcinditur.

XII. Inadvertentia, aut imperfecta deliberatio ſecundum caput eſt, quod a gravi culpa ſecreti proditionem excuſat. Verum, ut hæc inadvertentia excuſet, invincibilis ſit oportet. Addunt Salmanticenſes, non peccare mortaliter eum qui rem gravis momenti ſub arcano ſuſceptam revelaret, ſi ipſe parvi eam certo æſtimaret: quia bona fides excuſaret; dummodo non præceſſiſſet lata, vel gravis negligentia in inveſtigando, utrum res ſub arcano commiſſa gravis, an levis ſit. Neque hæc opinio nobis arridet, eo quod prodendis arcanis rimas aperiat. An, ini-

Digitized by Google

inito contractu mercium, & pretio inter contrahentes ſtatuto, alter valet mutare pretium, illudque minuere, vel augere, prout ſibi magis expedire videtur? In ſecreto commiſſo & promiſſo mutuus intervenit contractus. Ergo iniuſte ſibi alter contrahentium ius adſciſceret materiam gravem levem efficiendi. Certus; inquis, moraliter eſt, materiam hanc, tametſi natura ſua gravem, levem ſibi eſſe. Quid inde? Hinc tantum ſequitur quod, ſi arcanum eſſet ex iis quæ aut rerum naturam conſequuntur, aut promiſſa dumtaxat ſunt, levis culpa foret. Ceterum, cum arcanum commiſſum & promiſſum fuerit pacto mutuo, nequit altera pars ſola iudex eſſe ſuper gravitate, aut levitate materiæ; quando in celebratione contractus gravis fuerit reputata. Quod ſi dixeris, vel initio contractus levem exiſtimatam materiam fuiſſe; iam ſequitur nullam umquam fuiſſe obligationem gravem. Illius ergo erat qui ſecretum accepit, declarare, ſe tali vinculo gravi obſtringere nolle. Accedit, iudicem legitimum gravitatis materiæ cuſtodiendæ eſſe illum qui commiſit, non illum qui recipit ſecretum. Is ſolus rationes peculiares, & ſæpiſſime reconditas compertas habet, ob quas noxia ſit ſecreti manifeſtatio: has vero ſecreti promiſſor non ſemper aſſequitur. Præterea ratio quæ huic levis, gravis alteri erit. Poſtremum contraria opinio modum & viam facillimam aperit prodendi ſecreti, ut nuper ſupra indicavimus. Quare, cum arcanorum cuſtodia ſit res graviſſimi momenti, ſocietatis vinculum, Rerumpublicarum fundamentum, & propugnaculum, arctiori in ſenſu interpretanda eſt, & numquam abſque urgenti ratione relaxanda.

XIII. Cauſſa tertia, quæ licitam ſecreti manifeſtationem efficit, eſt commodum, & utilitas illius qui ſecretum commiſit. Quoties ex iſtius cuſtodia grave ſubiret hic detrimentum, tum, caritatis lege iubente, illud eſſet revelandum. Fac ſecreti cuſtodiam obeſſe ſpirituali ſaluti eiuſdem, manifeſtationem vero ſecreti viam aperire certam, aut valde probabilem, ad illius emendationem; tum non ſolum licitum, ſed ex caritatis lege debitum foret ut tantum arcani revelaretur, quantum ſatis eſſet ad eiuſdem correctionem, & profectum. Item, ſi arcanum commiſſum in damnum publicum, aut innocentum vergeret, patefaciendum eſſet: quia cuſtodia arcani non eſt vinculum iniquitatis; nec bonum privatum anteponendum eſt bono communi; aut innocens perferre gravia damna debet ob alterius ſecretum. Et hoc verum habet, etiamſi ſecretum iuramento firmatum fuiſſet. Quoniam iuramentum naturam promiſſionis ſequitur; & promiſſione deficiente, corruat quoque iuramentum oportet. Nec refert quod ſecretum commendatum fuerit ut ſigillum confeſſionis: quia extra ſacramentum nullum eſt ſigillum ſacramentale. Imperiti ſunt qui ſub confeſſionis ſigillo rem aliis commendant, quando reapſe non confitentur. Quare extra ſacramentum quodlibet ſigillum eſt naturale, quibuſcumque verbis concipiatur.

XIV. Quæſt. IV. *Licitum ne eſt aliena ſecreta expiſcari?* Reſp. Quemadmodum peccatum grave eſt commendatum ſecretum prodere; ita peccatum eſt illud extorquere ex alterius lingua. Sunt qui cuniculis, & rimulis, interrogatiunculis inſidioſis, & ſuggeſtionibus vaſris, verſutiſque alterius ſecreti vincula abrumpere ſtudent, & minus cautam linguam revelare urgent, quod ſcire magnopere avent. Hi peccant letaliter, ſi, quod ſibi revelari curant, ſub gravi obligatione cuſtodiendum erat. Quoniam, ſi peccat graviter is qui ſecretum revelat, graviter delinquat neceſſum eſt & alter qui eum directe, vel indirecte ad violandum ſecretum inducit. Salmanticenſes *loc. cit. num. 83.* docent, non eſſe peccatum grave extorquere alterius ſecretum cum animo illud apud ſe cuſtodiendi: quia, ut dictum eſt ſupra *num. 12.* ſuſtinent non eſſe peccatum mortale uni vel altero viro cordato arcanum prodere ob materiæ parvitatem. Verum, ſicuti illam, ita & hanc reiicimus opinionem. Ex hac enim ſequitur, centum, immo mille homines poſſe ſeparatim eumdem hominem vaſris interrogationibus aggredi, & ſingulos expiſcari reconditum arcanum, ſub hoc propoſito illud apud ſe ſeveriſſime cuſtodiendi. Quod quam ſit abſurdum, nemo non videt.

XV. Cauſſa ſola licite expiſcandi ſecretum eſt utilitas & commodum publicum, & quandoque etiam privatum; ut quando eligendus eſt Parochus, Prælatus, gubernator, ſuperior, & ſimiles miniſtri, qui bonum publicum adminiſtrare debent, & ſubditos regere. Item quando ineundum eſt matrimonium, licitum eſt explorare eligendorum mores, inclinationes, quantum ſatis eſt ad eorumdem habilitatem, & aptitudinem cognoſcendam. Quæ tamen hac inquiſitione noſcuntur, ſub ſecreto cuſtodienda ſunt, iuxta leges ſecreti naturalis, quæ rerum conditionem ſequuntur.

XVI. Quæſt. V. *Licitum ne eſt obſignatas litteras aperire?* Reſp. Negant communiter omnes. Quia quiſque ius habet ut ſecretum ſive verbis, ſive ſcriptis conſignatum ſibi ſervetur. Sigillum, quo obſignatæ litteræ ſunt, eſt ſecreti indicium; & nemo, invito domino, facultate potitur illud retegendi. Theologi ſupra citati, qui docent, non eſſe peccatum letale manifeſtare ſecretum uni ſoli, ut ſibi conſtent, defendunt non eſſe culpam mortiferam aperire litteras, in quibus etiam crimen aliquod infamatorium contineatur. Verum hanc opinionem, ut improbabilem, ſupra refutavimus. Nec ſolum culpa gravis eſt genere ſuo obſignatas aperire litteras, ſed etiam apertas legere, ſi reperiantur in loco in quo præſumitur, eas non eſſe publicæ lectioni expoſitas; ut ſi ſint in cubiculo proprio &c. Ultra peccatum grave leges quoque civiles pœnas imponunt iis qui obſignatas aperiunt litteras.

XVII. Aliquæ occurrunt cauſſæ quæ a gravi, vel omni culpa excuſant illos qui epiſtolas obſignatas aperiunt, & legunt. Prima eſt, ſi epiſtola exarata ſit ab ali-

Digitized by Google

aliquo ſubdito, Superior facultatem habet aperiendi eiuſdem litteras. Hinc Religionum Prælati omnes iure potiuntur, ab ipſa Regula illis permiſſo, ſubditorum legendi litteras. Et, quamvis id expreſſum in legibus non eſſet, id haberent nihilominus Superiores iure ipſius regiminis, cui conceſſa ſunt omnia quæ in bonum commune Religionis, & privatum ſubditorum conferunt. Prælatus tamen inferior minime valet legere epiſtolas quas aut ſubditi ſcribunt ad Prælatos ſuperiores, puta Provinciales, vel Generales, aut iſti ad ſubditos. Secunda cauſſa excuſans a culpa eſt conſenſus aut expreſſus, aut tacitus, aut prudenter præſumptus domini litterarum. De expreſſo, & tacito nulla eſt difficultas. Quod attinet ad præſumptum, tum dicitur prudens, quando vel ob intimam amicitiam, & neceſſitudinem, aut ob ſimilem convenientiam, aut ob circumſtantias quæ poſtulant præſentaneum remedium, creditur ille cuius intereſt, conſenſum præbiturus. Quando ſubditi ſcribunt litteras ad Superiorem, apponuntque *Tibi ſoli*, in hac phraſi continentur etiam conſultores eiuſdem Prælati, in caſu quo reſolvere negotium Prælatus nequeat. Quando tamen Prælatus per ſe ſolus reſolvere, & expedire ea quæ ſcribunt ſubditi, valeat, non poteſt abſque culpa cum conſultoribus eadem communicare. Raro tamen accidit in rebus magni momenti conſultorum ope vel Prælatorum inferiorum informatione non egere. Cauta nihilominus eſſe communicatio debet. Ea nimirum tantum pandat quæ neceſſaria ſunt ad prudentem conſultationem: cetera, quæ extraria ſunt, ſileat. Inter plurimas dotes Prælato neceſſarias non infimum locum tenet virtus cuſtodiendi ſecreta. Quoties ſubditi ſuſpicantur Prælatum non eſſe arcani tenacem, abſtinent ab eodem, ſilentque plura quæ remedia poſtularent. Quare non raro Prælati peccant, aut facili loquacitate revelando quæ ſibi communicata fuere, aut nimia auſteritate, ſeu oſtentatione gravitatis, & ſupercilii, quo ſubditorum ora obſtruunt, eoſque a ſe repellunt. Sed de his plura ſuo loco.

XVIII. Parvitas materiæ tertia cauſſa eſt, quæ a gravi culpa excuſat; ut, quando certitudo moralis habeatur, res nullius, aut parvi momenti in litteris contineri; aut materiam eſſe publicam, nullique ſecreto obnoxiam. Quare, ſi litteræ aperiantur curioſitatis, aut ridendi cauſſa, ob earumdem ſive lepidam, ſive craſſam ſcribendi rationem, nullumque ſit periculum reſciendi aliquod notabile ſecretum; culpa gravi vacabit. Cum tamen culpa, ſaltem venialis, ſit; idcirco abſtinendum ſemper ab eiuſmodi reſignatione.

XIX. Cauſſa quarta eſt propria defenſio. Quis prudenter, gravibuſque rationum momentis nixus, credit in litteris ſui inimici aliqua contineri quæ in proprium grave damnum cedunt. Tum poteſt iure defenſionis uti, litteraſque reſignare, ſi id neceſſarium ad ſui defenſionem iudicaverit. Non ne frangere gladium quo te hoſtis ferire ſtudet, potes, ut te defendas? Eodem ergo iure frangere lit-

 te-

Digitized by Google

terarum ſigillum vales, ſi eodem damnum tibi inferendum præſentias. Quocirca in bello iuſto hoſtium litteræ reſignantur, & Reipublicæ, ac civitatum moderatores litteras civium ſuorum intercipiunt, eaſque aperiunt, dum grave aliquod aut perfidiæ, aut alterius generis malum ſuſpicantur. Omnes tamen advertunt, tum ea ſolum legi licite poſſe quæ conducunt ad finem cuius gratia licita eſt litterarum interceptio, & reſignatio; cetera eſſe prætereunda: &, ſi fortuito, aut quia cum aliis connexa ſint, legi oporteat, ſigillo cuſtodienda erunt; nec licitum erit eadem aliis revelare.

XX. Litteræ quæ in via, aut publico loco reperiuntur, legi minime poſſunt, ſi probabiliter credatur illas amiſſas, deperditaſque a domino fuiſſe, eo invito. Qui ſimiles litteras, etiam apertas, inventas legit, peccat, ſi prævideat aliquid grave in eiſdem occludi; &, ſi legerit, tenetur ſub ſecreto totum cuſtodire. Si tamen nulla eſſet ſubſcriptio, nullaque ſibi nota perſona infamiam, aut detrimentum ſubiret; tum quoque nulla culpa foret. Peccato quoque careret lectio litterarum, quas tu apertas a domino proiici videres: quia tunc præſumitur, illum cedere iuri ſuo; nihilque in eiſdem contineri ſecreto dignum. Quid, ſi litteras minutas in partes laceratas, atque in publicum proiectas a domino, tu exquiſita diligentia ſimul concinnares, iunctaſque legeres? Negant aliqui, te poſſe eas abſque peccato ſic coniunctas legere: quia dominus illas in partes ſcindendo voluit omnino de medio talem ſcriptionem ſublatam. Plures alii probabile cenſent, nullum fore peccatum: quoniam dominus, proiiciens fruſtula illa litterarum in publicum locum cedit iuri ſuo, eaque quibuſcumque legenda permittit. Quod veriſimilius videtur, eſt, id colligendum eſſe ex circumſtantiis, & ex fine coniungentis partes epiſtolæ. Si enim hic in hunc finem eas colligat, & adnectat, ut aliquod grave arcanum expiſcetur; & alia ex parte præſumatur, dominum ita voluiſſe epiſtolam lacerare, ut a nemine legi amplius poſſet, ſed imperitia, inconſideratione, vel ſtupiditate neglexiſſe eam omnino abſumere, & lectioni ſubducere: tunc peccare illum graviter, ſatis perſpicuum videtur. Si vero ſola curioſitate eas partes coniungeret, & ob quamdam levitatem legeret; culpa eſſet venialis. Si quid grave tamen inde deprehenderet, id ſub ſigillo cuſtodire deberet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De audientibus detractores.

I. SAnctus Paulus Apoſtolus ad *Rom. cap.* 1. inquit : *Qui talia agunt, digni ſunt morte : & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Theologi illi qui docent, carere gravi culpa uni, aut alteri ſecretum prodere, defendunt quoque peccatum mortale non eſſe audire coram te ſolo hominem detractorem : quam ſententiam, a pluribus licet magni nominis Theologis propugnatam, ſupra profligavimus. Et hinc etiam patet quam ſit doctrinæ Patrum adverſa. Paucis materiam hanc diſpiciam.

II. Quæſt. I. *Qua ratione peccare dicitur qui detractorem audit?* Reſp. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXIII. *art.* 4. quæſtionem hanc clare reſolvit, duplicem modum indicans quo auditor peccat, dum detrahentem auſcultat. *Uno modo*, inquit, *directe, quando ſcilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum : alio modo indirecte, quando ſcilicet non reſiſtit, cum reſiſtere poſſit : & hoc contingit quandoque, non quia peccatum placeat, ſed propter aliquem humanum timorem. Dicendum eſt ergo, quod, ſi aliquis detractiones audiat abſque reſiſtentia, videtur detractori conſentire : unde ſit particeps peccati eius. Et, ſi quidem inducat eum ad detrahendum, vel ſaltem placeat ei detractio, propter odium eius cui detrahitur, non minus peccat quam detrahens, & quandoque magis. Unde Bernardus dicit : Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facile dixerim. Si vero non placeat ei peccatum, ſed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, ſed multo minus quam detrahens; & plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc poteſt eſſe peccatum mortale ; vel propter hoc quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere ; vel propter aliquod periculum conſequens; vel propter radicem, qua timor humanus quandoque poteſt eſſe peccatum mortale.* Itaque directe audiens, & inducens verbis, geſtu, delectatione ad detrahendum, peccat tum contra caritatem, tum contra iuſtitiam; & quidem interdum gravius detractore. Siquidem & detractori cauſſa eſt cur detrahat; & perſonæ diffamatæ damnum infert. Quare hic peccat tum in diffamatum, tum in diffamatorem. Excuſatur a mortali, ſi audiat, aut etiam ſuo geſtu, gaudio, verbis provocet ad murmurandum de re levi, & ridicularia, minime gravi. Si vero nullo modo nec verbis, nec alio exteriori ſigno provocares detractorem, ſed tantum cum interiori gaudio & lætitia auſcultares detractorem in re gravi, peccares letaliter contra caritatem, ſecus contra iuſtitiam : quia non eſſes cauſſa efficax damni alterius.

III. Si vero quis cum lætitia & gaudio audiret detractorem, non quia gauderet de ipſa detractione, quatenus proximum infamat, ſed contra gaudium tantum perciperet ex eloquentia, lepore, iociſque detractoris; non peccaret hoc ex capite mortaliter. Quin Reginaldus *Lib. IV. quæſt.* VI. *num.* 96. Toletus *Lib. V. cap.* LXVII. aliique contendunt, non peccare graviter eum qui gauderet de ipſa detractione, non ex odio, aut diſplicentia perſonæ, cui detrahitur; ſed ex quadam levitate, curioſitate, & otioſitate. Sed hæc opinio non videtur admittenda: quia non ſolum vir chriſtianus non poteſt cum lætitia audire detractorem, ſed debet eum corripere. Utique dicit Angelicus, peccatum grave eſſe, *ſi placeat ei detractio propter odium eius cui detrahitur*. Immo dicit, tunc poſſe eſſe gravius ipſo peccato detractoris. At hinc minime ſequitur quod, quando lætanter audit detractorem in re gravi, non peccet graviter; licet non ex odio contra diffamatum audiat. Minus quidem peccat quam ſi ex odio contra diffamatum gauderet; at nihilominus graviter peccat, quia detractori, cum poſſit, non reſiſtit.

IV. Nil frequentius inculcant Patres quam aures occludere detractoribus. S. Hieronymus *epiſ.* XI. *ad Nepotianum* hæc ſcribit. *Cave ne aut linguam, aut aures habeas prurientes; ideſt, ne aut ipſe aliis detrahas, aut alios audias detrahentes*. Sedens (*inquit Pſal.* XLIX.) adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti, inique, quod ero tui ſimilis. Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. *Parce a detractione linguæ. Cuſtodi ſermones tuos: & ſcito, quia per cuncta quæ de aliis loqueris, tua conſcientia iudicaris: & in his ipſe deprehenderis quæ in aliis arguebas. Neque vero illa iuſta eſt excuſatio: Referentibus aliis iniuriam facere non poſſum. Nemo invite audita refert. Sagitta in lapidem numquam figitur. Interdum reſiliens percutit dirigentem. Diſcat detractor, cum te videt non libenter audire, non facile detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, ne miſcearis, quoniam repente veniet perditio eorum: & ruinam utriuſque quis novit? tam videlicet eius qui detrahit, quam illius qui accommodat aurem detrahenti*.

V. Quæſt. II. *Tenentur ne ſuperiores ſubditorum detractiones iuſtitiæ lege impedire?* Reſp. Omnes adfirmant peculiari vinculo adſtringi ſuperiores, Prælatos, magiſtratus, ſubditorum reprimere detractiones. Quoniam iſti gravius ceteris urgentur ſubditos corripere. Diſputant vero in utramque partem Theologi, num iuſtitiæ, an caritatis debito fungi hoc officio debeant. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 5. *num.* 70. aſſerunt, Dominicum Soto *Lib. V. de iuſt. quæſt.* X. *art.* 4. cum aliis negare, ſuperiores tam detrahentium, quam infamatorum adſtringi lege iuſtitiæ impedire ſubditos ſuos a detractione. At Soto conceptis verbis docet oppoſitum de ſuperiore detrahentis ſubditi. *Ex iuſtitia autem*, inquit Soto, *cum primis tenetur Prælatus, & ideo ille, procul omni metu, & pudore, tenetur ſubditos a de-*

Digitized by Google

a detractione corripere, ſi ſit in re alicuius momenti : cuius idcirco omiſſio peccatum eſt mortale. Prælatus, inquam, detrahentium, nam Prælatus eorum quibus detrahitur, non tanta iuſtitia eos tenetur protegere : quia cura Prælati eſt ne ſubditi peccent ; quamvis & quodammodo teneatur caritatis vinculo ſubditorum honorem tueri.

VI. Bannez 2. 2. *quæſt.* LXXIII. *art.* 4. *con.* 3. & 4. defendit, peccare mortaliter contra iuſtitiam non ſolum Prælatum detrahentis, ſi ei non reſiſtat, ob rationem allatam a Soto; ſed etiam Prælatum infamati, ſi illum a detrahente non defendat. Quoniam, inquit, non obſtans, qui obſtare tenetur ex iuſtitia, peccat mortaliter contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem. Sed Prælatus tenetur obſtare ex iuſtitia, & officio. Ergo, ſi non obſtat, peccat contra iuſtitiam, & tenetur reſtituere. Probat minorem : quia Prælatus tenetur ex officio, & iuſtitia procurare ſubditis omnia neceſſaria ad virtutem. Fama autem eſt maxime neceſſaria ad virtutem ſubditis. Petrus Tapia *Lib. V. quæſt.* XIV. *art.* 9. *num.* 4. ſubſcribit ſententiæ Bannezii quantum ad Prælatum infamati ; ſecus quantum ad Prælatum detrahentis : quia Prælatus nullam irrogat iniuriam ſubdito detractori libere infamanti : etenim ſcienti, & volenti non fit iniuria : alioquin cuilibet ſubdito peccanti iniuriam irrogaret Prælatus, ſi eum corripere negligeret. In hanc concedunt opinionem laudati Salmanticenſes. Sententia Soti, & Bannezii mihi eſt probabilior. Et, ſi diſputandum foret, rationabilior evinceretur Soti ſententia : nam Prælati cura magis animæ ſalutem, & profectum ſpiritualem, quam bona temporalia, inter quæ fama recenſetur, ſpectare debet. Ceterum res non eſt tanti momenti, ut diutius in eadem immoremur. Illud certum eſt penes omnes, gravius peccare Prælatos quam ceteros privatos, ſi negligant & ſubditos infamatos defendere, & ſubditos detractores reprimere, ac corrigere. Abſolute vero loquendo ſententia P. Bannez mihi magis probatur. Prælati enim iuſtitiæ lege adſtringuntur ſubditos ſuos protegere, defendere, corripere.

VII. Quæſt. III. *Privatæ perſonæ, quæ audiunt detractores, peccant ne mortaliter, niſi eos corripiant, aut iis non reſiſtant?* Reſp. Sermo nunc non eſt de iis qui vel inducunt, aut provocant, vel addunt detrahentibus animos, aut in detractione ſibi complacent; ſed de illis qui, cum poſſint, non contradicunt, dum ſpem concipiunt obtinendi optatum profectum. Nam, ſi nulla ſit profectus, & emendationis ſpes, vel quia detractor magnæ eſt auctoritatis, & audiens contra inferioris eſt ſubſellii, vel ob aliam cauſſam; convenit penes omnes, nullum tunc audientem committere peccatum. Similiter, quando audiens grave aliquod damnum timeret, & ingens periculum; quando dubitat ſit ne publicum, an privatum delictum; vel iudicat, auditores nullam eſſe detractori adhibituros fidem, a peccato excuſatur. Quando hominem probum audis aliquod enarrare delictum, præſumere debes illud eſſe publicum : quia præſumendum non eſt hominem, alioquin

Sſ iiij pro-

Digitized by Google

probum, velle occultum proximi flagitium revelare. Scrupulis quidam torquentur, quod audientes detractores non audeant ſe ſe illis opponere. Si in ea quæ indicavi, animum intenderent, animus ſolutus ſcrupulis eſſet.

VIII. Propoſitæ ergo quæſtiunculæ ſenſus eſt, utrum ille qui certo ſcit, detractorem occultum flagitium pandere, habetque ſpem proficiendi, ſi illi reſiſtat, nullumque ingens ſibi ex correctione imminere malum proſpicit, peccet mortaliter contra caritatem, correctionem omittens. Nulla eſt de peccato contra iuſtitiam diſputatio: ſiquidem certum penes omnes eſt, privatos homines non peccare contra iuſtitiam; cum nullo officio ad id teneantur. Varia, ad hoc quod attinet, ſunt Auctorum placita; tamen, ſi recte expendantur, omnes fere idem ſentiunt.

IX. Docent plures, peccare mortaliter eum qui audit detractorem, quem certo ſcit iniuſte detrahere, valetque illum abſque gravi incommodo corrigere, & ſperat emendationem. Quæ correctio, vel reluctatio fieri verbis poteſt, aut vultus triſtitia, iuxta illud Prov. xxv. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Peccat is tum contra præceptum correctionis fraternæ, tum contra mandatum caritatis. Nam qui videt proximi domum ardere, theſauros ſurripi, legem caritatis lædit, ſi, cum facile poſſit, impedire omittat. Quidni ergo peccabit qui videns, audienſque famæ proximi ſui bonum peſſumdari, ipſumque detractorem animam ſuam perdere, non ſe ſe opponit tantæ malorum ſtragi?

X. Hæc ſententia vera procul dubio eſt. At in praxi vix umquam omnes relatæ circumſtantiæ, & appendices neceſſariæ, ut dicatur quis peccare mortaliter, occurrunt. Idcirco non adeo frequenter peccant mortaliter qui detractores audiunt, ob rationes indicatas. Nam frequentiſſime qui audit, aut ſcit crimen eſſe publicum, aut ignorat eſſe occultum, aut præſumere poteſt publicum eſſe. Quot enim ſunt quæ ad tuam non pervenerunt notitiam, & aliis ſunt comperta? Accedit quod, ſi tu ſub initium ſermonis detractorem corripias, & a detrahendo abducas, magis obes quam proſis proximo: nam auditores ex illo abrupto, & imperfecto ſermone graviora ſuſpicari de proximo ſolent. Inſuper ſæpe detractor a levioribus incipit, quæ audiri abſque gravi culpa valent, & repente poſtea evomit aliquod delictum forte occultum, quod tu impedire nequis. Illud etiam perpendendum, raro abſque indignatione detractoris te poſſe illius ſermoni opponere; cum ille publice corripi ægre ferat. Tandem multas habere detractor cauſſas poteſt delictum manifeſtandi, nempe bonum publicum, admonitionem auditorum, ut ſibi caveant ab illius ſocietate cuius defectus patefacit.

XI. His omnibus ſpectatis, Theologi graviores communiter docent, non ita frequenter peccare quempiam mortaliter ex ſolo titulo quod detractori non reſiſtat,

eum-

Digitized by Google

eumque non corripiat. Peccant frequentiſſime homines, quod in proximi detractione ſibi complaceant, quod detractorem provocent, eique animum augeant exteriori ſaltem, gaudio. Peccant frequenter, quod ex odio, & invidentia audiant alicuius famam proſcindi, gaudeantque de tali diffamatione. Tota hæc doctrina eſt D. Thomæ 2. 2. quæſt. lxxiii. art. 4. *Si vero non placeat ei peccatum, ſed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem; peccat quidem, ſed multo minus quam detrahens, & plerumque venialiter.* Subdit vero continuo ibidem, nullo interiecto verbo, Angelicus, poſſe fieri peccatum iſtud mortale vel propter officium, vi cuius aliquis obſtringitur (ut Prælatus) detractores corripere; vel propter malorum pericula, quæ ex detractione conſequi auditor prævidet; vel propter radicem, qua timor humanus quandoque poteſt eſſe peccatum mortale. Metus autem humanus, ſubdit Dominicus Soto Lib. V. quæſt. x. art. 4. *tunc aſcendit ad peccatum mortale, quando iacturam temporalium bonorum caritati quis anteferret. Non autem id facere cenſendus eſt, quoties metu humano cavere ceſſat proximi detrimentum; ſed quando ſua eſſet omnino neceſſaria renitentia ex præcepto; ut ſi detraheretur fidei, & religioni &c.* Hanc quam deſcripſi ſententiam, præter D. Thomam, & Sotum, defendunt Bannez 2. 2. *quæſt.* lxxiii. *art.* 4. *concl. ult.* Tapia *Lib. V. quæſt.* xiv. *art.* 9. *num.* 3. Pradus *cap.* xxv. *quæſt.* ii. *§.* 2. *num.* 19. Rebellus *Lib. IV. quæſt.* vi. *numer.* 8. Tannerus 2. 2. *diſp.* iv. *quæſt.* viii. *dub.* 7. *num.* 151. Reginaldus *Tom. II. Lib. XXIV. cap.* iv. *num.* 95. Faber *de Reſt. in IV. Sent. diſt.* xiii. *part.* iii. *diſp.* liii. *cap.* iii. *num.* 127. Diana *II. Part. tract.* iv. *reſol.* 228. Salmanticenſes *tract.* xiii. *cap.* iv. *punct.* 5. *num.* 74.

XII. Hæc laudata S. Thomæ, aliorumque Theologorum ſententia minime adverſatur ſanctorum Patrum doctrinæ. Patres namque, aliique Theologi de illis loquuntur auditoribus qui aut lætanter, aut ex odio audiunt, aut qui impedire commode poſſunt, & ob vanum reſpectum negligunt; tametſi ſciant detractorem peccata occulta revelare, graviterque proximum infamare. Hæc dicta ſint, ut qui plus iuſto torquentur in hoc genere, habeant unde expellere ſcrupulos ſuos queant; ſecus vero ut nimium vel curioſi, vel proni in detractionem, anſam arripiant audiendi detractores. Regulæ, quæ ſervandæ ſunt in hoc ſcopuloſo argumento, ut oppoſita declinentur extrema, in calce diſſertationis huius explicabuntur.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De iudicio temerario.

I. Iudicium temerarium aliud internum, externum aliud. Hoc ſecundum eſt exterior ſententia a iudice abſque congruis rationum momentis lata, de qua alibi. In præſentia de iudicio temerario interiori ſermo nobis erit, cuius notionem, & malitiam paucis diſpiciam.

II. Iudicium temerarium eſt firmus aſſenſus de aliquo proximi peccato ex levibus indiciis conceptus. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lx. *art.* 3. iudicium temerarium ad genus ſuſpicionis revocat: & ſuſpicionem in tres gradus tribuit his verbis. *Eſt autem triplex gradus ſuſpicionis. Primus quidem gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicuius dubitare incipiat: & hoc eſt veniale, & leve peccatum. Pertinet autem ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur, ut habetur in Gloſs. ſuper illud I. ad Cor.* IV. Nolite ante tempus iudicare. *Secundus gradus eſt, cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis: & hoc, ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale, inquantum non eſt ſine contemptu proximi Unde Gloſs. ibidem ſubdit: Etſi ergo ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus, iudicia tamen, ideſt definitivas, firmaſque ſententias, continere debemus. Tertius gradus, cum aliquis iudex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum: & hoc directe ad iniuſtitiam pertinet: unde eſt peccatum mortale.*

III. P. Dominicus Bannez 2. 2. *quæſt.* lx. *art.* 3. animadvertit, D. Thomam ſub initium iſtius articuli definire ex Cicerone ſuſpicionem preſſe acceptam, prout a dubio, & a iudicio temerario diſtinguitur; in eiuſdem vero articuli proſecutione hæc tria confundere. In primo enim gradu ſuſpicionis comprehendit dubium de malitia proximi: in ſecundo iudicium firmum ac certum de proximi peccato. Sed hoc, inquit idem Bannez, non eſt D. Thomæ adſcribendum: nam communiter viri doctiſſimi hæc tria confundunt, eaque communi nomine appellare iudicium temerarium ſolent. Iſtius confuſionis ratio fortaſſis hæc eſt, quod hæc tria in duobus conveniunt. Primo, quod ſint de malitia proximi. Secundo, quod procedant ex levibus indiciis.

IV. Verum, ut ut hæc ſe habeant, planum eſt hæc tria invicem eſſe diſtincta. Nam dubium tunc contingit, quando, propoſitis utrinque æqualibus rationum momentis, animus anceps hæret, ſuumque ſuſpenſum aſſenſum retinet. Quocirca iuxta Ariſtotelem *III. Meth. cap.* 1. dubitans comparatur hominibus ligatis, qui neque huc, neque illuc ſe vertere poſſunt. Et quamvis dubium plerumque ex levibus rationibus concipiatur; tamen, quando utrinque rationes ſunt æquales omnino,

no, vel ſint ambæ graviſſimæ, vel ambæ leves, ſuſpenſum retinent animum; quemadmodum libra ſuſpenſa remanet, quando in utraque lance ſunt æqualia pondera, ſive levia ſint, ſive gravia; dummodo revera ſint æqualia. Suſpicio, inquiunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 7. *num.* 89. non eſt aſſenſus, & iudicium determinatum; ſed inclinatio, & incitatio animi ad illum. Opinio autem aſſenſum includit unius partis, & iudicium determinatum, non firmum, ſed vacillans, cum formidine nempe partis oppoſitæ. Laudata finitio ſuſpicionis non arridet: quoniam inclinatio, & incitatio animi ad aſſenſum, nullum actum prodit, ſed inſtinctum, ſeu propenſionem animi. Suſpicari autem verus actus eſt, non ſola mentis inclinatio. Quare dicendum cum Bannez *loc. cit.* ſuſpicionem eſſe aſſenſum de malo proximi cum formidine contrariæ partis. Diſtinguitur autem ſuſpicio ab opinione: quod opinio, auctore Ariſtotele *VI. Ethic. cap.* IX. indifferenter ſe habeat ad bonum, & ad malum; & potius ſpeculative quam practice ſumatur: ſuſpicio vero proprie accepta eſt aſſenſus infirmus de malo tantum; & ideo definiri ſolet, quod *ſit opinio mali*. Sed mihi videtur, concludit Bannez, quod ſuſpicio ſit debilis opinio; itaut ſuſpicio includat maiorem formidinem oppoſitæ partis quam opinio. Verum hæc tanti non ſunt, ut ſeveriorem poſtulent diſcuſſionem.

V. Quæſt. I. *Quænam ſunt coniecturæ ſufficientes, ne iudicium dicatur temerarium?* Reſp. Convenit penes omnes, iudicium temeritate vacare, ſi coniecturæ, & indicia ſolida ſint: quia tunc iudicium conſentaneum rationi eſt. Sed difficultas eſt, quænam dicenda ſint indicia ſolida, coniecturæ prudentes, quæ temeritatem iudicio adimant, illudque prudens conſtituant. Porro hoc vix deſignari abſolute poteſt, ſeu nequit huius certa, & præciſa regula ſtatui; ſed id prudentum arbitrio relinquendum cenſetur. Dicunt, illas coniecturas eſſe ſufficientes ad formandum iudicium prudens quæ ſuapte natura movere homines prudentes ſolent ad iudicandum. Verum hoc nullam ingerit menti notionem claram, & præciſam. Ideo ſpectandæ ſunt circumſtantiæ loci, temporis, & perſonarum. Si videas aliquem noctu ſcalas aſcendere, ut per feneſtras, aliudve occultum foramen ingrediatur; prudenter iudicare vales, hunc ad aliquod perpetrandum delictum illuc petere. Si ex relatione viri honeſti, fide digni, iudices; iudicium non eſt temerarium in foro interiori, tametſi eſſe poſſit in foro exteriori. Si videas iuvenem ingredi domos meretricum; ex circumſtantia loci, & perſonarum, niſi aliud obſit, abſque temeritate iudicare poteris, hunc aliquod laſciviæ flagitium perpetraturum.

VI. Porro, ut quiſque a temeritate iudiciorum ſibi caveat, præ oculis habere doctrinam S. Thomæ debet. Tria enim ille capita deſignat unde facilitas temere iudicandi proficiſcitur. Hæc ſunt illius verba 2. 2. quæſt. lx. art. 3. *Contingit ex tribus. Uno quidem modo ex hoc quod aliquis in ſeipſo malus eſt; & ex hoc ipſo,*

quaſi

quaſi conſcius ſuæ malitiæ, faciliter de aliis malum opinatur, ſecundum illud Eccleſ.x In via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat. *Alio modo provenit ex hoc quod aliquis male afficitur ad alterum. Cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut iraſcitur, vel invidet ei, ex levibus ſignis opinatur mala de ipſo: quia unuſquiſque faciliter credit quod appetit. Tertio modo provenit ex longa experientia. Unde Philoſ. dicit in II. Reth. quod ſenes ſunt maxime ſuſpicioſi, quia multoties experti ſunt aliorum defectus. Primæ autem duæ ſuſpicionis cauſæ manifeſte pertinent ad perverſitatem affectus; tertia vero cauſa diminuit rationem ſuſpicionis, inquantum experientia ad certitudinem proficit, quæ eſt contra rationem ſuſpicionis. Et ideo ſuſpicio vitium quoddam importat; & quanto magis procedit ſuſpicio, tanto magis eſt vitioſum.* Ex his tribus capitibus duo priora malitiam aggravant ſuſpicionis. Tertium diminuit temeritatem; illam tamen omnino non tollit, quando indicia gravia non ſunt.

VII. Quæſt. II. *Sit ne iudicium temerarium genere ſuo peccatum mortale?* Reſp. Adfirmant omnes. Idque conceptis verbis docet Scriptura divina. Luc. VI. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Iacobi IV. *Tu quis es, qui iudicas proximum?* Et ad Rom. XIV. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſervum?* Plurima hac de re Auguſtinus ſcribit. Pauca iſthuc afferam ex *ſerm.* CCII. *de temp.* ſeu in *Appendice Auguſtiniana* LXVI. qui ſermo tribuitur S. Cæſario Arelatenſi Epiſcopo. *De iſtis quæ ſunt Deo nota, & nobis incognita, periculoſe noſtros proximos iudicamus. De ipſis enim Dominus dixit:* Nolite iudicare, ut non iudicemini. *De illis vero quæ aperta ſunt, & publica mala, iudicare, & redarguere, cum caritate tamen & amore, poſſumus, & debemus, odio habentes, non hominem, ſed peccatorem, non vitioſum, ſed vitium: deteſtantes morbum potius quam ægrotum..... In his periculoſe alios iudicamus quæ dubium eſt, utrum bono, an malo animo fiant; ideſt, ieiunare, vigilare, eleemoſynas facere, a vino & carnibus abſtinere, vel non abſtinere, & reliqua his ſimilia, quæ & pro Deo, & pro humana gloria fieri poſſunt: & quia ignoramus quo animo fiant, iudicare penitus non debemus.*

VIII. Ratio cur iudicium temerarium, ex levibus indiciis conceptum in re gravi de proximo ſit peccatum mortiferum, non una eſt, ſed multiplex. Et primo iniuriam gravem irrogat proximo, iniquam de eo concipiens opinionem, ſeu exiſtimationem; illumque contemnens, ut improbum. Iudicium temerarium internum comparari cum calumnia poteſt. Nam ſicut calumnia impingit falſum crimen; ita iudex temere intus iudicans non ore, ſed mente calumniatur fratri ſuo, eidem tribuens flagitia quæ hic non patravit. Et hic animadvertas velim, iudicium eſſe temerarium, etiam ſi verum foret, quoties ex levibus indiciis, & coniecturis concipitur; quemadmodum temerarium non eſt, quamvis falſum ſit, quando gravibus, & ſolidis momentis nitatur; quod aliunde raro accidit. Altera ratio, quæ

Digitized by Google

quæ malitiam temerariæ ſententiæ prodit, eſt, quod hi audaces iudices ius ſibi uſurpant divinum. Quæ enim ex levibus indiciis concipiunt, ignota ſunt, & occulta: quæ autem occulta ſunt, humanam fugiunt cognitionem, & ad Dei tribunal ſpectant. Accedit quod ipſum Chriſtum Dominum peculiari prærogativa exuunt: etenim ipſe a Deo Patre conſtitutus eſt vivorum, ac mortuorum iudex. Quid quod hæc perverſa iudicia omnia conturbant, ſanctioraque inquinant? Nihil quippe tam iuſtum, tam ſanctum eſt, quod humana temeritate, & audacia nequeat in malam detorqueri partem. Denique peſtiferæ radices, e quibus hæc temeraria iudicia proficiſcuntur, malitiæ gravitatem produnt: dimanant enim ex animi levitate, ſuperbia, odio, invidentia, atque ex contemptione ipſius Dei, cuius auctoritas inique uſurpatur. Vel ipſi benigniores Caſuiſtæ, qui propugnant, non eſſe mortale crimen revelare peccatum grave occultum uni ſoli viro cordato, defendunt iudicium temerarium eſſe peccatum mortale. Quia qui revelat peccatum occultum, revelat peccatum verum; at iudicium temerarium natura ſua falſum eſt; atque adeo falſum crimen imponit proximo.

IX. Nec minus peccatum eſt temere iudicare de defunctis, ac de vivis. Nam & defuncti vitam vivunt moralem in hominum memoria. Brevitas temporis non tollit quin hæc iudicia temeraria peccatum ſint mortale; quemadmodum nec ceteris aliis internis cogitationibus voluntariis, & deliberatis malitiam adimit. Si tamen ioci cauſſa alium induceres ad temere iudicandum de proximo, etiam in re gravi, cum propoſito ſtatim removendi talem opinionem; non peccares mortaliter. Abſtinendum tamen ſemper eſt ab eiuſmodi iocis, in quibus mendacia contingunt. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 7. *num.* 94. referunt Caietanum, docentem 2. 2. *quæſt.* lx. *art.* 3. quatuor requiri conditiones, ut iudicium temerarium ſit peccatum mortale. Conditiones autem ſunt. I. quod iudicium ſit certum, firmumque, & determinatæ perſonæ. II. quod temeritas tanta ſit, ut prudentum iudicio grave peccatum reputetur. III. quod materia gravis ſit. IV. quod plena advertentia adſit in intellectu, & plena deliberatio in voluntate.

X. Si deſit prima conditio, nempe firmitas iudicii, & perſona determinata; iudicium non erit culpa gravis. Si iudices mulierem larvatam, velatam, tibique omnino incognitam, eſſe meretricem; aut hominem longius occurrentem, atque adeo prorſus tibi ignotum, reputes eſſe furem, non peccas letaliter: quia nulli determinatæ perſonæ iniuriam irrogas. Similiter, ſi iudices in hac vel illa civitate aliqua gravia perpetrari crimina, nullam deſignando determinatam perſonam; a gravi culpa excuſaris.

XI. Secunda conditio eſt, iudicium cenſendum non eſſe temerarium, niſi accedat tanta temeritas, ſeu præcipitatio in iudicando, ut prudentum ſententia mortalis ſit. Quod ſic clarius explico: etiamſi certitudo moralis perfecta non ſit, ſi adſint indi-

Digitized by Google

indicia valde probabilia, iudicium non erit mortaliter temerarium. Quia inter certitudinem moralem & magnam probabilitatem non reputatur tanta diſtantia, ut prudentum iudicio mortaliter peccet qui indiciis, & coniecturis valde probabilibus iudicium ſuum format. Ne multa. Coniecturæ, & indicia quibus formatur iudicium, interdum ſunt validiora, interdum minus valida: quæ tamen minus certa ſunt, ſunt interdum ſatis probabilia, & prudentum auctoritate ſufficiunt ne iudicium dicatur temerarium.

XII. Tertia conditio eſt gravitas materiæ. Quando enim res eſt parva, peccatum mortale non perpetratur nec in iudicio temerario, nec in aliis permultis generibus, ut omnes docent. Gravitas materiæ non a ſola culpa ſecundum ſe ſpectata, ſed a qualitate etiam perſonæ accipi debet. Si Sacerdotem, ſi virum religioſum, Prælatum, Epiſcopum iudices paſſim, & ex conſuetudine mentiri, regulares obſervantias parvi facere, & negligere, nugis vacare, otio difluere, & id genus ſimilia perpetrare, quamvis hæc abſolute peccata levia ſint, quia tamen graviter lædunt in communi exiſtimatione famam ſimilium virorum, dummodo hæc reapſe aperte non perpetrent, grave peccatum erit procul dubio tale iudicium. Nam, ſi Regularis maniſeſte negligeret ſui Ordinis ritus, & regulas, ſeu conſtitutiones, ſi alter paſſim mentiretur; tum iudicium temerarium non eſſet, atque adeo nec peccatum. Aliquando etiam quod nullum genere ſuo peccatum eſt, poteſt eſſe materia gravis, ſi in grave recidat proximi detrimentum; ut ſi virum optimæ famæ, & honeſtorum natalium, iudices nothum, ſpurium; aut ſi Catholicum iudices ex hæreticis, Hebræis, paganiſque progenitum, & ut talem contemnas, illumque ab officiis, & dignitatibus arceas, peccare mortaliter poteris. Hinc conſequitur, iudiciorum quoque gravitatem, aut levitatem pendere a perſonarum diverſitate. Nam indicia quæ reſpectu unius ſunt gravia, reſpectu alterius ſunt levia. Ingreſſus iuvenis laſcivi in domum mulieris ſuſpectæ famæ indicium grave eſſe poteſt, ut abſque temeritate iudices, eum illuc ad peccandum accedere. Et tamen ſi qui illuc ingrederetur, foret Sacerdos, Religioſus gravis, & optimæ famæ, indicium aut leve, aut nullum eſſet: quia, ut illam corrigeret, vel infirmam viſitaret, vel ad meliorem frugem revocaret, ingredi poſſet. Denique diſtinguendum eſt indicium operis ab indicio perſonæ. Vides, Regulares comicos in ſuis Cœnobiis agere, & ſcenicos, comœdias impudicas, tragœdiaſque repræſentare, ſacra veſte exuta, vel occultata, & profanis theatrorum indumentis ornatos: actiones iſtas gravia peccata eſſe arbitraris, iudicaſque illos peccare mortaliter non eſt iudicium temerarium, nec operis, ut ego quidem arbitror, nec perſonæ. Si vero verba tantum ſcurrilia, lepida, & iocoſa proferrent in ſpectatorum ſolamen, & hæc tu gravia reputares peccata, illoſque gravis flagitii reos iudicares; tum eſſet iudicium temerarium operis, ſecus perſonæ.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Quarta conditio poſcit plenam advertentiam ex parte intellectus, & perfectam libertatem ex parte voluntatis. Libertatem requiri in quolibet peccato, fatentur Catholici omnes. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 7. *num.* 98. addunt, non eſſe ſufficiens ut iudicium temerarium ſit peccatum mortale, quod quis plene advertat ſe prave de aliquo iudicare; ſed debere advertere, vel ſaltem dubitare, ſe abſque ſufficientibus indiciis tale iudicium habere: quia inquiunt ex Salmanticenſibus Scholaſtici in 1. 2. *quæſt.* LXXIV. *tract.* XXIII. *diſp.* X. *dub.* 4. *num.* 148. ad peccatum mortiferum requiritur perfectus conſenſus, qui ex *perfecta* gravitatis *advertentia* oritur, quando mens ſui compos, non occupata aliis cogitationibus, *reflectit* ſupra ſuum actum, & illum in materia gravi, divinæ legi contraria, verſari cognoſcit; vel ſaltem de hoc incipit dubitare. Ergo non ſufficir ad mortale peccatum temerarii iudicii quod advertam me *prave* de alio iudicare; ſed advertam neceſſe eſt me temerarie iudicare, hoc eſt abſque ſufficientibus cauſſis, & indiciis.

XIV. Ut ab hoc ultimo auſpicemur, non videtur cur homo excuſari a culpa gravi poſſit, quando advertit ſe *prave* in materia gravi agere, eo quod ad pravitatis ſuæ radices, & cauſſas animum non intendat. Si diceretur, ad peccatum mortiferum haud ſufficere, quod advertas te iudicare in proximo pravitatem reperiri, quoniam talem pravitatem ex gravibus momentis iudicare vales; nihil eſſet abſurdi. Sed, quod advertas te *prave*, ſeu inique iudicare, & quod nihilominus non pecces, propterea quod non recogites ſuper levitate coniecturarum, ſeu indiciorum, quæ te ad *prave* iudicandum impellunt; paradoxon videtur. Quod loco principii ponitur, advertentiam actualem requiri ad peccatum mortiferum, doctrina eſt quam in Hiſtoria Probabiliſmi fuſe exagitavimus; & fuſius adhuc profligabimus, dum de peccatis ignorantiæ ſermo erit. Præfata doctrina Probabiliſmi ſurculus eſt; eamque acriter defendunt Tamburinus, Leſſius, La-Croix, aliique Probabiliſtæ. Ea admiſſa, nulla omnino erunt ignorantiæ peccata. Ut iudicium ſit temerarium, haud eſt neceſſe ut actu expreſſe, atque, ut dicitur, formaliter advertas ad indiciorum levitatem, aut gravitatem, vel actu dubites; ſed ſat eſt quod virtualiter advertas, ſeu quod debeas, ac poſſis, & ob tuam ſive negligentiam, ſive malitiam negligas conſiderare. Si debitam adhiberes diligentiam, ſi animi perturbatione careres, atque appetitus rationis freno cohibitos haberes, ſi caritas erga proximum ferveret; indiciorum levitatem adverteres. Eam ignoras, quod pravis affectionibus animus ſit inquinatus, invidentia, odio, ſimultate ardens. Quo autem paſſiones efferatæ tendunt, eo mentem rapiunt, impediuntque, ne ad id quod debet, reſpiciat. Verum de his, ut dixi, plura alibi. Nunc paucis, quam ſit falſa hæc doctrina, huic argumento applicata, pateſaciam. Admiſſa neceſſitate advertentiæ actualis, vix in rerum natura aliquod iudicium temera-

rarium occurreret. Notio temerarii iudicii eſt quod certam, & definitam ſententiam ſuper hominis malitia mens promat. In hoc quippe iudicium temerarium ab opinione, & ſuſpicione diſtinguitur, quod certo, & abſque contrariæ partis formidine, iudicet. Porro iudex, qui aut actu advertit indicia quibus nixus iudicat, levia eſſe, vana, inſufficientia; aut dubitat eſſe talia; nequit firmum, certumque formare iudicium ſuper aliena pravitate. Hæc advertentia, conſideratio, reflexio, aut dubitatio ſuapte natura formidinem, & vacillationem ingerunt. Porro iudicium firmum certumque, & formido ac vacillatio ſuper eadem omnino re mutuo pugnant. Ergo, admiſſa *Salmanticenſium*, *Tamburini*, *Leſſii*, *La-Croix*, aliorumque Probabiliſtarum ſententia, de neceſſitate continua actualis advertentiæ, nulla iudicia temeraria reperientur in rerum natura.

XV. Abſit tamen ut negem, interdum inadvertentiam excuſare a gravi potiſſimum culpa. Quoties hæc inconſideratio invincibilis eſt, a culpa potiſſimum gravi excuſat. Frequenter mentem aggrediuntur importunæ cogitationes, eam quodammodo inflectunt in prava iudicia. Negligentia paſſim occurrit ob infirmitatem naturæ in repellendis pravis ſuſpicionibus. Hæc negligentia in perſonis optime moratis frequentiſſime aut invincibilis eſt, & ſubitanea, aut ad ſummum venialis. Quare admitto, & utroque pollice ſubſcribo communi doctrinæ, videlicet iuſtos homines raro vera iudicia temeraria efformare: quia vel ob levitatem materiæ, vel ob imperfectam deliberationem, vel inconſiderationem, aut nullam, aut venialem culpam committunt. Quare in iuſtorum ſolamen advertas velim, iuſtos homines illos eſſe qui timore temere iudicandi vexantur. Et tamen, quo magis timent ſe temere iudicaſſe, eo minus temere iudicarunt. Contra vero peccatores, qui ut aquam bibunt iniquitatem, vix umquam ſibi ſcrupulum movent, ſe temeraria formaſſe iudicia. Hæc eſt diaboli vafrities, & immanis verſutia, ut vano timore iuſtos exagitet, & fallaci fiducia peccatores lactet. Porro in peccatoribus frequentiſſime inadvertentia, & inconſideratio vitioſa eſt; atque adeo frequenter temere indicant ex pravis quibus imbuti ſunt affectionibus. E contrario iuſti raro graviter delinquunt in iudiciis temerariis formandis; &, ut dixi, illi minus delinquunt qui magis ſe deliquiſſe verentur. En quomodo vera doctrina & iuſtos ſoletur, & peccatores corripiat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

De ſuſpicione, opinione, & dubitatione.

I. Convenit penes omnes, nullum eſſe peccatum, ſi quis ex coniecturis probabilibus probabiliter opinetur, & ex indiciis dubiis dubitet, & ex ſuſpicionibus ſuſpicetur; quemadmodum culpa caret, ex indiciis certis, & evidentibus definitam, certamque formare ſententiam. Similiter certum eſt peccare eos, & quidem mortaliter, qui ex odio, invidia, pravoque affectu gravia de proximo crimina temere, ideſt abſque probabilibus coniecturis, ſuſpicantur. Quoties homines, nedum mali, ſed etiam qui boni apparent, aliquam falſam effinxerunt de proximo imaginem, ſecretioris invidentiæ, alteriuſve occultiſſimæ averſionis penicillo delineatam; continuo occaſione cuiuſque, vel leviſſimæ, coniecturæ dubitare incipiunt, opinari pergunt, & ſuſpicari perſeverant de eodem gravia flagitia. Hinc eſt quod lætitiam in fronte explicant, dum defectus enarrari iſtorum audiunt, & numquam iſtius ſermonis finem haberi vellent. Contra, cum eorumdem merita, virtutes, & dotes deprædicantur, ſermonem abrumpere ſtudent, vultus pallore, aliiſque mæſtitiæ ſignis interiorem ſuam erga tales malam inclinationem produnt. Hæc omnia nunc miſſa facimus, quoniam nulla ſuper his controverſia eſt. Pariter diſtinctionem ſuſpicionis ab opinione, & dubitatione prætereo, quod ſingulas notiones ſupra dederim, ubi indicatum eſt, ad iniuriam inferendam quod attinet, non valde invicem iſta differre.

II. Illud in controverſiam Theologi vocant, utrum ſuſpicio genere ſuo ſit peccatum mortale, quando deſtituta eſt probabilibus coniecturis, & indiciis. Et ſermo eſt de ſuſpicione temeraria, ſublata quacumque paſſione odii, invidiæ, alteriuſque pravæ affectionis. Caietanus in *Summul. verb.* Iudicium temer. *& verb.* Suſpicio, *&* 2. 2. *quæſt.* VI. *artic.* 3. clare, & acriter defendit, nullam ſuſpicionem, atque adeo opinionem, dubitationemve nullam eſſe peccatum mortale. Hanc ſententiam communiter propugnant recentiores, Diana, Laymanus, Tamburinus, Navarrus uterque, Faber, Leſſius, aliique.

III. Ioannes Sinnichius in ſuo *Saule Exrege cap.* CXIX. iniuſte vexat Thomam Tamburinum, quaſi iſtius opinionis inventorem; atque laxitatis reum poſtulat. Verum, quemadmodum frequenter iuſte vapulat Tamburinus a Sinnichio; ſic in præſens Sinnichius immerito, ut ego quidem arbitror, & ut id quod ſentio, nullo partium ſtudio præventus dicam, Tamburinum torquet, cum is talem opinionem a Caietano, Leſſio, aliiſque mutuatus ſit.

IV. Laudatus Sinnichius, Henricus a S. Ignatio *Tom. II. par.* VIII. *cap.* XX. *aſſert.* 2.

ſert. 2. Bannez 2. 2. *quæſt.* VI. *artic.* 3. Medina, Aragonius, Sayrus, aliique docent, ſuſpicionem genere ſuo peccatum eſſe mortale. Pro hac eadem opinione Henricus a S. Ignatio laudat Dominicum Soto, qui conceptis verbis oppoſitum docet; & Bannez ex inſtituto illum confutare nititur.

V. Sententia Dominici Soto eſt, ſuſpicionem temerariam genere ſuo non eſſe peccatum mortale, ſi pro obiecto habeat conſueta & communia crimina; ſecus, ſi verſetur circa ſcelera graviſſima, quæ infamiam ingerant maximam. Sic docet Sotus *Lib. III. de iuſtit. quæſt.* IV. *art.* 3. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 7. *num.* 103. aſſerunt, hanc Soti opinionem iam communem evaſiſſe, cui ipſi ſubſcribunt, & pro eadem citant Ledeſmam, Tapiam, Turrianum, Molinam, Villalobos, Lugonem, Valentiam, Bonacinam, Reginaldum, Azorium. Immo primam opinionis partem defendunt Caietanus, & omnes qui illius opinionem amplectuntur.

VI. Argumenta Sinnichii, Bannez, aliorumque hæc ſunt. Sacræ litteræ prohibent iudicia temeraria quæ in uſu ſunt apud homines. Porro iudicium temerarium, omnem excludens formidinem, perrarum eſt. Suſpicio autem frequens eſt apud homines. Ergo hæc prohibetur nomine iudicii. Nam, cum ſuſpicio aſſenſum includat, & ipſa iudicium eſt, licet cum oppoſitæ partis formidine.

VII. Ex hac argumentatione potius colligitur oppoſitum. Ex quo enim familiaris, & quaſi inſita naturæ ſit ſuſpicio; inferendum potius videtur, eam non fuiſſe a clementiſſimo Deo ſub nomine iudicii prohibitam. Urget Bannez ſuam argumentationem *ad hominem*, ut aiunt, contra Dominicum Soto. Illud vitium quod intra materiæ ſuæ limites, abſque hoc quod trahatur ad ſpeciem alterius vitii, aliquando mortale eſt, ex ſuo genere mortale peccatum habetur. Sed ſecundum Soto ſuſpicio in re graviſſima eſt peccatum mortale. Ergo ex ſuo genere talis eſt.

VIII. Bannezii argumentationem præoccupavit Sotus *loc. cit.* inquiens, regulas morales non eſſe tenore metaphyſico expendendas, ſed ex iniuriæ quantitate. Quoniam, attento prudentum iudicio, plus iniuriæ irrogas Petro, ſi cum formidine opineris ipſum inceſtuoſum eſſe cum matre, cum filia, aut cum ſorore, quam ſi certo iudicares eum fuiſſe fornicatum: multoque gravius eum contemneres qui apud te in ſuſpicionem veniret hæreticæ pravitatis, patriæque proditionis, aut alterius immanis flagitii, ſodomiæ, beſtialitatis &c. quam eum quem certo crederes minoribus, & conſuetis criminibus irretiri.

IX. Relatis Theologorum placitis, quid mihi dicendum ſit, non ſatis teneo. Argumenta quæ utrinque afferuntur, non leve faceſſunt negotium. Quo familiarior materia eſt, eo eſt pernicioſior aberratio. Quapropter iudex in hac lite ſedere nolo. Proponam tantum quod ipſe ſentio. Suſpicio quæ ex nulla prava affectio-

Digitized by Google

fectione ortum ducit, ſed ex ſolo proficiſcitur errore intellectus, qui, levia indicia æquo maiora reputans, ex iiſdem movetur ad ſuſpicanda peccata communia, & conſueta, nec valde infamantia, de proximo ſuo, numquam eſt genere ſuo peccatum mortale. Nam qui ex ſolo intellectus errore, excluſo quocumque pravo voluntatis affectu, apprehendit indicia ut ſufficientia ad ſuſpicandum, tametſi levia ſint & vana, paratus eſt omnem ſuſpicionem deponere, ubi melius adverterit. Accedit quod, quando quis ob ſolum errorem intellectus movetur ex levibus indiciis ad ſuſpicandum malum, ſuſpicio hæc non eſt plene voluntaria: & alioquin non ſupponit pravam affectionem in voluntate, quæ vitioſum errorem conſtituat. Denique nulla præcedit pravitas in voluntate, & indicia, quibus movetur intellectus ad ſuſpicandum, aliquam vim, & probabilitatem ad inclinandam mentem habent. Porro quod intellectus illa concipiat ex imbecillitate paullulum validiora, non videtur ſufficiens ratio ad peccatum mortale conſtituendum.

X. Hæc ſententia videtur eſſe D. Thomæ 2. 2. quæſt. lx. art. 3. *Eſt autem triplex gradus ſuſpicionis. Primus quidem gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicuius dubitare incipiat: & hoc eſt veniale, & leve peccatum.* Clarius hanc ſententiam docere videtur Auguſtinus tract. xc. in Ioannem. *Ignoſcatur nobis, quod de occultis hominum aliquando, immo aſſidue non vera ſentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, ſine qua duci iſta non poteſt vita; ita ut Apoſtolus diceret:* Tentatio vos non apprehendat, niſi humana. *Quid enim tam humanum quam non poſſe inſpicere cor humanum, & ideo non eius latebras perſcrutari, ſed plerumque aliud quam id quod ibi agitur, ſuſpicari? Quamquam & in his rerum tenebris humanarum, hoc eſt cogitationum alienarum, etſi ſuſpiciones intelligere* (vitare) *non poſſumus, quia homines ſumus; iudicia tamen, ideſt definitas ſententias, continere debemus: nec ante tempus quicquam iudicare, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuique a Deo. Quando ergo non erratur in rebus, ut recta ſit improbatio vitiorum, virtutumque probatio; profecto, ſi erratur in hominibus, venialis eſt humana tentatio. Per has autem humanorum cordium tenebras res multum miranda, & multum dolenda contingit, ut eum nonnumquam quem iniuſtum putamus, & tamen iuſtus eſt, & iuſtitiam in eo neſcientes diligimus, devitemus, averſemur, a noſtro prohibeamus acceſſu, communem cum illo vitam, victumque habere nolimus, eumque, etiamſi diſciplinæ imponendæ neceſſitas cogat, ſive ne aliis noceat, ſive ut fiat ipſe correctior, aſperitate ſalubri perſequamur; & hominem bonum, tamquam malum, affligamus, quem neſcientes amamus.*

XI. Iterum ita evidenter D. Thomas hanc noſtram ſententiam definit, ut nul-

lus maneat ambigendi locus. Hæc quippe ſcribit *quodlib.* XII. *art.* 34. ubi ex inſtituto rem diſcutit. *Suſpicio autem eſt quid imperfectum in genere iudicii, & ideo eſt imperfectus motus: & ideo non eſt mortale ex genere; quamvis, ſi fiat ex odio, erit aliquando mortale.* Suſpicionem collocat in genere iudicii: includit enim mentis aſſenſum. At quia imperfectus eſt in genere iudicii aſſenſus iſte, cum formidinem oppoſitæ ſententiæ comitem habeat; idcirco genere ſuo peccatum grave non eſt, præciſis circumſtantiis odii, invidiæ, vel criminis adeo enormis, & infamis, ut iuxta communem ſenſum illud vel ſuſpicari nefas ſit. Huic ſententiæ præter laudatos Theologos ſubſcribunt Franciſcus Gennettus *tract.* IX. *in* 8. *præcep. cap.* V. *quæſt.* IV. P. Gabriel Antoine *tract. de iuſt. cap.* V. *reſ.* 2.

XII. Reſponſio Sinnichii, Henrici a S. Ignatio, Natalis ab Alexandro, aſſerentium, D. Thomam, & Auguſtinum, docentes ſuſpicionem non eſſe ex genere ſuo peccatum mortale, intelligendos eſſe de ſuſpicionibus indeliberatis, quæ nobis non opinantibus irrepunt, mentemque noſtram præoccupant, eſt omnino vana, & falſa. Nam neque iudicia indeliberata, neque aliæ actiones, tametſi genere ſuo exitioſæ, & ſceleſtæ, ſi ſint indeliberatæ, peccata ſunt mortalia. Indeliberatio quippe voluntatis principium univerſale eſt, impediens cuiuſque pravæ actionis gravem malitiam formalem, ſeu imputabilem ad culpam. Quid quod Angelicus conceptis verbis declarat, ſuſpicionem non eſſe ex genere peccatum grave, quod ſit quid imperfectum *in genere iudicii*; non quia ſit quid imperfectum in genere deliberationis? Ceteras reſponſiones Henrici a S. Ignatio, ut leviores prætereo.

XIII. Hæc quæ propoſui, mihi probabiliora videntur, & Patribus, atque rationibus conformiora. Hinc colligas velim duo. Alterum eſt, me in benigniora, quoad fieri poteſt, propenſum eſſe, & dum ratio, & Patrum auctoritas ſinunt. Alterum eſt, te non debere hinc anſam arripere ſuſpiciones multiplicandi. Scias enim oportet, nihil eſſe humanæ ſocietati perniciosius ſuſpicionibus. Suſpicio filia eſt ignorantiæ, mater rixarum, diſſenſionum, iurgiorumque. Homines ſuſpicioſi pravis plerumque occupati ſunt affectionibus, atque inordinatis paſſionibus odii, invidiæ, ambitioniſque agitantur. Suſpicioſi vero homines non vocantur illi qui ex congruis indiciis ad ſuſpicandum adducuntur; ſed qui, indiciis deficientibus, propriæ mentis umbras, & vanas imaginationes loco indiciorum conſectantur. Hinc eſt quod dixerim, ſuſpicionem temerariam eſſe effectum erroris humanæ mentis, quæ ſpectra & idola vana, humanaque apprehenſione efficta captat, & ex iis movetur ad ſuſpicandum. Frequentes ſuſpiciones temerariæ raro ex ſolo errore intellectus generantur, ſed plerumque ex pravis animi affectionibus. Opportuna ſunt quæ ſcribit hac de re Auguſtinus ſerm. CCCVI. alias de diverſis CXII. cap. IX. *Pleraque mala generis humani*

mani non aliunde oriuntur, niſi de ſuſpicionibus falſis. Credis de homine quod oderit te, qui forte amat te, & per pravam ſuſpicionem ſis inimiciſſimus amiciſſimo. Quid faciat, cui non credis, & cor ſuum tibi demonſtrare non valet? Loquitur tibi dicens, Amo te. Sed quia poſſet tibi hoc dicere & mentiens [ea ſunt enim verba mentientis quæ vera dicentis] non credendo adhuc odiſti. Ideo ſecurum te facere voluit ab eo peccato qui tibi dixit: Diligite inimicos veſtros.

CAPUT X.

Quomodo dubia ſint in meliorem partem interpretanda.

I. IAM dictum ſupra eſt, tunc dubium intelligi, quando quis æqualibus rationum ponderibus preſſus, anceps hæret, quin in unam, aut alteram partem declinet. Quoniam vero intellectus noſter imperio ſubditur voluntatis, in diſputationem venit, utrum, poſitione facta quod homo velit intellectum ſuum in alterutram partem determinare, debeat in partem meliorem, quæ nimirum proximo favet, ſuam ferre ſententiam. Quæſtionem verſat Angelicus 2. 2. *quæſt.* lx. *art.* 4. Duplex ille diſtinguit dubium: aliud quod circa res, aliud quod circa perſonas verſatur. Hæc illius doctrina tranſcribenda eſt, ut quæſtioni ſolvendæ via paretur planiſſima. Inquit ergo loc. cit. ad 2. *Aliud eſt iudicare de rebus, & aliud de hominibus. In iudicio enim in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, de qua iudicamus, cui nihil nocet, qualitercumque iudicemus de ipſa; ſed attenditur ibi ſolum bonum iudicantis, ſi vere iudicet, vel malum, ſi falſo: quia verum eſt bonum intellectus, falſum autem eſt malum ipſius, ut dicitur in VI. Ethic. Et ideo unuſquiſque debet niti ad hoc quod de rebus iudicet ſecundum quod ſunt. Sed in iudicio quo iudicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum, & malum ex parte eius de quo iudicatur; qui hoc ipſo honorabilis habetur quod bonus iudicatur, & contemptibilis, ſi iudicetur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat. Ipſi autem homini iudicanti falſum iudicium, quo bene iudicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipſius; ſicut nec ad eius perfectionem pertinet ſecundum ſe cognoſcere veritatem ſingularium contingentium; ſed magis pertinet ad bonum affectum.* Facta igitur non ſunt in meliorem, ſed in veriorem partem interpretanda, iuxta rationum momenta: quia nil aliud in his deſideratur niſi veritas, abſque ullo de iniuria inferenda timore. Quare, ſi audis aliquam hæreticam propoſitionem, illam ut hæreticam, ſi laxam, ut laxam, ſi rigidam, ut rigidam, iudicare debes. Verum Auctorem propoſitionis, niſi evidentiſſima occurrant ratio-

Digitized by Google

num momenta, non debes nec hæreticum, nec laxonem, nec rigoriſtam iudicare.

II. Dubia igitur in quibus de hominum malitia agitur, ſi firma roganda ſententia ſit, in meliorem partem ſunt interpretanda. Ita docent Theologi omnes. Rationem aſſignat S. Thomas loc. cit. *Ex hoc ipſo quod aliquis habet malam opinionem de alio abſque ſufficienti cauſa, iniuriatur ei, & contemnit ipſum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre abſque cauſa cogente. Et ideo, ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium eſt.*

III. Non minus perſpicue hanc ſententiam docet Auguſtinus de ſerm. Dom. in monte Lib. II. cap. XXVIII. *Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis. In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis: & in qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur . . . . De talibus enim rebus, quæ poſſunt bono animo, & ſimplici, & magnanimo fieri, quamvis poſſint etiam non bono, volebant illi, cum homines eſſent, in occulta cordis ferre ſententiam, de quibus ſolus Deus iudicat. Ad hoc pertinet etiam illud quod alio loco dicit:* Nolite ante tempus iudicare &c. *Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono, & malo fieri poſſunt; de quibus temerarium eſt iudicare, maxime ut condemnemus. Horum autem veniet tempus ut iudicentur, cum Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordis.*

IV. Ratio quoque ſuffragatur. Siquidem nemo in dubio privandus eſt ſua certa poſſeſſione, ut in bonis fortunæ, a quorum poſſeſſione nemo deiicitur ob ſolum ius dubium. Quin in proverbium evaſit, meliorem eſſe poſſidentis conditionem. Atqui homo iure certo poſſidet famam ſuam. Ergo ob dubia facta exuendus ea non eſt. Ipſum ius civile l. *Merito ff. Pro ſocio* definit: *In dubio non eſt præſumendum delictum.* Poſito ergo quod quis iudicare velit, debet dubium in meliorem accipere partem. Accedit illud inſitum a natura principium, & in Evangelio nobis commendatum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Ut, quæ hactenus dicta ſunt, melius illuſtrentur, aliquæ regulæ præſcribendæ occurrunt.

V. *Regula prima.* Dubia circa proximi famam, ſeu malitiam non adſtringimur ita in meliorem interpretari partem, ut poſitive debeamus ſententiam ferre de illius bonitate; ſed ſat eſt in meliorem partem interpretari, iudicium, ſeu aſſenſum ſuſpendendo, nullamque proferendo ſententiam nec in bonam, nec in malam partem, ea iudicanda relinquendo ſoli vero iudici Deo. Solum autem in

hypo-

Digitized by Google

hypotheſi, in qua iudicare, & ferre ſententiam velimus, in favorem hominis, ſeu in meliorem partem dubia interpretari debemus; ſecus abſolute: quoniam nemo tenetur ſe ſe libere exponere errandi periculo. Porro qui ſuper re dubia ſententiam profert, errandi diſcrimini ſubiicitur. Ergo abſolute non adſtringitur hoc ſubire diſcrimen.

VI. *Regula ſecunda*. Quando de damno vitando agitur, cautela adhibenda eſt, ut conſulamus, proſpiciamuſque rebus noſtris, dubia in deteriorem partem interpretando, non definiendo, aut iudicando, vel ſuſpicando rem ita ſe habere; ſed ſupponendo quod, ut veremur, evenire res poſſit. Regulam hanc perſpicue S. Thomas explicat loc. cit. ad 3. *Dicendum, quod interpretari aliquid in deteriorem, vel meliorem partem, contingit dupliciter. Uno modo per quamdam ſuppoſitionem: & ſic, cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, ſive noſtris, ſive alienis, expedit ad hoc ut ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id quod eſt deterius: quia remedium quod eſt efficax contra maius malum, multo magis eſt efficax contra minus malum. Alio modo interpretamur aliquid in bonum, vel malum, definiendo, ſive determinando: & ſic in rerum iudicio debet aliquis niti ad hoc ut interpretetur unumquodque, ſecundum quod eſt: in iudicio autem perſonarum, ut interpretetur in melius, ſicut dictum eſt.* Familiare eſt exemplum. Recipis in domum tuam advenam ſervum, cuius nec malitia, nec integritas tibi comperta eſt. Rationem ſuſpicandi in neutram partem habes. Tamen ita rei tuæ proſpicere potes, ac ſi fur eſſet. Quæ agendi ratio vocatur iudicare per ſuppoſitionem. Similiter pater filiam, maritus uxorem cuſtodire poteſt, & ſæpe debet a colloquiis virorum. Prohibere illis valent ne hunc aut illum alloquantur.

VII. Superiores potiſſimum præfata regula uti debent. Cum ipſis dubia occurrunt ſuper ſubditorum malitia, iudicium ſuſpendant ſuper perſonas; quin facta excuſent, & intentionem etiam, ſi velint, bonam iudicent. Interim eas adhibeant cautiones, & remedia quæ adhiberent, ſi mali eſſent. Summa tamen opus diſcretione eſt, & prudentia: & hoc opus, hic labor eſt. Nihil potius habere Prælati in ſuo regimine debent quam ſe ſuſpicioſos non exhibere. Vix ac ne vix quidem fieri poteſt ut Prælati ſuſpicioſi ſubditos tranquille regant. Suſpicioſi Prælati infeſti ſubditis ſunt, averſionem, diffidentiam, odiumque eorum in ſe concitant. Cum ſuſpicioſis nulla eſſe amicitia, nulla ſincera communicatio poteſt. Vel ipſam ergo umbram ſuſpicioſi animi amovere a ſe Prælati debent. Simul autem vigiles, experrecti, atque providi ſint oportet; eaſque cautiones adhibeant quas adhibere vel ſuſpicioſiſſimi ſolent. Hæc ſimul conſociare ſummæ eſt difficultatis. Et hæc eſt una ex rationibus cur regimen animarum ſit onus angelicis humeris formidandum.

VIII. Hac eadem regula uti debent Novitiorum magiſtri, & ſuffragatores omnes. Si dubitent, num ad profeſſionem admittendus Novitius ſit, debent negare eidem ſuffragium, & in religionis favorem dubium reſolvere. Religio quippe eſt in poſſeſſione, & bonum commune, quod læditur ex profeſſione indigni iuvenis, præferri bono privato debet. Verum de hoc fuſius alibi. Pro hac ſententia laudat Henricus a S. Ignatio *Tom. II. part.* VIII. *cap.* XXI. *num.* 156. Venerabilem Ioannem a S. Sampſone, D. Ioannem Sancium in *Lib. ſpiritualium exercitiorum*, Ludovicum de Scildere de *Princip. conſc. tract.* V. Caramuelem in *Theolog. regul. cap.* VI. *num.* 470. Sed res eſt ſuapte natura manifeſta. Si tamen dubium occurrat tempore Novitiatus, non debet illico dimitti Novitius, ſed diutius probari: & ſi dubium perſiſtat, dimittatur.

IX. *Regula tertia*. Si dubium oriatur ſuper proximi fama, cuius optimam præconceperas opinionem, non debes vi talis dubii iudicium ſuſpendere: quia hæc iudicii ſuſpenſio minuit præconceptam opinionem. Porro proximus, ut optime advertit Dominicus Soto *Lib. III. quæſt.* IV. *art.* 4. ius habet non modo ne ex indiciis dubiis malam de eo concipias opinionem, verum etiam ne conceptam bonam exiſtimationem vi talium indiciorum minuas. Quare, dum non eſt neceſſaria cautela ad evitandum malum, proximum in dubio tractare debemus, ac ſi bonus eſſet; atque adeo eidem conſueta urbanitatis officia exhibere, & dubia omnino contemnere, prout ex circumſtantiis expediens videbitur.

X. Opponi ſolet. Nemo tenetur errandi periculum ſubire. Qui vero in meliorem partem dubia interpretatur, erroris periculo ſe ſupponit. At contra, qui meliorem in partem negative dubia interpretatur, nulli ſe errandi exponit periculo; qui vero eadem poſitive in meliorem accipit partem, optimam efformando opinionem de proximo ſuo, errori dumtaxat ſpeculativo ſe ſe exponit, ſecus practico. Regula iuris, *Inſpicimus in obſcuris quod veriſimilius eſt, & quod ut plurimum fieri conſuevit*, ſervanda eſt, ubi de iniuria, & proximi fama agitur: tum enim *in dubio tutior via eſt eligenda*. Sed audiamus reſponſum quod præbet S. Thomas 2. 2. quæſt. lx. art. 4. ad 1. *Poteſt contingere quod ille qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallitur. Sed melius eſt quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo homine bono: quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo.*

Digitized by Google

CAPUT XI.

De reſtitutione honoris, & famæ.

I. EXplicatum ſupra eſt, quemadmodum duplici via lædi honor poſſit, omiſſione nempe, & commiſſione. Omiſſione, cum debitam reverentiam, obſequium, & communia urbanitatis officia exhibere negligis proximo tuo, plus minuſve, iuxta perſonarum diverſitatem. Qui ſola omiſſione lædit honorem, non peccat contra iuſtitiam, atque adeo nihil ob præteritam omiſſionem reſtituere adſtringitur; ſed tantum reddere honorem quem antea præſtare omiſerat. Si tamen ſimul cum omiſſione interveniret aliquid contumeliæ, quo in caſu iuſtitia læderetur, reſtitutio facienda eſſet.

II. Altera via honor aufertur poſitive, verbis, ſignis, factis; ut ſi fuſte percutias, verbis derideas, conviciis contemnas proximum tuum. Porro hæc honoris læſio iuſtitiæ adverſatur, & debitum reſtitutionis infert. Quare, ſi contumelia occulta fuerit, occulte facienda erit honoris compenſatio. Si vero contemptio contumelioſa proximi publica fuerit, tum reſtitutio honoris publica, & patens eſſe debebit, coram illis videlicet coram quibus honor per contumeliam fuit læſus. Id ſolum linimenti adiiciunt plures, non eſſe neceſſarium, contumeliatorem ſeipſo apparere in publicum ad honorem reſarciendum; ſed ſat eſſe quod appareat per Confeſſarium, vel amicum, qui vices eius expleat.

III. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 8. *num.* III. *& ſeq.* referunt Molinam, & Laymanum docentes, nullam requiri reſtitutionem, quando contumelia fuit privata: quia tum omne damnum tranſiit. Si tamen damnum aliquod temporale, præter dehonorationem, ſubiiſſet qui contumeliam paſſus eſt, tum neceſſaria reſtitutio foret; ſecus vero ad compenſandum honorem læſum per occultam contumeliam. Molinæ ſententiam propugnat conceptis verbis P. Paulus Layman *Lib. III. tract.* III. *part.* II. *cap.* VII. *num.* 6. ſic inquiens: *Si contumelia privatim irrogata eſt, neque in aliorum notitiam culpa tua pervenit, ad nullam honoris, aut famæ reſtitutionem obligaris. Ita Molina.* Hæc ſententia, inquiunt laudati Salmanticenſes, eſt contra omnes Theologos, immo contra ſacram Scripturam. Nam perſona quæ contumeliam, & honoris iacturam paſſa eſt, vulnus in animo ſuo inflictum a contumeliatore ſervat, & angitur triſtitia ob iniuriæ ſibi irrogatæ recordationem. Qua ergo lege ſolvitur contumelioſus a debito reſarciendi honoris læſionem, contemptionemque fratris ſui? Qua lege ſolvitur a debito deliniendi dolorem illius qui contumeliam recepit, illumque ſibi demulcendi, atque conciliandi? Non ſane a lege evangelica, quæ *Matth.* V. hæc præſcribit: *Si ergo offers mu-*

nus

nus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo.

IV. Occaſio hic ſe offert teſtimonium exhibendi, me nullo partium ſtudio teneri. Opiniones interdum P. Molinæ, viri alioquin doctiſſimi, & Laymani, ut laxas, refutavi, quod crediderim tales reipſa eſſe. Eadem nunc ſinceritate vindicare hos Auctores a laxitate, immerito iiſdem adſcripta, religioni mihi verto. Aio itaque, nihil contra ſacram Scripturam docuiſſe ſive Molinam ſive Laymanum. Molina *Tom. IV. tract.* IV. *diſp.* XLVI. *num.* 7. *concluſ.* 4. ſolum verbis differt a ceteris Theologis. Contendit enim ipſe, reſtitutionis notionem minime convenire compenſationi, quam conviciatorem debere facere, idem Molina docet. Hæc ſunt Molinæ verba. *Credo nihil ei vi, atque in ratione reſtitutionis deberi. Tenetur tamen qui eam contumeliam intulit, curare reconciliationem cum fratre ſuo, veniam ab illo petendo, ac ſe illi humiliando, quatenus alterum non irritandum noverit, ſignaque pœnitentiæ, quod id fecerit, oſtendendo: atque ea omnia præcipere ei debent Confeſſarii.* Solum ergo in voce reſtitutionis ab aliis Theologis Molina diſcrepat. *Quoniam* [ſubdit ipſe] *reſtitutio ſolum reſpondet damno, in illiuſque ſolius compenſationem debetur.* Et poſtpauca concludit. *Secundum vero quod eadem concluſione aſſerimus, de curanda ſcilicet reconciliatione illo modo fratris, ea contumelia affecti, ex eo facile patet quod lumen ipſum naturæ doceat, eum qui cauſſam offenſionis proximo dedit, teneri pro viribus, & poſſe illum ſedare, eique reconciliari, ſatisfaciendo illi, ſi quid ea de cauſſa vi reſtitutionis debet . . . . Atque hoc eſt quod Chriſtus docuit, ac præcepit Matth.* v. *Si ergo offers munus &c.* Eadem docet P. Laymanus, qui poſt verba ſupra relata hanc adiicit Molinæ doctrinam, & textum evangelicum tranſcribit. Hactenus, ut veritati litarem in defenſionem Molinæ, & Laymani. Utinam frequens occurrat occaſio meæ erga hos Auctores, ceteroſque ſocios, omneſque Theologos obſervantiæ teſtimonium exhibendi. Quo ſiquidem candore aliqua eorumdem refellimus, eodem, quæ nobis digna videntur, defendimus, & meritis laudibus celebramus.

V. Verum, ne, dum Molinæ, & Laymani adornamus defenſionem, in alium impingamus ſcopulum, abſit ut hinc colligas, perdoctos pioſque Theologos Salmanticenſes imponendi animo præfatam opinionem tribuiſſe præclaris viris. Id forte ex aliorum relatione ſcripſerunt; aut oſcitanter, & minus attente Molinam, ac Laymanum legerunt. Ut ut ſit, ſi factum nequis, intentionem excuſa.

VI. Modus in honoris compenſatione tenendus. Primo ſpectanda eſt perſonæ iniuriatæ conditio, & contumeliæ irrogatæ gravitas: & iuxta has varias circumſtantias debes ſalutatione, & aliis urbanitatis officiis prævenire illum qui contumeliam paſſus eſt. Plus & minus iis uti remediis debes quibus dolorem, & afflictionem ex contumelia relictam penitus ab illius animo abſtergas. Quo fuiſti in conviciando vehementior, eo ſis oportet in medendo vulnere blandior, & in pœ-

ni-

Digitized by Google

nitentiæ, ac retractationis ſignis uberior. Sincera Chriſti caritas magiſtra ſit, quæ linguam, & animum moderetur, & dirigat: & tum mutua reconciliatio ad leges evangelicæ benevolentiæ continget. Vera eſt doctrina qua ſtatuitur, iuxta diverſitatem perſonarum tum conviciantium, tum iniuriam patientium moderanda eſſe reconciliationis officia. Aliis verbis uti poteſt Eques in ſedando plebeii animo, quem contempſit, ac alter plebeius, aut parum plebeio ſuperior.

VII. D. Auguſtinus, quem omnes Theologi ſequuntur, ad compenſandam læſionem honoris, & retractandam contumeliam ac convicium in ſua Regula veniæ petitionem præſcribit. Hanc eſſe certiorem compenſationis rationem adfirmant omnes. Nam conviciator ſpernit, deprimitque fratrem ſuum. Ergo compenſari inæqualitas melius nequit, quam ſi ille qui turgidus, & ſuperbiens ſupra alterum ſe extulit, infra alterum ſe demittat, eique ſubiiciatur. Hic modus ſemper tutior, & certior eſt, non ſemper tamen neceſſarius; ſi alia via, mutua & ſincera reparari benevolentia queat. Ab hac veniæ petitione excuſat Auguſtinus ipſe Prælatos, qui plus æquo ſubditos contumeliis affecerint: *ne*, inquit, *dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*. Hunc textum allegant Theologi omnes in Prælatorum favorem, omneſque Prælati eumdem uſurpant. At non omnes ſpiritum eiuſdem textus percipiunt. Senſus Auguſtinianæ regulæ eſt, ne Prælati gradum ſuæ dignitatis deſpicabilem reddant, ne penes ſubditos contemptibilem, minuſque reverendum conſtituant. Unde quoties nimia illorum humilitas, & abiectio frangendæ, aut remittendæ auctoritati deſerviret, a venia petenda abſtinere illi deberent. Ceterum Auguſtiniana exceptio non ita univerſalis eſt, ut ſuperiores, & Prælati numquam veniam petere debeant; quando hæc veniæ petitio non frangendæ, ſed firmandæ auctoritati conduceret. Spectanda ergo & iſtis ſunt hæc omnia, contumeliæ gravitas, exceſſus convicii, ſubditorum qualitas. Et ſi, his omnibus ſpectatis, veniæ petitionem opportunam noverint, eam ipſi quoque adhibeant. Interdum timor remittendæ auctoritatis nil aliud eſt quam ſuperbiæ, aut repugnantiæ ſe ſe humiliandi fucus. Ego ſane, inquit Ludovicus Molina *Tom. IV. tract.* IV. *diſp.* XLVI. *num.* 7. non video quid auctoritatis amitteret Prælatus, qui, opportunitate circumſtantiarum ſpectata, privatim genuflecteret ante ſubditum, quem plus iuſto contumeliis affecit, diceretque: Parce, quod apud te exceſſi: Cognoſco me in correctione modum exceſſiſſe, verbiſque nimium contumelioſis uſum fuiſſe. Fateor, hæc ſemper præſtare Prælatum dedecere ob ſubditorum imprudentiam, aut pervicaciam. Frequenter enim tam imprudens eſt quorumdam ſubditorum frons, ut contumeliarum acrimonia egeat. Ceterum, ſi ſubditi offenſi prudentes ſint, & pii, & evangelicæ legis periti, Prælatus non ſolum non minuet apud ipſos auctoritatis gradum, veniam petendo, & ſe coram illis humiliando; ſed eos mirum in modum ædificabit, atque obſequentiores erga ſupe-

periores efficiet. Hoc exemplo iſti edocti cautiores in poſterum erunt, ut abſtineant a quacumque iraſcendi occaſione danda Prælatis.

VIII. Diſputant Theologi, ſufficiens ne ſemper ſit ſatisfactio pro quacumque iniuria, etiam graviſſima, veniæ petitio? Alapam viro nobili impegit homo plebeius. Plene ne ſatisfacit, ſi veniam poſtulet? Adfirmant Leſſius, Bonacina, Trullenchus, & alii. Verum lumen ipſum naturæ oſtendit, ſatisfactionem quamlibet æquare debere iniuriam, damnumque, ſive in fama, ſive in bonis fortunæ irrogatum. Petitio veniæ neceſſaria & ſufficiens eſt, ſi verbis contumelioſis offendiſt hominem tibi parem, aut non valde digniorem. Quis autem dixerit ad nihil aliud amplius præſtandum te adſtringi, ſi alapa, aut fuſte percuſſeris nobilem, ſuperiorem, Prælatum, vel atrociſſimis conviciis eoſdem affeceris? Vera ergo ſententia eſt, iniuriæ gravitati qualitatem reſpondere ſatisfactionis debere. Igitur ultra veniæ petitionem, quæ pro minori iniuria neceſſaria & ſufficiens eſſet, flectere genua, manus iungere, cervicem demittere, ſupplices porrigere preces iniuriator debet, plus minuſve, prout arbitrio prudentum viſum fuerit. Qua enim menſura conviciorum proximum oppreſſit, eadem debet illi compenſationem præbere. Quælibet ſatisfactio exhibita, ſive pro damno pecuniarum, ſive pro læſione famæ, reſpondere debet diffamationi, & damno temporali. Quidni ergo ſatisfactio pro læſione honoris æquare iniuriam debebit?

IX. Hæc ſatisfactio exhibenda ab iniuriatore eſt, etiamſi offenſus illam non poſtulet, nec iudicis ſententia ad eamdem exhibendam compellat. Nec ſibi perſuadere conviciator debet, ſe ab hoc onere ſatisfaciendi ſolutum eſſe, eo quod offenſus familiariter ſecum converſetur. Nam familiaris converſatio, ſicut non ſufficit ut dicatur remiſſum eſſe debitum reſtituendi pecunias, ita non ſufficit ut credatur remiſſum eſſe debitum compenſandi honorem læſum. Præterea, quia offenſus legem evangelicam implet dimittendi iniurias, & bonum pro malo reddendi, ideo ne conviciator liber erit ab implendo præcepto evangelico reſarciendi honorem læſum, & ſe cum offenſo reconciliandi? Accedit quod, licet offenſus ex corde condonet iniuriam, ut debet, converſeturque familiariter cum offenſore, non hinc tamen ſequitur, ipſum renuntiaſſe iuri exigendæ ſatisfactionis. Nam lex evangelica, quæ præcipit iniurias remittere, minime vetat exigere compenſationem iniuriæ ab offenſore irrogatæ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

De reſtitutione famæ per detractionem, vel calumniam obſcuratæ.

I. De reſtitutione rerum fuſe in tractatu de iuſtitia dicturus ſum. In præſens ſolius famæ reſtitutionem explicandam aggredior. Primum omnium notio reſtitutionis præire debet. Hæc porro eſt eius finitio, quam S. Thomas tradit 2. 2. quæſt. lxii. art. 1. *Reſtituere nihil aliud eſſe videtur quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ. Et ita in reſtitutione attenditur æqualitas iuſtitiæ ſecundum recompenſationem rei ad rem; quod pertinet ad iuſtitiam commutativam. Et ideo reſtitutio eſt actus commutativæ iuſtitiæ; quando ſcilicet res unius ab alio habetur, vel per voluntatem eius, ſicut in mutuo, vel depoſito; vel contra voluntatem eius, ſicut in rapina, vel furto.*

II. Hanc reſtitutionem neceſſariam eſſe ad ſalutem aſſequendam, evincit Doctor ſanctus *art.* 2. ubi primum profert auctoritatem S. Auguſtini ex *epiſ.* cliii. alias liv. ad Macedonium, quæ refertur xiv. quæſt. vi. cap. 5. *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſed (ut dixi) cum reſtitui poteſt.* Quæ enim ſunt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate, ut dicitur, medii, pendentque ab actu exteriori, ut reſtitutio, baptimus, & cetera id genus, quæ non ſunt in hominum poteſtate, non eſt neceſſe ut ſemper ponantur re, quia ſemper fieri id nequit; ſed ſat eſt ea voto, ſeu voluntate cupere.

III. Convenit penes omnes, non minus famæ quam bonorum, ſeu divitiarum neceſſariam eſſe reſtitutionem. Porro detractor duo bonorum genera rapere proximo valet. Alterum ſemper aufert, nempe famam; alterum quandoque, nempe bona temporalia, quorum iactura infamiam conſequitur. Hæc duo bonorum genera reſtituere debere ex iuſtitia detractorem, aſſerunt omnes, quando iniqua detractione eadem proximo rapuerit. Id ſolum in diſcrimen vocari poſſet, ſit ne neceſſaria reſtitutio, quando abſque culpa detractoris hæc damna proximus paſſus fuerit. Sit igitur

IV. Quæſt. I. *Qui alium inadvertenter, ſeu materialiter infamavit, obnoxius ne reſtitutioni eſt tum famæ, tum damnorum quæ hinc conſequuntur?* Reſp. Contingit interdum bona fide, & præter voluntatem te alium infamare, ut quando crimen narras, exiſtimans eſſe publicum, quod non eſt; vel credens eſſe verum, quod alioquin eſt falſum; vel putans defectum eſſe parvi, aut nullius momenti, hiſque ſimi-

ſimilibus modis; vel denique ex mentis ſubreptione, & linguæ facili lapſu, ac invincibili ignorantia ſcelus pateſeciſti. Communis, & vera ſententia eſt, te iuſtitiæ lege devinctum eſſe famæ reſtitutioni continuo ac ſcis læſam a te fuiſſe proximi famam. Si enim, cum primum tibi infamatio proximi conſtat, reſtitutionem negligas; illico prava voluntate perſiſtis in alterius famæ detentione. P. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* 11. *num.* 1243. refert Bonamſpem, Haunoldum, Stephanum, & Dicaſtillum, aſſerentes hanc reſtitutionem lege tantum caritatis, ſecus iuſtitiæ, neceſſariam *probabiliter* eſſe: quam opinionem cum non reiiciat *P. La-Croix* ut improbabilem, vi ſui Probabiliſmi ſequendam lectoribus ſuis relinquit; quamvis ipſe contrariam defendat. Nos vero, ut falſam, & improbabilem, præfatam opinionem repellentes, cum communi Theologorum ſententia dicimus, vi iuſtitiæ te adſtrictum eſſe ad hanc reſtitutionem. Neque eſt quod nomen reſtitutionis cavilleris, nempe hanc oriri aut ex iniuſta rei acceptione, aut ex re accepta, aut ex contractu; hic autem neque contractum eſſe, nec iniuſtam acceptionem, nec rem acceptam. Nam, ſi ſciens a te factam famæ læſionem, illam non reparas, cum poſſis, rem acceptam iniuſte retines. Infamia non retinetur manibus, ut pecuniæ, ſed voluntate. Cum tibi conſtat obſcuratam a te fuiſſe famam proximi, & eum reſtituere in illum, a quo deieciſti, gradum voluntate prava reſpuis; famam eius iniuſte retines. Præceſſit quippe res accepta, cum reapſe abſtuleris famam. Porro lex iuſtitiæ non ſolum vetat malum inferre, verum etiam malum continuare. Obvia ſunt exempla. Fortuito domum, ſegetem, aliaque aliena bona incendis, voluntate omnino inculpata. Advertis te eadem bona incendiſſe. Nonne reus omnium damnorum evaderes, ſi cum primum id adverteres, impedire damna negligeres? Eadem prorſus ratione, reus alienæ infamiæ evadis, & reſtitutioni obnoxius, quoties eamdem reparare, cum poſſis, omittis. Advertunt tamen, minorem eſſe obligationem famæ reſtituendæ in illo qui abſque ulla culpa famam læſit, ac in illo qui iniqua voluntate eam abſtulit. Hic cum gravi detrimento bonorum, famæ, & etiam quandoque cum vitæ diſpendio famam reſtituere adſtringitur; ſecus ille, ſed tantum, cum commode poſſit, reſpectu infamiæ, vel damnorum, quæ abſque culpa ſua evenerunt. Nam reſpectu infamiæ, & temporalium malorum, quæ illius notitiam, & pravam reſtitutionis omiſſionem conſequuntur, paris eſt cum iniquo detractore conditionis. Si quis uni detraheret, & auditores intelligerent de alio, lege iuſtitiæ deberet detractor palinodiam canere.

V. Quæſt. II. *Infamator tenetur ne famam reſtituere tantum coram ſuis auditoribus, an etiam coram illis quibus iſti malum auditum manifeſtarunt?* Reſp. P. Buſembau per accidens excuſat detractorem a reſtitutione famæ coram auditoribus mediatis, ut vocant: tum ob moralem impoſſibilitatem, tum quod, dum ſe retractat coram auditoribus immediatis, tacite committit iſtis, ut hanc retractationem

Digitized by Google

nem aliis indicent, ſi quibus forte revelaverint detractionem auditam. Idque praxis Confeſſariorum confirmat. P. Claudius La-Croix, eiuſdem P. Buſembau commentator, ſcribit *Lib. III. part.* 11. *num.* 1242. *probabilia* eſſe quæ docet P. Buſembau; ſed probabilius dicendum eſſe, ut ſequitur. Si detractor famam læſit coram auditoribus, quos prævidit aliis revelaturos crimen detectum, tum tenetur coram iſtis etiam auditoribus mediatis ſe retractare; ſi auditores immediati id præſtare nolint, aut negligant. Si contra prudenter præſumpſerit detractor, ſuos auditores immediatos nemini manifeſtaturos delictum; tum liber eſt a retractatione coram auditoribus mediatis. Hæcque ſententia communis eſt. Sed P. La-Croix probabilem vocando ſententiam Buſembau, quam etiam docet Lugo *Tom. I. de iuſt. diſp.* v. *ſec.* 1. *num.* 29. vi ſui Probabiliſmi licitam in praxi proponit ſuis lectoribus. Probabilem quoque appellant hanc opinionem Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 9. *num.* 123. Illud apud omnes convenit, ad impoſſibile teneri neminem. Alterum quoque certum eſſe debet, nempe omni meliori modo, quo fieri poteſt, famam eſſe reſtituendam. Qui coram aliis detrahit, raro, attenta hominum infirmitate, & vehementi in hoc vitium propenſione, præſumere prudenter valet, hos non eſſe aliis idem crimen revelaturos. Idque experientia compertum eſt. Quare, ſi iſti non ſe retractaverint, tenetur detractor primus, cum moraliter poſſit, ſe coram auditoribus etiam mediatis retractare. Qua enim lege liberari ab hac retractatione is valet? Sua detractione in cauſſa fuit ut alii crimen evulgarent: quia, ut dixi, ſpectata hominum ſive infirmitate, ſive malitia, communiter id accidit. Iſti negligunt debitum ſuum implere. Detractor poteſt damnum reparare, ut ſupponimus. Cur ergo ab hoc onere liber erit? Qui in alicuius agro ſegeti ignem applicat, integri damni reus eſt, ſi priores ſuccenſæ partes alias comburant. Utique diſpar ratio eſt: ignis enim naturalis ſemel applicatus neceſſario agit; ignis vero detractionis non niſi hominum prava voluntate propagatur. At, quando detractor prævidet, uti prævidere poteſt, & tenetur, ignem hunc concrematurum apud plurimos fratris ſui famam, iam cauſſa voluntaria eſt totius damni. Spectandæ tamen circumſtantiæ ſunt, & moralis poſſibilitas reſtitutionis. Si detractor ſub ſecreto alicui manifeſtaſſet delictum, & hic arcani violator aliis revelaſſet; tum liber ille eſſet a retractatione coram auditoribus mediatis: quia omnino præter illius voluntatem malum accidiſſet. Verum hoc etiam in caſu, ſi commode reparare detractor malum poſſet, caritatis lege videtur id præſtare debere: quia ſemper verum habet quod, ſi ille ſiluiſſet, proximus non ſuccubuiſſet infamiæ.

VI. Quæſt. III. *Iniuſtus detractor tenetur ne præter reſtitutionem famæ temporalia damna reſarcire?* Reſp. Damna temporalia conſequi diffamationem poſſunt bifariam. Per accidens, nempe non vi diffamationis, ſed ex alia cauſſa. Impoſuiſti Titio furtum, ſacrilegium &c. Ille in deſperationem actus, laqueo ſe ſe ſuſpendit.

Mors

Digitized by Google

Mors iſta non proficiſcitur ex diffamatione, ſed ex prava voluntate diffamati. Alia conſequuntur per ſe. V. g. Detexiſti iniuſte, vel impoſuiſti Petro furtum. Ad tribunal traducitur: plura expendit, ut ſe defendat: damnatur ut reus. Omnia hæc damna compenſare adſtringeris. Capitale crimen affingis Sempronio, ob quod capitis pœna plectitur. Ea damna reſarcire teneris, ac ſi fuiſſes reapſe homicida. Quoniam tua iniuſta detractio cauſſa fuit eiuſmodi malorum. Et qua ratione teneris compenſare damna ex iniuſta tua detractione poſitive derivata, eadem aſtringeris reſarcire bona quæ ob tuam detractionem infamatus non eſt aſſecutus. Ob tuam detractionem iniuſtam Petrus reiectus eſt ab illo beneficio, gradu, & dignitate, puella a nuptiis contrahendis &c. Tu debes reſarcire omnia hæc damna, non quidem in totum, ſed in partem, iuxta arbitrium viri prudentis, plus vel minus, prout maior aut minor erat conſecutionis fiducia. Quod intelligendum eſt, dummodo diffamatus dignus fuerit officio, gradu, & dignitate. Si enim indignus fuiſſet, ſola eſſet fama reſtituenda.

VII. Quid, ſi crimen narratum verum ſit? P. Dominicus Soto, Bonacina, Trullenchus, Leſſius probabilem reputant opinionem, negantem neceſſitatem integræ reſtitutionis damnorum, quando crimen occultum revelatum verum ſit. Quoniam omnia damna in integrum reſtituere tenetur ille ſolum qui calumniatur, ſeu falſum crimen imponit. Ergo qui verum crimen revelat, partem tantum reſarcire debet. Nam minus eſt, verum occultum delictum detegere quam falſum imponere. Ergo revelator veri delicti minus reſtitutionis debitum contrahit quam calumniator. Accedit quod damnum infamati, non ex ſola revelatione, ſed ex ipſo vero delicto ſequitur.

VIII. Contraria ſententia communis eſt, & vera. Quandoquidem manifeſtatio delicti occulti, tametſi veri, integra eſt damnorum cauſſa. Quamdiu enim delictum, quamquam verum, occultum manet, nil damni infert auctori talis delicti. Ergo manifeſtatio eſt tota, & unica cauſſa damnorum quæ patitur infamatus. Delictum enim occultum, ut occultum, reſpectu damni inferendi non plus nocet quam ſi non eſſet. Ergo ſola manifeſtatio eſt tota cauſſa cuiuſcumque damni, cui ſubiacet infamatus. Utique minus peccatum perpetrat qui revelat crimen verum occultum quam qui affingit falſum. At, ad malum inferendum quod attinet, perinde ambo ſe habent.

IX. Quæſt. IV. *Detractore ante reſtitutionem denato, tranſit ne ad heredes famæ reſtituendæ obligatio?* Reſp. Communis ſententia diſtinguit. Reſtituendæ famæ onus extinguitur morte detractoris: debitum enim redintegrandæ famæ perſonam afficit detrahentis. Hac ſublata, evaneſcit omnis obligatio. Simili ratione non tenentur heredes implere vota perſonalia defunctorum. Reſtitutio contra damnorum quæ diffamationem conſequuntur, ad heredes tranſit ob oppoſitam rationem, quod nempe

Digitized by Google

pe hæc reſtitutio afficiat non perſonam, ſed bona eiuſdem perſonæ. Quapropter hæc bona cum hoc gravamine, & penſione tranſeunt ad heredes: qui, ſicuti alia defuncti debita, ita & iſtud ſolvere tenentur. Si vero qui diffamatus fuit, mortem obierit, redintegrandus eſt in ſuæ famæ poſſeſſione: quamvis enim ſit mortuus, ius retinet ad famam ſuam; idcirco illi ſoli reſtituenda eſt, ſi læſa fuit. Hæc omnia communia ſunt, & obvia, quæ maiorem non poſcunt explicationem.

CAPUT XIII.

De modo quo reſtituenda fama eſt, ſive per calumniam, ſive per detractionem denigrata.

I. Debitum reſtituendæ famæ pervium omnibus eſt. Modus quo illud ſolvendum ſit, difficultatem non levem in praxi habet. Antequam quæ communiter Theologi docent, refero, doctrinam S. Thomæ præmittere iuvat. Hæc porro ſcribit Angelicus 2. 2. quæſt. lxii. art. 2. ad 2. *Aliquis poteſt alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo, & iuſte; puta, cum aliquis crimen alicuius prodit ordine debito ſervato: & tunc non tenetur ad reſtitutionem famæ. Alio modo falſum dicendo, & iniuſte: & tunc tenetur reſtituere famam, confitendo ſe falſum dixiſſe. Tertio modo verum dicendo, ſed iniuſte; puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad reſtitutionem famæ, quantum poteſt, ſine mendacio tamen; utpote quod dicat ſe male dixiſſe, vel quod iniuſte eum diffamaverit: vel ſi non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare.*

II. Summopere perpendenda ſunt illa verba, *quantum poteſt*, quorum ſenſus eſt, omni meliori modo quo fieri poteſt, reſtituendam eſſe famam: quod & Caietanus in commentariis ad hunc articulum animadvertit. Circumſtantiæ omnes ſpectandæ ſunt, & ea ſeligenda eſt reſtitutionis ratio quæ expedientior iudicatur proximi famæ redintegrandæ.

III. Porro, ut ſigillatim duo modi ab Angelico propoſiti explicentur, de ſecundo aliquid dicendum occurrit. Qui itaque alteri calumniatus eſt, falſum crimen imponendo, debet ſe retractare, teſtando ſe falſum dixiſſe. Si advertat inefficacem eſſe, & languidam hanc ſimplicem retractationem, quod auditores fidem adhibituri non ſint, addere iuramentum debet: quoniam caritatis, & iuſtitiæ lege omnia tentare debet, ut in priſtinam famam fratrem ſuum reſtituat. Quod ſi nec iuratæ retractationi fidem adhibere auditores vellent, aliqui contendunt aſſumendos teſtes eſſe. Negant alii: quia, ſi retractationi, & iuramento credere nolunt, iſto-

iſtorum pervicaciæ, & obſtinatæ malitiæ tribuendum eſt. Tutius, & verius dicendum, hoc ex circumſtantiis pendere. Si detractor deprehendat teſtium confirmationem medium fore validum ad delendam e mente auditorum infamiæ maculam, ſua calumnia partam; teſtes etiam adhibere debebit, vi illius principii D. Thomæ, quod reſtituere, *quantum poteſt*, debet. Si contra prudenter iudicet nec iuratæ aſſertioni, nec teſtium confirmationi auditores ſuos fidem adhibituros; tum ad id non tenetur: quia tum tota calumniæ iniquitas recidit in pervicaces, & obſtinatos auditores.

IV. Reſtitutio famæ denigratæ manifeſtatione veri criminis illa eſt quæ tale faceſſit negotium, ut varia ſint Theologorum placita. Modus quem pro hac reſtitutione S. Thomas aſſignat, hic eſt. *Dicat, ſe male dixiſſe, vel quod iniuſte eum diffamaverit: vel, ſi non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare.* Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *punct.* 9. *num.* 13. animadvertunt cum Ledeſma, aliiſque Thomiſtis, hunc reſtituendi modum, D. Thomæ tempore congruum fuiſſe, quando homines ſimpliciores erant, minuſque in malitia exercitati; ſecus in præſentiarum. Homines enim huius temporis callidi, & vafri, ac in omni malitia nequiſſime eruditi, ex hoc retractationis modo potius confirmantur in perſuaſione diffamati. Colligunt enim detractorem, ſtimulis conſcientiæ percitum, ſe ſe retractare: &, cum audiunt illum dicentem, ſe male, vel iniuſte proximum diffamaſſe, inferunt verum eſſe quod revelavit. Hæc ſunt verba Salmanticenſium. *Sed hic modus, ut notant Caietanus, & Ledeſma, & communiter Thomiſtæ, illo tempore D. Thomæ ſufficiens erat, quando non tanta malitia erat in mundo . . . Ceterum, quia malitia crevit, & plures ex illo modo potius colligunt detractorem verum dixiſſe* &c.

V. Secundus modus, quem Caietanus in *cit. art.* 2. aſſignat, eſt, quod, ſi reſtitutio deſcripto modo facta nocumentum ſit illatura infamato, omittenda ſit, ut inutilis; & melius ſit, opportunitate oblata, ex animi ſententia laudibus efferre infamatum, illius virtutes deprædicare, &, quoad fieri poteſt, in priorem famæ gradum reducere. Qui modus optimus eſt, & ab ipſo D. Thoma indicatus illis verbis, *quantum poteſt*. Verba proxime relata D. Thomæ formulam unam retractationis produnt, ut illa utaris, ſi fuerit opportuna, & congrua cognita. Ceterum, ſi ob auditorum vafritiem minus apta hæc retractationis ratio diiudicetur, tunc, inquit Doctor ſanctus, reſtituatur quantum poteſt.

VI. Salmanticenſes *loc. cit. num.* 131. ſubdunt tertium adhibendum modum, quando duo recenſiti minus apti iudicentur. Modus iſte eiuſmodi eſt. *Detractor teſtetur, ſe neſciviſſe quod dixit, ſe deceptum fuiſſe, & falſum dixiſſe iſta vel illa forma: Quando illud dixi, putabam me verum dicere; ſed, re melius inſpecta, reperio me falſum dixiſſe.* Advertunt, graviſſimos Theologos hanc retractationis formulam

lam improbare, utpote apertis mendaciis ſcatentem. Quoniam, dum detractor dicit, ſe falſum dixiſſe, *ſe mentitum fuiſſe* revelando delictum verum proximi, mendacium profert. Siquidem, quamvis licitum ſit interdum æquivocationibus uti, numquam tamen mendacium permiſſum eſt. Mendacium autem eſt contra mentem ire, ſeu quidquam ore enuntiare quod contrarium ſit menti vero adhærenti. Porro, cum detractor crimen verum revelavit, ſane contra mentem non ivit, ſed ſecundum mentem: ſciebat enim verum eſſe delictum, quod enuntiabat. Ergo, dum in retractatione dicit, *ſe mentitum fuiſſe* illud crimen manifeſtando, patentiſſimum mendacium profert. Sic docent, ut referunt ipſi Salmanticenſes, Dominicus Soto *Lib. IV. quæſt.* VI. *art.* 3. *ad* 4. Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxII. *art.* 2. *ad* 2. Bannez 2. 2. *quæſt.* lxII. *art.* 2. *dub.* 8. *concl.* 3. *ſ.* 3. Aragon. 2. 2. *quæſt.* lxII. *art.* 2. Sylvius 2. 2. *quæſt.* lxII. *art.* 22. *quæſt.* xxII. Bonacina *diſp.* II. *quæſt.* IV. *punct* 15. *num.* 2. Toletus *Lib. V. cap.* lxx. *num.* I. Armilla *verbo* Reſtitutio *num.* 41. Sylveſter *verbo* Mendacium, *verb.* Iuram. & plures alii apud Dianam.

VII. Hæc ſententia minime arridet Salmanticenſibus, neque eidem ſuffragari S. Thomam contendunt. Ad hanc vero confutandam talem excogitarunt diſtinctionem *loc. cit. num.* 132. „ Aliud eſt (inquiunt) quod cum mendacio non poſſit famam alterius diffamator reſtituere (quod omnes Catholici aſſerunt; cum mendacium ſit ex his malis quæ nulla ratione honeſtari poſſunt) aliud, quod dicendo in noſtro caſu, *ſe falſum dixiſſe*, *ſe erraſſe*, *ſe mentitum eſſe*, *mentiatur* Primum, dicit D. Thomas, fieri non poſſe, quod nemo negat; non aſſerit ſecundum. Sed non eſſe mendacium, eius doctrinæ valde conforme eſt: nam *I. P. quæſt.* XVII. *art.* I. ait: *Ipſa peccata falſitates dicuntur in Scripturis, ſecundum Pſal.* IV. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Igitur, cum iniuſtus detractor, etſi verum dicat, detrahendo peccaverit, non mentitur, ſi dicat, ſe falſum, aut mendacium dixiſſe; cum omne peccatum ſecundum Scripturam ſit mendacium.“

VIII. Hanc ſententiam ex inſtituto confutavi in ſecundum Decalogi mandatum Paucis nunc me expediam. Tempore S. Thomæ, inquiunt citati Theologi, minor erat malitia hominum; crevit autem hæc in immenſum ætate noſtra. Dicamus ergo, cum hominum malitia creviſſe quoque plurium Theologorum acumen, & ſubtilitatem. Maior tempore S. Thomæ hominum ſinceritas; maior & Theologorum candor. Veteratores facti nunc homines ſunt; & ſagaciores, verſutioreſque iuniores aliqui Caſuiſtæ evaſerunt. Hanc tamen iuniorum doctrinam conceptis verbis improbat Doctor ſanctus tum 2. 2. quæſt. lxII. art. 2. ad 2. *Tertio modo verum dicendo, ſed iniuſte; puta, cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad reſtitutionem famæ, quantum poteſt, ſine mendacio tamen:* tum in IV. Sent. diſt. XIV. quæſt. II. art. 5. quæſtiunc. 2. ad 3. *Si autem intentione infamandi hoc fecerit, iniu-*

Vu ij *ſte*

ſte aufert, etiamſi verum ſit quod dicit. Et tunc tenetur ad famæ reſtitutionem, vel dicendo ſe falſum dixiſſe, ſi falſum dixit; vel quocumque alio modo, non mentiendo, ſi verum dixit. Sine hoc tamen quod ſe verum non dixiſſe dicat: quia non debet alterius famam cum mendacio reſtituere.

IX. Conferantur nunc formulæ quas pro retractatione aſſignant in propoſita quæſtione docti iuniores, cum formulis quas D. Thomas reprobat. Salmanticenſes cum pluribus aliis Probabiliſtis docent, poſſe, & debere detractorem teſtari, *ſe falſum dixiſſe, ſe erraſſe, ſe mentitum eſſe, ſe neſciſſe quod dixit.* Sanctus Thomas conceptis verbis oppoſitum docet in duobus adductis textibus, & maxime in ſecundo, ubi inquit: *Sine hoc tamen quod ſe verum non dixiſſe dicat: quia non debet alterius famam cum mendacio reſtituere.* Salmanticenſes in Veneta editione anni 1728. qua utor, mutilum efferunt hunc S. Thomæ textum: nam omiſſa eſt particula illa *non*, in illa periocha, *Sine hoc tamen quod ſe verum non dixiſſe dicat.* Sic enim legitur apud eoſdem: *Sine hoc tamen quod ſe verum dixiſſe dicat.* Aperte ergo S. Thomas, & tanta perſpicuitate docet, non poſſe detractorem aſſerere, ſe falſum dixiſſe, aut verum non dixiſſe, quando reapſe verum crimen fuit, ut nulla queat tergiverſatione eludi.

X. Quæ contra obiiciuntur ex Scriptura, vana prorſus ſunt, videlicet peccatum in Scriptura mendacium appellari, ut Hierem. VIII. *Omnes apprehenderunt mendacium*, ideſt peccatum: & infra: *A Propheta uſque ad Sacerdotes omnes faciunt mendacium*, hoc eſt peccatum. Et tardem Marci XIV. *De die autem illo nemo ſcit nec Filius hominis*, hoc eſt ad revelandum. Cedo. Latebant ne hæc omnia S. Thomam? Nemo id dixerit. Et tamen docet, detractorem non poſſe aſſerere, ſe falſum dixiſſe, dum crimen verum revelavit: *quia non debet alterius famam cum mendacio reſtituere.* In certis ergo Angelicus habet, detractorem mendacium proferre, ſi dicat, ſe *verum non dixiſſe.* Si aliquo modo de mendacio purgari hæc verba poſſent beneficio æquivocationum, & amphibologiarum, hoc ne ignoraſſet Aquinas? Nonne is hanc noſtram quæſtionem verſat omnibus circumſtantiis veſtitam?

XI. Clarius mens Angelici exponitur. Supponit ille, detractorem in famæ reſtitutione mendacium proferre poſſe. Quæro ab adverſariis: qua alia via mentir hac in cauſſa detractor poteſt, niſi dicendo, *ſe verum non dixiſſe*, quod verum fuit; *ſe mentitum eſſe*, quando reapſe verum dixit? Ergo aut negare adverſarii debent, detractorem poſſe in famæ reſtitutione mendacium proferre; aut concedant neceſſum eſt, mendacium evomere, dum aſſerit eſſe falſum quod verum eſt, &, ut verum, a ſe cognitum falſum enuntiat. Quod mendacium Scriptura peccatum vocet, ideo ne infertur, mendacium me dicere, dum aio, Petrum commiſiſſe hoc mendacium, ſeu peccatum, quod revera commiſit? Si hæc vera forent, actum

eſſet

eſſet de humana ſocietate. Quare nihil ineptius dici poteſt quam eiuſmodi reſtrictiones mentales licitas eſſe, & verba amittere ſignificationes formales, quia id expedit bono communi; cum immo, admiſſa recentiorum doctrina, omne civile commercium perturbetur. Hæc iuniorum doctrina de mendaciis ſimilis eſt doctrinæ de uſuris. Ut dogma catholicum, omnes deteſtantur uſuram ſive cum paupere, ſive cum divite. At uſuram hanc vix umquam in humano commercio reperiunt; ut palam fiet, dum hanc perdifficilem materiam explicabo. Sic mendacia deteſtantur. Mendacium proferre, ut famam reſtituat, nullo modo detractor debet. At hic detractor in famæ reſtitutione mentiri nequit, quacumque ratione loquatur; ut ex recitatis formulis patet.

XII. Accedit hunc tertium modum a doctis iunioribus; nempe a Villalobos, Sayro, Navarro, Sanchez, Trullencho, Ledeſma, Lugo, Serra, Tamburino, aliiſque excogitatum, ad finem intentum non eſse ceteris meliorem. Si dicat detractor, ſe iniuſte detraxiſse Petro, ſe erraſse manifeſtando illud delictum; aſtuti auditores inferunt, verum fuiſse crimen, &, conſcientia lancinante, fieri retractationem. Eſto. At, nonne verſuti Caſuiſtæ, ſagaceſque Caſuiſtarum lectores idem prorſus colligent, dum audiunt detractorem dicentem, ſe mentitum fuiſse? Doctrina hæc ſapientum iuniorum pervia iam omnibus facta eſt, nimirum in reſtitutione famæ mendacium non eſſe mendacium.

XIII. Concludamus ergo, quod, ſicut tempore D. Thomæ minor erat, adverſariorum ſententia, malitia, homineſque ſimpliciores *formulario* præſcripto a S. Doctore fidem adhibebant; ita tum Theologia ſimplicior, candidior, & ſincerior erat, a vanis ſubtilitatibus immunis, quæ mores hominum divinæ legi, non Dei legem moribus, & corruptelis hominum ſubiiciebat.

XIV. Pulſis ergo mendaciis, ille ſeligatur in praxi modus qui, ſpectatis circumſtantiis, aptior iudicatus fuerit. Si prudenter prævideatur, modum præſcriptum a S. Thoma congruum eſſe, hic adhibeatur. Si timeatur, hunc modnm in talibus circumſtantiis obeſſe potius quam prodeſſe; reſtituatur, inquit idem Angelicus, quantum fieri poteſt: videlicet laudibus celebrentur virtutes offenſi, illius dotes, & prærogativæ prudenter, ac magna dexteritate, ſublata adulatione, extollantur. Hic modus, omnibus ſpectatis, ſi caritatis, prudentiæ, & dexteritatis legibus directus ſit, ſuavior, facilior, & ſecurior erit ab omni periculo, vel excitandi recordationem obliti criminis, vel confirmandi auditores in prava perſuaſione. Hinc colliges, quam periculoſum ſit crimen iſtud. Ex difficillimo medicinæ uſu diſce cuſtodire linguam tuam ab hoc morbo. Lingua clavus eſt humanæ cymbæ, inquit S. Iacobus. Si clavus iſte fractus ſit, nulliſque coercitus habenis, continuo naufragio cymba peribit.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De cauſſis a famæ reſtitutione excuſantibus, & potiſſimum de mutua infamiæ compenſatione, quam plures iuniores defendunt.

I. PLures ſunt cauſſæ quas Theologi aſſignant pro excuſatione a debito reſtituendæ famæ. Prima eſt, quando abſque culpa, & iniuſtitia famam proximi læſiſti; ut quando peccatum revelatum fuit verum, & notorium iure, vel facto. Secunda eſt, ſi detractio fuit non contra iuſtitiam, ſed contra caritatem tantum. Sola quippe iuſtitiæ læſio onus imponit reſtitutionis. Sic qui audit detractionem, quin provocet detractorem, ſed tantum non refragatur, non peccat contra iuſtitiam, niſi ſit ſuperior; ſed dumtaxat contra caritatem. Tertia, ſi peccatum leve fuerit, & non mortale. Venialia enim per ſe non inferunt grave reſtitutionis debitum. Quarta, ſi detractionem non ſit conſecuta infamia. Quinta, ſi crimen quod tu narras, aut erat iam publicatum, aut brevi erat publicandum. Sexta, ſi auditores fidem non adhibeant; aut infamatus eſſet iam antea de ſimili crimine diffamatus. Septima impoſſibilitas reſtitutionis. Hæ ſunt generales cauſſæ quæ iuxta communem Theologorum ſententiam excuſant a famæ reſtitutione. Aliquæ nunc peculiares quæſtiunculæ diſcutiendæ ſunt.

II. Quæſt. I. *Reſtituenda ne fama ſit cum gravi detrimento, aut periculo?* Reſp. Duo diſtingui bonorum genera ſolent. Spiritualia, quæ ſupremum locum, & temporalia, quæ inferiorem occupant. Hæc rurſus in tres ordines dividuntur. In ſupremo ponuntur vita, libertas, corporis membra. In ſecundo honor, & fama. In poſtremo divitiæ, ſeu quæcumque pretio comparantur. Communis ſententia eſt, non eſſe reſtituendam famam cum detrimento bonorum ſuperioris ordinis, etiam naturalis. Quare, ſi immineat periculum mortis, ſervitutis, reciſionis alicuius membri in famæ reſtitutione, non urget reſtitutionis præceptum: quoniam fama eſt bonum inferioris ordinis ipſa vita. Num reſpectu alicuius viri ingenui fama interdum præferenda vitæ ſit, alibi dicetur. Nunc abſolute loquimur, & ſecundum ea quæ communiter eveniunt. Si tamen diffamatus in eodem periculo mortis, aut ſervitutis reperiretur; tum detractor etiam cum periculo vitæ ad reſtitutionem famæ eſſet obſtrictus: quia in pari cauſſa innocens præferendus eſt reo. Crimen capitale impoſuiſti proximo, qui propterea pœna mortis plectendus eſt: cum periculo mortis pandere adſtringeris veritatem. Potiori iure reſtituenda eſt fama cum diſpendio pecuniarum; ita ut, ſi ad reſtituendam famam neceſſaria ſit moderata pecuniarum iactura, ea ſubeunda ſit, ut fa-

ma

ma reſtituatur. Quoniam, etiamſi verum eſſet, famam pecuniis compenſandam non eſſe; fatentur tamen omnes, expendendas pecunias eſſe, dum hæ conducunt ad famæ reſtitutionem. Similiter in pari cauſſa detractor tenetur cum propriæ famæ detrimento alterius reſarcire famam. Quoniam ille alterum infamando ius amiſit ad propriam famam in pari caſu, in quo utriuſque æqualis conditio ſit: quia tunc ſemper præferendus eſt qui iniuriam, & vim fuit paſſus. Si vero detractor longe valde gravius infamiæ damnum ſubiret in famæ reſtitutione, quam illud quod paſſus eſt diffamatus; tunc liber a reſtitutione, ſeu retractatione detractor eſſet. Cum tanto quippe onere non urget reſtitutionis præceptum; & infamatus iniuſte exigeret reſtitutionem, quæ parum ſibi prodeſſet, magno vero foret alteri nocumento. Et hæc eſt communis ac probabilior opinio. Circumſtantiæ tamen ſpectandæ ſemper ſunt, præcipue perſonarum tum infamatoris, tum diffamati.

III. Quæſt. II. *Quando infamatus alia via ſuam recuperaverit famam, tenetur ne detractor ad reſtitutionem?* Reſp. Communis ſententia negat. Quoniam, ſi diffamatus in ſuo priſtino gradu reſtitutus fuerit, locus reſtitutioni nullus ſupereſt. Id patet in bonis fortunæ. Abſtuliſti pecunias ab aliquo. Si has dominus quacumque via aſſecutus fuerit, non adſtringeris ut eaſdem reſtituas. Si ergo homo diffamatus, aut propria virtute, aut aliorum auxilio, primo ſplendore famæ potiatur; nullo ulteriore compenſationis onere premeris. Id ſolum notandum eſt, quod, ſi tempore intermedio ſuæ diffamationis detrimentum aliquod paſſus fuerit, & hoc non reparaverit; ut ſi privatus fuerit gradu, dignitate, officio, ſi expenſas fecerit; hæc omnia iuxta prudentis viri arbitrium reſtituenda ſunt. Pro infamia quoque quam paſſus eſt, tempore intermedio neceſſaria eſt æqua compenſatio iuxta perſonæ qualitatem, vel veniæ petitione, vel honorem, & laudem tribuendo, aut aliquo alio ſigno pro varietate circumſtantiarum. Similiter, ſi infamia oblivione antiquata omnino fuerit, nulla eſt reſtitutionis obligatio. In hac quippe hypotheſi reſtitutio non redderet famam, ſed infamiæ cicatricem iam obductam refricaret. Tum vero dicitur infamia oblivione deleta, cum diffamatus ſpectatur, ut prius, ſuo gradu ſplendere, cum probabiliter præſumitur, nullam in auditorum animis inhærere malam de illo perſuaſionem: nec opus eſt interrogationibus memoriam criminis ſive veri, ſive falſo impacti renovare. Si tamen dubium ſit, utrum in mente auditorum obtineat irrogata diffamatio; tutior via ſeligenda eſt, & quod favet innocenti exequendum. Summa opus eſt dexteritate, & omnes circumſtantiæ ſerio expendendæ ſunt, ne in alterutrum extremum aut renovandæ infamiæ, aut negligendæ reſtitutionis impingatur. Tandem a reſtitutione excuſaris, ſi delictum revelatum publicum factum ſit. Si enim publicum fuiſſet, dum revelaſti, delictum, neque culpam, neque debitum reſtitu-

Digitized by Google

tionis contraxiſſes. Eadem ergo ratione a reſtitutione liber evadis, ſi poſt tuam revelationem flagitium publicetur. Advertas tamen velim, publicationem hanc dupliciter fieri poſſe. Aut enim facta fuit vi tuæ revelationis; & tunc obnoxius es reſtitutioni, & quidem graviſſime; omnemque induſtriam adhibere debes ut hanc publicam diffamationem de medio tollas. Aut diffamatio aliunde, quam ex tua manifeſtatione criminis, profecta eſt: & hoc in caſu præceptum reſtitutionis te non adſtringit. Damna tamen quæ tempore tuæ privatæ diffamationis paſſus eſt offenſus, reſarcire debes, ut iam ſupra dictum eſt.

IV. Quæſt. III. *Quando fama reſtitui nequit, compenſanda ne diffamatio pecuniis eſt?* Reſp. Diſputant in utramque partem Theologi. Sententia adfirmans ſequentibus nititur fundamentis. Antequam tamen rationes affero, pauca prælibo. Convenit penes omnes, detractorem debere infamiam irrogatam compenſare pecuniis, boniſque fortunæ, ſi is iudicis ſententia ad id adſtringeretur; vel ſi cum infamato pactum iniret, ut nempe hic ab intentatione litis, & querela data recederet, ſuſcepta obligatione exhibendi conſtitutam pecuniæ ſummam. Item omnes adfirmant, debere infamatorem, ſi dives ſit, pauperi infamato congruam pecuniæ ſummam elargiri, quando rem gratam eidem ſe facturum prævideat, & famæ reſtitutio ſit impoſſibilis. Id ſolummodo in diſputationem vocant, an, ſententia iudicis, vel privato mutuo pacto præciſis, ex ſola iuſtitiæ lege infamator adſtringatur pecuniis diffamationem compenſare, quando impoſſibilis ſit famæ reſtitutio.

V. Adfirmanti ſententiæ favere videtur D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxii. *art.* 2. *ad* 1. inquiens. *Dicendum, quod in quibus non poteſt recompenſari æquivalens, ſufficit quod ibi recompenſetur quod poſſibile eſt; ſicut patet de honoribus qui ſunt ad Deum, & ad parentes, ut Phil. dicit in VIII. Ethic. Et ideo, quando id quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt: puta, cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri.* Clarius hoc idem exprimit ad 2. ibidem. *Vel ſi non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicut & in aliis dictum eſt.*

VI. Reſponſum, quod ad has auctoritates exhibent P. Bannez 2. 2. *quæſt.* lxii. *art.* 2. *dub.* 4. *concl.* 2. & Salmanticenſes *tractat.* xiii. *cap.* ii. *num.* 86. non ſatisfacit. Reponit ergo Bannez hæc verba. *D. Thomas poteſt explicari, cum dicit*, Debet fieri; *hoc eſt, decet ut fiat, maxime in foro pœnitentiario, ubi Confeſſarius poteſt obligare reum ut ſatisfaciat pecuniis, vel honore parti læſæ attenta conditione utriuſque perſonæ. Et ad hoc fere ſemper obligat caritas: quia tali via componitur pax, & amicitia inter læſorem & partem læſam.* Hoc idem reſponſum tran-

Digitized by Google

tranſcribunt Salmanticenſes. Quam ſit infirmum, nemo non videt. Hac enim via omnia præcepta, & debita pro aliqua decentia, aut convenientia accipi queunt. An non diſtinguit Angelicus, ubi opus eſt, præceptum a conſilio, debitum iuſtitiæ a debito caritatis? Loco citato ex inſtituto potiſſimum commutantis iuſtitiæ officium, ut eſt reſtitutio, explicat. Hoc loco principii conſtituit. *Quando id quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliud æquale, debet fieri compenſatio, qualis poſſibilis eſt*. Sermo ergo eſt *de re reſtituibili*. Cedo. Res reſtituenda a qua lege præcipitur? A iuſtitia, vel a caritate? Cum ergo Doctor ſanctus afferat quod, dum reſtitutio non eſt poſſibilis per aliud æquale, *debeat fieri compenſatio, qualis poſſibilis eſt vel in pecunia, vel in aliquo bonore*, evidens eſt eum loqui de debito iuſtitiæ. Nihilque magis repugnat huic doctrinæ quam citatum interpretamentum de decentia, de convenientia, de debito caritatis. Quæro, utrum Confeſſarius iure valeat obligare pœnitentem infamatorem ad exhibendam pecuniam in compenſationem famæ denigratæ, an non. Si hoc ſecundum; reſponſum nihil dicit. Si primum; adeſt ergo præceptum caritatis compenſandi pecuniis famæ læſionem? Quod ſi admittatur, quæſtio potius verbalis erit, reſpectu ſaltem infamatoris, licet non reſpectu heredum. Nam difficultas eſt, utrum gravi præcepto infamator debeat loco famæ pecunias reſtituere. Quod autem hoc præceptum ſit inſtitiæ, aut caritatis, parum ei, vel nihil ſuffragatur; ſed tantum prodeſſe heredibus poteſt. Ceterum omnes norunt, legem caritatis debitum reſtitutionis non imponere. Quare aut nullum eſt debitum; aut, ſi adeſt, iuſtitiæ debitum eſt.

VII. Ratio ex ſe patet. Bonum famæ temporale eſt, atque pretio æſtimabile, valetque pecuniis compenſari. Id fateri coguntur adverſarii, dum concedunt, & iudicem, & Confeſſarium poſſe urgere infamatorem ad reſtituendas pecunias loco famæ. Si autem compenſari pecuniis valet, neceſſario conſequitur hanc pecuniariam compenſationem fieri debere. Damnum enim infamiæ illatum eſt. Famæ reſtitutio non eſt poſſibilis. Cur ergo fieri reſtitutio non debet per aliud bonum æquivalens? Cur detractor immunis ab hac compenſatione manere debet? Hæc rationum momenta probabilem reddunt hanc opinionem.

VIII. Obiiciunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* IV. *num.* 142. Sicut vita non eſt pretio æſtimabilis, ſic nec honor, aut fama, quæ ſunt ordinis ſuperioris ad pecunias; & ita ſuperant omnem pecuniarum ſolutionem: unde, ſi mille ſolvas, adhuc inferior debito manebit ſolutio; idemque, ſi centum millia. Non ergo pecuniis compenſanda fama eſt. Alioquin qui ſolvere creditorem nequiret, laudibus illum efferre deberet. Item ſequeretur eum qui alterum læſit in ſpiritualibus, debere illum pecuniis compenſare. Reſp. Ex his quæ dicta ſunt, evaneſcunt eiuſmodi argumenta. Quamvis enim fama pecuniis ſuperior ſit; non ita tamen al-

tio-

Digitized by Google

tioris ordinis eſt, ut pretio æſtimari, & reparari aliquo modo nequeat. Nonne id fatentur adverſarii omnes, dum iudex obligat inſamatorem ad hanc pecuniariam compenſationem? At, inquiunt, etſi mille ſolvas, inferior ſolutio erit ipſi famæ. Quid heinc, niſi quod non debeas reſtituere partem, quando non vales totum? Neque fama in genere famæ plene, & adæquate reſtitui ſemper poteſt. Ergo non obligabitur diffamator reſtituere quantum valet? Doctrina Angelici eſt, immo & omnium Theologorum, famam reſtituendam eſſe meliori ratione qua fieri valet. Qui non poteſt totam reſtituere, debet partem. Quamquam igitur pecuniæ non æquent famam ablatam, non propterea liber infamator eſt a poſſibili, & congrua compenſatione pecuniaria. Accedit compenſationem pecuniariam non ſolum æquare, ſed Interdum etiam ſuperare infamiam poſſe. Si pauperem, quem ut furem traduxiſti, Comitem ingentibus reditibus affluentem inſtitueres; id non ſolum æquaret, ſed longe excederet famæ ablationem. Quod ſi aſſeras, hominem ingenuum dedecori ſibi vertere pecunias in famæ compenſationem accipere; nihil contra hanc ſententiam opponis. Quoniam, ſi homo ingenuus, & nobilis nec pecunias vellet pro debito pecuniarum ſolvendo; tunc non teneretur debitor ſolvere. Conſenſu enim creditoris debitum extinguitur. Sententia præfata aſſerit, famam compenſari pecuniis poſſe. Quo poſito, infert ſolvendas reapſe pecunias eſſe, dum infamatus loco famæ eas recipere velit. Ceterum, ſi neque pecunias, neque famæ redintegrationem velit; ad nihil detractor tenetur. Quod ſubdunt, ſpiritualia compenſari temporalibus non poſſe, ergo a pari neque famam pecuniis, non conſiſtit. Quæ enim comparatio inter res ſpirituales ac temporales, & inter famam ac pecunias? Illa toto genere differunt; hæc intra eamdem ſphæram, ſive genus continentur; licet fama abſolute pecuniis præſtet, quemadmodum aurum argento. Quis autem dixerit, auri furtum non poſſe argento, ære, alioque metallo compenſari? Quod de adultero infamante maritum obtrudunt, in illos ipſos retorquetur. Nam, ſi quis alterius thalamum violaverit, omni via qua poteſt, tenetur mariti læſi honorem redintegrare. Quod ſi maritus talis conditionis eſſet, ut pecunias non admitteret, quid inde? Nec puellæ nobiles defloratæ dotem pecuniariam excipiunt. Ergo ſolvenda non erit puellis illis quæ eamdem recipiant? Firma igitur manet doctrina Angelici, famam reſtitui debere quantum, & qua via poteſt. Primum in eodem genere famæ. Si hoc fieri nequeat, in pecuniis iuxta arbitrium prudentis viri, & perſonarum conditionem. Quæ hactenus dicta ſunt, oſtendunt infamatorem ſecurius ſuæ conſcientiæ conſulere, dum præſtat ſecundum, quando non poteſt primum. Abſit tamen ut hinc colligas, poſſe infamatum ſurripere pecunias infamatori, ut læſam ſuam famam compenſet. Sed de hoc infra.

IX. Hæ rationes adeo obviæ ſunt, ut ipſe Magiſter Bannez, qui a Salmanticen-

Digitized by Google

cenſibus laudatur tamquam anteſignanus opinionis contrariæ, poſt ſeveriorem rei diſcuſſionem, quaſi retractans quæ ſcripſerat citata quæſtione lxii. *art*. 2. *dub*. 10. *concl*. 2. ſubdat continuo *concl*. 4. quod, quando infamatus ſit talis conditionis reſpectu infamatoris, ut acceptis ab eodem pecuniis, honorabilior in populo evadat, tunc teneatur detractor facere reſtitutionem in pecuniis iuxta arbitrium boni viri: quia tunc, inquit, facit reſtitutionem in eodem genere: ſiquidem pecuniæ reputantur ut inſtrumenta ad reſtituendam famam. Ergo, concludit Bannez, ſicut infamator tenetur expendere pecunias in adducendis teſtibus ad reſtituendam famam in proprio genere; tenebitur etiam pecunias expendere in iſto caſu: etenim iſtis mediantibus reſtituitur fama in proprio genere. Quare immerito Salmanticenſes abſolute Bannez laudant pro contraria ſententia: quia, licet eam doceat *concl*. 2. eamdem tamen temperat *concl*. 4.

X. Quæſt. IV. *Datur ne mutua compenſatio in materia famæ?* Reſp. Nonnulla ſunt præmittenda. Quando mutua diffamatio inæqualis eſt, non dari mutuam compenſationem, fatentur omnes: puta, ſi tu in vario criminum genere alterum infamaſti, & hic te in unico delicto, non poteſt fieri mutua compenſatio; cum ſit manifeſta inæqualitas. Deinde non minus certum eſt te non poſſe uti compenſatione, ſi alter velit tibi reſtituere famam; ſed hoc in caſu adſtringeris idem & tu præſtare; atque admiſſa alterius reſtitutione, viciſſim ſatisfacere debes. Poſtremum hæc compenſatio fieri minime poteſt per famæ læſionem. E. g. alter te infamavit, renuitque famam reſtituere: tu nequis eiuſdem famam denigrare, ut tuam famam compenſes. Quia hæc eſſet vindicta manifeſta. Et præterea alterius infamatio tuam famam non inſtaurat. Nec compenſatio quæ ſit in pecuniis, huic doctrinæ opponitur. Quoniam, dum ſurripis, aut retines pecunias in compenſationem debiti certi, & liquidi, quod ſolvere tibi debitor recuſat, accipis quod tuum eſt. Pecuniæ illæ tuæ ſunt, teque reapſe in integrum reſtituunt. At, dum infamas alterum, qui te infamavit, non auſers quod tuum eſt. Neque illius diffamatio in tuam tranſit famam; ſive diffamando alterum non recuperas famam tuam: ſicuti accipiendo pecunias tibi alioquin iure debitas, tuum aſſequeris.

XI. Illud ergo in diſputationem vertitur, an quando duo mutuo ſe æqualiter infamarunt, ſi unus nolit famam reſtituere, valeat alter compenſatione uti, & ſuſpendere illi ſatisfactionem. Adfirmant Salmanticenſes *tract*. xiii. *cap*. iv. *punct*. 9. *num*. 146. & pro eadem laudant Sotum, Sylvium, Malderum, Dianam, Dicaſtillum, Toletum, Bonacinam, Leſſium, Rebellum, Villalobos: quibus addi poſſunt Molina, & Buſembau *Lib. III. part*. ii. *dub*. 3. *numer*. 5. Natalis ab Alexandro *Lib. III. de peccatis art*. 5. *regul*. 33. Probant hanc opinionem Salmanticenſes his argumentis. Duriſſimum eſt, & ab æquitate valde alienum, ut, ſi tu alium infamaſti, a quo æqualiter diffamatus es, quod, illo tibi offerente ſatisfactionem, *dum-*

modo

modo tu illi ſatisfacias, nolis illi ſatisfacere, & velis quod ille tibi ſatisfaciat. Ergo irrationabiliter te geris, ſi tu illi non reſtituas. Ergo alius in dicto caſu non tenetur reſtituere tibi, qui ſolum irrationabiliter damnum pateris.

XII. Hoc primum argumentum, quod a poſteriori vocant, videtur, ut ego quidem arbitror, principio cum Evangelio pugnante nixum. Tu fratrem tuum infamaſti, a quo infamatus fueras; & ſatisfactionem promittis hac conditione ſuſpenſam, *dummodo ille velit debitum ſuum implere?* Non ergo abſolute paratus es evangelicam implere legem, debitum tuum ſolvendo, ſi alter ſolvere recuſat. Numquid alterius malitia tua virtus eſt? Quod refragetur ille legi evangelicæ, quod ſuum delere peccatum nolit, & quod tibi debet, ſolvere recuſet; propterea ne tibi licitum erit in eadem verſari damnatione? Sed audiamus argumentum quod appellant a priori, quodque continuo reponunt.

XIII. In debitis temporalibus, quando iura ſunt paria, ſi alter tibi ſervare ius nolit, & debitum ſolvere, nec tu teneris ſervare illi ius, & debitum reſtituere. Sed fama eſt bonum temporale. Ergo &c. Confirmatur: quia retinendo alterius famam, & non reſtituendo, tibi accreſcit ſuo modo fama quam amiſſurus eras, retractando tuum dictum, ut illi reſtituas; & alteri quoque accreſcit fama quam ex parte amiſſurus erat, ſe retractando. Ergo poteſt unum debitum pro alio compenſari. Evidentius ratio hæc pugnare cum Evangelio videtur, ut mox palam fiet.

XIV. Contraria ſententia, quam graviores Theologi, Caietanus, Navarrus, Valentia, Pradus, Lugo, Petrus Navarra, Rodriquez, Turrianus, Tannerus, Henricus a S. Ignatio, & plures alii defendunt, mihi probabilior eſt. Quod ſic evinco. Fama alterius non niſi peccando auſertur. Hoc diffamationis peccatum deleri nequit, niſi cum propoſito reſtituendæ famæ. Hoc vero propoſitum abſolutum ſit oportet; ſicut abſoluta eſſe debet peccati deteſtatio. Si propoſitum iſtud hac conditione ſuſpenſum eſſet, dummodo videlicet alter velit viciſſim debitum ſuum implere, commentitium omnino foret, & chimæricum. Atque ut luculentius multo veritas pateat, præmittendum diſcrimen eſt quod compenſationem pecuniarum inter & compenſationem famæ intercedit. Diſtinguendæ igitur ſunt actiones civiles a criminalibus. Compenſatio in pecuniis res civilis eſt: & compenſator accipiendo pecunias ſibi debitas, quæ ſub alterius poteſtate reperiuntur, rem ſuam accipit, atque in priſtinum ſe ſe reſtituit gradum. Compenſatio famæ eſt alterius ordinis, ut adverſarii fatentur: quamobrem nolunt ſuppleri eam poſſe pecuniis. Eſt compenſatio, ut ita dicam, in re criminali. Eſt denique actio vindictæ. Quod ſic oſtenditur. Hæc compenſatio nullo modo tuam tibi reſtituit famam. Ergo eſt actus vindictæ. Antecedens evidens eſt, & a nemine ratione prædito poteſt in dubium revocari. Nam quod tu nolis declarare, Petrum non eſſe furem illum quem

tra-

Digitized by Google

traduxiſti, non propterea tu recuperas tuam famam, quam ille manifeſtatione ſimilis delicti denigravit. Conſequentia autem eſt legitima. Nam vindicta eo unice ſpectat, ut malum alterius inducat. Quod ut clarius pateat, ſub alio aſpectu ratio proponitur. Voluntas, qua famam denigraſti, mala fuit. Ergo mala quoque eſt voluntas qua iſtam denigrationem famæ, ſeu culpam ipſam intendis non removere. Ergo quemadmodum peccaſti proximum infamando, ita peccas illum infamatum conſervando. Neque abolere efficaciter vales detractionis culpam, niſi pro viribus tollere ſtudeas diffamationem ipſam.

XV. Nec eſt quod opponas, diſtinguendum eſſe effectum culpæ, nempe infamiam, ab ipſa culpa; atque adeo poſſe detractorem deteſtari culpam, quin deteſtetur effectum culpæ. Futiliſſima eſt diſtinctio iſthæc. Nam diffamatio proximi ita connexa eſt cum peccato detractionis, ut fieri nequeat aliquem ſincero animo pœnitere culpæ detractionis, quin ſimul doleat infamiæ irrogatæ; cum tota malitia detractionis, præſcindendo a radicibus a quibus dimanat, ſita ſit in voluntaria proximi diffamatione. Porro hæc voluntaria proximi diffamatio nequit efficaci ſinceritate retractari, niſi pro viribus infamia illata proximo aboleatur.

XVI. Poſtremum. Nonne lex evangelica vetat ne maledictum pro maledicto, ne malum pro malo reddamus? Nonne oppoſitum iubet, ut vincamus in bono malum, ut bona pro malis retribuamus? Hæc ſunt prima Chriſtianiſmi fundamenta. Numquid bonum pro malo rependit qui receptam infamiam compenſare vult, alia infamia detractori illata? Numquid vincit in bono malum qui fratrem ſuum, in civitate a ſe diffamatum, pergit in tenebris diffamationis conſervare, non ob aliam rationem, niſi quod diffamatus in eadem prava voluntate perſeverat? Quis non videt, hanc eſſe puram putamque vindictam? Tandem nonne lex evangelica ad mutuam benevolentiam, & fraternam caritatem obligat? Nonne peccat Chriſtianus qui reconciliari detrectat fratri ſuo? Numquid ab hoc implendo præcepto tu liber evadis, eo quod alter nolit illud exequi? Porro reconciliari mutuo nequeunt, niſi mutuo ſibi remittant irrogatam diffamationem. Vel igitur contrariæ ſententiæ patroni defendunt, iſtos detractores non teneri mutuo reconciliari; idque Evangelio aperte repugnat: vel propugnant lege mutuæ reconciliationis, & reciprocæ benevolentiæ illos devinciri; & tunc fieri hoc nequit, niſi viciſſim debita diffamationis remittant. Tunc autem non eſt mutua compenſatio, ſed mutua remiſſio, & condonatio. Quare non video, quomodo adverſæ opinionis praxis componi cum Evangelio poſſit. Nam, quando alter renuit tibi reſtituere quam abſtulit famam, & tecum in priſtinam redintegrari amicitiam; non propterea reſpectu tui extinguitur debitum, ut adverſarii contendunt, adimplendi id quod Evangelium abſolute præcipit. Hoc abſolutum præceptum nemo inficiari valet. Ergo neque in hoc caſu negari eiuſdem obligatio poteſt, idcirco quia unus offenſorum detrectat proprium ſolvere debitum.

Digitized by Google

XVII. Obiiciunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 146. argumentum adeo robuſtum pro contraria, quam propugnant, opinione, ut propriis ipſorum verbis exſcribere lubeat. Inquiunt ergo. *Licet per retentionem famæ alterius damnum tuæ infamiæ non tollatur; tollitur tamen debitum ſolvendi pro damno alteri facto: quemadmodum, ſi Petrus incendit domum tuam, non aufertur tuum damnum incendendo domum illius; at, ſi incendas domum illius, debitum utriuſque tollitur ob compenſationem alterius. Ergo ſimiliter in præſenti.*

XVIII. Argutiſſimum ratiocinium. Ut principium certum præiacent quod eſt in quæſtione, videlicet retentione alienæ famæ tolli debitum illam reſtituendi. Licet, inquiunt, continuata diffamatio alterius tibi non reſtituat famam tuam, extinguit tamen debitum reſtituendi illam quam tu inique abſtuliſti. Quis hoc aſſeruit? Hoc eſt quod in quæſtionem vocamus. Paritas de domorum combuſtione iam ſupra profligata eſt, ob diverſitatem quæ verſatur inter infamiam & bona phyſica temporalia. At, ut contraria opinio, ipſa quoque a re pecuniaria petita paritate convellatur, ponamus in compenſatione pecuniarum nihil prorſus emolumenti inde tibi accedere; ſed merum damnum proximi conſequi: nonne tunc compenſatio, etiam in hoc ordine, vitioſa eſſet, & culpæ pleniſſima? Conſtituamus, artificem tibi debere mille aureos. Unicam acum habet, qua ſuam exercens artem, ſe & familiam alit. Surripis acum, tibi prorſus inutilem, nulliuſque omnino emolumenti. Ille deſtitutus acu, fame premitur, langnetque eius familia univerſa. Si tu retineres acum illam; nonne crudelis vindictæ reus habereris? Præterea, ut dixi, argumentatio a paritate pecuniarum arceſſita, ſemper claudicat, translata ad aliud genus infamiæ. Siquidem, peracta utriuſque domus, ut allato exemplo utar, combuſtione, nihil morale remanet abolendum. Tandem nonne qui horum duorum primus renuit famam reſtituere, peccat? Cur? Quia perſeverat in diffamatione. Cur ergo non peccabit alter, ſi in eadem diffamatione perſiſtat? Nec confugias ad exemplum compenſationis pecuniarum: quoniam ideo ſecundus non peccat, licet peccet debitor, qui refugit ſolvere, quia rem ſuam accipit, & ſe in priorem gradum reſtituit. In diffamatione e contrario nihil emolumenti ſecundus ex retentione alienæ famæ recipit; ut dictum eſt, & omnibus patet.

XIX. Explicandus remanet textus Innocentii III. cap. *Tua fraternitas* de adulter. & ſtupro: *Paria crimina mutua compenſatione delentur*. Porro ſenſus huius textus eſt, mutua compenſatione deleri crimina, quando partes mutuo conſenſu, expreſſo, vel tacito conſentiunt. Pro praxi ergo, quando duo detractores viciſſim ſe ſe infamarunt, ſi mutua benevolentia ſibi remittant iniurias; tunc extinguitur viciſſim reſtitutionis debitum. Ceterum, quod unus nolit famam reſtituere, atque adeo neque alteri reconciliari; non propterea hic liber evadit a lege evangelica implenda. Nec ſat eſt, ipſum interius iniuriam remittere: nam exterius debet debi-

Google

debitum ſuum ſolvere, & refragatorem prævenire caritatis officio, ac famæ denigratæ reſtitutione. Hac enim via illum fortaſſis ad meliorem revocabit frugem.

CAPUT XV.

De compenſatione in pecuniis ob infamiam illatam. Sententia Probabiliſtarum exponitur. Abſurda quæ inde proficiſcuntur, patefiunt.

I. NON ſolum recentiores Theologi mutuam compenſationem in genere infamiæ admittunt; ſed præterea infamiam tibi illatam a Petro compenſare pecuniis Petri te poſſe docent. Inter doctos iuniores, qui hanc propugnant pecuniariam compenſationem in ſolutionem debiti quod contraxit infamator, eminet P. Ludovicus Molina. Hic, utpote Theologus eruditione, ingenii acumine, aliiſque dotibus valde celebris, magnum adiecit præfatæ opinioni auctoritatis momentum. Eam ille præ aliis locis perſpicue docet *Tom. IV. de iuſt. tract.* IV. *diſput.* XLIX. *num.* 5. *pag.* 494. edit. Colonien. *Quando unus alterum iniuſte infamaſſet, neque, ut tenebatur, vellet eam famam illi reſtituere; tunc iniuſte infamatus, qui damnum in fama alteri non dediſſet, poſſet in pecunia compenſare damnum famæ, in quo eſt, idque non ſolum non ſolvendo debitum antiquum occultum, quantum ad æqualitatem ſufficere iudicaretur ad competentem compenſationem famæ, in quo eſt, ſed etiam occulte accipiendo de novo quantum ſatis eſſet ad eamdem compenſationem.... dummodo intervenirent conditiones omnes requiſitæ, ut licite in conſcientiæ foro fiat occulta compenſatio debiti.*

II. Pro hac eadem opinione Salmanticenſes *tract.* XIII. *punct.* 9. *num.* 147. referunt Trullenchum, Bonacinam, Leſſium, Aragonium, Dianam, Tannerum, Ioannem de Cruz: & in eamdem ipſi propendent. Immo modum quo quis eam ſequi valeat, exhibent, a mirifico Probabiliſmo petitum.

III. Opus haud eſt multis argumentationibus, ut opinio hæc penitus labefactetur. Satis eſt eiuſdem, ut ſic dicam, indolem paucis exponere. Fraudum quippe, furtorum, iniuſtitiarum fecunda parens eſt. Clamant famuli ſe infamari a dominis ſuis, uxores a maritis, mariti ab uxoribus. Calumniæ, detractiones, impoſturæ quoquoverſum inundant. Pauciſſimi ſunt qui aut reſtituant, aut reſtituere velint denigratam famam. Si licitæ compenſationes in pecuniis ob famæ læſionem admittantur, non minus familiaria furta erunt, & occultæ pecuniarum ſurreptiones quam detractiones ipſæ. Et eo erunt furta maiora, quo nobiliores erunt homines diffamati. Si pauper nobilis ab altero nobili divite diffametur, & hic reſtituere fa-

Digitized by Google

famam nolit; poterit iuxta hanc opinionem ingentem pecuniæ ſummam occulte accipere. Nam fama viri nobilis plurimi æſtimatur: hæc enim illius patrimonium eſt. Quare nonniſi magna ſumma pecuniæ æquare valet diffamationem illatam. Accedit quod, ſicut pro denigratione famæ, ita pro læſione honoris licita erit hæc compenſatio. Quapropter contumeliis conviciiſque affecti poterunt iuxta conviciorum gravitatem, & multitudinem aurum, argentumque conviciantium ſurripere. Nemo hic non videt abſurda, monſtra, furta, fraudes, inſidias, quæ præfatam conſequuntur ſententiam.

IV. Salmanticenſes *loc. cit. num.* 148. peracutam tradunt animadverſionem in relatæ opinionis propugnationem. Ut compenſatio licita ſit, certum ſit debitum compenſandum oportet. Compenſatio pecuniaria pro famæ læſione opinio dumtaxat probabilis eſt; oppoſitamque Theologi iſti defendunt. Si probabilis tantum eſt opinio quæ compenſationem in pecuniis loco famæ propugnat; probabile dumtaxat erit, debitum pecunioſum pro fama ſolvendum. Ergo compenſatio illicita. Diſtingue, inquiunt, probabilitatem opinionis circa modum compenſandi debitum, a debito ipſo. Debitum famæ reſtituendæ certum eſt. Modus compenſandi eam pecuniis probabilis tantum eſt. Porro, licet hic modus ſit tantum probabilis, cum debitum ſit certum, compenſationis pecuniariæ beneficio uti poteris. Lubet illorum tranſcribere verba. *Fateor cum opinione tantum probabili debiti non poſſe dari compenſationem. Ceterum, ſi velis præcitatorum Auctorum opinionem ſequi, poteris dicere* (perpende uberrimam Probabiliſmi vim) *hic non eſſe opinionem probabilem circa debitum: nam debitum eſt certum, nimirum debitum famæ: ſed circa modum quo talis fama poſſit compenſari, an nimirum pecuniis poſſit compenſatio fieri. Et quando a Doctoribus communiter dicitur non dari locum compenſationi, quando debitum eſt dubium, vel probabile; loquuntur de dubio verſante circa ipſum debitum, non circa modum compenſandi debitum. V. g. habes dubium, vel opinionem, quod Petrus tibi debeat centum, non potes uti compenſatione: quia eſſet certum pro incerto accipere. Et in dubio alterius, qui poſſidet, melior eſt eius conditio. Sed, ſi certus ſis quod Petrus centum debet, & non vult ſolvere; habes tamen opinionem probabilem quod hoc modo, vel illo potes compenſatione uti, potes accommodari huic opinioni probabili* (audiſtin'?) *quia tunc non tollis certum pro incerto, ſed certum pro certo; quamvis ſit dubium circa modum auferendi. Ita in præſenti poſſes philoſophari: quia debitum famæ eſt tibi certum (ut ſupponimus) & ſolum eſt dubium cum opinione probabili, an hoc modo, nimirum per ſolutionem pecuniarum, debeat illud debitum tibi compenſari. Ergo potes uti compenſatione pecuniarum, non ſolvendo quas debes: quia alter tibi debitum famæ non ſolvit. Et, ſi aliquo modo poſſet prædictorum ſententia Doctorum ſuſtineri, eſſet hoc modo.*

V. Hoc interpretamentum futilius opinione ipſa eſt, atque frigidior ſpeculatio, &

& Probabiliſmi affeclis decipiendis idonea. Debitum famæ eſt certum. Verum habet. Certum ne eſt, an probabile debitum pecuniarum? Probabile, inquis. Ergo pro debito probabili certa uteris compenſatione pecuniaria? Quid refert, debitum famæ eſſe certum? Si certum eſt debitum iſtud; útere, ſi vales, in hoc genere compenſatione, debitorem tuum infamando. Hoc, reponis, vetat lex divina. Peroptime. Itaque hoc in genere uti compenſatione nullo modo licet. Quid ſupereſt? Compenſatio in pecuniis, ſubdis. Sed negant Theologi, & vel ipſi Salmanticenſes, infamiam compenſari pecuniis poſſe; adfirmant vero alii. Ergo evidens eſt, debitum pecunioſum eſſe tantum probabile. Oppoſita itaque Theologorum probabilitas non eſt circa modum quo ſolvendum debitum eſt, ſed eſt circa ipſum debitum. Nam alii negant, alii adfirmant, deberi pro infamia pecunias. Ergo probabile tantum eſt debitum ſolvendum. Ergo, ſi omnes Theologi damnant compenſationem certam pro debito tantum probabili; neceſſario damnare debent compenſationem pecuniariam pro compenſatione denigratæ famæ, aut honoris læſi.

VI. Colliges ex duabus recitatis ſententiis duo. Alterum eſt, Theologiam hanc caſuiſticam fundamenta pervertere tum caritatis, tum iuſtitiæ. Qua parte docet, licitam eſſe compenſationem in genere infamiæ, ita ut non tenearis reſtituere quam denigraſti famam, ſi alter nolit tuam tibi reſtituere, ab imis ſuffodit caritatis evangelicæ fundamenta, regulas pervertit chriſtianæ benevolentiæ, & cæleſtis perfectionis ædificium a Chriſto Servatore noſtro divino erectum penitus diruit. Ex altera vero parte qua ſtatuit, licitum eſſe alienum aurum, argentumque occulte ſurripere, quoties calumniatores noſtri nolint ſurreptam nobis famam reſtituere, principia iuſtitiæ, & æquitatis leges ſubvertit, furtis, fraudibus, rapinis, latrociniiſque viam aperit. Semel enim hac imbuti opinione homines, quod valeant pro infamia ſibi irrogata aliena ſcrinia occulte invadere, & tantumdem pecuniæ ſibi accipere, quantum famæ propriæ ſplendorem obnubilatum iudicant, quo ſint progreſſuri, nemo non videt. Utraque ergo opinio improbanda eſt, tamquam caritatis, & iuſtitiæ principiis, humanæ ſocietati, legibuſque omnibus adverſa.

VII. Obiicies. Iuxta ſententiam quam ſupra propugnavimus, infamia compenſari pecuniis poteſt. Quapropter infamator, ſi reſtituere famam nequeat, pecuniis compenſare eam tenetur. Cur ergo in hypotheſi quod iſte nolit debitum ſuum implere, licitum non erit infamato uti compenſatione occulta? Reſp. Mutuam compenſationem in hoc infamiæ ordine, ut illicitam, & evangelicæ legis regulis contrariam, reiicimus. Porro ſicuti nequit infamia per infamiam compenſari; ita neque pecuniæ ſurripi pro infamiæ compenſatione valent. Occulta compenſatio res eſt odii plena, & in ipſo temporalium damnorum genere raro executioni de-

mandatur abſque culpa: quia raro concurrunt omnes conditiones neceſſariæ ad hoc ut licita ſit, & iuſta. Potiſſima conditionum omnium eſt, ut debitum compenſandum ſit liquidum, & certum. Compenſationem enim pro debito incerto Eccleſia damnavit in famulis, quibus Theologi iuniores compenſationem concedebant pro maiori mercede quam ſuis deberi operibus iudicabant. In caſu noſtro omitto, quod probabilius tantum ſit, non certum, famam compenſari pecuniis poſſe. Sed dico, infamatum non poſſe ulla hoc in genere compenſatione uti. Admiſſo enim hoc compenſationis genere, omnia quæ indicavimus abſurda, & monſtra heinc erumperent. Quid quod non ſemper infamator tenetur pecunias loco famæ præbere, eo quod pecuniis careat? Sententia compenſandi infamiam pecuniis, quam ſupra dixi eſſe probabilem, eo tantum ſpectat, ut ſecurius proſpiciat conſcientiæ infamatoris, & facilius pacem ac tranquillitatem reviviſcere faciat inter infamatos & infamatores. Probabiliſtæ plures hanc ſententiam reiiciunt ceu rigidiorem. Et nunc ex hac rigoriſmi ſpecie eruunt laxitatem, qua aſſerunt, ipſum infamatum poſſe occulte ſurripere infamatori pecunias, quibus ſuam compenſet iniuriam. Compenſatio itaque hæc monſtroſa undequaque eſt, & innumerabilium abſurdorum ſcaturigo. In materia iuſtitiæ licita tum ad ſummum compenſatio eſt, quando debitum eſt certum, & liquidum, ut diximus, ſeu quando quantitas pecuniæ eſt determinata. In compenſatione pecuniaria pro læſione famæ quis definivit pecuniæ accipiendæ quantitatem? Quis iſtius pecuniariæ ſummæ legitimus iudex? Diffamatus? Ille exaggerabit infamiæ notam. Adeundus ne iudex, ut iudicium ferat? At audiendus etiam diffamator eſſet. Ne multa. Præfata opinio falſa, improbabilis, & ſcandali plena mihi eſt.

CAPUT XVI.

Nonnullæ regulæ in praxi ſervandæ, ut extrema vitentur tum detractionis, tum exitioſi ſilentii.

I. Regula prima. Quæ hactenus dicta ſunt, ſatis evincunt tum facilitatem perpetrandi, tum difficultatem corrigendi detractionis crimen, eiuſdemque pernicioſos effectus reparandi. *Nonnumquam* [inquit Gerſonius ad quæſt. IV. quæſt. I.] *facilius ſatisfit pro homicidio corporali, & furto, quam pro huiuſmodi homicidio, & furto ſpirituali, ſcilicet detractione. Quia in illis quantitas damni æſtimari poteſt, & ſic correſpondens emenda ſubſequi; in iſtis autem nequit; cum non ſatis conſtare poſſit in quot hominum cordibus mediate, & immediate detrahens bonam opinionem, & famam eius cui detraxit, occiderit, atque furtive bonum famæ [quod inter alia bona corporalia, & huius vitæ bona multum eſt pretioſum] ſubtraxerit: unde & difficul-*

ter

Digitized by Google

ter ſatisfacere ipſi læſo poteſt. Cum tamen iuxta B. Auguſtinum, peccatum non dimittatur, niſi reſtituatur ablatum; quomodo reſtituet, cum ignoret quantum debeat?

II. *Regula ſecunda*. Cum reſtitutio famæ per retractationem delicti veri occulti difficilis ſit, & multis obnoxia periculis, vel confirmandi auditores in mala perſuaſione alterius famæ, aut renovandi memoriam delicti obliti, aut mendacia proferendi; ſecurior via erit ex animi ſententia, & opportuna prudentia laudare, ac honorare eum cui detractum eſt. Hac quippe via ſæpe facilius diffamatus in priſtinum gradum reſtituitur. Spectandæ tamen ſunt circumſtantiæ perſonarum quibus revelatum peccatum eſt. Nam apud ſimplices opportuna erit retractatio; ſecus apud homines experrectos, & ſagaces.

III. *Regula tertia*. Oppoſitum exitioſi ſilentii extremum declinandum eſt. Multi aut meticuloſæ conſcientiæ aculeis exagitati, aut mundano reſpectu acti, aut verſuta politica obcæcati, peccata diſſimulant quæ ſunt in aliorum detrimentum; & proprium ſilentium, aut diſſimulationem excuſant detrahendi timore. Præ oculis habenda eſt angelica D. Thomæ doctrina, quod detractionis malitia ex animo pravo, a quo proficiſcitur, plurimum pendeat. Detractio, inquit ille, oritur ex odio, inquantum diminuit omne bonum, & procurat omne malum inimici, & ex invidia ſecundum rationem removendi excellentiam alterius. Silentium in hominibus ſcrupuloſis, qui ob anxietatem, aut timorem, vel verecundiam, aut etiam ob quamdam negligentiam omittunt vel reſiſtere detractori illum corrigendo, vel manifeſtare aliorum defectus, qui nocumentum inferunt, communiter non excedit culpam peccati venialis; niſi aliqua graviſſima circumſtantia occurrat quæ loqui præcipiat.

IV. *Regula quarta*. Homines mundanis rationibus acti frequenter peccant & tacendo, & murmurando. Detrahunt, quoties præſentiunt, detractiones viam ſibi ſternere ad gradus quos anhelant: ſilent, & muti ſunt, ne obſiſtant detractoribus. Detrahunt, ut aliis placeant; ſilent, ne contra ſemetipſos adverſarios concitent. Finis eorumdem, ſive ſilendi, ſive detrahendi, humanus eſt, & principium pariter utriuſque aut ambitio, aut invidia, aut odium eſt.

V. *Regula quinta*. Exaltanda vox eſt adverſus defectus, & laxitates quæ diſciplinam, moreſque pervertunt, atque publico bono inſidias ſtruunt. Diſtinguenda eſt publica malitiæ deteſtatio, & redargutio a detractionis vitio. Homines mundani, qui leges quaſque tempori, & moribus accommodant, qui diſciplinam omnem peſſumdant, ut liberius ſuis indulgere appetitionibus valeant, piorum virorum redargutiones, atque adverſus publicas laxitates declamationes loco detractionum habent. Nullum habere propriarum laxitatum vellent liberum reprehenſorem. Audies illos detractionis crimen exaggerare, in detractores invehi, hoſque,

 ut

Digitized by Google

ut peſtem humani generis, traducere. Verum, quemadmodum lex divina vetat occulta crimina, quæ in ipſo delinquente ſiſtunt, patefacere; ita iubet vocem exaltare adverſus flagitia quæ virus in innocentes effundunt, quæ publicam felicitatem turbant, declamare contra abuſus, & corruptelas, quæ morum diſciplinam, & propriæ profeſſionis obſervantiam relaxant. Laxæ opiniones publicæ ſunt, & typis evulgatæ. Ergo publice redarguendæ. At fama Auctorum obnubilatur. Falſum eſt: quia bona ſide illi crediderunt, præfatas opiniones veras eſſe. Sed fac eorum famam obtenebrari. Quid inde? Permittendum ne erit ut erroneæ opiniones innocentiam corrumpant, ne earumdem Scriptores exiſtimationis ſubeant detrimentum?

VI. *Regula ſexta*. In his redargutionibus principium quod linguam movet, moderaturque, & finis in quem hæ diriguntur, ſpectanda ſunt. Si boni publici amor, non odium in perſonas, non invidentia, non ſimultates linguam dirigant; ſi finis ſit auditorum inſtructio, præſervatio a vitiis, & ad morum, diſciplinæque integritatem ſartam tectam cuſtodiendam adhortatio: tum publicæ redargutiones, non detractionis labe ſordeſcunt, ſed evangelici zeli, & chriſtianæ fortitudinis virtutem præferunt. Detractores vulnera referant peccatorum, infamandi odio: Viri fortes invehuntur in abuſus & corruptelas, ut ad remedia porrigenda provocent, ut, morbi gravitate manifeſtata, evincant medicinæ applicandæ neceſſitatem. Et, quamquam arduum opus hoc ſit, & res aleæ, periculique plena; quamque ii ſoli agere intrepido ore valent qui nec timent, nec ſperant quidquam in hoc mundi ſtadio aſſequendum: tamen numquam defuerunt, nec deficient viri fortes, qui, humanis reſpectibus conculcatis, pro tuenda virtute decertent, & adverſus ſcandala, offendicula, & diſciplinæ perditores inclament.

VII. *Regula ſeptima*. Manifeſtanda itaque eſt imperitia advocati, medici, chirurgi, ſcribæ, ſeu notarii, & quorumque profeſſorum, atque artificum, qui in aliorum nocumentum exercent profeſſiones ſuas. Redarguenda eſt Theologi, Confeſſarii ignorantia publica, quando neceſſitas proſpiciendi innocentibus urgeat.

VIII. *Regula octava*. Tria ſummopere animadvertenda, atque ſervanda ſunt in retegendis aliorum vitiis, & defectibus. Primum, quod vitia certa omnino ſint. Secundum, quod id tantum manifeſtetur quod ſat eſt ad malum præcavendum. Poſtremum, quod non ex odio contra reos, ſed ex caritate ſuccurrendi innocentibus, manifeſtatio fiat. Sæpe ſimultates inter artifices veritatem obſcurant, & doctos ignaros, ignaroſque eruditos efficiunt. Quare ſumma vigilantia opus eſt in difficili regimine linguæ, quæ & tacendo, & loquendo peccare poteſt.

A P.

Digitized by Google

APPENDIX
DE DUOBUS POSTREMIS DECALOGI MANDATIS.

CAPUT I.

Exponitur germanus ſenſus verborum queis utrumque hoc præceptum exprimitur.

I. Quamquam hæc duo poſtrema præcepta ex iis quæ dicta ſunt in explicandis ſexto, & ſeptimo mandato, ſatis pateant; tamen nonnulla alia addere preſſe, & quaſi obiter lubet. Hæc ſunt verba quibus duo iſta mandata exprimuntur. *Non concupiſces domum proximi tui : nec deſiderabis uxorem eius, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, non omnia quæ illius ſunt*. Nono itaque præcepto concupiſcentia alienæ uxoris prohibetur. Porro concupiſcentia uxoris alienæ omnes libidines & voluptates carnales comprehendit. Decimum prohibet concupiſcentiam rerum alienarum. Prima concupiſcentia ad libidinem, altera ad avaritiam attinet. Quamvis autem deſideria duorum criminum quæ ſexto, & ſeptimo præcepto adverſantur, expreſſe duobus his poſtremis præceptis prohibita ſint; non inde tamen ſequitur, aliorum criminum quæ ceteris mandatis opponuntur, deſideria vetita non eſſe, inquit S. Auguſtinus Lib. de perfect. iuſt. in reſponſ. ad XII. ratiocin. cap. III. *Non concupiſces* (ait) *generalis prohibitio eſt; & generalis iuſſio, Diliges. Unde breviter & Apoſtolus Paulus quodam loco utrumque complexus eſt. Prohibitio enim eſt:* Nolite conformari huic ſæculo; ſed reformamini in novitate mentis veſtræ. *Illud pertinet ad non concupiſcere; hoc ad diligere : illud ad continentiam; hoc ad iuſtitiam : illud ad declinandum a malo; hoc ad faciendum bonum. Non concupiſcendo etiam vetuſtate expoliamur, & novitate induimur indulgendo.*

II. Sigillatim, & expreſſe libidinis, ac rei alienæ deſideria prohibentur, quod horum criminum illecebris, & lenociniis potiſſimum irretiantur homines, & vehementiori impetu in eadem abripiantur. Et, ne vehemens, atque impotens appetitio mentem obcæcaret, atque malitiam abſconderet, expreſſam Deus dedit legem, ut homines hanc pravitatem agnoſcerent. Inquit Paulus ad Rom. VII. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret : Non concupiſces.*

III. Nec eſt quod opponas, hæc duo præcepta unica prohibitione compre-

Digitized by Google

prehendi; atque adeo unum, non duo, reputari debere. Nam, licet *Deuter.* v. *verſ.* 21. per modum unius vetita appareant his verbis: *Non concupiſces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt:* tamen *Exodi* xx. *verſ.* 17. duobus verbis præcipientibus expreſſa ſunt: *Non concupiſces domum proximi tui: non deſiderabis uxorem eius, non ſervum* &c. Minus refert quod Moyſes hic ordine præpoſtero eadem exhibuerit; cum in Deuteronomio ordinate deſcripta legantur; licet unita, & non verbis ſeparata. Et tam apud Hebræos, quam apud 70. Interpretes verbum *concupiſces* repetitur bis, quemadmodum etiam in Vulgata noſtra, ut *cap.* xx. *Exodi*. Hoc conceptis verbis declaravit Concilium Tridentinum ſeſſ. XIV. cap. V. *Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnumquam animum gravius ſauciant, & periculoſiora ſunt iis quæ in manifeſto admittuntur*. Tandem ex materiæ, ſeu obiectorum, circa quæ verſantur, diverſitate eorum diſtinctio manifeſta apparet. Libido enim, & avaritia duo ſunt vitia genere diſtincta. Ergo merito diſtinctis præceptis prohibentur.

CAPUT II.

Notio concupiſcentiæ, quæ his duobus præceptis vetatur.

I. Concupiſcentia vis quædam eſt animo inſita, qua excitati, & permoti homines bona quæ non habent, appetunt. Nullam ſuapte natura malitiam prodit; ſed bona, vel mala eſt, prout rationi vel ſubiicitur, vel repugnat. Inſita nobis a natura eſt Deo ipſo auctore. At primorum parentum peccato depravata fuit, & rebellis rationi evaſit.

II. Duplex ergo concupiſcentia: altera bona; mala altera. Bona a Deo eſt, ut diximus, quæ ſub rationis regimine bona appetit, non terrena modo, ut cibum, potum, & quæ corpori ſuſtentando neceſſaria ſunt; verum etiam cæleſtia, immo hæc potiſſimum, ut explicat Catechiſmus Concilii Trident. *Part. III. §. 7. & ſeqq.* Nam illud primum efficit ut aſſiduis precibus Deum oremus, & ſupplices ab illo imploremus quæ ſummopere cupimus: oratio enim cupiditatis noſtræ interpres eſt. Efficit præterea ut cariora ſint nobis Dei munera. Quo enim vehementiori alicuius rei cupiditate flagramus, eo carior illa nobis res eſt, atque iucundior, cum eam fuerimus adepti. Evelle ab animis hominum concupiſcen-

tiam,

tiam, ſeu cupiditatem, inertes confeſtim fiunt, languidi, torpidique. Naturalis itaque cupiditatis vis, pergit Catechiſmus, quæ fines rectæ rationis non egreditur, non eſt a Deo prohibita; multoque minus ſpiritualis illa rectæ mentis cupiditas, qua ea appetimus quæ carni repugnant, & animam ſanant, beatamque efficiunt. Quid quod ad hanc ferventem cupiditatem Scriptura divina nos hortatur? *Concupiſcite ſermones meos:* Sap. VI. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me:* Eccli. XXIV. De hac cupiditate ſeu deſiderio loquitur S. Auguſtinus tract. IV. in Epiſt. I. S. Ioan. *Tota vita Chriſtiani boni ſanctum deſiderium eſt. Quod autem deſideras, nondum vides; ſed deſiderando capax efficeris, ut, cum venerit quod videas, implearis. Sicuti enim, ſi velis implere aliquem ſinum, & noſti quam magnum eſt quod dabitur, extendis ſinum; noſti quantum miſſurus es, & vides quia anguſtus eſt ſinus, extendendo facis capaciorem: ſic Deus differendo extendit deſiderium, deſiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem. Deſideremus ergo, fratres, quia implendi ſumus.*

III. Altera concupiſcentia mala triplex eſt, ut docet D. Ioannes Epiſt. I. cap. II. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Hæc concupiſcentia dicitur peccati fomes, deſiderium peccati. Si voluntatis conſenſionem adiunctam habeat, ſemper peccatum eſt. Ea igitur proprie concupiſcentia hoc præcepto prohibetur quam *carnis concupiſcentiam* Apoſtolus *ad Galat.* V. vocat, quæque rationis iugum excutit, & fines a Deo præſtitutos prætergreditur. Hæc cupiditas damnata eſt, vel quia malum appetit, veluti adulteria, homicidia, ebrietates, idque genus ſimilia, de quibus Apoſtolus: *Non ſimus concupiſcentes malorum, quemadmodum & illi concupierunt:* aut quia, etſi res quæ appetuntur, malæ natura ſua non ſint, cauſſa tamen aliunde extat quare illas concupiſcere nefas ſit. Eiuſmodi erant olim in veteri lege aurum, & argentum, ex quibus idola conflata erant, quæ Dominus vetuit ne quis concupiſceret. Hac ratione vitioſa eſt cupiditas illa quæ licet bona appetat abſolute honeſta, tamen, quia aliena ſunt, prohibentur appeti.

IV. Porro tum peccatum exiſtit, inquit Catechiſmus *loc. cit. num.* 12. cum poſt cupiditatum malarum inpulſum animus rebus pravis delectatur, atque his vel *aſſentitur*, vel *non repugnat.* Ipſa non repugnantia peccatum eſt, quatenus interpretativus conſenſus reputatur. Quare improbata manet illorum Caſuiſtarum opinio, qua ſtatuunt, licitum eſſe, concupiſcentia inſurgente, & demulcente ſenſus, animumque impugnante, *negative* ſe ſe habere. Hanc peccati ſpeciem exprimit S. Iacobus cap. I. verſ. 14. *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde cum concupiſcentia conceperit, parit peccatum. Peccatum vero, cum conſummatum fuerit, generat mortem.*

Xx iiij V.

Digitized by Google

V. Præceptum ergo non vetat ne ullos concupiſcentiæ motus ſentiamus; ſed ne pravis his motibus conſentiamus, aut deſiderando opera externa vetita exequi, aut delectando nos de ipſo opere cogitato. Heinc Sapiens dicit. Eccli. XVIII. *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Abit autem poſt concupiſcentias ſuas qui ſuggeſtionibus non repugnat, aut eiſdem aſſentitur, ut clarius exponit S. Paulus Apoſtolus *Rom.* VI. prohibens, ne *regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis veſtris.* Ex tribus itaque memoratis concupiſcentiis prima, nempe concupiſcentia carnis, prohibetur nono præcepto; aliæ duæ, nempe concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, vetantur decimo. Domus enim univerſam hereditatem, faſtum, nobilitatem, divitias, dignitates, potentiam, quæ ſtatui noſtro non congruunt, & alia ſimilia comprehendit. Et huc pertinent quæ ſcribit Iſaias cap. V. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis uſque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?*

VI. Advertendum autem, quod, licet ſacramento baptiſmatis omne id abſtergatur ab anima quod propriam peccati rationem habet, ut declarat Tridentina Synodus *ſeſſ.* V. ipſa tamen concupiſcentia, quæ materiale peccati dicitur, remanet in regeneratis ad certamen. *Manere autem*, inquit Synodus, *in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem hæc ſancta Synodus fatetur, & ſentit: quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Ieſu gratiam repugnantibus, non valet; quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur.*

CAPUT III.

Varii modi quibus in hæc duo poſtrema præcepta homines peccant. Tamburini, & Sanchez nonnullæ laxæ opiniones refelluntur.

I. QUI vel ea cupiunt, vel delectantur iis quæ lege divina prohibentur, peccant adverſus alterutrum horum præceptorum. Peccant quoque illi qui vellent non eſſe vetita quæ reapſe vetita ſunt: vellent avaritiam non eſſe peccatum mortale, ut ſaturare poſſent, & explere cupiditatem ſuam: vellent fornicationem, pollutionem, adulterium non eſſe peccata mortalia, ut veluti ſues in hoc vitiorum luto ſe ſe volutare pro arbitrio valerent. Hi omnes peccant adverſus præfata mandata; quemadmodum & alii qui non aliam ſibi præſtitui regulam vellent præter ſuam concupiſcentiam, & voluntatem; quin vellent Deum aut iniuſtum eſſe, aut impotentem, aut inſipientem, dum optant illum peccata aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut illa ignorare. *Crudelis plane* (inquit Ber-

Digitized by Google

nardus ſerm. III. de temp. paſch.) *& omnino execranda malitia quæ Dei potentiam, iuſtitiam, ſapientiam perire deſiderat.*

II. In his tamen deſideriis conditionatis diſtinguenda ſunt obiecta duplicis generis. Nam alia ſunt mala, quia iure ſolo poſitivo prohibita. Hæc mentis præciſione licita fieri poſſunt: puta comeſtura carnis die veneris vetita eſt: hunc eſum intellectus ſeparare a prohibitione valet; &, hac ſeparatione per intellectum facta, voluntas de eſu carnis delectari poteſt, illamque deſiderare. Contra, ſi ab obiecto nequeat per intellectum ſeparari malitia, nullo modo de eo delectari licitum erit. Hinc eſt quod numquam licet delectari, neque conditionate, de odio Dei, a quo nec mentis acie præſcindi malitia poteſt. Idem dicito de mendacio, de deſperatione, de idololatria, aliiſque id genus. Non me fugit, P. Cardenas *tract.* IV. *de caſtit. diſput.* XLI. *cap.* III. *art.* I. propugnare, ab omnibus obiectis illicitis poſſe præſcindi malitiam moralem, etiam ab odio Dei, ab idololatria &c. quatenus eiuſmodi actus ſunt vel liberi, vel neceſſarii. Verum eiuſmodi ſpeculationes, ut inutiles & vanas, reiicimus. Nam, quando inquiritur, fieri ne præciſio poſſit malitiæ ab obiecto genere ſuo illicito, ſermo eſt de obiecto morali determinato. Obiectum autem morale reſpectum dicit ad libertatem, ſine qua moralitas non habetur.

III. Advertendum tamen, etiam in primo obiectorum, quæ indicavi, genere ſemper otioſa eſſe eiuſmodi deſideria, atque adeo vitioſa. Addendum, ea ſemper gravis periculi plena eſſe. Quandoquidem, licet intellectus præſcindat, voluntas, & ſenſus non præſcindunt. Intellectus vero, vel in ipſa præciſione, utrumque extremum, & obiectum, & legem illud prohibentem, ſeu obiectum, & prohibitionem, cognoſcit: voluntas, & ſenſus omnia, ut ſunt in ſe, amplectuntur, aut ſaltem periculum grave adeſt ne reapſe eadem obiecta, non præciſa, ſed ut concreta appetant. Quare non arrident quæ docet Thomas Tamburinus Lib. X. in Decal. cap. V. §. I. num. 2. *Gaudebat*, inquit, *quidam Sacerdos, ſe per inculpabilem oblivionem matutinum diei heſterni non recitaſſe. Et reprehendebatur ab alio nimis religioſo Sacerdote. Huic dixi, potuiſſe illum gaudere de carentia illius laboris, quæ tunc nullo modo peccaminoſa fuit; atque adeo tale gaudii obiectum erat ab omni malitia ſeparatum, nedum ſeparabile.*

IV. P. Tamburinus nimis religioſum reputat Sacerdotem illum qui alium Sacerdotem reprehendebat ob gaudium perceptum ex officio neglecto. At ego Tamburini doctrinam nimium laxam exiſtimo. Et primo gaudium illud Sacerdotis de officii omiſſione grave indicium eſt pravæ illius diſpoſitionis. Quis, amabo te, gauderet umquam, propterea quod oblitus fuiſſet exequi id quod maxime ſibi cordi erat? Quis umquam ratione præditus gauderet ſe tributa ſibi impoſita non ſolviſſe? Sacerdos gaudet, quia oblitus eſt perſolvere Deo debitas laudes,

Digitized by Google

des, ſuumque munus offerre? Quiſnam iſtius gaudii finis? Quod effugerit laborem, quem ſubire debebat in recitandis divinis laudibus. Næ hic ſanctiſſimus finis eſt? Accedit quod Sacerdos præfatus ſecurus eſſe non poteſt, ſuam omiſſionem fuiſſe omnino inculpatam. Unde enim certo comperiat, ſuam inadvertentiam extitiſſe omnino invincibilem, nullamque præceſſiſſe negligentiam? Quod ſi de hoc certus non eſt, ſicuti revera eſſe nequit, gaudium illud erit de obiecto, de quo timeri poteſt fuiſſe criminoſum. Ergo gaudium illud pravum eſt. Accedit quod, ut indicavi, tale gaudium indicat Sacerdotem hunc infidelem Deo, ſocordem nimis, atque divino miniſterio indignum, dum gaudet, ſe non ſolviſſe quod Deo promiſerat. Ut clarius percipias laxitatem iſtius doctrinæ, advertas iterum velim, aliud eſſe delectari de aliquo obiecto futuro, præciſo ab omnibus circumſtantiis, & ab intellectu propoſito ſecundum ſuam honeſtatem naturalem, ſeiunctam ab omni lege prohibente: aliud autem gaudere de obiecto præterito ad executionem redacto. In hoc caſu, cum homo certus eſſe nequeat, ſe inculpate violaſſe legem prohibentem tale obiectum, nequit licite gaudere de legis tranſgreſſione.

V. Nec reponas, gaudium defendi ut licitum, in hypotheſi quod omiſſio præcepti ſit omnino innocens, ſecus, ſi revocetur in dubium malitia omiſſionis Non, inquam, hoc reponere vales: quoniam P. Tamburinus non defendit, licitum eſſe gaudium de neglecto officio in hypotheſi qua Sacerdos inculpate omnino omiſiſſet officium; ſed defendit Sacerdotem reapſe gaudentem de neglecto officio, quod quidem ſe inculpate omiſiſſe credit. Verum quia Sacerdos ſecurus eſſe nequit abſque omni ſua negligentia oblivionem eveniſſe; idcirco gaudium de tali omiſſione malum eſt. Dictamen practicum, inquis, Sacerdos concipit, ſe invincibiliter oblitum fuiſſe. Eſto. At hoc dictamen erigere animum dumtaxat valet, ut ſperet ſe culpam non perpetraſſe; ſecus, ut gaudeat, ſe debitum ſuum neglexiſſe. Quin hæc ipſa oblivio, tametſi invincibilis, non lætitiæ, ſed triſtitiæ iuſta cauſſa eſt. Quare, paucis, gaudium iſtud malum eſt duplici titulo: malum, quia de re materialiter ſaltem mala, quæ nequit eſſe honeſti gaudii obiectum; malum etiam ob periculum, quod illa omiſſio fuerit aliquo modo vitioſa, & imputabilis ob aliquam occultam negligentiam.

VI. Communis eſt Theologorum, etiam Probabiliſtarum, ſententia, in genere luxuriæ minime licitum eſſe gaudere de obiecto libidinoſo, tametſi a malitia per intellectum præciſo. Potes, inquiunt, mentis acie in copula fornicaria meditari copulam ipſam, præſcindendo ab eo quod ſit cum non tua. Tamen, ſi voluntarie de ea delectaris, etiam malitia per intellectum abſtracta, extra matrimonii ſtatum, peccas letaliter. Hanc ſententiam evincit Cardinalis Caietanus *Tom. I. opuſc. tract.* XIV. *dub* 1. hac ratione. Diſtinguit inter conſenſum & de-

le-

lectationem. Tam conſenſus, quam deſiderium ferri poteſt in obiectum & abſolute, & conditione affectum. Delectatio autem voluntaria, conſequens obiectum interius apprehenſum, puta concubitum, ſive abſolute, ſive conditionaliter, non poteſt diſtingui in delectationem conditionalem, vel abſolutam; ſed ex hoc ipſo quod huiuſmodi delectatio voluntaria ſit, ſimpliciter & abſolute delectatio eſt. Unde, cum quis deſiderat cum aliqua coire conditionaliter, ideſt ſi eſſet ſua; non peccat, quoniam deſiderium obiectum habet rectæ rationi conſonum. Sed, cum delectatur quis de huiuſmodi actu conditionali cogitato, delectatio ipſa non eſt conditionalis: quoniam conditionalis nihil ponit in eſſe. Huiuſmodi autem delectatio ponitur in eſſe voluntarie. Et propterea delectatio ipſa non ſpectat ad obiectum deſideratum, & cogitatum, quatenus eſt conditionale; ac per hoc redit ad naturam ſui generis, ſcilicet delectationis moroſæ de illicito concubitu. Ex hoc namque quod actus, ut conditionalis, non faciat ipſam delectationem ut conditionalem, ſequitur quod relinquat eam in genere delectationis voluntariæ de concubitu, ſecluſa conditione, quæ ſola faceret illum licitum. Et hoc eſt nihil aliud dicere, quam relinquere illam in ſpecie delectationis voluntariæ de concubitu, ac ſi illa conditio non eſſet cogitata. Hactenus Caietanus totidem fere verbis. Cuius doctrina, licet paullulum pro materiæ conditione ſubtilior, facile tamen pervia redditur. Deſiderium fertur in obiectum futurum conditione ſuſpenſum. Delectatio fertur in obiectum ut præſens, & abſolutum: quia, inquit Caietanus, conditionalis nihil ponit in eſſe.

VII. P. Thomas Sanchez *Lib. I. in Decal. cap.* 11. *num.* 31. *& ſeq.* confutat hanc Caietani doctrinam, eo quod, ſi licitum eſſet deſiderium, licita quoque deberet eſſe delectatio. Nam ſicut deſiderium reſpicit obiectum licitum ratione conditionis, ita etiam delectatio. Ergo aut uterque actus eſt malus, aut uterque bonus. Diſtinguit quoque idem *P. Sanchez* delectationem voluntatis a delectatione appetitus ſenſitivi: illam aſſerit ſpectare poſſe obiectum conditionale; ſecus iſtam: quoniam illa intellectu, qui præſcindere valet, regitur; hæc ab imaginativa, quæ præſcindere nequit, moderatur. Heinc infert, voluntatem delectari poſſe de obiecto conditionali, quod ſecluſa conditione, eſſet peccatum mortale. V. g. Petrus ſolutus poteſt delectari de concubitu cum Berta, ſi eſſet uxor ſua: quoniam, inquit, hæc delectatio eſt de obiecto licito ratione adiectæ conditionis.

VIII. P. Cardenas *tract.* IV. *diſp.* XLI. *cap.* III. *art.* 2. *num.* 40. *& ſeq.* docet cum P. Vaſquez, delectationem de malo morali, a quo per intellectum præſcinditur malitia, poſſe malam moraliter eſſe; licet obiectum malitia careat; quod variis exemplis oſtendit. Diſplicentia de divina iuſtitia, bonitate, omnipotentia &c. mala eſt; & tamen obiecta bona ſunt. Copula coniugalis bona eſt; at delectatio in ſolutis de eadem mala eſt. Ut delectatio mala ſit, neceſſe minime eſt ut ſit ſemper de obiecto malo; ſed ſat eſt quod adverſetur alicui virtuti. Quando habitudo

de-

Digitized by Google

delectationis ad aliquod obiectum opponitur alicui virtuti, licet obiectum careat morali malitia, delectatio mala eſt. Accedit quod, licet copula coniugalis licita, & bona ſit reſpectu coniugatorum, illicita tamen eſt ſolutis. Conditio adiecta, Si eſſet mea, non ſuſpendit delectationem. Deſiderium inefficax illius copulæ media conditione, Si eſſet mea, ſuſpendit gaudium, & reſpicit obiectum ut futurum; delectatio verò, ut præſens, atque adeo abſolutum. Ergo illicitum. Quod ſi contendat Sanchez, etiam deſiderium includere quamdam complacentiam de obiecto; & conſequenter aut illud etiam dicendum illicitum, aut, ſi licitum illud, licitam quoque delectationem: ego ambo illi concedam. Plures Theologi cum Caietano deſiderium illud conditionatum licitum defendunt. Ceterum non valde ego laborarem, ut licitum hoc deſiderium propugnarem. Nam primum, ut minus, hæc deſideria ſunt otioſa, & ideo illicita. Deinde, cum diſtinctio actuum internorum res metaphyſica ſit, & ſubtiliſſima, & ſæpe unus actus cum alio confundatur; parum ſuam curaret ſalutem ille qui eiuſmodi deſideriis ſuam lactaret voluntatem.

IX. Quam ſit laxa hæc P. Sanchez opinio, abunde conſtat ex eo quod illam reiiciat, ut improbabilem, vel ipſe P. Thomas Tamburinus *Lib. X. in Decal. cap. v. §. 2. num. 1.* Eam quoque reprobat P. Ferdinandus Caſtropalaus *Tom. I. tractat. 11 diſp. 11. punct. 10.* Uterque allegat hanc rationem, videlicet ſummam ſympathiam inter appetitum ſenſitivum & rationalem, ac vehementem propenſionem utriuſque appetitus ad res venereas. Eo ipſo enim quod voluntas delectatur, ponit aliquid quod influit in pollutionem: quod numquam licet. Ut vero Tamburinus opinionem, quam reiicit, quoquo modo liniat, ait, ſe damnare eiuſmodi delectationes de copula cogitata, quando aliqua neceſſitas, vel commoditas non excuſet. En illius verba. *Tamen voluntarie, & ſerio ſine ulla neceſſitate, vel ſaltem commoditate, in prædictis, ſive in voluntate, ſive in appetitu ſenſitivo, eadem voluntate conſentiente, delectari, etiam per intellectum malitia abſtracta, eſſe extra matrimonii ſtatum, mortale, indubitatum mihi eſt.* Commoditas numquam deeſt; & ideo delectatio ſecundum Tamburinum numquam erit illicita. Quæ *ibidem num. 2.* adiicit, ſunt ponderatione digna. Inquit enim, non licere *tibi ſoluto delectari de copula maritali inter coniuges habita.... Fateor tamen poſſe te ... gaudere, vel deſiderare, ut legitimi coniuges debitum ſibi reddant.*

X. Quid, ſi omnia referre vellem quæ de delectatione moroſa ſcribunt P. Arriaga, & Caramuel? P. Arriaga *Tom. I. in 1. 2. diſp.* XLVII. *num.* 4. docet, probabilem eſſe ſententiam, Martino de Magiſtris adſcriptam, quod delectatio moroſa in re venerea licita ſit, ſi ſola vis rationis ſpectetur; dummodo delectatio non ſit de actu venereo, ut formaliter malo. Subdit tamen, præfatam ſententiam aliunde eſſe abſolute improbabilem, quod oppoſita ſit communis inter Theologos. Verum, ſi ſententia, defendens licitam delectationem moroſam in re venerea, ideo tantum

eſt

Digitized by Google

eſt improbabilis, quod adverſetur communi Theologorum placito; iam non improbabilis, ſed probabilis habenda eſt. Quod ſic evincit perdoctus P. Cardenas *tract.* IV. *diſp.* XLI. *cap.* III. *art.* 5. Communis Theologorum conſenſus eatenus in morum controverſiis facit certitudinem moralem, quatenus gravi firmoque nititur principio; ſecus, ſi perſuaſio ſit, rationem cui Theologi innituntur, debilem eſſe atque infirmam. Porro P. Arriaga ad criſim revocat omnes rationes, quibus Theologi evincunt, delectationem in re venerea eſſe malam, eaſque ut ineptas reiicit. Primam aſſerit eſſe nullam, quod falſum ſupponat. Secundam dicit eſſe minoris efficacitatis; tertiam nihil concludere; duas ſequentes non ſatisfacere; poſtremam probabiliorem utique eſſe adfirmat, ſed minime convincere. Si ergo iuxta P. Arriagam nulla ex rationibus quas afferunt Theologi, plene evincit quod ipſi defendunt; conſequitur, certam non eſſe illorum ſententiam. Ideo enim, ut dictum eſt, Theologorum auctoritas inducit moralem certitudinem, quia ſupponitur gravem eſſe, atque validam rationem quam pro ſe allegant; licet a nobis non penetretur, nec percipiatur eiuſdem vis. At, ſemel conceſſo quod illorum rationum momenta deprehendantur imbecillia, auctoritas eorumdem tota concidit. Sola quippe divinæ Scripturæ auctoritas, non rationi naturali, ſed Dei, qui nec falli, nec fallere poteſt, revelationi innititur. Si plura ſophiſmata, quibus P. Arriaga conatur obnubere evidentes rationes quibus Theologi probant malitiam delectationis moroſæ, ſcire cupis, conſule laudatum P. Cardenas, qui efficaciter eadem confutat.

CAPUT IV.

Peccant in poſtremum Decalogi mandatum qui res alienas concupiſcunt.

I. QUI rem alienam contra iuſtitiam, & voluntatem poſſidentis deſiderant, peccant contra decimum præceptum. Non adeo rarum, ut putatur, eſt peccatum hoc. Quippe ii omnes qui divitiarum nimio amore flagrant, ſi divites fieri incipiant, incidunt in deſideria prava, inquit D. Paulus. Exemplum refert S. Ambroſius Achab Regis Samariæ, qui, ut narratur *III. Reg. cap.* XXI. vineam Naboth Iſraelitæ, ſuo palatio conterminam, iuſto pretio emendam, aut altero agro compenſandam poſtulavit. Cui reſpondit Naboth: *Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.* Quod reſponſum ægre ferens Achab tanta indignatione commotus eſt, ut Scriptura teſtante in lectum proiectus, & ad parietem converſus, panem non comederet. Ad eum acceſſit Iezabel eius uxor, illoque iniquior, inſontem Naboth, blaſphemiæ in Deum, & in Regem duorum teſtium falſo teſtimonio convictum, interfici decrevit. Quo lapidibus interempto, vineam ſanguine poſſeſſoris, & domini manantem crudeliſſima tyrannide uſurpavit.

II.

Digitized by Google

II. Impium Achab, & ſæviſſimam Iezabelem imitantur plures huius ſæculi divites, & magnates, inquit S. Ambroſius Lib. de Naboth Iſraelita cap. 1. *Naboth hiſtoria tempore vetus eſt, uſu quotidiana. Quis enim divitum non quotidie concupiſcit aliena? Quis opulentiſſimorum non exturbare contendit agellulo ſuo pauperem, atque inopem, aviti ruris eliminare finibus? Quis contentus eſt ſuo? Cuius non inflammat divitis animum vicina poſſeſſio? Non igitur unus Achab natus eſt; ſed, quod peius eſt, quotidie Achab naſcitur, & numquam huic ſæculo moritur. Si unus occidit, aſsurgunt plurimi: plures qui rapiant quam qui amittant. Non unus Naboth pauper occiſus eſt: quotidie Naboth ſternitur, & pauper occiditur. Quemadmodum Iezabel muliercula imperioſa, impotens, & avida, vineam Naboth ſuo coniugi repromiſit; ita & avaritia, per Iezabelem adumbrata, quotidie pollicetur alienas domos, & poſſeſſiones.* Quot ſunt Achabi ſucceſſores, qui, ut vineas conterminas, vicinaſque aſſequantur, circumvenire pauperes ſtudent, modo pecuniarum oblatione alliciunt, modo minarum ſonitu perterrefaciunt; nunc emendicatis prætextibus lites indicunt, nunc calumniis illos opprimunt, atque tot fraudibus obſident & vexant, ut tandem, velint, nolint, in illorum retia incidant?

III. Peccant quoque adverſus hoc poſtremum præceptum qui ad explendam propriam concupiſcentiam, nullo præſtituto ſibi limite, immoderate bona exoptant contra divinam voluntatem. Frequentius adverſus poſtremum hoc mandatum peccant artium quarumdam profeſſores. Aliquos obiter indicabo. Peccant ergo I. Tabernarii, & opifices cupedinarii qui pecuniarum cupiditate flagrantes, huiuſmodi mercium, ac rerum penuriam exoptant, ut inde maiora lucra captent. II. Medici, & chirurgi qui morbos graſſari in civitate percupiunt, ut aliorum corporum plagis avari ſui cordis ulceribus medeantur, ſuaſque opes augeant. III. Milites qui accendi inter Principes bella avent, ut occaſiones ſibi prædandi, & præliandi aperiantur. IV. Mercatores qui frumentorum, ſive mercium quæ ad victum, & veſtitum pertinent, inopiam deſiderant, ut pretia augeantur. V. Advocati, ſcribæ, cancellarii, qui civiles lites, & delicta criminalia, rixas, percuſſiones, homicidia perpetrari cupiunt, ut ſuum patrocinium divendere, & aliorum infortuniis altius ipſi aſſurgere, & patrimonium augere valeant. VI. Luſores qui ludis, ſive licitis, ſive illicitis, expoliare ſocios pecuniis, & patrimonio tentant, qui non animi recreandi, ſed expilandæ alienæ crumenæ cauſſa ludis vacant. De hoc ſecundi ſanguinis crudeli, & inhumano duello, quo mutuo amici ipſi, avaritia furentes, ſe interimunt, uſque ad ultimam ſecundi ſanguinis guttam, plura, dum hanc verſabo controverſiam, dicturus ſum. Quæ hic indicavi, fuſius explicat Catechiſmus Concilii Tridentini *III. Part. lo c. cit.*

IV. Tandem ad pleniorem poſtremi Decalogi mandati intelligentiam eſt animadvertendum, quod, ſicuti cetera præcepta, dum vitium vetant, oppoſitam præci-

piunt

piunt virtutem; ſic hoc ultimum, dum iniuſta deſideria noſtra prohibet, iubet ut voluntatem, & appetitiones noſtras ſupremæ divinæ voluntati ſubiiciamus, ut, deſideria noſtra ſurſum erigentes, cæleſtem Hieruſalem, & æternas divitias, terrenis contemptis, diu noctuque percupiamus: *ut abnegantes* (inquit Apoſtolus Paulus ad Tit. II.) *impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobrie, iuſte, & pie vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Hæc æternæ felicitatis deſideria animum noſtrum tranquillum, æqualem, pacificum, inferioribus appetitionibus imperantem, ad omnes eventus immotum, atque invictum efficiunt. Quoniam omnia elementa, dum ad centrum tendunt, ſuavi rapiuntur impetu, ut ibi plene conquieſcant. Centrum cordis noſtri cælum eſt, a quo, dum terram incolimus, peregrinamur. E contrario deſideria rerum terrenarum animum noſtrum exagitant, torquent, atque diſcerpunt in partes. Heinc eſt quod Deus peccatores non aliis in hoc mundo carnificibus, & tortoribus puniendos tradit quam propriis deſideriis, inquit Paulus ad Romanos I. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Animadvertit Salomon, humana deſideria pigrum occidere, eumque inertem, & otioſum tum potiſſime efficere, cum magna meditatur. *Deſideria occidunt pigrum. Noluerunt enim quidquam manus eius operari: tota die concupiſcit, & deſiderat.* Prov. XXI.

V. Quæ hactenus inculcavi, Chriſtus ipſe nos docuit, hortans nos, ut deſideria ſæcularia, & terrenarum rerum cupiditates, veluti opprimentes ſarcinas, deponentes, ad ſemetipſum accedamus. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos.... Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. XI. Hunc tranſcripſi textum, ut primis extrema reſpondeant. Iugum Chriſti, quod his maxime decem Decalogi præceptis clauditur, divina caritate ſuave, & delectabile fieri, vel initio iſtius noſtri in decem divina mandata Commentarii diximus. In præſentia vero idem repetimus, atque addimus, eo hoc iugum ſuavius fieri & levius, quo exactior erit mandatorum obſervantia. In huius operis decurſu paſſim vidimus, Caſuiſtarum recentiorum plures in eo legis evangelicæ ſuavitatem locare, ut rigorem præceptorum extenuent, legem laxent, appetitionibus faveant. Suavem reddere chriſtianam profeſſionem ſibi blandiuntur iſti, ſi hominum deſideria terrenis oblectamentis, & carnalibus illecebris demulceant, ſi per theatra, comœdias, omniaque inſanientis mundi ſpectacula evagari ſinant. Quæ ſuavitas dira eſt & immanis crudelitas. Audiamus Auguſtinum epiſ. XLV. nunc CXXVII. *Hæc diſciplina piæ humilitatis ventoſam, & turbidam cupiditatem, avidam rerum extra noſtram poteſtatem conſtitutarum, pellit ex animo, & quodammodo expirat. Ibi enim labor, ubi multa quæruntur, & diliguntur, quibus adipiſcendis, atque retinendis voluntas non ſatis eſt, quia conſequentem non habet facultatem. Iuſta vero cum volumus, adeſt, quia eam ipſam plene velle, iuſtitia eſt: nec plus aliquid perficien-*

cienda iuſtitia, quam perfectam voluntatem, requirit. Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt. Unde divinitus dictum eſt: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. *Ubi pax, ibi requies: ubi requies, ibi finis appetendi, & nulla cauſa laborandi. Sed hæc voluntas, ut plena ſit, oportet ut ſana ſit. Erit autem ſana, ſi medicum non refugiat, cuius ſolius gratia ſanari poteſt a morbo deſideriorum noxiorum. Ipſe eſt ergo medicus qui clamat:* Venite ad me omnes qui laboratis, *iugum ſuum ſuave, & onus leve dicens: quia, diffuſa per Spiritum ſanctum caritate in cordibus noſtris, profecto amabitur quod iubetur, & non erit aſperum, nec oneroſum, ſi ſub hoc uno iugo, quanto minus tumida, tanto magis libera cervice ſerviatur. Et hæc eſt una ſarcina, qua eius baiulus non premitur, ſed levatur. Divitiæ ſi diliguntur, ibi ſerventur ubi perire non poſſunt. Honor ſi diligitur, illic habeatur ubi nemo indigens honoratur. Salus ſi diligitur, ibi adipiſcenda deſideretur ubi adepta nihil timetur.*

VI. Plurima alia in huius veritatis commendationem adferre ex S. Doctore poſſem. Clamat quippe paſſim, & potiſſimum Lib. III. de doctr. chriſt. cap. x. *Quanto magis regnum cupiditatis minuitur, tanto regnum caritatis augetur.*

CAPUT ULTIMUM.

DECALOGI EPILOGUS,

In quo nonnulla præcipua eorum, quæ dicta ſunt, capita ſub unica oculorum acie repræſentantur; & cavendum a quorumdam Caſuiſtarum laxitatibus ſuadetur. Benignitas probabiliſtica ex S. Auguſtino ſerpentis Evam ſeducentis blanditiis comparatur.

I. IUgum quod Chriſtus IESUS Servator noſter humanis cervicibus ferendum impoſuit, decalogicis mandatis concluditur. Grave, durumque eſt, ſi humanæ infirmitatis vires ſpectentur; ſuave autem, & leve divinæ caritatis unctione, aliarumque theologicarum virtutum fidei, & ſpei exercitio efficitur. Quamobrem iſtarum trium virtutum explanationem officia, prærogativas, frequentandarum debitum, & merita in anteceſſum præmiſi, ceu fundamenta, quibus univerſa lex nititur, ut hinc colligant chriſtiani lectores, quodnam ſit oleum illud quo mandatorum ſeveritas delinitur, quodnam ſacrum balſamum, & divina remedia quibus humanarum virium imbecillitas inſtauratur, & hominum corda inflammantur ad viam mandatorum alacriter, ſuaviterque percurrendam. Novi quidam Caſuiſtæ iugum ſuave reddere ſtudent, non actuum fidei, ſpei, & caritatis frequentia, ſed legem extenuando, iugumque diminuendo. Vidimus novos quoſdam Auctores hæc

hæc trium virtutum mandata, quæ ſunt chriſtianæ vitæ primordia, & univerſæ evangelicæ perfectionis ſpiritus, & anima, eo redegiſſe, ut *per ſe* vix umquam in toto vitæ decurſu obligent, aut nonniſi ſemel intra quinquennium, aut biennium. Quos errores fuſe pro dignitate labefactavimus: quoniam laxæ iſtæ opinationes non modo earumdem virtutum abolitionem inducunt, ſed Chriſtianis medicinas, quibus vulnera ſanantur, pabula divina, quibus ſpiritus vivificatur, roboraturque ad iugum ſuaviſſime ferendum, ſubtrahunt. Ne vero quis ſuſpicetur me plus iuſto exaggeraſſe, ut muſſitare adverſarii mei ſolent, in recenſendis iuniorum quorumdam Probabiliſtarum opinionibus, lubet in medium proferre iudicium, non Sinnichii, non Obſtraet, ſed doctiſſimi P. CHRISTIANI LUPI in doctrinam P. Thomæ Tamburini ſuper hoc altiſſimo præcepto amandi Deum. Porro hæc P. Lupus *Tom. XI. edit. Venet. in epiſ. ad Card. Noris pag.* 247. *& ſeq.* ſcribit. „ Duram nobis luctam nuper fecit Thomas Tamburinus, cuius *expedita*, ut „ inſcribitur, *Decalogi explicatio* huc deportata fuit, & typis vulgata apud Inſulas, „ oppidum diœceſis Tornacenſis. Eſt compedita, non expedita explicatio. Huma- „ num genus non a multo, uti tentat, divinarum, ac humanarum legum iugo, „ ſed in miſerandum ipſarum contemptum, ac libertinam prævaricationem expe- „ dit, nec unum de minimis, ſed multa etiam de maximis mandatis ſolvit, & „ ſic docet homines, atque ita auctorem ſuum cum omnibus in eius errorem ſe- „ ductis facit eſſe minimos in regno cælorum. *Diliges Dominum Deum tuum ex* „ *toto corde tuo*, eſt ſummum, ac primum, adeoque rigidum æternæ legis man- „ datum, ut mens noſtra, quæ ad inſtar cordis ſemper ſine feriis eſt in motu, „ eius virtualem, quem mentis habitum, ac animi præparationem ſanctus Augu- „ ſtinus paſſim appellat, actum, nec ad unum temporis inſtans, ſi quidem anti- „ quis Doctoribus credimus, poſſit interpolare. Quoties mentis ſupra ipſum refle- „ xio obliget, eſt antiquæ ſcholæ quæſtio. Quorumdam ſinguli s dumtaxat domi- „ nicis diebus obligare opinantium ſententia a multis merito opinatur minus la- „ xa. At vero dictus Tamburinus [Par.II. cap. 111. ſ. 2.] nec in rationis ingreſſu, „ nec in mortis exitu, nulloque vitæ tempore aſſerit ipſum divinæ dilectionis a- „ ctum eſſe neceſſarium. Ait, *præceptum caritatis impoſitum fuiſſe ob iuſtificationem* „ *impii; ſolum igitur obligare, quando impius, quia ſacramentum pœnitentiæ non eſt* „ *in promptu, non habet aliam viam, qua ſe iuſtificet, niſi eliciat actum contritionis*, „ *quæ ſemper aliquo tandem modo actum amoris Dei ſuper omnia dilecti involvit. Con-* „ *ſequenter igitur & indirecte, ratione ſuæ iuſtificationis, ad actum caritatis fideles* „ *obligantur*. Eam quæ nec in mortis exitu nos ad Deum diligendum obliget „ ſententiam aſſeverat eſſe *probabilem & tutiſſimam.*"

„ Ad iſtas Siciliæ merces in memoriam nobis venit S. Gregorii Magni ad ſan- „ ctum Maximianum Syracuſæ Antiſtitem epiſtola. *Tanta nobis ſubinde mala, quæ*

Digitized by Google

„ *aguntur in iſta provincia, nuntiantur, ut peccatis facientibus, quod avertat omnipo-* „ *tens Deus, celeriter iam periturum credamus*. (Lib. III. epiſ. XII.) A viro omnia „ *ad maiorem Dei gloriam* agere profeſſo prodire tam monſtroſum dogma plurimi „ ſunt admirati. Hinc & ipſum conſtanter invaſerunt, adiuvitque divinitus inſpi- „ rata beatiſſimi Patris noſtri, cui det Deus annos de noſtris, Alexandri VII. ſol- „ licitudo paſtoralis anno 1665. damnans hunc articulum: *Homo nullo umquam* „ *vitæ ſuæ tempore &c.*" Hactenus Chriſtianus Lupus. Nihiloſecius opera P. Tamburini leguntur, eiſque utuntur non pauci in animarum regimine. Recentiores Probabiliſtæ non pauci pia intentione deluſi legem chriſtianam lenem & dulcem efficere ſibi blandiuntur, cum illam inflectunt, attemperantque humanis cupiditatibus, quas eidem legi ſubiicere homines carnales refugiunt, ut ſcitiſſime S. Auguſtinus *concion.* 1. *in Pſal.* XLVIII. animadvertit. *Omnia divina eloquia ſalubria ſunt bene intelligentibus; pernicioſa vero his qui ea volunt ad ſui cordis perverſitatem detorquere, potius quam ſuum cor ad eorum rectitudinem corrigere. Hæc eſt enim in hominibus magna, & uſitata perverſitas, qua, cum ipſi debeant ſecundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere ſecundum voluntatem ſuam; &, cum ipſi nolint corrigi, illum volunt depravari, rectum non arbitrantes quod ille vult, ſed quod ipſi volunt.* En quibus coloribus Doctor ſanctus depingat illos qui, quoties audiunt omnia in Deum dirigenda opera, repetenda fidei, ſpei, & caritatis officia, vivendum chriſtiana, nempe cælesti, divinaque vita, continuo inclamant: *Iugum meum ſuave eſt.* Excutiunt a cervicibus iugum, aut partem decerpunt, ut ſuave illud eſſe dicatur. Legem decalogicam *virgam* appellat *directionis* Regius Propheta, quæ in Chriſti regnum devios, errantes, palanteſque homines dirigit, eorumque cupiditates coercet. Virgam hanc *ferream*, ideſt inflexibilem, immutabilemque alibi vocat; minaturque tamquam figuli vaſa contriturum eos Deum qui inflectere, & humanis appetitionibus hanc virgam ſubmittere non reformidant.. Lubet pulcherrimum S. Auguſtini dictum ex commentario *in Pſalm.* XLIV. tranſcribere. *Directionis virga eſt quæ dirigit homines. Curvi erant, diſtorti erant, ſibi regnare cupiebant, ſe amabant, facta ſua mala diligebant, non voluntatem ſuam Deo ſubdebant, ſed voluntatem Dei ad ſuas concupiſcentias flectere volebant. Iraſcitur enim peccator, & iniquus plerumque Deo, quia non pluit; & non vult ſibi Deum iraſci, quia fluit. Et ad hoc propemodum ſedent quotidie homines, ut diſputent contra Deum. Hoc facere debuit, hoc non bene fecit. Tu videlicet vides quid facias, ille neſcit? Diſtortus tu es; ille rectus eſt. Diſtortum ad rectum quando coniungis, collineari non poteſt; tamquam in pavimento æquali ponas lignum curvum, non adiungitur, non cohæret, non coaptatur pavimento æquali. Ergo Dei voluntas æqualis eſt; tua curva eſt: propterea tibi curva videtur illa, quia tu illi coaptari non potes. Dirigere ad illam, tene illam: nam, ſi illam velis curvare ad te, quia non potes, fruſtra conaris: illa ſemper dire-*

ct.

Ɛa eſt. Vis illi bærere? Corrigere : erit virga illius qui te regit, virga directionis. Et in Pſalm. lxxii. *Accede ad iſtam virgam : ſit tibi Rex Chriſtus : regat te virga iſta, ne frangat te. Virga enim ferrea eſt illa inflexibilis : & quid dictum eſt?* Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli conteres eos. *Alios regit, alios conterit : regit ſpirituales, conterit carnales*.

II. Benignitatem illam qua emollire plures contendunt divinæ legis ſeveritatem, comparat S. Doctor blanditiis illis quibus fucum primis parentibus dæmon fecit. Exaggerabat callidus ſerpens divini mandati rigorem. Futuræ divinitatis ſpe lactabat incautos, illiſque dulcem pomi eſum ſuaſit, unde illorum mors, noſtræque calamitates profectæ ſunt. Parentum exemplum amplectuntur homines qui, miſſo legis rigore, lenocinantis benignitatis præſtigiis decepti, laxa legis interpretamenta ſuſcipiunt. *Repellit* (inquit S. Pater conc. 1. in Pſalm. xlviii.) *a ſe cor hominis verbi Dei ſeveritatem, & admittit ad ſe male ſuadentis ſerpentis blanditias. Contra hos ergo cantat ſermo divinus*. Quis hic ſermo, qui contra benignos blandiloquentulos perorat, qui illorum nugas, & fallacias, qui mandatorum auſteritatem, & difficillimum æternæ ſalutis negotium inculcat? Reſpondet Doctor ſanctus ſerm. 1. de verb. Dom. cap. iii. *Si peccas, adverſarius tuus eſt* ſermo Dei. *Verbi cauſſa. Forſitan delectat te inebriari: dicit tibi*, Noli. *Delectat te ſpectare, & nugari : ille dicit tibi*, Noli. *Delectat te adulterari : dicit tibi ſermo Dei*, Noli. *In quibuſcumque peccatis volueris facere voluntatem tuam, dicit tibi*, Noli. *Adverſarius eſt voluntatis tuæ, donec fiat auctor ſalutis tuæ. O quam bonus adverſarius, quam utilis adverſarius! Non quærit noſtram voluntatem, ſed utilitatem. Adverſarius eſt nobis, quamdiu ſumus & ipſi nobis: quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum habebis ſermonem Dei. Eſto tibi amicus; & concordas cum ipſo*. Non homicidium facies. *Audi, & concordaſti*. Non furtum facies. *Audi, & concordaſti*. Non mœchaberis. *Audi, & concordaſti*. Non falſum teſtimonium dicas. *Audi, & concordaſti*. Non concupiſces uxorem proximi tui. *Audi, & concordaſti. In his omnibus cum tuo* adverſario *concordaſti : dic mihi quid perdidiſti? Non ſolum nihil perdidiſti, ſed & teipſum, qui perieras, inveniſti*.

III. Sermo Dei, lex Dei bellum indicit appetitionibus noſtris perpetuum: ideo ipſa divina eloquia ſunt humanitatis noſtræ, ad illecebras, ad voluptatum illicia propenſæ, adverſarii ſeveri, & rigidi. An non auſtera, & rigida ſemper lex illa erit quæ frena hominibus iniicit, quæ ſubditorum coercere mores, & ad virtutis normam conformare ſtudet? Te ergo fallunt, palpantque adulatores illi qui ſuavia, dulcia, ideſt tuis deſideriis conformia, divina depingunt eloquia, qui ratiuncularum, & ſophiſmatum lenociniis legis ſeveritatem extenuare conantur. Aures iſtis, qui, cum benedicunt, ſeducunt, claude, eaſque arrige, ut audias adverſarium carnis tuæ *ſermonem Dei*. Clamat ſermo Dei: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto*

corde tuo: contra blandiloquus mandatum iſtud *per ſe* numquam inſinuat obligare.

IV. Quam ſevere *ſermo Dei* prohibeat iusiurandum, neceſſitate ſublata, quanta ſit cautione adhibendum, cum neceſſitas uſum expoſcat, late palam ſeci in expoſitione ſecundi mandati. Commenta inaudita, quibus eiuſmodi ſacroſancta iuramenta circumveniat, eludat, in nihilum redigat nova quorumdam Theologia, ibidem percenſui, & pro viribus refutavi. Quartum mandatum ſua quoque paſſum eſſe incommoda indicavi, ex novo ſcilicet opinandi modo, quo filios lætari poſſe de morte parentum ob hereditatem conſequendam, aſſeruere Caſuiſtæ non pauci.

V. Sermo Dei inhibet homicidia, *Non occides*. Quæ monſtroſa paradoxa benignitas ſanguinaria non invexit contra hoc naturale divinum præceptum? Ob valorem unius aurei docet occidi poſſe furem, & impingentem alapam, etiam fugientem, interfici. Defenſione occiſiva licitum eſſe cuſtodire non modo ea quæ actu poſſidemus, ſed etiam illa ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus, contendit. Quæ non permittit homicidia ad honorem læſum reparandum? Licere Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina vel de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetat, benigniſſime, ſi graviter læſus honor ſit, etiam poſt damnatam doctrinam, propugnat. Nunc compertum tibi erit, nos iure & merito benignitatem probabiliſticam truculentam, & ſanguine madentem, appellaſſe.

VI. Lubricam, & voluptuoſam ſimul delineavimus in ſexti mandati explicatione præfatam benignitatem, regulis, & opinationibus deſcriptis quas novi Caſuiſtæ plures commenti ſunt. Te delectant theatrorum, comœdiarumque ſpectacula. Sermone Dei moneris: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt... Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbiæ vitæ:* I. Ioan. II. Ex altera parte auribus tuis inſuſſurat benignus Caſuiſta: *Voluptates ſenſuum licite appeti poſſunt propter ſe.* Illum adulterari delectat. Sermo Dei clamat, *Non mœchaberis*. Serpentis benignitas illudit, & cavillatur: *Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium.* Tanta eſt divinæ legis caſtimonia, ut vel in coniugatis ipſis finem honeſtum procreandæ cælo ſobolis poſtulet: *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii:* I. Theſſal. IV. Contra aliquis argutatur hoc pacto. Officia coniugalia exercere *ſolius delectationis cauſa, ne veniale quidem eſt peccatum, ſicut non eſt, pulchrum proſpectare campum, fragrantem roſam odoratui ob voluptatem admovere, ſuavi melodiæ liberas aures dare.* Mulierum alloquiis, & converſatione alliciuntur homines. Sermo Dei hæc omnia cavenda, ceu humanorum cordium præſtigia, admonet: *Non zeles mulierem ſinus ſui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam... Ne reſpicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius... Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius... Averte faciem tuam a muliere compta:* Ec-

Digitized by Google

Eccleſ. IX. Contra inſinuant benigni quidam, puellas, *præſertim* plebeias, exutas cubare cum procis ſuis *exutis*, vel *indutis* licite poſſe. Conſule ea quæ *cap.* I. in mandatum ſextum retulimus.

VII. Quoniam humanum genus ob carnis concupiſcentiam, bonorumque cupiditatem maiori ex parte periclitatur, duo hæc vitia duobus coniunctis mandatis fermo Dei vetuit. Continuo enim poſt ſextum adverſus carnis illecebras, ſequitur ſeptimum, *Non furtum facies*. Rigorem iſtius mandati temperavit nova benignitas, innuens licitum eſſe furari, *non ſolum in extrema*, *verum etiam in gravi neceſſitate*. Quid gravis neceſſitatis nomine intelligit? Quid? Indecoram vitam, priſtini ſplendoris iacturam, fulgidi apparatus decrementum grave. *Qui ceſſit foro, poteſt ſibi retinere bona, quibus indiget ad ſuſtentationem familiæ, NE INDECORE VIVAT; licet debita pro quibus cedit, ſint ex iniuſtitia, & notorio delicto contracta*. Hæc doctrina nobilibus, mercatoribus, aliiſque non infimi ſubſellii proſpicit. Quid? Nulla ne benignitas famulis, ancillis, mercenariis blandiens? Audi. *Poſſunt famuli, & famulæ domeſticæ occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam ſuam operam, quam maiorem iudicant ſalario quod recipiunt*. Quam damnatam doctrinam, uno vel altero verbo fucatam, defendunt Caſuiſtæ novi nonnulli. Quid quod pro honoris læſi compenſatione furta licita eſſe propugnant? Conſule quæ in ſeptimum mandatum dicta ſunt.

VIII. Sermo Dei vetat falſa teſtimonia, mendacia, calumnias, detractioneſque. Ad hæc omnia honeſtanda, quæ benignitas aliquorum caſuiſtica invexit dogmata, fuſo calamo ſuis locis enarravi. AEquivocationes, amphibologias, mentis reſtrictiones; ceteraque id genus in medium adduxi, & pro virili labefactavi.

IX. Memineris nunc velim, chriſtiane lector, omnia Decalogi mandata ab ipſa naturæ lege, humanis animis inſita, eſſe præſcripta. Quis porro non obſtupeſcit, tam immania commenta proferri potuiſſe adverſus ea quæ omnibus pervia ſunt, quorum ignorantiam Patres omnes, ut noxiam, reputant, quod invincibilis numquam ſit. Sed quid Patres noſtros appello? Vel ipſi Ethnici legis naturalis ignorantiam damnarunt. Lubet enarrare quæ eloquentiſſimus Chriſtianorum Lactantius *Lib. III. cap.* VIII. tranſcribit ex M. Tullio. „ Suſpicienda Dei lex eſt, quæ nos ad hoc iter „ dirigat, illa ſancta, illa cæleſtis, quam M. Tullius in Lib. III. de Republica pene „ divina voce depinxit, cuius ego, ne plura dicerem, verba ſubieci. *Eſt quidem vera lex, recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna: quæ „ vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat; quæ tamen neque probos fruſtra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando movet. Huic legi nec prærogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt: nec „ vero aut per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus. Neque quærendus explanator, aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia „ nunc, alia poſthac. Sed & omnes gentes, & omni tempore lex una, & ſempiterna,*

„ &

„ *& immutabilis continebit: unuſque erit communis quaſi magiſter, Imperator omnium*
„ *Deus, ille huius legis inventor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fu-*
„ *giet; ac naturam hominis aſpernatus, hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cetera,*
„ *quæ putantur ſupplicia, effugiet.* Quis ſacramentum Dei ſciens, tam ſignificanter
„ enarrare legem Dei poſſit, quam illam homo longe a veritatis notitia remotus
„ expreſſit? Ego vero eos qui vera imprudenter loquuntur, ſic habendos puto,
„ tamquam divinent ſpiritu aliquo inſtincti. Quod ſi, ut legis ſanctæ vim ratio-
„ nemque ipſe pervidit, ita illud quoque ſciſſet, aut explicaſſet, in quibus præceptis
„ lex ipſa conſiſteret, non Philoſophi functus eſſet officio, ſed Prophetæ. “

X. Quid ad hæc novæ benignitatis inventores? Lex decalogica non alia Romæ, alia Athenis; non alia primis Eccleſiæ chriſtianæ ſæculis, alia nunc. Eadem, ſempiterna, invariabilis, immutabilis. Unus magiſter, lumen nempe ſignatum ſuper omnium hominum vultum. Nova benignitas, qua delinitur legis iſtius ſeveritas, dulce venenum eſt, quod mortem parat. Opiniunculæ, quibus carni, & ſanguini lex accommodatur, præſtigia ſunt, quæ rectæ rationis lucem obnubilant. Virtus quæque aſpera, dura, inimica eſt illecebris carnalibus; ſed animabus amica, eaſque ad ſalutis portum dirigit. Via quippe laxa, quæ videtur hominibus recta, ad mortem; anguſta, & arcta, quæ apparet, & eſt reipſa rigida, ad vitam ducit. Hæc ſunt documenta toties in *Dei ſermone* repetita. Sed, quod ſuffundere nonnullos Benigniſtas pudore debet, eſt vel ipſos Ethnicos veritates iſtas aſſecutos fuiſſe. Audi ethnicum Poetam.

Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur:
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert;
Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata; ſed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemque decuſque parabit.
At qui deſidiam, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis, inopſque ſimul, miſerabile tranſiget ævum.

XI. Ad hæc ſane carmina alluſit Lactantius *Lib. VI. cap.* III. ubi ſcribit. *Duæ ſunt viæ per quas humanam vitam progredi neceſſe eſt: una quæ in cælum ferat; altera quæ ad inferos deprimat: quas & Poetæ in carminibus, & Philoſophi in diſputationibus ſuis induxerunt. Et quidem Philoſophi alteram virtutum eſſe voluerunt, alteram vitiorum; eamque quæ aſſignata ſit virtutibus, primo aditu eſſe & arduam, & confragoſam; in qua ſi quis, difficultate ſuperata, in ſummum eius evaſerit; habere eum*
de

de cetero planum iter, lucidum, amœnumque campum, & omnium laborum ſuorum capere fructus uberes, atque iucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi, atque deflectere, quæ primo ingreſſu ſit quaſi amœna; deinde cum in eam paullo ulterius proceſſerint, amœnitatis eius ſpeciem repente ſubduci, exoriri autem viam præcipitem, nunc ſaxis aſperam, nunc obductam ſentibus, nunc gurgitibus interciſam, vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere ſit neceſſe. Quæ omnia eo proferuntur, ut appareat in virtutibus capiendis labores eſſe maximos, in perceptis autem maximos fructus, & ſolidas, atque incorruptas voluptates; vitia vero quibuſdam delinimentis naturalibus illicere animos hominum, & inanium iucunditatum ſpecie captos ad acerbas amaritudines, miſeriaſque perducere. Sapiens prorſus diſputatio, ſi virtutum ipſarum formas, atque terminos ſcirent.

XII. Tempus iam eſt ut vela contraham, & ut te, chriſtiane lector, dum orationi meæ finem impono, preſſius alloquar. Expergiſcere ergo, &, miſſis illuſoriæ benignitatis veneficiis, in Numen, legemque animum intende. Non te a veritatis ſemita abducat prævaricantium multitudo, non magiſtrorum auctoritas, non rapidus conſuetudinis torrens; ſed te ad legem firmiter, conſtanterque tene, ut admonet magnus Pater Auguſtinus Lib. de catechiz. rud. cap. xxv. *Tene te ad legem Dei, & non ſequaris prævaricatores eius. Non enim ſecundum illorum ſenſum, ſed ſecundum illius veritatem iudicaberis.* Novis opininnculis lenocinatur ſuavitas, caro blanditur, Auctorum patrocinium favet, Probabilitatis fucus excantat minus peritos. Ut his præſtigiis omnibus te ſubducas, non levis tibi ſuſtinenda pugna eſt. Verum, ne ad ſcopulos naviculam allidas, illorum ſemitis inſiſte qui per hoc idem mare, & quidem furentius, navigantes portum tenuere ſalutis; quales ſunt omnes Patres, quos Eccleſia ut Sanctos colit. *Ceſſet* (inquit Paulinus Nolanus epiſt. I.) *omnis excuſatio errorum, auferantur peccandi fœda ſolatia. Nihil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus.* Multitudinis exemplum, magiſtrorum etiam quorumdam auctoritas quadam incredibili vi, atque impulſu pertrahit in errorem, a quo ut te Patres eriperent, altius inclamarunt. *Ne trabamur* (ſubdit Lactantius Lib. III. cap. XIII.) *auctoritate cuiuſquam; ſed veritati potius faveamus, & accedamus. Nullus hic temeritati locus eſt. In æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit.*

XIII. His te vocibus alloquuntur Prophetæ Numine cœleſti afflati. *Popule meus* (inquit Iſaias cap. III.) *qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Propheta Regius conqueritur, quod *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur;* Pſal. IX. Vehementius per Ezechielem Dominus obiurgat magiſtros, legem ſuam officiis linientes, & populo blandientes. *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.... Et violabant me ad populum meum propter pugillum* bor-

Digitized by Google

bordei, & fragmen panis, ut.... vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. (cap. XIII.) Ut itaque falſas magiſtrorum voces declinemus, lex ipſa oculis noſtris obverſetur. Magiſtros ſæpe quærimus, non ut exactius, ſeveriuſque legem impleamus; ſed ut effugia nobis aperiant ad legis obſervantiam evadendam. Hic ſit officiorum omnium delectus: hæc iuſtitiæ, & æquitatis regula: quod *ſermo Dei* iubet, quod imperat, quamvis mandati cauſſam minime teneamus, iuſtum, ſanctum, piumque exiſtimemus, ſummoque ſtudio exequamur. Ea omnia quæ minus probabilia, quæque veroſimilius cum divinis ſanctionibus pugnant, licet fuco probabilitatis illita, iuſta, & pia videantur, aleæ periculique plena arbitremur. Et hæc in decalogicam legem dicta ſufficiant. Quæ omnia in gloriam & laudem omnipotentis Dei, eiuſdem Filii Servatoris noſtri Chriſti IESU, ſanctique Spiritus cedant. Amen.

FINIS TOMI QUARTI.

Digitized by Google

I N D E X

RERUM, ET VERBORUM

Quæ in hoc Tomo continentur.

A

A Conceptione (P. Emanuel) laxas de luxuria propoſitiones docet *p.* 357. *num.* 26. & *ſeqq.*

A Lapide (P. Cornelius) laxiſſime docet potuiſſe Suſannam mere negative ſe habere, & permittere in ſe illorum libidinem a quibus fuiſſet conſtuprata. *p.*456. *n.*3. Laxitatis, & falſitatis aperte eius ſententia convincitur ex Scripturis, & ratione. *p.* 457. & *ſeqq. n.*5. & *ſeqq.*

A Spiritu ſancto (P. Antonius) notus laxitatis eſt fautor. *p.* 390. *n.* 8.

Ab Aſſumptione (Fr. Ioannes) laxas propoſitiones docet de lucro mercatorum. *p.* 350. *n.* 30. & *ſeq.*

Actus moralis ſpeciem bonitatis, aut malitiæ minime deſumit ex iis quæ per accidens, ſed ab iis quæ per ſe occurrunt. *p.* 384. & *ſeq. n.* 9. & *ſeq.* Notabilis Caietani ex D. Thoma de hoc explicatio. *ibid.*

Adiuratio quid ſit explicatur, eiuſque variæ diviſiones recenſentur. *p.* 179. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Adiurare ſolemniter ſolis Eccleſiæ miniſtris conſecratis competit. *p.* 182. *n.* 2. Adiurandi poteſtas vi ordinis exorciſtatus æqualis eſt in omnibus. *ibid. n.* 3. Omnis & ſola creatura rationalis adiurari poteſt. *p.* 183. *n.* 4. & *ſeqq.* Exorciſmorum uſus antiquiſſimus eſt in Eccleſia. *p.* 184. *n.* 2. Per illos expulſio dæmonum per modum impetrationis obtinetur. *p.* 185. *n.* 3. Non ex opere operato ſuos pariunt effectus, ſed quando, & quomodo divinæ placet voluntati. *ibid. n.* 4. Refelluntur Salmanticenſes. *ibid.* Variis exorciſmis dæmones e corporibus pelluntur. *p.* 186. *n.* 5. Ad id nihil inſerviunt res inanimes. *ibid. n.* 6. & *ſeq.* Ex his nonnullæ referuntur, & ut nugæ refelluntur, explicatis nonnullis exemplis ex ſacra Scriptura, & antiquitate deſumptis. *ibid.*

Dæmones aliquando in corpora intrare veritas fidei eſt. *p.* 187. *n.* 1. Tria requiruntur, ut dæmon inhabitare dicatur in homine. *ibid. n.* 2. Incertum eſt per quam corporis partem intrent, & in qua reſideant dæmones. *p.* 188. *n.* 3. & *ſeq.* Dæmones cuiuſcumque ordinis ſint, ingredi poſſunt corpora humana. *ibid. n.* 5. Plures in eodem homine inhabitare poſſunt. *p.* 198. *n.* 6. Recenſentur plura ſigna, ex quibus energumeni & dæmoniaci cognoſci valent. *ibid. n.* 7. Quandoque energumenis imputantur actiones peccaminoſæ quas patrant, quandoque non. *p.* 190. *n.* 8. Referuntur ſervanda & præcipienda ab Exorciſta in adiurandis energumenis. *p.* 191. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Licitum eſt petere a dæmone ſignum egreſſus ſui a corpore. *p.* 193. *n.* 6. Refellitur Dominicus Soto. *ibid.* Nonniſi de neceſſariis ad ſui expulſionem interrogandus eſt dæmon. *ibid. n.* 7. Fides adhibenda non eſt dæmoni dicenti energumenum non eſſe baptizatum, maxime ſi ex conſuetis documentis oppoſitum conſtet. *p.* 194. *n.* 8. Credi ei poteſt, ſi res omnino indifferentes & innoxias referat. *ibid.* In adiurandis energumenis utendum non eſt alapis, flagellis, ſputis &c. *p.* 195. *n.* 9. Communiter illi adiurandi ſunt in Eccleſia. *ibid. n.* 10. Monialis energumena ut adiuretur, educenda non eſt

Digitized by Google

eſt e monaſterio. *ibid. num.* 11. Signa egreſſus dæmonum e corporibus ſunt omnino incerta & fallibilia, licet nonnulla aliqualem probabilitatem ſecum afferant. *p.* 196. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Recenſentur. *ibid.* Spectra, & ſpiritus malos quandoque domos inhabitare, & habitatores vexare probatur ex S. Auguſtino. *p.* 197. & *ſeq. n.* 6. Huiuſmodi ſpectra, ſeu larvæ ſunt veri dæmones. *p.* 198. *n.* 7. Dæmones infeſtantes loca eodem modo adiurantur ac obſidentes corpora. *p.* 199. *num.* 9.

Adulterium eſt acceſſus ad alienum torum. *p.* 470. *n.* 1. Tripliciter committi poteſt. *ibid.* Graviſſimum eſſe peccatum docet Scriptura. *ibid. n.* 2. Multum excedit fornicationis gravitatem. *ibid. n.* 3. Adulterium certo committit uxor, ſi ab alio cognoſcatur, etiam marito conſentiente. *p.* 471. *n.* 5. Oſtenditur D. Auguſtinum oppoſitum non docuiſſe. *p.* 473. *n.* 7. Adulterium patrat rem habens cum uxore aliena, antequam matrimonium conſumetur. *ibid. n.* 8. Non tamen qui cognoſcit virginem deſponſatam per verba de futuro. *ibid. n.* 9. Adulterium committit coniux copulam ſodomiticam habens cum proprio marito. *p.* 474. *n.* 10. & *ſeqq.* Adulterium duplex committit coniugatus alienam uxorem cognoſcens. *ibid. n.* 13.

Ambitus. *V. Iuramentum.*

Amicus (P. Franciſcus) damnatam de homicidio ob conſervationem honoris & famæ ſententiam docuit. *p.* 310. & *ſeq. n.* 2. Male illum defendere conatur P. Viva. *ibid.* Caiphas primus omnium eius doctrinam excogitavit. *ibid.* Illius tomus in quo ea ſententia continetur, damnatur a ſacra Indicis Congregatione. *ibid.*

Amplexus. *V. Oſcula.*

Aſpectus mulierum, rerumque turpium fugiendus eſt, monente Scriptura, & Patribus. *p.* 406. *n.* 1. Suapte natura malitia caret. *p.* 407. *n.* 2. Huiuſmodi aſpectus, niſi habeant urbanitatis, ſocietatis civilis, & neceſſitatis gratia, periculi, aut peccati pleni ſunt. *ibid. n.* 3. Tam femina deliberate aſpiciens pudenda viri, quam vir pudenda feminæ graviter peccat. *p.* 408. *n.* 5. Improbantur diſtinctiunculæ Caſuiſtarum. *ibid.* Excipiuntur tamen aliqui caſus, qui referuntur. *ibid. n.* 6.

Auctor Diſſertationis editæ anno 1743. in caſus reſervatos Venetæ diœceſeos, laxe & pernicioſe docet vellicare genas, & tangere mamillas Monialium eſſe actus ſolum ſubimpudicos, & de ſe veniales. *p.* 448. *n.* 1. Impugnatus fuit duabus Epiſtolis Venetiis editis anno 1744. *ibid.* Eiuſque liber prohibitus fuit S. R. Inquiſitionis decreto, quod recenſetur. *p.* 449. *n.* 1. Temere nihilominus defenditur a ſuis ſociis & fautoribus, decem clandeſtine editis libris, quorum brevis & notabilis hiſtoria texitur. *ibid.* & *p.* 450. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Eiuſdem retractatio Congregationi S. Officii oblata integre exhibetur. *p.* 451. *n.* 5.

Azorius (P. Ioannes) laxam de choreis ſententiam docet. *p.* 411. *n.* 5.

B

Buſembaum (P. Hermannus) laxam & falſam de alium infamante ad ſuam famam tuendam, ſententiam docet. *p.* 631. *n.* 26. Refellitur hæc ſententia, ceu contraria Evangelio. *ibid.* & *p.* 632. & *ſeq. n.* 27. & *ſeqq.*

C

Calmet (P. Auguſtinus) bene explicat legem permittentem furem nocturnum occidi. *p.* 327. & *ſeq. n.* 9.

Candidus (P. Vincentius) laxam de turpibus comœdiis ſententiam docet. *p.* 357. *n.* 29. Et alias laxas de iuramento, & mendacio. *p.* 585. *n.* 10. & *ſeq.*

Caramuel (Ioannes) laxas de luxuria ſententias docet. *p.* 352. & *ſeq. n.* 2. & *ſeqq.* Nullam fornicationem, ſive vagam, ſive certam contendit eſſe peccatum ſolo naturæ iure ſpectato. *p.* 375. *n.* 4. Oppoſitum probatur ratio-

Digitized by Google

tionibus D. Pauli. *p.*376. & *ſeqq. n.*1. & *ſeqq.* Evidenterque demonſtratur ex ratione a priori, allata a D. Thoma. *p.* 379. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Illius, ſicut & Martini de Magiſtris argumenta diluuntur. *p.* 381. & *ſeqq. n.*1. & *ſeqq.* Eius magnæ laudes aſſentatorie in Dianam effuſæ. *ibid, n.* 1. Speciem bonitatis, aut malitiæ actuum moralium male repetit ex iis quæ per accidens occurrunt. *p.* 384. & *ſeq. n.* 9. Male negat pollutionem prohiberi iure naturæ. *p.* 487. *n.* 3.

Cardenas (P. Ioannes de) commentitia diſtinctione contendit Innocentium XI. damnaſſe furtum ſub ratione furti, non vero ſub ratione acceptionis, ſeu ſurreptionis rei alienæ. *p.* 557. & *ſeq. n.* 20. Refellitur. *p.* 558. *n.* 21.

Caſnedi (P. Carolus Antonius) etiam poſt damnatas propoſitiones docet virum nobilem non teneri fugere, ſed poſſe occidere aggreſſorem ob honorem tuendum. *p.* 313. *num.* 7. Antievangelicam eius doctrinam falſo doceri ait ab omnibus Theologis. *ibid.*

Caſtitas in improprio ſenſu puritatem animi nullo peccato inquinati ſignificat. *p.* 367. *n.* 2. Proprie accepta peculiaris virtus eſt, quæ concupiſcentiam compeſcit in delectationibus, & actibus venereis. *ibid. n.* 3. Alia virginalis, alia coniugalis, alia eſt vidualis. *p.* 368. *n.* 4. Hæ duæ poſtremæ ſunt tantum modi illius. *ibid. num.* 5.

Caſtropalaus (P. Ferdinandus) laxiſſimam de mentali reſtrictione ſententiam docet *p.* 27. *n.* 38. Et laxas docet propoſitiones circa quartum Decalogi præceptum. *p.* 201. *n.* 3. & *ſeq.* Et aliam laxam de luxuria. *p.* 356. *n.* 23. Et aliam laxam de furto. *p.* 552. *n.* 8. Et alias laxas de iuramento, & mendacio. *p.* 585. *n.* 13. & *ſeq.*

Caſuiſtæ recentiores plurimi adverſantur Scripturæ, & Patribus, plura laxe docentes de iurandi, & blaſphemandi conſuetudine. *p.* 146. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Eorum propoſitiones nonnullæ damnatæ. *V. Propoſitiones damnatæ.* Aliæ eorum laxæ. *V. Propoſitiones laxæ.* Non ſunt audiendi, dum reponunt SS. Patres locutos fuiſſe ut Oratores, & nimis remote a praxi. *p.* 415. *n.* 17. Eos agentes de choreis male excuſat P. Segneri. *p.* 419. *n.* 12. Eorum Patroni celeberrimi Francolinus, & Segneri mutuis antilogiis ſe ſe conficiunt, ut eoſdem defendant. *p.* 422. *n.* 6. Caſuiſtæ in ſui patrocinium pro licito chorearum uſu falſo allegant S. Franciſcum Saleſium. *p.* 426. *n.* 1. & *ſeqq.* Summa & periculoſa facilitate decernunt hoc veniale, illud eſſe mortale crimen. *p.* 537. *n.* 2. In eorum operibus ante propoſitiones damnatas conſcriptis adiiciuntur ſuis locis propoſitiones damnatæ, abſque ulla correctione doctrinæ, cuius theſes ipſæ ſunt principium, aut conſectarium. *p.* 570. & *ſeq. n.* 16. A quorumdam Caſuiſtarum laxitatibus cavendum ſuadetur. *p.* 704. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Eorum probabiliſtica benignitas ex S. Auguſtino ſerpentis Evam ſeducentis blanditiis comparatur. *p.* 707. *n.* 2.

Choreæ prout re ipſa hodie aguntur inter mares & feminas, male a Moraliſtis non paucis innoxiæ probantur. *p.* 410. *n.* 3. Male citantur pro licito earum uſu antiquiores Summiſtæ. *ibid. n.* 4. Laxa de iis Azorii, & Salmanticenſium ſententia improbatur. *p.* 411. *n.* 5. Choreæ damnantur a Scripturis, & Patribus. *ibid.* & *p.* 412. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Rationes quoque eas ut corruptelas damnandas oſtendunt. *p.* 416. & *ſeqq. n.*1. & *ſeqq.* Inſtitutæ ſunt auctore diabolo. *ibid.* In Deum referri nequeunt. *p.* 417. *n.* 4. Ex choreis occaſiones libidinis accipiuntur, quæ ad quinque capita reducuntur. *p.* 416. *n.* 5. Referuntur. *ibid. n.* 6. & *ſeqq.* Choreæ damnantur auctoritate Eminentiſſimi Cardinalis Lambertini, nunc Benedicti XIV. *p.* 420. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* P. Francolini mirifica pro licito chorearum uſu, & in SS. Patres reſponſa cum ſuis inanibus diſtinctionibus referuntur, expenduntur, & refelluntur. *p.* 421. & *ſeqq. n.* 4. & *ſeqq.* Chorearum conſideratio practica. *p.* 425. *n.* 1. & *ſeq.*

Digitized by Google

Choreæ hodiernæ damnantur etiam a S. Franciſco Saleſio, quem falſo Caſuiſtæ in ſui patrocinium allegare ſolent. *p.* 426. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Cicero (M. Tullius) diſerte Verrem increpat ob eius pravos mores, patre indignos. *p.* 220. *n.* 5.

Circumcelliones ſuicidium, ceu quoddam martyrii genus propugnarunt. *p.* 338. *n.* 1. Breviter refellitur hæc hæreſis. *ibid. n.* 2.

Compenſatio proprie eſt debiti & crediti inter ſe invicem contributio. *p.* 558. *n.* 1. Damnatum fuit ab Innocentio XI. famulos & famulas domeſticas poſſe occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt. *p.* 559. & *ſeq. n.* 1. Laxæ Vivæ, La Croix, & Salmanticenſium damnatæ propoſitionis interpretationes improbantur. *ibid.*

Ad compenſationem, ut licita ſit, aliquot communiter a Theologis conditiones præſcribuntur. *p.* 560. & *ſeq. n.* 2. Prima eſt, ut debitum ſit ex iuſtitia debitum, liquidum, atque certum. *ibid.* Laxæ & improbabiles ſententiæ Ioannis Sanchez, De Lugo, Dianæ, & Moyæ de debiti probabilitate referuntur, & improbantur. *ibid.* Ad eam requiritur quod elapſum ſit tempus ſolutionis. *p.* 561. *n.* 3. & *ſeq.* Laxa & improbabilis Dianæ, Tanneri, Sporer, Illſung, Tamburini, & La Croix opinio de debito actu non extante refertur, & improbatur. *ibid.* Secunda conditio eſt, ut res, quam accipis, ſit tui debitoris, *ibid. n.* 5. Laxe hanc conditionem limitant pro foro exteriori Sporer, Leſſius, Tannerus, & alii. *ibid.* Tertia conditio eſt, ut rem tibi debitam nequeas commode obtinere. *p.* 562. *n.* 6. & *ſeq.* Laxæ & falſæ de ea Sporer, La Croix, Tamburini, & Dianæ opiniones improbantur. *ibid.* Quarta conditio eſt, ne plus accipias quam tibi debetur. *ibid. n.* 8. Quinta eſt, ut compenſatio fiat abſque damno tertii. *ibid. n.* 9. Laxe La Croix cum Sporer ait eam licere, ſi alius reputaretur furatus rem quam tu accipis, & cogeretur reſtituere. *ibid.* Sexta conditio eſt, ut compenſatio fiat in eadem ſpecie, ſi poſſit. *ibid. num.* 10. Septima eſt, ut fiat abſque damno aliorum creditorum. *ibid. num.* 11. Etiamſi rem penes te habeas, & alii creditores ſint anteriores. *ibid.* Comitoli oppoſita ſententia improbatur. *ibid.* Laxe Diana, & Sporer defendunt compenſationem licitam eſſe cum præiudicio anteriorum creditorum, ſive creditor habeat, ſive non penes ſe bona debitoris. *p.* 563. *n.* 12. & *ſeq.* Creditor Principis probabilius non poteſt ſibi compenſare creditum defraudando tributum, ſeu gabellas, quas Titius conduxit. *ibid. n.* 14. Compenſationem occultam abſolute illicitam eſſe evincunt rationum momenta per doctiſſimum P. Elizalde congeſta, quæ referuntur. *p.* 564. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Falſo D. Thomas in patronum citatur occultæ compenſationis. *p.* 568. *n.* 9. Rariſſime in praxi obſervantur omnes conditiones, quas pro licita compenſatione Theologi aſſignant. *p.* 569. *n.* 12. Doctrina approbans eam ut licitam, periculorum plena eſt. *ibid. n.* 14. Saltem in ea Probabiliſtarum quorumdam laxitates vitandæ ſunt. *p.* 571. *n.* 17.

Eſculenta, & poculenta quæ famuli clam accipere ſolent ad ſedandam famem, & ſitim, communiter non ſunt peccata mortalia. *ibid. n.* 18. Niſi ad alium finem accipiantur, v. g. ludum &c. ſintque in magna quantitate. *ibid. n.* 19. Benignitas Probabiliſtarum defendentium occultam compenſationem licere famulis, officialibus, & Principum miniſtris, graviter perniciola eſt Principibus, dominis, & mercatoribus. *p.* 572. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Compenſatio piſcatorum Comaclenſium exponitur, & omnino iniuſtam eſſe oſtenditur. *p.* 574. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Sola Principis auctoritas eis opitulari poteſt. *ibid. n.* 5. Compenſatio honoris, & famæ. *V. Fama.*

Concubinatus differt a fornicatione. *p.* 388. *n.* 1. Eius uſurpatio diverſa eſt in

Digitized by Google

in iure civili, ac canonico. *ibid. n.*2. & *ſeq.* Damnatæ de eo propoſitiones. *p.* 389. *n.* 4. Semel, & bis abſolvendus non eſt concubinarius, promittens ſe dimiſſurum concubinam. *ibid.* & *p.* 390. & *ſeq. n.*6. & *ſeqq.* Etiamſi concubinarius eſſet perſona nobilis, & fide digna. *p.* 391. *n.* 10. Refelluntur Salmanticenſes. *ibid.* Multo minus ſi in alia confeſſione id promiſit, & non ſtetit promiſſis, etiamſi ſigna veri doloris, & propoſiti occaſionem ſtatim tollendi exhibeat. *p.* 392. & *ſeq. n.*12. & *ſeq.* Refellitur laxitas P. Vivæ. *ibid.* Neque abſolvendus eſſet prima vice, ſi quis eſſet ita ſtupidus, ut ignoraret ſe debere concubinam dimittere priuſquam abſolvatur. *p.* 393. *n.* 14.

Regula ſervanda in abſolutione concubinarii, & in occaſione proxima extantis. *p.* 394. *n.* 15. & *ſeq.* Evincitur concubinariis numquam eſſe credendum. *ibid.* Concubinario poſt ſeparationem a concubina nullo modo permittendum eſt ut illam viſitet. *p.* 395. *n.* 17. Filiusfamilias qui domi concubinam habet, ſi inutilia experiatur omnia Confeſſarii remedia, tenetur domum paternam deſerere. *p.* 396. *n.* 19. Mulier paupercula, quæ aut conſanguineo, aut diviti inſerviens illorum efficitur pellex, abſolvenda non eſt, niſi prius ab illis recedat. *ibid. n.* 20. Sicut neque concubinarius dimiſſæ concubinæ domum ad alendos ſuos filios ingrediens, ſi ex hoc novæ fornicationes cum eadem ſequantur. *p.* 397. *n.* 21. Et neque illi qui exercendo artes honeſtas, & Reipublicæ neceſſarias, adhuc omnibus adhibitis remediis in occaſione proxima verſantur, ſi illas non deſerant. *ibid. n.* 23. Neque hoſpita quæ quoties hoſpites recipit, rem cum iiſdem habet, niſi cauponam dimittat. *p.* 398. *n.* 25. Neque ſi illa ancillas in caupona retineat malæ famæ, quæ advenientes hoſpites ad meretricandum ſollicitent. *ibid. n.* 26.

Concubinarii ter admoniti concubinas non eiicientes, excommunicatione plectendi ſunt. *p.* 399. *n.* 1. Si fuerint Clerici, puniendi ſunt pœnis gravioribus, quæ recenſentur. *ibid. n.* 2. Illi tamen non amittunt beneficii fructus, ſi ſemel cum muliere fornicentur. *p.* 400. *n.* 4.

Concupiſcentia uxoris, & rei alienæ prohibetur poſtremis Decalogi mandatis. *p.* 693. *n.* 1. Idque expreſſe, quod homines vehementiori impetu in utrumque abripiantur. *ibid. n.* 2. Utrumque non uno, ſed diſtincto præcepto prohibetur. *ibid. n.* 3. Concupiſcentiæ notio poſtremis Decalogi præceptis vetita aſſignatur. *p.* 694. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Non vetatur ne ullos concupiſcentiæ motus ſentiamus, ſed ne pravis his motibus conſentiamus aut delectatione, aut executione operum vetitorum. *p.* 696. *n.* 6. Etiam in baptizatis concupiſcentia, ſeu ſomes peccati remanet. *ibid. n.* 7.

Deſideria conditionata alia ſunt de obiecto illicito, quia prohibito; alia, quia per ſe malo. *p.* 697. *n.* 2. Poſtrema delectatio, etſi conditionata, numquam licet. *ibid.* Etiam prior genere ſuo ſemper otioſa eſt, atque adeo vitioſa. *ibid. n.* 3. Sacerdos licite gaudere nequit ſe non recitaſſe heſternum officium ob inculpabilem oblivionem. *ibid.* & *p.* 698. *n.* 4. & *ſeq.* Improbatur laxa Tamburini oppoſita doctrina. *ibid.* Non licet gaudere de obiecto libidinoſo, tametſi a malitia per intellectum præciſo. *ibid. n.* 6. Laxe docet P. Sanchez Petrum ſolutum poſſe delectari de concubitu cum Berta, ſi eſſet uxor ſua. *p.* 699. *n.* 7. Impugnatur. *p.* 700. *n.* 9. Concupiſcentia rei alienæ non adeo rarum, ut putatur, peccatum eſt. *p.* 701. & *ſeq. n.* 1. & *ſeq.* In hoc plures divites, & magnates impium Achab, & ſæviſſimam Iezabelem imitari, bene monet S. Ambroſius. *p.* 702. *n.* 2. Etiam in hoc frequentius peccant artium quarumdam profeſſores, quorum aliqui indicantur. *ibid. n.* 3. Non ſolum iniuſta deſideria noſtra prohibentur, ſed iubemur appetitiones noſtras divinæ voluntati ſubiicere. *ibid.* & *p.* 703. *n.* 4. & *ſeq.*

Con-

Digitized by Google

Confeſſarius interrogatus de delicto ut homo, ſeu ut ceteri homines, abſque mendacio reſpondere poteſt, & debet ſe neſcire. *p. 6. n. 2.* Idque iuramento confirmare poteſt. *ibid.* Si interrogatur ut Confeſſarius, reſpondere non poteſt ſe neſcire, aut non audiviſſe tale delictum. *p. 7. & ſeq. n. 3. & ſeq.* Sed interrogatorem repellere, & obiurgationibus aggredi debet. *p. 8. n. 5.* Huiuſmodi doctrina facto S. Ioannis Nepomuceni comprobatur. *p. 9. n. 6.* Ita quoque ſe gerere debet Confeſſarius etiam quando reipſa nihil audivit in confeſſione de tali delicto. *ibid. n. 7.* Affertur exemplum id omnino evincens. *p. 10. n. 8.* Negatio requiſita a pluribus, ceu unicum medium cuſtodiendi ſigillum ſacramentale, deridendam apud Infideles ceu mendaciorum plenam Religionem noſtram exponit. *ibid. n. 9.* Solvitur obiectio. *p. 11. & ſeq. n. 11. & ſeqq.* Etiam admiſſa probabilitate ſententiæ oppoſitæ, non poſſent exemplo Confeſſarii ceteri homines negare ſe ſcire quod ſub ſecreto naturali ſciunt. *p. 13. n. 15.* Aut quod nequeunt manifeſtare abſque læſione caritatis, aut iuſtitiæ. *ibid.* Nonnulla ex prædictis colliguntur, & omnia, quæ ad Confeſſarium ſpectant, in pauca rediguntur. *p. 14. & ſeq. n. 16. & ſeqq.*

Conſtantinus Imperator honorem, reverentiamque Dei miniſtris debitam præclaro exemplo in Concilio Nicæno teſtatur. *p. 255. n. 4.*

Contumelia eſt dehonoratio alicuius per verba, quibus id quod eſt contra honorem illius deducitur in notitiam eius, & aliorum. *p. 604. n. 1.* Eſt ex genere ſuo peccatum mortale, licet quandoque contingat eſſe veniale. *ibid. n. 2.* Obiurgationes contumelioſæ magna cautione adhibendæ ſunt. *p. 605. n. 3.* Contumelias ſibi illatas non tenetur actu tolerare Chriſtianus, quando oppoſitum proximi utilitati & bono communi deſervire exiſtimatur. *ibid. n. 4.* Contumeliarum tolerantia, an earumdem impugnatio expedientior in praxi ſit, diiudicari debet ex circumſtantiis, quæ referuntur. *p. 606. n. 5.* Falſum crimen teſti obiicere non licet, quoties hoc conducit ad tuam tuendam famam. *p. 607. n. 6.* Tamburini manifeſta laxitas improbatur. *ibid.*

D

Delectatio. *V. Oſcula.*

De Lugo (Card. Ioannes) perperam ſuum iudicium ſuſpendit ſuper opinione evidenter laxa de occulta compenſatione. *p. 561. n. 2.*

De Magiſtris (Martinus) male contendit fornicationem determinati viri cum determinata femina non eſſe contra ius naturæ. *p. 375. n. 4.* Oppoſitum probatur ex rationibus D. Pauli. *p. 376. & ſeqq. n. 1. & ſeqq.* Evidenterque demonſtratur ex ratione a priori allata a D. Thoma. Illius, ſicut & Caramuelis argumenta diluuntur. *p. 381. & ſeqq. n. 1. & ſeqq.*

Deriſio eſt verborum luſus ex proximi defectibus, ut erubeſcat. *p. 610. n. 6.* Ad virtutem eutrapeliæ revocari interdum poteſt moderata, & cauta deriſio de levi alicuius defectu. *ibid.* Et quandoque veniale crimen eſt. *ibid.* Si tamen prævideas ea graviſſime contriſtandum eſſe proximum tuum, mortale eſt. *ibid.*

Detractio eſt denigratio alienæ famæ per occulta verba. *p. 616. n. 2.* Ex genere ſuo eſt peccatum mortale. *ibid. n. 3.* Perpetratur ſeptem modis, qui recenſentur. *p. 617. n. 4. & ſeq.* Conficere libellos famoſos grave peccatum eſt. *ibid. & p. 618. n. 6. & ſeqq.* In eorum Auctores pœnæ ſtatuuntur ab utroque iure. *ibid. n. 9.* Eos ſcribens in Papam, aut Cardinalem excommunicationem incurrit. *ibid. n. 10.* Sicut etiam in Ordines Prædicatorum, & Minorum. *ibid.* Eos ſcribens, dictans, retinens &c. punitur a Pio V. confiſcatione bonorum. *ibid.* Detrahere defunctis peccatum eſt. *ibid. n. 11.* Etiamſi defuncti fuerint pagani, hebræi, aut hæretici. *p. 619. n. 12.* Peccant hiſtorici ſcriptis revelantes defunctorum oc-

cul-

Digitized by Google

culta crimina, quæ ſint crimina perſonæ, non quæ dignitatis, & officii. *ibid. n.* 13. Dummodo id humana paſſione non fiat, & habeatur debitus reſpectus ad eorum conſanguineos. *ibid.* Detractio, quod mortalis, aut venialis ſit, pendet ex variis circumſtantiis. *p.* 620. *n.* 1. Aſſerere talem hominem eſſe ſuperbum, avarum, iracundum &c. modo mortale, modo veniale eſt, habito reſpectu ad perſonam in quam hæc dicuntur. *ibid. n.* 2. Hæc locutio: *Si loquerer quæ ſcio de Petro*, & huic ſimiles, ſunt omnium detractionum perniciosiſſimæ. *p.* 621. *num.* 3. Revelare defectus naturales alicuius, modo leve, modo grave peccatum eſt, iuxta diverſas circumſtantias. *p.* 621. *n.* 4. Revelare uni aut alteri honeſto proboque viro grave occultum delictum, eſt crimen letale *p.* 622. *n.* 7.

Diffamatum diffamare aliis criminibus diverſi generis, peccatum eſt. *p.* 623. *n.* 8. Per ſe loquendo nullum peccatum eſt loqui de crimine, quamvis occulto, coram iis quibus eſt notum. *p.* 624. *n.* 10. Si illud ſit iudicis ſententia declaratum, poteſt ad quemcumque locum deferri, & ſcribi. *ibid. n.* 11. Niſi tamen ſententia publicata eſſet dumtaxat intra aliquam Congregationem, Cœnobium, aut Religionem. *ibid. n.* 12. Crimina notoria notorietate facti in una civitate publicare in alia, nec contra caritatem eſt, nec contra iuſtitiam. *p.* 625. *n.* 14. Secus eſſet, ſi a principio crimen iniuſte publicatum fuiſſet. *ibid. n.* 15. Aut ſi diffamatus honeſte vivendo poſt publicationem delicti ſuam famam recuperaviſſet. *p.* 626. *n.* 16. Ob aliquod bonum neceſſarium debitis circumſtantiis ſervatis manifeſtare crimen, non eſt peccatum detractionis. *ibid. n.* 17. Cautio in hoc ſervanda. *ibid.* Iniuſte alicuius criminis notitiam acquirens, ea uti poteſt ad impedienda mala per eam notitiam indicata. *p.* 627. *n.* 18. Niſi ex hoc grave damnum ſequeretur; eaque mala levia eſſent. *ibid.*

Licitum eſt pateſacere ignorantiam Medici, Advocati, Theologi, & artificum, ſuas cum damno proximi artes exercentium. *p.* 628. *n.* 19. Crimina publica unius Monaſterii non communicantis mutuo cum alio, non poſſunt ſcripto deferri ad aliud. *ibid. n.* 20. Traducere aliquem ut ſcrupuloſum, hoc eſt perplexum, & loco peccati habentem quod peccatum non eſt, ſi homo gravis ille ſit, & maxime ſi publicis officiis vacet, peccatum eſt detractionis. *ibid. n.* 21. Non eſt detractio revelare veros rigoriſtas, aut laxones ſervato caritatis ordine. *p.* 629. *n.* 23. Secus ſi Rigoriſmi larva falſo & per iniuriam Theologis ſanæ doctrinæ affingatur. *ibid.* & *p.* 630. *n.* 24. Declaratur notabili explicatione præſertim adverſus Probabiliſtas. *ibid.* Infamato licitum non eſt ſuum infamatorem diffamare. *p.* 631. *n.* 25. Refertur, & refellitur laxa & falſa ſententia P. Buſembaum, abſolute docentis id ei licere, qui aliter ſuam famam aut tueri, aut recuperare non poteſt. *ibid.* & *p.* 632. *n.* 16. & *ſeqq.* Huiuſmodi ſententia Evangelio adverſatur, ſicut illa recentioris Probabiliſtæ Auctoris Libelli: *Difeſa della diſſertazione de Signori Copellotti, e Caſali*. *ibid.* & *p.* 623. *n.* 29. Detractionis peccatum eſt uni, aut alteri occultum proximi peccatum ſub ſecreto nulla urgente cauſſa revelare. *ibid. n.* 30. Non licet infamare ſeipſum abſque iuſta cauſſa. *p.* 634. *n.* 32. In uſu propriæ famæ ſpectandæ ſunt circumſtantiæ. *p.* 635. *n.* 33. & *ſeq.* Declaratur. *ibid.*

Detractores audiens peccat. *p.* 645. *n.* 1. Et quidem contra caritatem, & iuſtitiam. *ibid. n.* 2. Gaudium percipiens ſolum ex eloquentia, lepore, iocisque detractoris, leviter peccat. *p.* 646. *n.* 3. Graviter vero, ſi de ipſa detractione. *ibid.* Detractoribus aures occludendas eſſe Patres inculcant. *ibid. n.* 4. Detractiones iuſtitiæ lege impediendæ ſunt a ſuperioribus ſubditorum. *p.* 647. *n.* 6. Detractorem audiens, quem certo ſcit iniuſte detrahere,

Digitized by Google

here, eumque non corrigit cum commode poſſit, ſperetque emendationem, graviter peccat. *p.* 648. *n.* 9. & *ſeq.* In praxi tamen vix umquam omnes occurrunt circumſtantiæ neceſſariæ, ut quis dicatur peccare mortaliter. *ibid.* *n.* 10. Non ita frequenter peccat quiſpiam mortaliter ex ſolo titulo quod detractori non reſiſtat, eumque non corripiat. *ibid.* *n.* 11. Doctrina Patrum huic non adverſatur. *p.* 649. *n.* 12. Extrema vitanda ſunt tum detractionis, tum exitioſi ſilentii. *p.* 690. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Aſſignantur nonnullæ regulæ de hoc in praxi ſervandæ. *ibid.*

Diana (P. Antoninus) laxas de impudicitia ſententias docet. *p.* 356. *n.* 21. & *ſeq.* Et alias laxas de furto. *p.* 527. & *ſeq.* *n.* 3. & *ſeqq.* & *p.* 552. *n.* 7. Et alias laxas de occulta compenſatione. *p.* 561. *n.* 3. & *p.* 562. & *ſeq.* *n.* 6. 12. & *ſeq.*

Dominus ſalarium tribuere tenetur ſervis conductitiis. *p.* 273. *n.* 2. Non tamen tempore eorum infirmitatis, niſi ex caritate. *ibid.* Si conduxit famulum ad annum, & iſte poſt ſex menſes ſponte diſcedat, tenetur in foro interno ad ſalarium ſex menſium, niſi ex eo diſceſſu grave damnum patiatur. *ibid.* *n.* 3. & *p.* 274. *n.* 4. Dominus ſolitus conducere famulos, debet ſolvere ſalarium famulo qui operas ſuas eidem locavit, nulla pacta mercede. *ibid.* *n.* 5. Communis praxis & conſuetudo, eſt menſura iuſtæ mercedis famulis ſolvendæ. *ibid.* *n.* 6. Conducens famulum minori mercede quam infima, regulariter tenetur ad reſtitutionem. *p.* 275. *n.* 7. Dominus qui abſque iuſta cauſſa famulum conductum ad annum, ante annum completum expellit, tenetur integram ei mercedem ſolvere. *ibid.* *n.* 8. Domini peccant, ſi impediant ne famuli matrimonium contrahant. *p.* 276. *n.* 9. Matrimonio contracto de conſenſu domini, uxor a famulo præferenda eſt domino; ſecus, dominus uxori. *ibid.* *V. Servi.*

Dubia de perſonis, in quibus æqualibus rationibus preſſi, ancipites unam inter & alteram partem hæremus, reſolvi debent in partem meliorem, proximo nimirum faventem. *p.* 661. *n.* 1. Facta, non in meliorem, ſed in veriorem partem ſunt interpretanda. *ibid.* Dubia in quibus de hominum malitia agitur, in meliorem partem ſunt interpretanda. *p.* 662. *n.* 2. & *ſeqq.* Non ita tamen, ut poſitive ſententiam ferre teneamur de eorum bonitate, ſed ſolum iudicium ſuſpendendo. *ibid.* *n.* 5. Quando agitur de damno vitando, rebus noſtris conſulere debemus, ſupponendo quod, ut vereamur, evenire res poſſit. *p.* 663. *n.* 6. Superiores potiſſimum ſic ſe gerere debent ſuper ſubditorum malitia. *ibid.* *n.* 7. Quemadmodum etiam Novitiorum magiſtri, & ſuffragatores omnes. *p.* 664. *n.* 8. Si dubium oriatur de proximi fama, cuius iam optimam opinionem habebas, dubium contemni omnino debet. *ibid.* *n.* 9. Reſpondetur obiecto. *ibid.* *n.* 10.

Durandus fornicationem ſimplicem, non vagam, iure naturæ prohiberi, ſed non ſub gravi perperam docet. *p.* 375. *num.* 4.

E

Eccleſiaſtici ſpeciali honore coli debent a laicis, maxime ſi Paſtores ſint. *p.* 254. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* *V. Conſtantinus Imperator.*

Elizalde (P. Michael, vulgo Celladei) validis rationum momentis probat abſolute illicitam eſſe occultam compenſationem. *p.* 564. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Enarrantur quæſita de ea ipſi facta, ciuſque notatu digna reſponſa, ob quæ viri graves & ſapientes deſtiterunt a propoſita compenſatione. *p.* 567. *n.* 7. & *ſeqq.*

Energumeni. *V. Adiuratio.*

Eſcobar (P. Antonius) laxas de luxuria ſententia docet. *p.* 354. *n.* 6. & *ſeqq.* Et aliam laxam. *p.* 499. *n.* 35. Et alias laxas de furto. *p.* 529. *n.* 18. & *ſeq.*

Excommunicatio, an, & quando incurratur a cogentibus feminas ad Religionis ingreſſum, *V. Parentes.*

Exorciſmi. *V. Adiuratio.*

Fal-

Digitized by Google

F

Falſum teſtimonium adverſus proximum, aliud eſt quod mente, aliud quod ore perhibetur. *p.* 588. *n.* 1. Eſt teſtificatio facta, iudice interrogante, quæ menti, vel rebus a teſte conceptis diſſona ſit. *ibid. n.* 2. Si iunctum ſit periurio, aut ſi periurium deſit, & teſtimonium ſit contra iuſtitiam, letale eſt; ſecus ſi abſint tum periurium, tum iniuſtitia. *ibid. n.* 3. Illius enormitas declaratur. *p.* 589. *n.* 4. Qui memoria deceptus falſum teſtatus eſt, vi cuius innocens damnandus eſt capitis, tenetur ſuam detegere ignorantiam, ne innocens damnum ſubeat. *ibid. n.* 5. Si vero ſua pravitate, tenetur liberare innocentem etiam cum ſuæ ſamæ, & honoris diſpendio, malaque temporalia inde ſecuta reſarcire. *p.* 590. *n.* 6. Et falſum teſtimonium retractare etiam quando nulla eſt ſpes liberandi innocentem. *ibid.* Et etiam quando ceteri teſtes a ſe non inducti, & ſecum contra innocentem teſtificati retractare ſe renuunt. *ibid.* Qui alterum induxit ad falſum teſtificandum contra proximum, omni conatu ſuadere debet, ut ſe retractet coram Iudice. *p.* 591. *n.* 7. Si teſtis id recuſet, ipſe iudici tenetur ſuam fraudem manifeſtare. *ibid.* Etiamſi nulla ſpes ſit accuſatum liberandi. *ibid.*

Fama, ſi ſit læſa (idem eſt de honore) reſtitui debet vel privatim, vel publice, prout læſa fuit. *p.* 665. *n.* 2. Oppoſita ſententia eſt contra omnes Theologos, & ſacram Scripturam. *ibid. n.* 2. Eam tamen male Salmanticenſes Molinæ tribuunt, & Laymanno. *p.* 666. *n.* 4. & *ſeq.* In compenſatione honoris ſpectanda eſt perſonæ iniuriatæ conditio, & contumeliæ irrogatæ gravitas. *ibid. n.* 6. D. Auguſtinus eo in caſu veniæ petitionem præſcribit. *p.* 667. *n.* 7. Declaratur. *ibid.* Iniuriæ gravitati qualitas ſatisfactionis reſpondere debet. *p.* 668. *n.* 8. Hæc ſatisfactio eſt exhibenda, etiamſi offenſus illam non poſtulet, nec ad id præceſſerit iudicis ſententia. *ibid. n.* 9. Famæ reſtitutio eſt ad ſalutem aſſequendam neceſſaria. *p.* 669. *n.* 2. Statim ac ſcis læſam a te etiam inadvertenter fuiſſe proximi famam, teneris ex iuſtitia eam reſtituere. *ibid.* & *p.* 670. *n.* 4. Famam inſamator reſtituere tenetur non ſolum coram ſuis auditoribus, ſed etiam coram iis quibus iſti malum manifeſtarunt, ſi ſuos auditores prævidit illud aliis manifeſtaturos. *ibid.* & *p.* 671. *n.* 5.

Præter famæ reſtitutionem tenetur iniuſtus detractor etiam temporalia damna per ſe ex diffamatione ſecuta reſtituere; non vero per accidens. *ibid. n.* 6. Etiam ſi crimen occultum narratum verum ſit. *p.* 672. *n.* 8. Mortuo detractore non fama læſa, ſed damna ſunt reſtituenda. *ibid. n.* 9. Fama reſtituenda eſt omni meliori modo quo fieri poteſt. *p.* 673. *n.* 1. & *ſeq.* Qui alteri calumniatus eſt falſum crimen imponendo, debet ſe retractare, teſtando ſe falſum dixiſſe. *ibid. n.* 3. Addito, ſi opus ſit, iuramento. *ibid.* Non tamen tenetur ad id aſſumere teſtes. *ibid.*

Fama alicuius denigrata manifeſtatione veri criminis ab inſamatore reſtitui debet, vel dicendo ſe male dixiſſe, aut iniuſte eum diffamaſſe; vel eum occaſione data laudando. *p.* 674. *n.* 4. & *ſeq.* Non tamen dicendo ſe falſum dixiſſe, vel mentitum fuiſſe. *ibid. n.* 6. Perperam huiuſmodi locutiones a mendacio excuſant Salmanticenſes. *p.* 675. & *ſeqq. n.* 7. & *ſeqq.* In praxi ſeligendus eſt modus qui penſatis circumſtantiis aptior iudicetur, pulſis mendaciis. *p.* 677. *n.* 14.

A famæ reſtitutione cauſſæ nonnullæ excuſant, quæ referuntur. *p.* 678. *n.* 1. Fama non eſt reſtituenda cum detrimento bonorum ſuperioris ordinis etiam naturalis. *ibid. n.* 2. Quando infamatus alia via ſuam recuperavit famam, non tenetur detractor ad reſtitutionem *p.* 679. *n.* 3. Fama, ſi reſtitui nequeat, compenſari debet pecuniis. *p.* 680. & *ſeqq. n.* 5. & *ſeqq.* Solvitur obiectum Salmanticenſium. *ibid.* Quan-

do duo æqualiter ſe infamarunt, ſi unus nolit famam reſtituere, probabilius alter non poteſt compenſatione uti, ſuſpendendo illi ſatisfactionem. *p.* 684. & *ſeqq. n.*14. & *ſeqq.* Reſpondetur obiectis. *ibid.* Explicatur textus Innocentii III. *p.*686. *n.*19. Si infamator nolit tibi famam reſtituere, non potes ab eo pecuniam occulte ſurripere in famæ compenſationem. *p.*687. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeqq.* Refelluntur P. Molina, & Salmanticenſium ſutiles interpretationes a Probabiliſmo petitæ. *ibid. V. Honor.*

Favorinus Philoſophus peracute & acriter invehitur in matres renuentes propriis uberibus ſuos filios lactare. *p.* 239. & *ſeqq. n.* 9.

Filii erga parentes ad quid obligentur? *V. Parentes.*

Fornicatio varie accipitur in Scripturis ſanctis. *p.* 374. *n.* 1. Illa proprie eſt concubitus humanus naturalis ſoluti cum ſoluta corrupta. *ibid. n.* 2. Eam grave ſcelus eſſe, dogma fidei eſt. *ibid. n.* 3. Itemque iure naturæ vetari probatur rationibus allatis a D. Paulo. *p.* 376. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Et evidenter demonſtratur ex ratione, quam a priori affert S. Thomas, eam nempe adverſari bono prolis. *p.* 379. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Martini de Magiſtris, & Caramuelis argumenta diluuntur. *p.* 381. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Fornicatio gravius peccatum eſt furto, & levius homicidio. *p.* 387. *n.* 16. & *ſeq.*

Frater, & ſoror tenentur ſe ſpeciali dilectione amare. *p.* 252. *n.* 1. Frater tenetur in gravi neceſſitate fratrem alere. *ibid. n.* 2. & *ſeq.* Clericus licite poteſt ex ſuperfluis ſui beneficii fructibus alimenta fratri, & ſorori præbere, ſi egeant, eamdemque dotare. *ibid.* & *p.* 253. *n.* 4. & *ſeqq.* Si fratres legitima defraudentur, debet in portionem legitimæ computari donatio alteri ex his facta a patre pro ſacris ordinibus ſuſcipiendis. *ibid.* & *p.* 254. *n.* 8. & *ſeq.*

Fur. *V. Homicidium.*

Furtum acriter improbatur a SS. Patribus. *p.* 531. & *ſeq. n.* 1. Eſt occulta rei acceptio invito domino. *p.* 532. *n.* 2. Explicatur cum alia definitione, quam tradit S. Raymundus. *p.* 533. *n.* 3. & *ſeq.* Eiuſdem variæ ſpecies recenſentur. *ibid. n.* 5. Eiuſdem duæ ſolum ſpecies a Theologis aſſignantur; ſacrilegium nempe, & rapina. *p.* 534. *n.* 6. Varia eiuſdem genera recte deſcribuntur a Catechiſmo Concilii Tridentini. *p.* 535. *n.* 7. Diſtinguere quæ ſit quantitas in furto venialis, quæ mortalis, difficillimum eſſe ait S. Auguſtinus. *p.*536. *n.* 1. Caſuiſtarum ſumma & periculoſa facilitas in hoc diſtinguendo improbatur. *p.* 537. *n.* 2. Referuntur novem Theologorum ſententiæ ſuper quantitate neceſſaria ad furtum letale. *ibid. n.* 3.

Deſignari poteſt certa pecuniæ ſumma, cuius furtum nulla habita relatione ad dominum ſive divitem, ſive pauperem, ſit culpa mortalis. *p.* 538. & *ſeqq. n.* 4. & *ſeqq.* Refellitur Comitoli, & Bannez laxa ſententia, docentium nullam materiam eſſe gravem in furto, niſi quæ grave nocumentum infert proximo in bonis temporalibus. *ibid.* Furtum grave, aut leve communiter dicitur relate ad perſonas. *p.* 540. *n.* 9. Decem iulii etiam reſpectu Principis videntur eſſe materia gravis. *ibid.* Furtum, quod grave non eſt quatenus furtum, grave eſſe interdum poteſt quatenus damnificativum. *p.*541. *n.*10. Furti materia gravis, vel levis, ex quo incerta ſit, & indefinita, oſtenditur omni cura ab eo abſtinendum eſſe. *ibid.* & *p.* 542. *num.* 11.

Furta parva pluribus vicibus committens animo perveniendi ad notabilem quantitatem, peccat mortaliter. *p.*543. *n.* 2. Si tamen furta non perveniant ad magnam quantitatem, non tenetur ea ſub gravi reſtituere. *ibid.* Modica ab aliquo ſurripiens, quamvis animo non attingendi ſummam gravem, ſi repetitis furtulis ad eam perveniat, graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem ſub gravi. *ibid. n.* 3. Furta minuta ut grave furtum conflent,

Digitized by Google

ſtent, debent eſſe moraliter continuata, & aliquo modo coniuncta. *ibid.* Explicatur. *ibid.* Qui repetitis furtulis ad gravem quantitatem pertingit, mortaliter peccat, dum conſcius præcedentium, quas non reſtituit, ultimam partem ſurripit complentem materiam gravem. *p.* 544. *n.* 4. Poſt completum furtum grave, ſi ſit interruptum, & deinde iterum rem exiguam ſurripias, peccas tantum venialiter. *p.* 545. *n.* 5. Qui modica multis ita furatur, ut ſingulis notabile detrimentum non inferat, dum pervenit ad furtum quantitatem gravem conſtituens, peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur. *ibid. n.* 6. Si plures mutuo conſenſu ab eodem modica ſurripiant, gravem ſimul materiam conſtituentia, ſinguli mortaliter peccant, & inſolidum reſtituere tenentur. *ibid. n.* 7. Et probabilius, etiamſi id faciant abſque communi conſilio & hortatu, modo quilibet advertat pariter ab aliis ſociis modica ſurripi. *p.* 547. *n.* 12. Satisfit obiectis adverſariorum. *p.* 548. *n.* 13. & *ſeq.* Qui furtum grave antecedens pœnitentia, aut reſtitutione facta, vel propoſita non ſeparat a ſubſequenti furto levi, graviter peccat, ſi leve illud furtum committat. *p.* 549. *num.* 16.

Furtum in extrema neceſſitate licitum eſt. *p.* 550. *n.* 2. & *ſeq.* Etiamſi fiat ut ſubveniatur proximo ſic indigenti. *p.* 551. *n.* 4. Probabilius quiſque tenetur ex iuſtitia extreme indigenti ſuccurrere. *ibid. n.* 5. In extrema neceſſitate conſtitutus bona accipiens, non tenetur poſtquam ea conſumpſit tranſacta neceſſitate reſtituere. *p.* 552. *n.* 6. Qui rem alienam ſurripit non egens, eamque deinde in extremam neceſſitatem delapſus conſumit, tenetur eamdem reſtituere, ſi ad meliorem fortunam perveniat. *ibid. n.* 9. Laxa Dianæ, Tamburini, & Caſtropalai oppoſita ſententia improbatur. *ibid.* Non licet furari in neceſſitate etiam valde gravi. *p.* 554. & *ſeqq. n.* 12. & *ſeqq.* Refellitur P. Viva, ſenſum propoſitionis 36. ab Innocentio XI. damnatæ eludens. *ibid.* Exponuntur gradus neceſſitatis extremæ, & gravis. *p.* 556. *n.* 17. Veroſimilius eſt non licere in extrema neceſſitate rem valde pretioſam ſurripere ab eo qui huiuſmodi furto in extremam, aut gravem neceſſitatem induceretur. *p.* 557. *n.* 19. Refellitur ceu commentitia diſtinctio P. Cardenas, volentis Pontificem damnaſſe furtum ſub ratione furti, non vero ſub ratione acceptionis rei alienæ. *p.* 558. *n.* 21.

Filii bona quorum ipſi dominium non habent, furantes a parentibus peccant. *p.* 576. *n.* 2. Furta filiorum, quandonam leve, aut grave peccatum ſint, pendet præcipue ex circumſtantiis. *ibid. n.* 3. Filii excuſantur a furti delicto, quando parentes omittant ipſis ſubminiſtrare congrua pro victu, & veſtitu. *p.* 577. *n.* 4. Uxores grave furtum perpetrant, ſi in magna quantitate ſurripiant a maritis bona quorum dominium & adminiſtratio eſt penes eoſdem maritos. *p.* 578. *n.* 7. Sunt tamen plures caſus in quibus uxores abſque furti reatu ſurripere maritis quædam bona poſſunt. *ibid. n.* 8. Referuntur. *ibid.* Regula generalis eſt, nihil uxores diſponere debere de bonis maritorum illis inſciis, exceptis caſibus manifeſto & evidenter urgentibus. *p.* 579. *n.* 9. Oſtenditur hoc ex D. Auguſtino, & S. Raymundo. *ibid. n.* 10. & *ſeq.* Opifices quidquam materiæ ſibi traditæ ſurripientes peccant. *p.* 580. *n.* 13. Eos non excuſant prætextus quos allegant. *ibid.* Reiicitur P. Sanchez doctrina de ſartoribus. *ibid.* Religioſi, ſi furentur de communi Monaſterii penu, peccant & contra iuſtitiam, & contra votum. *ibid. n.* 14. Quantitas furti Religioſorum non eſt augenda ad menſuram furti filiorumfamilias, ſed minor potius conſtituenda eſt. *p.* 581. *n.* 17. *V. Compenſatio.*

G

Gobat (P. Georgius) laxas de luxuria ſententias docet. *p.* 254. & *ſeq. n.* 13.

& *ſeqq.* Et laxiſſimam de puella in lecto cubante cum proco . *pag.* 438. *num.* 24.

H

Homicidium alii numquam licere, etſi publica auctoritate iuſſum, docuerunt; alii ſe ipſos, nedum alios licitum eſſe interficere, alii alia commenti ſunt. *p.* 283. *n.* 1. Referuntur omnes de hoc errores, eorumque Auctores; & refelluntur. *ibid.* & *p.* 284. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Facinoroſi homines pœna mortis plecti poſſunt a Principibus. *p.* 287. *n.* 1. Eccleſiaſtici domini alicuius civitatis, & provinciæ poſſunt iudicibus a ſe delectis ius ſanguinis conferre. *p.* 288. *n.* 5. Iudex damnare nequit aliquem inauditum, & non citatum, niſi quando delictum notorium eſt, & expedit ut ſtatim reus puniatur. *ibid. n.* 6. Licite poteſt Princeps facultatem conferre cuilibet privato occidendi bannitos etiam propoſito præmio. *p.* 289. *n.* 7. Nonnulla de hoc obſervanda. *ibid.* & *n.* 8. & *ſeq.* Licitum eſt ſupremæ poteſtati facultatem facere filiis, fratribuſque, ut impune occidant interfectores patrum fratrumve . *pag.* 290. *num.* 11.

Iudex Chriſtianus tenetur tempus concedere reo damnato ad mortem confitendi, atque ſacram Euchariſtiam accipiendi. *ibid. n.* 12. Innocentem directe occidere non licet. *p.* 291. *n.* 1. & *ſeq.* Sed licet indirecte. *ibid. n.* 3. Tyranno minanti urbis excidium, niſi innocens ei tradatur occidendus, non licet innocentem tradere. *p.* 292. *n.* 4. & *ſeq.* Liceatne iudici illum occidere quem certo ſcit eſſe innocentem, ſi ſecundum allegata & probata nocens appareat, alii affirmant, alii negant. *p.* 293. *n.* 6. & *ſeqq.* Expenduntur rationes quæ hinc inde afferri poſſunt. *p.* 294. & *ſeqq. n.* 10. & *ſeqq.* Aſſertur methodus, quam iudex in hoc caſu obſervare debet. *p.* 298. & *ſeq. n.* 21. & *ſeq.*

Marito non licet uxorem occidere in adulterio deprehenſam. *p.* 300. & *ſeq. n.* 2. & *ſeq.* Supremus Princeps deprehendens uxorem, aut filiam in adulterio, non poteſt eam occulte occidere. *p.* 301. & *ſeq. n.* 4. & *ſeqq.* Solvuntur obiecta. *ibid.* Nemo abſolute tenetur ſe defendere ab iniuſto invaſore cum illius occiſione. *p.* 303. *n.* 1. Licitum eſt propriam vitam defendere, ſi opus ſit, invaſoris occiſione cum moderamine inculpatæ tutelæ. *p.* 304. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Reſpondetur argumentis oppoſitæ ſententiæ. *p.* 309. & *ſeq. n.* 11. & *ſeq.* Caſuiſtarum quorumdam laxæ opiniones ab omni humanitatis ſenſu abhorrentes de occiſione calumniatoris ob conſervationem honoris, & famæ recenſentur, & refutantur. *p.* 310. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Occidi non poteſt calumniator ob defenſionem honoris magni momenti cum moderamine inculpatæ tutelæ. *p.* 313. & *ſeq. n.* 6. & *ſeq.* Laxæ Viva, Sporer, & Caſnedi etiam poſt propoſitiones damnatas ſententiæ tamquam ſpiritui Chriſtianiſmi & Patribus oppoſitæ. *ibid.* Aliæ P. Viva, La Croix & Sporer laxæ ſententiæ referuntur, & reiiciuntur. *p.* 315. & *ſeq. n.* 13. & *ſeq.* Occiſio calumniatoris ob honorem ſalvandum numquam licet. *ibid.* Si quis non modo verbis, verum etiam alapa, vel fuſte hominem infamare pertentet, hic tenetur fugere, ne occidat invaſorem. *p.* 317. *n.* 21. & *ſeq.* Impugnantur Salmanticenſes. *ibid.* Recenſentur documenta Patrum huc pertinentia. *p.* 318. & *ſeq. n.* 25. & *ſeq.*

Occidi non poteſt invaſor ob conſervationem bonorum temporalium. *p.* 322. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Propoſitiones damnatæ huc ſpectantes. *p.* 324. & *ſeq. n.* 5. Laxæ interpretationes P. Vivæ refelluntur. *ibid.* Aſſignatur ratio cur Eccleſia damnavit propoſitionem defendentem occiſionem licitam furis ob conſervationem unius aurei. *pag.* 326. *n.* 6. Reſpondetur argumentis propugnantium licitam eſſe occiſionem furis ob conſervationem bonorum magni valoris. *p.* 327. & *ſeqq. n.* 9. & *ſeqq.* Occiſio furis nocturni bene permittitur ob præſumptionem furti coniun-

gen-

Digitized by Google

gendi cum homicidio. *ibid.* Vivæ, Leſſii, Molinæ, & Leandri laxæ propoſitiones improbantur, *p.* 330. & *ſeq. n.* 13. & *ſeqq.* Vix reperitur caſus in quo liceat furis occiſio ob ſolam bonorum defenſionem. *p.*332. *n.*21. Ad ſummum ea permittenda videretur ex præſumpta ſupremæ poteſtatis facultate in graviſſimis caſibus, qui referuntur. *p.* 333. *n.* 22. Si fur rem ablatam in tuto poſuiſſet, licitum non eſſet vi eamdem auferre, ſimulque furem reſiſtentem occidere. *ibid. n.* 24.

Occiſio invadentis pudicitiam, vel ſui ipſius ad vitandum peccati periculum non eſt licita. *p.* 334. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeq.* Reſpondetur obiectis. *ibid.* Occiſio invaſoris licita non eſt pro defenſione vitæ, bonorum, honoris, & pudicitiæ proximi. *p.* 336. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Nonnullæ quæſtiunculæ reſolvuntur. *ibid.* Suicidium de fide eſt illicitum eſſe. *p.* 338. *n.*2. Illud non ſolum caritati, ſed etiam iuſtitiæ adverſatur. *p.* 339. *n.* 3. Licet ſe ipſum occidere, ſi Deus præcipiat. *ibid. n.*4. Aliquot de hoc exempla Sanctorum afferuntur. *ibid.*

Suicidia Ethnicorum omnia ſunt improbanda. *ibid. n.* 5. Perperam P. Molina Lucretiæ Romanæ ſuicidium defendit. *ibid.* Se ipſum occidere iudicis præcepto non licet. *p.* 340. *n.* 6. Solvitur obiectio. *ibid. n.*7. Qui ſinunt ſe a ſcorpionibus mordeti, venenumque hauriunt, ut theriacæ vim experiantur, peccant. *ibid. n.*8. Licita non eſt alicuius membri mutilatio, niſi ad effectum per hanc providendi totius corporis ſaluti. *p.* 341. *n.*9. Nec ſe ipſum caſtrare licet ad ſuperandas tentationes. *ibid. n.* 10. Neque parentibus filios etiamſi conſentientes caſtrare licet. *p.*342. *n.*11. Iuxta chriſtianæ prudentiæ regulas permitti interdum poteſt propriæ vitæ iactura. *ibid. num.* 1. Nonniſi remediis ordinariis tenentur homines ſuam vitam conſervare. *p.* 343. *n.*2. Quod ſi mors extrinſecus per vim intentetur, tunc negligi quandoque poſſunt remedia etiam ordinaria. *ibid.* Licitum eſt id agere, unde ſecutura mors indirecte prævideatur. *ibid. n.* 3. Vix tenetur infirmus cibum ſumere ad mortem evadendam, ſi in eius ſumptione extremis afficiatur doloribus. *ibid. n.*4.

Femina potius mortem oppetere debet, quam ſui corporis violationem permittere. *ibid.* & *p.*344. *n.*5. & *ſeqq.* Satisfit obiectioni. *p.*345. *n.*8. Opus illicitum exercens, ex quo homicidium communiter ſequitur, licet diligentiam adhibeat ne ſequatur, reus eſt homicidii. *p.*346. & *ſeq. n.* 5. Animadverſio in ſuperius dicta de h[illegible]icidio, & ſuicidio. *p.* 348. & *ſeq.* [illegible] & *ſeqq.*

Honor eſt quædam proteſtatio de excellentia bonitatis alicuius. *p.* 602. *n.* 2. Differt a fama, quod hæc ſita ſit in interiori iudicio, ſeu opinione probitatis, aut iniquitatis alicuius perſonæ. *ibid. n.* 3. Honor, & fama interdum ſimul, interdum ſeparatim conſiſtunt. *ibid. n.*4. Honor non eſt pretioſior fama, ſed contra. *p.* 603. *n.* 5. *V. Fama.*

Hurtado (P. Thomas) laxam de luxuria ſententiam docet. *p.* 354. *n.* 9. Auctor eſt in hac materia laxiſſimus. *p.* 398. *n.* 26.

I

Inceſtus eſt coitus indebitus habitus cum quacumque perſona cognata, aut affini. *p.*475. *n.*1. Talis concubitus conſtituit ſpeciem diſtinctam luxuriæ. *ibid. n.* 2. Afferuntur de hoc rationes ex D. Thoma. *ibid.* & *p.*476. *n.*3. Recenſentur perſonæ, cum quibus inceſtus committitur. *ibid. n.*4. Inceſtus peccata inter conſanguineos, & affines probabilius ſpecie differunt. *ibid.* & *p.* 477. *n.* 5. & *ſeqq.* Non ſolum inceſtus, ſed etiam ſacrilegium eſt copula cum cognata, ſeu cognato ſpirituali. *p.*478. *n.*13. Cum cognatis vero legalibus inceſtus eſt ſpecie diſtinctus ab inceſtu cum conſanguineis affinibus, vel cognatis ſpiritualibus. *ibid. n.* 14.

Iſraelitæ dolo decepti iurarunt ſe non interſecturos Gabaonitas. *pag.* 107. & *ſeqq. num.*8. & *ſeqq.* Huiuſmodi iuramen-

menti vis, & obligatio expenditur. *ibid.*

Iudex. *V. Homicidium.*

Iudicium temerarium aliud eſt internum, aliud externum. *p.*650. *n.*1. Eſt firmus aſſenſus de aliquo proximi peccato ex levibus indiciis conceptus. *ibid. n.* 2. Coniecturæ ſufficientes ne iudicium dicatur temerarium pendent potiſſimum a circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum. *p.*651. *n.* 5. Deſignantur ex D. Thoma tria capita, ex quibus facilitas temere iudicandi proficiſcitur. *ibid. n.* 6. I[illegible]um temerarium genere ſuo eſt [illegible]atum mortale. *p.*652. *n.*7. & *ſeq.* Non minus peccatum eſt temere iudicare de defunctis, ac de vivis. *p.*653. *n.* 9. Aſſignantur quatuor conditiones requiſitæ ut iudicium temerarium ſit mortale. *ibid.* Si deſit firmitas iudicii, & perſona determinata, iudicium non erit culpa gravis. *ibid. n.* 10. Si adſint indicia valde probabilia rei, quam iudicas, iudicium non erit mortaliter temerarium. *ibid. n.* 11. Neque ſi deſit gravitas materiæ. *p.*654. *n.* 12. Explicatur. *ibid.* Aut ſi non adſit plena advertentia ex parte intellectus, & perfecta libertas ex parte voluntatis. *p.* 655. *n.*13. Ut iudicium ſit temerarium neceſſe non eſt, ut actu & formaliter advertas ad iudiciorum levitatem, aut gravitatem, vel actu dubites. *ibid. n.* 14. Satis eſt quod virtualiter advertas, ſeu quod debeas, & poſſis, & ob tuam ſeu negligentiam, ſeu malitiam negligas conſiderare. *ibid.* Interdum tamen inadvertentia excuſat, a gravi potiſſimum culpa. *p.*656. *n.* 15. Explicatur. *ibid.*

Iuramentum adhiberi poſſe ad confirmandas reſtrictiones mentales, & amphibologias aiunt Recentiores. *p.* 2. & *ſeq.* *n.*3. & *ſeqq.* Sed omnia iuramenta doloſa, ſeu verbis fallacibus, & æquivocis prolata abſolute damnantur ab omnibus Patribus. *p.* 3. & *ſeq. n.*7. & *ſeqq.* Numquam licet ſermonem amphibologicum, ſeu ſcientia communicabili & incommunicabili implicatum, iuramento firmare. *p.* 4. & *ſeqq. n.*13. Perperam opponitur caſus ſingularis Confeſſarii interrogati de auditis in Confeſſione. *p.*6. & *ſeqq. num.* 1. & *ſeqq.* Verus modus cuſtodiendi ſecretum ſacramentale proponitur. *ibid.* & *V. Confeſſarius.*

Iuramentum, quo reus etiam iuridice non interrogatus iurat ſe non feciſſe delictum quod fecit, illicitum eſt, & periurium. *p.* 17. & *ſeqq. n.* 4. & *ſeqq.* Tale eſt etiam iuramentum adulteræ iurantis ſe non feciſſe adulterium quod fecit. *p.* 20. & *ſeq. n.* 22 & *ſeq.* Alii ſimiles caſus contra Recentiores referuntur, in quibus interrogati iurantes, vere ſunt periuri. *p.* 21. & *ſeqq. n.* 4. & *ſeqq.* Reus iuridice interrogatus, cui iuridica interrogatio certo conſtat, iurare non poteſt ſe non feciſſe crimen quod fecit, tametſi ex eiuſdem confeſſione mors conſequatur, ſed illud fateri debet. *p.* 28. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Satisfit obiectis. *p.* 31. & *ſeqq. n.* 8. & *ſeqq.* Contraria opinio eximit ſubditos ab obedientia ſub gravi culpa ſuis Principibus reddenda in materia gravi; falſaque eſt, & omnino improbabilis. *p.* 35. & *ſeqq. n.* 14. & *ſeqq.* Reſpondetur obiectis. *ibid.*

Principes poſſunt iuramento adigere ſubditos, ut in officiorum diſtributione ad ſola virtutum merita reſpiciant, & ut in officiorum, vel dignitatum ambitu ſuffragatores nec muneribus, nec obſequiis, nec promiſſionibus inflectant. *p.* 43. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Afferuntur veterum exempla. *ibid.* Huiuſmodi iuramento non vetatur ſimplex meritorum narratio, neque illa precatio, quæ unice eo ſpectat, ut ſuffragatores memoria teneant merita Candidati. *p.*46. *n.*3. Vetatur tamen ambitus ille qui exercetur precibus importunis, promiſſionibus, amicorum, atque conſanguineorum negotiationibus, minis, ſponſionibus iuratis, ſive ante, ſive poſt collationem dignitatis, aliiſque ſimilibus artibus. *ibid. n.* 4. Recenſentur nonnulla iuramenta a Principibus imponi ſolita adverſus ambitus abuſum. *p.*47. & *ſeq. n.*1. & *ſeqq.*

Digitized by Google

ſeqq. Expenduntur obiectiones adverſus iuramentum ambitus, magiſque confirmatur lex prohibens ambitum. *p.* 49. & *ſeq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Lege ambitus non prohibentur ſub gravi culpa quæ levia ſunt. *p.* 51. *n.* 2. Recenſentur quæ gravia reputantur. *ibid.* Etiam in hoc admittenda eſt materiæ parvitas. *ibid.* *n.* 3. Iuramentum additum legi ambitus Princeps nec ſuſpendere debet, nec poteſt, etiamſi ſciat illud non obſervari. *p.* 52. & *ſeqq.* *n.* 4. & *ſeqq.* Iuramentum, & legem ambitus non violaret Candidatus, ſi ſolum ſcrutinium ſuffragiorum quæ ſibi conferenda ſunt, ante collationem dignitatis inſtitueret, rationeſque ſubduceret. *p.* 54. *n.* 7. Huiuſmodi iuramentum nullo modo inter incauta iuramenta collocari poteſt. *p.* 55. *n.* 8. Præter vinculum iuramenti, re ipſa nunc alia via non patet cuſtodiendi iuſtitiæ iura libera, & integra. *ibid.* *n.* 10. Iuramenta, quæ ſolum afficiunt Magiſtratuum Præſides, alioſque miniſtros, explicantur. *p.* 56. *n.* 1. & *ſeqq.* Et ab obiectis vindicantur. *p.* 57. & *ſeq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Iuramenti formula ambitus Belgici proponitur. *p.* 59. *n.* 2. Adducitur per extenſum notabilis reſolutio data a tribus Facultatibus Lovanienſibus circa illud, & ſimilia iuramenta. *p.* 60. & *ſeqq.* *n.* 4. Rectores civitatum Belgii iurant obſervare legem vetantem pompas, ſplendidoſque apparatus. *p.* 69. *n.* 1. Explicatur huiuſmodi iuramentum. *ibid.* Refelluntur excuſationes, quibus lex, & iuramentum huiuſmodi eludi ſolet. *p.* 70. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Cur facile deſcripta iuramenta violentur, in cauſſa eſt Confeſſariorum & Theologorum nimia in iuramentis interpretandis facilitas. *p.* 73. & *ſeq.* *n.* 1. & *ſeq.* Afferuntur Ethnicorum ſevera dicta, & exempla in hoc imitanda. *p.* 75. & *ſeq.* *n.* 4. & *ſeqq.*

Præciſa evidenti iniuſtitia facto iuramento a maiori parte Capituli, Communitatis, Univerſitatis &c. qui repugnarunt, cogendi ſunt ad iurandum, & ad legis obſervantiam. *p.* 78. *n.* 3. Iuramentum ſervandi ſtatuta Communitatis &c. reſpicit ſtatuta iam facta, non autem futura. *ibid.* *n.* 4. Ea ex quorum ignorantia, & tranſgreſſione graviter læditur bonum commune, conſuetudine contraria aboleri nequeunt. *p.* 79. & *ſeq.* *n.* 5. Statuta iurantes, ut vitent periculum periurii, partite ea iurent quæ vigent, aliis quæ non vigent, omiſſis. *p.* 80. *n.* 6. Iurans unicum ſtatutum iam obſoletum, peccat illud non ſervando. *p.* 81. *n.* 7. Iurans ſervare ſtatuta Communitatis &c. ad nullam cul[illegible] obligantia, peccat illa non ſerv[illegible]o. *ibid.* & *p.* 82. *num.* 8. & *ſeq.* Iuratum ſtatutum Univerſitas revocare poteſt, niſi iuraverit ſe non revocaturam. *p.* 83. *num.* 11.

Iuramentum miniſtrorum publicorum ſervandi taxationem ſtipendii violatur, ſi maior ſtipendium exigatur ob inſufficientiam illius, inſcia, & non conſentiente Republica. *p.* 84. *n.* 2. Tale iuramentum obligat, ſi taxa ſit iuſta & ſufficiens, etiamſi lex contrario uſu ſit abrogata. *p.* 85. *n.* 3. Publici miniſtri, Decuriones &c. iurantes, cum officium adminiſtrandum ſuſcipiunt, ſe bono publico proſpecturos, tenentur publica peccata coercere. *p.* 86. *n.* 4. Iuramentum ſervandi ſecretum eorum quæ in Capitulis, Conventibus, & Congregationibus tractantur, ſemper obligat ſub mortali culpa. *ibid.* *n.* 5.

Vi iuramenti, quod emittunt, Medici, ultra tertium diem viſitare nequeunt ægrotos, niſi per ſcriptam Confeſſarii atteſtationem conſtet hos confeſſos eſſe ſua peccata. *ibid.* *n.* 6. Huiuſmodi lex Pii V. ubi uſu recepta eſt, obligat ſub mortali. *p.* 87. *n.* 7. Ea intelligenda eſt de ægrotis gravi detentis infirmitate, quæ prudenter timeri poteſt quod gravior evadat. *ibid.* Ubi Pii V. decretum non iuratur, Medici ad ea circa ægrotos præſtanda tenentur quæ lex naturalis, & divina præſcribit. *ibid.* *n.* 9. Explicatur. *ibid.*

Iuramentum, quod frequenter fieri ſolet, non ludendi, validum eſt. *p.* 88. & *ſeq.*

Digitized by Google

ſeq. num. 2. Iuramentum, ſeu votum emittens non ludendi, non poteſt alteri nummos dare, ut ſuo nomine ludat. *p.* 90. *n.* 3. & *ſeqq.* Iuramentum non ludendi cum tali perſona, aut in tali domo, vel tali genere ludi, ſi habeat finem honeſtum, validum eſt. *p.* 91. *n.* 6. Iuramentum, & votum non mutuandi validum non eſt per ſe loquendo, ſecus per accidens. *ibid. n.* 7. & *ſeq.* Iuramenta mercatorum non emendi auctiore pretio, & non vendendi viliore, invalida ſunt. *p.* 93. *n.* 9. Iuramentum contra aliud iuramentum quandoque illicitum, quandoque invalidum eſt. *p.* 93. *n.* 1. Secundum iuramentum in re iurata priori contrarium, invalidum eſt: non tamen diſpoſitio civilis, quæ a libera poteſtate diſponentis pendet. *ibid. n.* 2. Iuramentum univerſim non accuſandi, non denuntiandi invalidum eſt, ſicut etiam illud univerſim accuſandi. *p.* 94. *n.* 3. Iuramenta accuſandi, vel denuntiandi facta animo vindictæ non valent. *ibid. n.* 4. Iuramentum donandi aliquid meretrici, obligat patrato cum ea delicto. *p.* 95. *n.* 5. Promiſſio iurata, quæ prodiga ſit ſecundum omnes ſui partes, eſt nulla, *ibid. num.* 6.

Iuramentum metu gravi extortum abſolute validum eſt. *p.* 96. *n.* 4. Solruntur obiecta. *p.* 97. *n.* 6. & *ſeq.* Iuramentum coactum ſpectato ſolo iure civili invalidum eſt. *p.* 98. *n.* 8. Iurans ex gravi metu incuſſo ſe rediturum ad carcerem, tenetur redire, etiamſi carcer ſit iniuſtus. *ibid. p.* 9. Solvitur obiectio. *p.* 99. *n.* 10. Sicut captivus apud Turcas ad eos redire iurans, redire tenetur. *ibid. n.* 11. Si carcer ſit iuſtus, iuramentum factum cuſtodi ad illum redeundi, relaxari nequit ab Epiſcopo. *ibid. n.* 12. Secus ſi iuramentum extortum iniuſtum ſit, & carcer iniurioſus. *ibid.* Iurans latroni ſe illi daturum centum aureos ſervandæ vitæ cauſſa, eos dare tenetur. *p.* 100. *n.* 13. Iurans latroni ſe illum non denuntiaturum apud iudicem, tenetur ſervare iuramentum, niſi latro bono communi infeſtus ſit, turbetque publicam tranquillitatem. *p.* 101. *n.* 15. Iuramentum ſolvendi uſurario uſuras implendum eſt. *ibid. n.* 16. Sicut etiam illud non repetendi uſuras ſolutas. *ibid.* & *p.* 102. *n.* 17. Iurans ſolutionem debiti probabilius non poteſt uti compenſatione, quando tantumdem ſibi debeat creditor cui iuratur. *p.* 103. & *ſeq. n.* 10. & *ſeq.* Falſa Tamburini doctrina reiicitur. *p.* 104. *n.* 21. Iuramentum (ſicut & contractus) redditur nullum, ſi fiat ex errore, aut dolo antecedente, & concomitante circa ſubſtantiam contractus. *p.* 106. *n.* 3. Non tamen ſi fiat ex errore concomitante circa qualitatem contractus. *ibid. n.* 4. Aut circa accidentia eiuſdem. *ibid. n.* 5. Dummodo tamen error circa accidentia non det cauſſam contractui. *p.* 107. *p.* 6. & *ſeq.* Solvitur obiectio petita ex iuramento Iſraelitarum non interficiendi Gabaonitas. *ibid.* & *p.* 108. *n.* 8. & *ſeqq.*

Iuramentum de re vetita lege naturali, divina, & canonica nullum eſt. *p.* 109. *n.* 1. Iuramentum contra leges civiles latas ſive in favorem privatorum, ſive in bonum commune, ſive illæ obligent ad culpam, ſive non, nullum eſt. *p.* 111. *n.* 5. Secus ſi iſtæ leges ſint tantum permittentes. *ibid.* Aut fundatæ in præſumptione. *ibid. n.* 6. Iuramentum non revocandi teſtamentum, non mutandi heredem, validum eſt, *ibid. n.* 7. Iuramentum non propalandi aliquam artem, ſeu ſecretum eſt contra caritatem. *p.* 112. *n.* 8. Niſi per alia media æque poſſit ſuccurri proximo, ac per communicationem ſecreti. *ibid.*

Iuramentum non ſemper firmat contractus. *ibid. n.* 1. Si firmat, eo ius acquiritur promiſſario adverſus iurantem. *p.* 113. *n.* 2. Et eo in caſu nemo relaxationem illius impertire poteſt, niſi creditor in cuius gratiam iuratur. *ibid. n.* 3. Iuramentum probabilius non confirmat contractus invalidos, ita ut ex iuſtitia iurans eos præſtare obligetur. *p.* 116. & *ſeq. n.* 9. & *ſeqq.* Iuramenti obligatio vi iuramenti non tranſ-

it

Digitized by Google

it ad heredes, ſed ſolum vi promiſſionis. *p.* 118. & *ſeq. n.* 2. & *ſeq.*

Obtinens aliquem gradum, ob quem omnes iurare ſolent, non tenetur iuramento, ſi ipſe non iuraverit. *p.*119. *n.*4. Heredes iurantis ſe daturum eleemoſynam pauperibus, eo mortuo vi iuſtitiæ ad eam tenentur. *ibid. n.*5. Iuramenti promiſſorii obligatio tranſit ad heredes illius cui iuratum eſt. *ibid. n.*6.

Iuramentum præſtari poteſt per procuratorem. *p.*120. *n.*7. Qui tamen debet habere ſpeciale mandatum ad iurandum in tali materia. *ibid. n.* 8. Iuramenti obligatio impediri poteſt a poteſtate eccleſiaſtica, antequam præſtetur. *ibid. n.* 9.

Princeps reſpectu ſui ſubditi lata lege impedire poteſt, antequam præſtetur iuramentum circa talem contractum, ne valeat, ob finem boni communis. *p.* 121. *n.* 13. Explicatur. *ibid.* Iurare etiam extra iudicium licite etiam per procuratorem poſſunt omnes ratione præditi. *p.* 123. & *ſeq. n.* 1. & *ſeq.* Spectato iure naturæ qui extra iudicium, iurare etiam poſſunt in iudicio. *pag.* 124. *num.* 1. Ad illud in iudicio non admittuntur pueri, & puellæ ante annos pubertatis. *p.* 125. *n.* 2. Eadem ætas quæ ſufficit in foro civili, ſatis non eſt in criminali. *ibid. n.* 3. Excipiuntur aliqua cauſarum genera. *ibid.* Mulieres iure civili ad omnes cauſſas ſive civiles, ſive criminales admittuntur, teſtamento excepto. *p.* 126. *n.* 4. A iure canonico repelluntur in cauſſis criminalibus. *ibid.* A iuramento iudiciali excluditur inimicus illius contra quem ferendum eſt teſtimonium. *ibid. n.* 5. Sicut etiam periuri omnes. *ibid. n.* 6. Et pariter criminum ſocii, nonnullis exceptis criminibus, quæ recenſentur. *ibid. n.* 7. Itemque perſonæ viles, & inopes, niſi ſint honeſtæ, & ſpectatæ virtutis. *p.* 127. *n.* 8. Laici non admittuntur in criminalibus ad iurandum contra Clericos, niſi in exceptis criminibus. *ibid. n.* 9. Sacerdotes in iudicio iurare non debent, niſi ob gravem neceſſitatem. *ibid. n.* 10. Quandoque admittuntur ad iurandum conſanguinei, quandoque non. *p.* 128. *n.* 11. Pagani, Iudæi, omneſque fidei catholicæ hoſtes reiiciuntur a ferendo teſtimonio adverſus Catholicum, exceptis criminibus laſæ maieſtatis. *ibid. n.* 12. Nonnulla tempora excipiuntur quibus iuramenta iudicialia vetantur. *ibid. n.* 13.

Iuramentum licite exigere nequit perſona privata ab eo quem certo ſcit peieraturum, etiam gravi urgente cauſſa. *p.* 130. & *ſeqq. n.* 4. & *ſeqq.* Probatur ex SS. Patribus. *ibid.* Limitationes P. Suarez refelluntur. *p.* 132. & *ſeq. n.* 10. & *ſeqq.* Iuramentum licite recipere non poteſt homo privatus a parato peierare. *p.* 134. *n.* 13. Perſona publica, ut iudex, licite poteſt ſecundum ordinem iuris exigere iuramentum ab eo quem novit, vel ſuſpicatur peieraturum, pluribus ſervatis conditionibus. *ibid. n.* 14. Secus in criminalibus, ſi accuſator deficiat in probationibus. *p.* 135. *n.* 15. Vel quando deprehenditur teſtes eſſe paratos ad ferendum teſtimonium falſum contra reum. *ibid.* Iuramentum ſive in civilibus, ſive in criminalibus ab utraque parte exigi nequit. *ibid.* Iuramentum licite petere poteſt Chriſtianus, iuſta occurrente cauſſa, ab eo quem ſcit iuraturum per falſos deos. *ibid.* & *p.* 136. *n.* 16. & *ſeq.* Solvuntur obiecta. *ibid.* & *p.* 137. *n.* 18. & *ſeqq.* Male Vanroi contendit licitam eſſe iuramenti petitionem a peieraturo, cum tutor tuetur cauſſam pupilli ex officio, quam nonniſi iuramenti exactione defendere valet. *ibid.* & *p.* 138. *n.* 22. & *ſeqq.* Qui inducit alium ad iurandum falſum, quod iurans bona fide putat eſſe verum, ipſe vero qui inducit ſcit eſſe falſum, peccat. *p.*141. & *ſeq. n.* 28. & *ſeqq.* Profundas meditationes P. Tamburini ſeipſis corruere oſtenditur. *ibid.*

Iurandi frequentia a ſacra Scriptura, Patribus, & Conciliis execratur. *p.* 143. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Caſuiſtarum plurium de iurandi, & blaſphemandi conſuetudine doctrina Scripturæ, & Patribus adverſatur. *p.* 146. & *ſeqq.*

ſeqq. n. 1. & *ſeqq.* Conſuetudo culpabiliter retenta iurandi falſum deliberate, ſeu indifferenter verum & falſum, eſt peccatum diſtinctum aperiendum in confeſſione; nec ſufficit confiteri ipſum actum periurii. *p.* 148. & *ſeq. n.* 8. & *ſeqq.* Impugnatur laxa, & falſa Sporer & Tamburini doctrina. *ibid.* Doctrina recentiorum aientium conſuetudinem iurandi advertenter verum, adiunctam conſuetudini mentiendi abſque iuramento, non conſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis, nec teneri iuratorem ſub gravi illam extirpare, directe contraria eſt Scripturæ, & Patribus. *p.* 150. & *ſeqq. n.* 13. & *ſeqq.* Conſuetudo iurandi deliberate, & indiſcriminatim ſive verum, ſive falſum, conſtituit iurantem in ſtatu peccati mortalis: unde is tenetur ſub mortali illam extirpare. *p.* 153. *num.* 17. Doctrina recentiorum aientium conſuetudinem paſſim iurandi cum debita conſideratione ut non iuretur niſi verum, non conſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis, nec eum teneri illam vitare ſub gravi culpa, Scripturæ, & Patribus adverſatur. *ibid.* & *p.* 154. *num.* 19. & *ſeqq.*

Iuramenta indeliberata quæ emittit iurator prava conſuetudine devinctus iurandi ſive verum, ſive falſum, non modo in cauſſa, ſed in ſe ipſis ſunt peccata mortalia in confeſſione neceſſario exprimenda. *p.* 156. *n.* 26. & *ſeqq.* Impugnatur vana diſtinctio Salmanticenſium Moralium, quos male aſſecutos eſſe mentem Salmanticenſium Auctorum Curſus theologici oſtenditur. *p.* 157. & *ſeq. n.* 28. & *ſeqq.* Qui in prava conſuetudine verſatur peierandi, tenetur eiuſmodi conſuetudinem Confeſſario manifeſtare. *p.* 159. *n.* 3. & *ſeqq.* Sicut etiam qui iurat ex conſuetudine, licet cum debita vigilantia. *p.* 160. *n.* 6. Illis qui conſuetudine, ſeu habitu iurandi tenentur, Confeſſarius debet quandoque negare, quandoque impartire, quandoque ſuſpendere abſolutionem. *ibid. n.* 7. Paucis eiuſmodi doctrina perſtringitur. *ibid.* Traduntur aliæ regulæ, & monita pro Confeſſariis. *ibid. n.* 8. & *p.* 161. & *ſeq. n.* 9. & *ſeqq.*

Iuramentum interpretari debet iuxta plures regulas, quæ ſummatim recenſentur, & explicantur. *p.* 169. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Iuramentum ceſſat quatuor modis, nempe abſolutione ſuperioris, commutatione, remiſſione creditoris, & relaxatione iudicis. *p.* 173. *n.* 1. Qui habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi, vel commutandi vota, poteſt etiam iuramenta. *ibid. n.* 3. Delegatus tamen ad commutanda, vel diſpenſanda vota, non poteſt diſpenſare, aut commutare iuramenta. *p.* 174. *n.* 4. Poteſt Pontifex ex rationabili cauſſa irritare iuramenta, in iiſque diſpenſare. *ibid. n.* 5. Sicut Epiſcopus in ſua diœceſi in materia ſibi ſubiecta. *ibid. n.* 6. Niſi alteri, v. g. pauperi ob iuratam promiſſionem eleemoſynæ, ſit ius acquiſitum. *ibid. n.* 7. Duplex eſt iuſta cauſſa in Pontifice relaxandi, aut commutandi iuramenta; quarum altera bonum commune, altera pœnam creditoris reſpicit. *p.* 175. *n.* 8. & *ſeq.* Periurium commiſſum non tollit facultatem in diſpenſante. *ibid. num.* 10.

Iuramenta appoſita contractibus in quibus dolus incidit, relaxari poſſunt ab Epiſcopo. *ibid. n.* 11. Iuramenti relaxatio neceſſaria eſt, ut quis ad contractus reſciſſionem procedere valeat ob enormem læſionem. *p.* 176. *n.* 12. Iuramentum ut licite iudex relaxare valeat, non ſufficit dubia cognitio, ſed requiritur ſaltem probabilis notitia de iniuſtitia contractus. *ibid. n.* 13. Iuramenti relaxationem proprie impartiri non poteſt iudex ſæcularis. *p.* 177. *n.* 14. Legitimi iudices quo ad hoc ſunt Epiſcopi, Capitulum Sede vacante, & quilibet Prælatus iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habens. *ibid. n.* 15. Iuramenti relaxatio pro foro externo conceditur a Superiori eccleſiaſtico loci in quo contractus eſt initus: pro foro interno a ſolo Prælato iurantis. *ibid. n.* 16. *V. Periurium.*

Digitized by Google

L

La Croix (P. Claudius) laxas de homicidio ſententias docet. *p.* 315. *n.* 15. Et laxam opinionem de tactibus impudicis habitis ſuper mulieris veſtes in eius partibus verendis. *p.* 433. *n.* 16. Eius methodus proponendi opiniones perniciofus eſt. *p.* 443. & *ſeq.* *n.* 38. Laxam proponit ſententiam de puella mere negative ſe habente dum ipſa ſtupratur. *p.* 456. *n.* 2. Et aliam de pollutione profluente a cauſſa volita ſolum venialiter mala. *p.* 496. *n.* 31. Pyrrhonicam methodum paſſim adhibet. *ibid.* Ex Leſſio, & de Lugo docet quod re ipſa damnatum eſt. *p.* 555. *n.* 14. Res relinquit in medio, ac ſi Pyrrhoniſmum traderet. *p.* 557. *n.* 18. Laxas de occulta compenſatione ſententias docet. *p.* 560. & *ſeqq.* *n.* 1. 4. 5. 6. & 9.

Lambertinus (Card. Proſper nunc BENEDICTUS XIV.) ſapienter choreas damnat. *p.* 420. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.*

Layman (P. Paulus) laxam de luxuria ſententiam docet. *p.* 355. *n.* 18. Et alias laxas de furto. *p.* 527. & *ſeq.* *n.* 1. & *ſeq.* & *n.* 8.

Leander (a SS. Sacramento) laxiſſimam circa quartum Decalogi præceptum ſententiam docet. *p.* 205. *n.* 5. Impugnatur. *p.* 206. *n.* 6. Laxam doctrinam docet de oſculis, & amplexibus ſponſorum de futuro. *p.* 228. *n.* 24. Et aliam laxam de obedientia uxorum erga maritos. *p.* 248. *n.* 2. Laxiora de more defendit. *ibid.* Horroris plenam de homicidio ſententiam docet. *p.* 331. *n.* 16. Itemque plures laxas propoſitiones de luxuria. *p.* 357. & *ſeqq.* *n.* 30. & *ſeqq.* Et alias laxas de mendacio. *p.* 584. *n.* 8. & *ſeq.*

Leſſius (P. Leonardus) laxas de homicidio ſententias docet. *p.* 321. & *ſeq.* *n.* 31. & *ſeq.* Eiuſdem futilis diſtinctio probabilitatis ſpeculativæ, & practicæ reiicitur. *p.* 322. *n.* 33. Alia eiuſdem de homicidio laxa ſententia. *p.* 330. *n.* 14. Alia pariter laxa de famæ compenſatione. *p.* 529. *n.* 16.

Libellus *Difeſa della Diſſertazione de' Signori Copellotti e Caſali* antievangelicam doctrinam continet. *p.* 632. & *ſeq.* *n.* 29.

Libellus famoſus, *Ritrattazione di Fra Daniello Concina* &c. ob confutatam ab eo rem mamillarem in lucem editus, ſolemni Decreto S. Officii proſcriptus fuit. *p.* 453. *n.* 9. Huiuſmodi Decretum per extenſum refertur. *p.* 454. *V. Detractio.*

Lingua a S. Iacobo recte aſſimilatur clavo navis, equi freno, & flammæ ignis. *p.* 615. *n.* 1. Explicatur. *ibid.*

Lupus (P. Chriſtianus) improbat Opus in Decalogum P. Thomæ Tamburini. *p.* 705. & *ſeq.* *n.* 1. Eiuſdem doctiſſimi viri integrum iudicium in illud exhibetur. *ibid.*

Luxuria quælibet, ſcilicet quælibet eius actio tum interna, tum externa, Decalogi præcepto *Non mœchaberis* prohibetur. *p.* 360. & *ſeq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Eius natura explicatur. *p.* 362. *n.* 1. Eſt vitium genere ſuo mortale & capitale. *ibid.* *n.* 2. Eius octo filiæ, quarum quatuor mentem, aliæ quatuor voluntatem inquinant, recenſentur, & explicantur. *p.* 363. & *ſeq.* *n.* 3. & *ſeq.* Aliæ quatuor hydræ illius monſtra ex D. Thoma. *p.* 364. *n.* 5. Septem luxuriæ ſpecies aſſignantur. *p.* 365. *n.* 6. & *ſeq.* Quidquid ſit, utrum hæ intra proprium genus eſſentialiter, vel ſolum accidentaliter diſtinguantur, diverſa iis ineſt malitia in confeſſione exprimenda. *ibid.* *n.* 8. Luxuria in ſuo genere non admittit parvitatem materiæ. *p.* 444. & *ſeqq.* *n.* 39. & *ſeqq.* Oſtenditur, refelIunturque obiecta. *ibid.*

Mulier vi compreſſa, adſtringitur poſitive reſiſtere, nec licite poteſt permiſſive ſe habere, ut vitæ, vel honoris periculum declinet. *p.* 445. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Oppoſitam P. Cornelii a Lapide laxitatis plenam opinionem de Suſanna, Scripturis, & rationi adverſari evidenter oſtenditur. *p.* 456. & *ſeqq.* *n.* 3. & *ſeqq.* Primum illius remedium eſt feria ſuæ gravitatis meditatio. *p.* 520. *n.* 1. Secundum eſt fuga mulierum, chorearum, theatrorum, & comœdiarum. *ibid.* *n.* 2.

 Op-

Digitized by Google

Oppoſita plurium Probabiliſtarum benignitas refellitur. *p.* 521. *n.* 4. Tertium remedium eſt victus ſobrietas, veſtitus modeſtia, & otii exilium. *ibid. n.* 5. Quartum remedium eſt vigilans oculorum, ſenſuumque omnium cuſtodia. *p.* 522. *n.* 6. Quintum remedium eſt averſio ab obſcenis tabellis, ſeu imaginibus, librisque impudicis, vulgo dictis *Romanzi*. *ibid.* & *p.* 523. *n.* 7. & *ſeqq.* Alia duo remedia ſunt virtus abſtinentiæ, & ingis oratio, noviſſimorum ſeriæ meditationi adiuncta. *ibid. n.* 1. & *p.* 524. *n.* 12.

Luxuriæ incendia vel inter rigidos ſui corporis cruciatus D. Hieronymum in eremo conſtitutum uſſiſſe, ipſemet teſtatur. *ibid. V. Adulterium. Aſpectus mulierum. Beſtialitas. Concubinatus. Fornicatio. Inceſtus. Oſcula. Pollutio. Raptus. Sacrilegium. Sodomia. Stuprum. Verba obſcena.*

M

Maledictio eſt malum alicui dicere. *p.* 611. *n.* 7. Committitur vel imprecando, vel imperando, vel optando alicui malum. *p.* 612. *n.* 8. Maledicentium excuſationes haud facile admittendæ. *ibid. n.* 9. Maledictio ut ſit grave peccatum, requiritur ut ex animo fiat, & ut malum optatum deliberate ſit grave. *ibid. n.* 10. Si ex conſuetudine gravis maledictio procedat, etiamſi actu ad eam non advertas, grave peccatum eſt. *p.* 613. *n.* 11. Oppoſita Salmanticenſium doctrina, ceu laxa refellitur. *ibid.* Maledicere creaturis irrationabilibus vel ut ſunt creaturæ Dei, vel ſecundum ſe, illicitum eſt *p.* 614. *n.* 12. Nec ipſi diabolo maledicendum eſt. *p.* 615. *n.* 13.

Maritus uxorem amore ſpeciali diligere debet. *p.* 245. *n.* 1. Tenetur eam alere. *p.* 246. *n.* 2. Si tamen ipſi debita dos perſolvatur. *ibid. num.* 3. Aut niſi uxor ab eo recedat abſque iuſta cauſſa. *ibid. num.* 4. Aut niſi probetur adultera. *ibid. num.* 5. Tenetur cum ea cohabitare. *p.* 247. *n.* 6. Niſi aliter exigant cauſſæ legitimæ, quæ recenſentur. *ibid. n.* 7. Curare debet ut illa impleat præcepta divina, & eccleſiaſtica. *ibid. n.* 8. Eam in adulterio deprehenſam licite occidere nequit. *p.* 300. & *ſeq. n.* 2. & *ſeq. V. Uxor.*

Matres propriis uberibus lactare debent filios ſuos. *p.* 239. & *ſeqq. n.* 9. & *ſeqq.* Sola nobilitas eas non eximit ab hoc onere. *p.* 241. *n.* 11. Conſuetudo contraria eſt omnino prava. *p.* 242. & *ſeq. n.* 12. & *ſeq.* Recenſentur iuſtæ cauſſæ eas eximentes ab hoc onere. *p.* 243. *n.* 14. Si adſint hæ cauſſæ, tenentur ſub gravi quærere bonam nutricem. *p.* 244. *n.* 15. Idque impenſis patris. *ibid. n.* 16.

Mendacium eſt enuntiatio falſi cum voluntate ad fallendum prolata. *p.* 591. *n.* 1. Dividitur in materiale, & formale. *p.* 592. *n.* 2. Item in iocoſum, officioſum, & pernicioſum. *ibid. n.* 3. Itemque ex D. Thoma in iactantiam, & ironiam. *p.* 593. *n.* 4. Explicatur. *ibid.* Nonnulli antiqui celebriores Philoſophi, & nonnulli antiqui Patres aliquando licitum mendacium aſſeruerunt. *p.* 594. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* In oppoſitam, veramque D. Auguſtini ſententiam tandem conceſſit D. Hieronymus. *p.* 596. *n.* 4. Mendacium malum eſt, & ſuapte natura peccatum. *p.* 597. *n.* 1. Iocoſum, & officioſum non eſt mortale. *ibid. n.* 2. Solvitur obiectio. *p.* 598. *n.* 3. Pernicioſum genere ſuo mortale eſt; ſed ob materiæ parvitatem veniale. *p.* 599. *n.* 6. Mendacium rei genere ſuo levis ſi dicatur in confeſſione, probabilius eſt ſolum peccatum veniale. *p.* 600. *n.* 7. & *ſeq.* Si tamen pœnitens venialium conſuetudine inquinatus hanc negaret Confeſſario, graviter peccaret. *p.* 601. *num.* 9.

Meretrices publice permitti poſſe probant nonnulli auctoritate SS. Auguſtini, & Thomæ. *p.* 401. *n.* 3. Item ex eo quod earum permiſſione impediantur maiora mala. *p.* 402. *n.* 4. Sed vera ſententia id negat auctoritate ſacræ Scripturæ, & Patrum. *ibid. n.* 5. & *ſeqq.* Et ex pluribus rationibus

quæ

Digitized by Google

quæ afferuntur. *p.*403. & *ſeqq.* *n.* 10. & *ſeqq.* Reſpondetur auctoritati deſumptæ a SS. Auguſtino, & Thoma. *p.*403. *n.* 18. Non licet a meretricibus tributum ob meretricium ſolvendum exigere. *p.*406. *n.* 19.

Molina (P. Ludovicus) falſam & perniciosam de homicidio ſententiam docet. *p.* 331. *n.* 15. Lucretiæ Romanæ ſuicidium perperam excuſat ob ignorantiam invincibilem. *p.* 339. & *ſeq.* *n.* 5. Expreſſe improbatur hæc opinio a D. Auguſtino. *ibid.* Laxam ſententiam docet de compenſatione. *p.* 529. *n.* 17. Abſurde docet poſſe aliquem occulta pecuniarum acceptione ſibi compenſare famam, infamatore eam reſtituere nolente. *p.* 687. *n.* 1. Perniciosa hæc opinio refellitur. *ibid.* *n.* 3. & *ſeqq.*

Moya (P. Matthæus) ut probabilitati pondus adiiciat, Zanardum, merum exſcriptorem, magiſtrum ſapientem appellat. *p.* 27. *n.* 16. Notus laxitatis eſt Auctor. *p.* 390. *n.* 8. Laxam de occulta compenſatione ſententiam docet. *p.* 561. *n.* 2.

N

Nepomucenus (S. Ioannes martyr) præclaro ſuo facto rationem cuſtodiendi ſigillum ſacramentale nos docuit. *p.* 9. *num.* 6.

O

Orſi (P. M. Ioſeph Auguſtinus) caſum exhibet quo clare evincit, falſo recentiores afferere non aliam eſſe viam cuſtodiendi ſigillum ſacramentale quam negationem. *p.* 10. *n.* 8.

Oſcula, & amplexus inter futuros ſponſos ſunt peccatum mortale. *p.* 228. *n.* 24. Oſcula, tactus, & amplexus non ſunt ſecundum ſe peccata. *p.*430. *n.* 3. Reciproca inter utriuſque ſexus perſonas oſcula numquam videntur permittenda, tamquam, ut minus, periculi plena. *ibid.* *n.*5. Tangere muliebria aut curationis cauſſa, aut internoſcendi ſexus diverſitatem, medicis & chirurgis licitum eſt. *p.*431. *n.* 6. Hanc curationem pati non tenetur femina pudica, ſi pudor ex motivo virtutis, & amore caſtitatis proficiſcatur. *ibid.* *n.*7. Multo minus, ſi ei grave immineat periculum delectationis venereæ. *ibid.* Delectatio carnalis, ſeu venerea ex oſculis percepta eſt culpa letalis. *p.*432. *n.* 9. Oſcula inter perſonas ſolutas, & adultas diverſi ſexus, ſi fiant ob delectationem ſenſibilem captandam, ſecum afferunt periculum delectationis venereæ, & pollutionis. *p.*433. *n.* 13. & *ſeq.* In praxi ſunt peccata mortalia. *ibid.* Metaphyſicæ abſtractiones Salmanticenſium improbantur. *ibid.*

Tactus impudici in partibus verendis, aut in illis affinibus ſunt peccata mortalia. *p.*434. *n.* 16. Etiamſi ſupra veſtes exerceantur. *ibid.* Oppoſita plurium recentiorum ſententia eſt improbabilis. *ibid.* Licent tamen coniugatis, ſi præcedant copulam, & ad illam diſponant. *p.*435. *n.* 18. Non tamen abſque ordine ad copulam. *ibid.* *n.* 19. & *ſeq.* Oſcula, tactus, & amplexus inter ſponſos non licent. *p.*436. *n.* 22. Ab oſculis, tactibus, & amplexibus, niſi fiant iuxta morem patriæ, tenetur ſub gravi femina ſe retrahere. *ibid.* *n.* 23. Tangens propria pudenda ob delectationem veneream non ordinatam ad licitam copulam, peccat mortaliter. *p.*439. *n.* 26. Petfricans brutorum verenda, itritanſque ad ſemen effundendum, peccat mortaliter. *ibid.* *n.*27. Ab aſpectu coitus brutorum ſatius, & tutius eſt abſtinere. *ibid.* *n.*28. Concumbens cum muliere mortua, quanam ſpecie peccati peccet, diverſæ aſſignantur ſententiæ. *ibid.* *n.*29. Oſcula, tactus, & amplexus peracti cum perſonis diverſi ſtatus ſunt peccata ſpecie diverſa. *p.* 440. *n.* 30.

Explicatur delectatio venerea, & moroſa. *ibid.* *n.*31. Venerea, ſeu carnalis eſt peccatum letale. *ibid.* Delectatio rei turpis, aut de cogitatione illius, in praxi communiter eſt peccatum mortale. *p.* 441. *n.* 33. Affertur pro-

Digitized by Google

propoſitio de hoc damnata a Clero Gallicano. *ibid.* Concupiſcentia dum fervet, motuſque venerei animum adoriuntur, peccat mortaliter qui ad eos negative ſe habet, abſque eo quod poſitive reſiſtat. *p.* 442. & *ſeq. n.* 35. & *ſeqq.* Falſo P. La Croix oppoſitum tuetur, ceu probabilius ſpeculative loquendo. *ibid. n.* 36. Eius reſponſio refellitur. *p.* 443. *n.* 38. Habens puritatem habitualem conſcientiæ, & ſinceram voluntatem peccati vitandi præſumere poteſt delectationi venereæ non conſenſiſſe, nec reum fuiſſe gravis negligentiæ. *p.* 447. *n.* 46.

P

Parentes colendi ſunt a filiis. *p.* 202. & *ſeq. n.* 1. & *ſeq.* Recenſentur officia parentibus debita. *ibid.* & *p.* 203. *n.* 3. Præcipuum eſt illis ſubvenire in temporalibus, & ſpiritualibus neceſſitatibus. *ibid. n.* 4. Illis ſi filii ex odio deſiderent grave damnum, peccant mortaliter. *p.* 205. *num.* 3. Eodemque modo peccant, ſi illis mortem exoptent ob finem quempiam utilem; ex. gr. adeundi hereditatem. *ibid.* & *p.* 206. *n.* 4. & *ſeqq.* Oppoſita Leandri, & plurium Caſuiſtarum laxa ſententia reiicitur. *ibid.* Peccant letaliter filii qui deliberate torvis oculis aſpiciunt parentes, nullumque ipſis exterius amoris ſignum exhibent. *p.* 207. *n.* 8. Qui parentes leviter percutiunt, graviter delinquunt. *ibid. n.* 9. Licitum eſt filiis a parentibus iniuſte percuſſis ſe ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. *ibid. n.* 10. Peccant filii deliberato animo parentibus maledicentes. *p.* 208. *n.* 11.

Parentes nequeunt a filiis apud iudicem accuſari, niſi de hæreſi, & criminibus in patriam, & in Principem. *ibid. n.* 12. Parentibus tenentur obedire filii. *p.* 209. *n.* 1. & *ſeq.* Non tamen in rebus pravis. *p.* 210. *n.* 3. Neque dum vetant, ne aſſumant religioſum ſtatum. *ibid. n.* 4. Sicut neque ſi præcipiant Religionis ingreſſum. *ibid. num.* 5. Peccant letaliter filii, ſi parentibus inconſultis matrimonium contrahant. *p.* 211. *num.* 6. Laxa Salmanticenſium doctrina reiicitur. *ibid.* Sicut ſi parentibus, inconſultis ducant indignam ſponſam. *p.* 212. *n.* 7. Laxiſſima Tamburini ſententia improbatur. *ibid.* Peccant letaliter filii parentes abducentes, ne teſtamenta condant, & eleemoſynas largiantur. *ibid. n.* 2. Graviuſque peccanr, ſi eos impediant a male partis reſtituendis, aut a debitis ſolvendis. *p.* 213. *n.* 3. Parentibus gravi neceſſitate preſſis filii iure naturæ præſtare alimenta tenentur. *ibid. n.* 4. Non tamen filiis religioſis licitum eſt clauſtra deſerere, ut illis ea tantum neceſſitate laborantibus ſuccurrant. *p.* 214. *n.* 7. Rara eſt ob id clauſtra deſerendi neceſſitas, cui aliter ſubvenire poſſunt, & debent Superiores Religionum. *p.* 215. *n.* 8. & *ſeq.*

Prius parentibus quam liberis in æquali neceſſitate conſtitutis ſuccurrere filius debet. *p.* 216. *num.* 10. Sicut in extrema neceſſitate prius parentibus quam creditoribus. *p.* 217. *n.* 11. Parentes alendi obligatio adſtringit etiam filios naturales & ſpurios. *ibid. n.* 12. Parentum potiſſima in filios officia explicantur. *p.* 218. *n.* 1. & *ſeq.* Potiſſimum eſt eos inſtruere in divina lege, eoſque corripere. *p.* 219. *n.* 3. & *ſeq.* Parentum pravos mores imitantur filii. *p.* 220. *n.* 5. Ob eiuſmodi pravos mores diſerte Cicero Verrem increpat. *ibid.* Parentes tenentur curare ut artibus filii inſtruantur eorum ſtatui convenientibus. *p.* 221. *n.* 6. Alias peccant. *ibid. n.* 8. Parentes omnino retrahere debent filios ab ingreſſu Religionis quæ ſit laxæ diſciplinæ. *p.* 222. *n.* 10.

Parentes dolo & fraude detinentes filios ne Religionem amplectantur, mortaliter peccant. *p.* 223. *n.* 12. Sicut etiam ſi id agant precibus importunis. *ibid. n.* 13. Et ultra peccatum excommunicationem incurrunt, ſi invitas filias cogant monaſterium ingredi. *ibid. n.* 14. Ad hanc coactionem requiritur vis, & metus cadens in conſtantem virum. *p.* 224. *n.* 15. Non ſufficit tamen,

Digitized by Google

men, ſi pater filiæ nolit dare dotem ad matrimonium, licet ita peccet. *ibid. n.* 16. Eam excommunicationem incurrunt parentes cogentes puellas, non autem filios ad ingrediendum Religionem. *ibid. n.* 17. Sicut eam incurrunt cuiuſcumque generis & conditionis perſonæ eas ſic cogentes. *p.*225. *n.* 18. Non vero ſi eas cogant ad monaſteria ingredienda, ut ſolum ſub veſte laicali vitam ducant. *ibid. n.* 19. Aut ſi cogant mulieres ad ingrediendum monaſterium in caſibus in iure expreſſis, qui recenſentur. *p.*226.*n.*20. Excommunicationem incurrunt parentes retrahentes filias a Religionis ingreſſu. *ibid. n.*21. Sicut qui impediunt ne filia, aut mulier monaſterium ingrediatur, & novitiatum ſuſcipiat. *ibid. n.* 22. Aut qui eas impediunt ne Religionem voveant. *ibid.*

Peccant graviter parentes qui filias ſuas fucis deliniri ad turpem amorem accendendum, & cum procis converſari permittunt. *p.*226. *n.* 23. Sicut ſi eas cum futuris ſponſis familiariter converſari ſinant, ſi ſciant, aut iure ſuſpicentur eorum colloquia eſſe obſcena, aut ab iis impudicos tactus exerceri. *p.* 228. *n.* 24. Aut mutuo oſculis, & amplexibus frui. *ibid.* Parentes peccato etiam ſcandali peccant, ſi peccent coram filiis ſuis. *p.* 229.*n.*25. Parentes non modo verbis, ſed etiam pœnis filios corripere, & punire debent. *p.* 229. *n.* 1. Citra tamen eorum mortem, mutilationem, & abſque gravi vulnere. *ibid. n.* 2. Non poſſunt licite filios coniicere in carcerem perpetuum, aut atroci pœna punire. *p.* 230. *n.* 3. & *ſeq.* Eos tamen etſi Clericos, & in ſacris conſtitutos, ſi moderate correctionis cauſſa parentes, Prælati, & magiſtri verberent, non incurrunt excommunicationem. *p.* 231. *num.* 5.

Parentes extrema famis urgente neceſſitate filios vendere poſſunt. *ibid. n.* 6. Non tamen ſi filii non ſint ſub patria poteſtate, aut ſi ſint in ſacris conſtituti, aut coniugati. *p.* 232. *n.* 7. Parentes iure naturæ tenentur filiis alimenta præbere. *p.* 233. *n.* 1. Nomine alimentorum venit victus, veſtitus, & habitatio. *ibid. n.* 2. Sub alimentis comprehenduntur medicinæ, expenſæ in ſtudiis, & funeribus. *ibid. n.* 3. Expenſæ in addiſcendis artibus, ſi Patris ſtatum ſuperent, computari poſſunt inter portionem legitimæ. *ibid. n.* 3. Pater non tenetur alere uxorem, quam filius duxit eo inconſulto. *p.* 234. *n.* 6. Alimenta conferenda ſunt ſecundum perſonæ dignitatem. *p.* 235. *n.* 7. Parentes, ſi filios quos alere queunt, hoſpitali alendos exponant, peccant. *ibid. n.* 8. Tenenturque reſtituere expenſas, ſi divites ſint, & eos exponant ad vitandam matris infamiam. *ibid.* & *p.* 236. *n.* 9. & *ſeq.* Si ille cuius ianuæ expoſitus eſt puer, exponat eum ianuæ alterius, peccat ſaltem contra caritatem. *p.* 237. *n.* 12. Quandoque mater loco patris alimenta pro filiis reſtituere tenetur. *ibid. n.* 13. Parentes qui exponunt filios ſuos, privantur poteſtate patria, & filii expoſiti liberi evadunt. *ibid. n.* 14.

Filii, alii ſunt naturales tantum; alii naturales, & legitimi; alii ſpurii; alii legitimi, & non naturales. *p.*238. *n.*1. Explicatur. *ibid.* Pater tenetur alimenta dare filio naturali. *ibid. n.* 2. Si filiis legitimis careat, heredes omnium bonorum filios naturales inſtituere poteſt. *ibid. n.* 3. Tenetur etiam alimenta præbere filiis ſpuriis. *ibid. n.* 4. & *p.* 239. *n.* 5. Et probabilius tenetur etiam dotare filias ſpurias. *ibid. n.* 6. Filii ſpurii Clericorum per ſe loquendo ſunt capaces recipiendi aliquid a patre via donationis, aut teſtamenti. *ibid. n.* 7.

In defectu patris mater filium ſpurium alere debet. *ibid. n.* 8. Matres filios ſuos proprio lacte alere tenentur. *ibid.* & *p.*240. & *ſeq. n.* 9. & *ſeq.* In ſecus facientes peracute & acriter invehitur Favorinus. *ibid.* Nobilitas matris non eſt cauſſa ſufficiens ut illa excuſetur a lactando filio propriis uberibus. *p.* 241. & *ſeqq. n.* 11. & *ſeqq.* Oppoſita recentiorum ſententia nonniſi

Digitized by Google

niſi pravæ conſuetudini innititur. *ibid.* Matres eximuntur ab omni culpa, ſi ſecus agant ob iuſtas cauſſas, quæ recenſentur. *p.* 243. *n.* 14. Tenentur tamen ſub gravi quærere tunc bonam nutricem. *p.* 244. *n.* 15. Idque impenſis patris. *ibid. n.* 16.

Pater tenetur dotare filiam quæ nubere velit. *ibid. n.* 17. Non tamen ſi nubere velit indigno, repugnante patre, ſi maior non ſit 25. annorum. *ibid. n.* 18. Parentes ob cauſſas ob quas filios exheredare poſſunt, iure poſſunt iiſdem denegare alimenta. *ibid. n.* 19. Recenſentur hæ cauſſæ. *p.* 245. *n.* 20.

Paſtores tenentur oves ſibi concreditas paſcere & cuſtodire. *p.* 255. & *ſeqq. n.* 5. & *ſeq.*

Periurium committitur, cum quis iurat quod ſcit, vel putat eſſe falſum. *p.* 163. *n.* 1. Illud licitum eſſe aſſeruerunt hæretici nonnulli. *ibid, n.* 2. De fide eſt illicitum eſſe. *ibid. n.* 3. Sicut eſſe ex genere ſuo peccatum mortale. *p.* 164. *n.* 4. Periurium gravius eſt ipſo homicidio. *ibid. n.* 6. Quæ contra hoc opponi poſſunt, ſolvuntur D. Thomæ doctrina. *p.* 165. *n.* 7. Periurium etiam antiquitus pœnis puniebatur. *p.* 166. *n.* 1. & *ſeqq.* Leges tum civiles, tum canonicæ periuria plectenda ſtatuunt. *ibid. n.* 3. Periurus qui humana pacta, & fœdera infringit, poſt latam in illius crimen ſententiam, infamiam incurrit, ſecus ante ſententiam. *ibid. n.* 4. Nullus periurus privatur ipſo iure beneficiis acquiſitis ante iudicis ſententiam; privatur tamen beneficiis acquirendis periurus infamis infamia iuris. *p.* 167. *n.* 6. Recenſentur pœnæ teſtis, qui falſum teſtimonium dixit in iudicio. *ibid. n.* 7. & *p.* 168. *n.* 8. & *ſeqq.* Sacri antiqui canones eaſdem fere pro periurio, ac pro adulterio, & homicidio pœnas imponunt. *ibid. n.* 11. Recentiores canones minus quidem ſeveras, ſatis tamen graves & ipſi infligunt. *ibid. V. Iuramentum.*

Principes, & Magiſtratus pacem, tranquillitatem, & bonum commune ſubditorum fovere debent, & promovere. *p.* 257. *n.* 1. Et mala iuſtis legibus prohibere. *ibid. n.* 2. Et Eccleſiam, eiuſque iura, & regimen tueri, & iuvare. *p.* 258. *n.* 3. Iuſtitiamque rite adminiſtrare, & viduas, ac pupillos tamquam parentes defendere. *ibid. n.* 4. Peccant, ſi munia, & officia ſæcularia ſecum iudicium adferentia divendant; non tamen ſi ea ſint meræ executionis. *p.* 260. *n.* 8. & *ſeq.* Probabilius tenentur ea dignioribus conferre. *p.* 261. *n.* 12. & *ſeq.* Principibus reverentia, honor, & obedientia debetur. *p.* 262. *n.* 14.

Propoſitiones damnatæ circa quartum Decalogi præceptum recenſentur. *p.* 201. *n.* 1. & *ſeq.* Item aliæ damnatæ circa quintum Decalogi præceptum. *p.* 278. *n.* 1. & *ſeqq.* Item aliæ de luxuria, eiuſque ſpeciebus. *p.* 352. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Item aliæ de furto. *p.* 526. *n.* 2. & *ſeqq.* Aliæ de eodem damnantur a Clero Gallicano. *p.* 527. *n.* 5. & *ſeqq.*

Propoſitiones laxæ Caſuiſtarum circa quartum præceptum Decalogi. *p.* 201. *n.* 1. & *ſeqq.* Aliæ laxæ circa quintum eiuſdem præceptum. *p.* 279. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* & *p.* 310. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* & *p.* 313. *n.* 6. & *ſeq.* & *p.* 315. & *ſeq. n.* 13. & *ſeq.* Aliæ laxæ de luxuria. *p.* 353. & *ſeqq. n* 1. & *ſeqq.* Aliæ laxæ de furto. *p.* 527. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Aliæ laxæ de falſo teſtimonio, & mendacio. *p.* 583. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq. V. A Conceptione. A Lapide. A Spiritu ſancto. Ab aſſumptione. Amicus. Arſdechin. Auctor Diſſertationis editæ anno* 1743. *in caſus reſervatos Venetæ Diœceſeos. Azorius. Buſembaum. Candidus. Caramuel. Caſnedi. Caſtropalaus. Diana. Eſcobar. Francolinus. Gobat. Hurtado. La Croix. Layman. Leander. Leſſius. Molina. Moya. Salmanticenſes. Sanchez (Ioannes). Sanchez (Thomas). Sporer. Tamburinus. Torrecilla. Vaſquez. Viva.*

Q

Quæſtio in qua de peccato mortali agitur

Digitized by Google

tur, periculoſe determinatur, niſi veritas expreſſe habeatur. *p.* 537. *n.* 2. Caſuiſtæ recentiores adverſus hanc regulam frequenter peccant. *ibid.*

R

Raptus eſt violenta perſonæ abductio de loco in locum explendæ libidinis cauſſa. *p.* 467. *n.* 1. Explicatur. *ibid.* & *n.* 2. Qui cognoſcit viduam, aut corruptam honeſtæ famæ ſub poteſtate parentum extantem, non ſtupri, ſed ſimplicis fornicationis crimen patrat. *p.* 468. *n.* 4. Si femina quæ ſit ſui iuris, abducatur e domo a proco, non eſt raptus. *ibid. n.* 5. Si femina libere cum amaſio libidinis cauſſa domo egrediatur, parentibus id ignorantibus, committitur raptus. *ibid. n.* 6. Referuntur pœnæ in raptores conſtitutæ. *p.* 469. *n.* 7. Si maritus ante bimeſtre vim inferat uxori, illam e domo paterna extrahendo, aut vi eam cognoſcendo, non eſt raptor. *ibid. n.* 9. Sponſus rapiens ſponſam de futuro, ſubiacet raptorum pœnis. *ibid. n.* 10. Ea tamen conſentiente non conſurgit impedimentum matrimonii. *ibid.* Rapiens puellam immaturam, potiori iure ſubiacet raptorum pœnis. *pag.* 470. *n.* 11.

Religioſi non poſſunt quemadmodum filiifamilias congruam quantitatem pecuniæ ludo licito exponere. *p.* 581. *n.* 18. Peculium retinentes ultra neceſſarium victum & veſtitum proprietarii ſunt, & iuſtitiæ violatores. *pag.* 582. *num.* 19.

Reſtitutio honoris, & famæ. *V. Fama.*

Reus an, & quando interrogatus a iudice crimen ſuum fateri debeat. *V. Iuramentum.*

Roncaglia (P. Conſtantinus) falſam narrationem tranſcribit ex Salmanticenſibus. *p.* 16. *n.* 2.

S

Sacrilegium, prout eſt ſpecies luxuriæ, eſt violatio rei ſacræ per actum carnalem. *p.* 478. *n.* 1. Tripliciter committitur; primo in perſonam ſacram; ſecundo in locum ſacrum; tertio in rem ſacram. *ibid.* Cum perſona ſacra triplex eſt. *p.* 479. *n.* 2. Sacrilegium duplex committitur, quando utraque perſona ſacra commiſcetur carnaliter *ibid. n.* 3. Religioſus ſimul & Sacerdos in luxuriæ crimen prolapſus, probabilius tenetur ſuum ſtatum pandere in confeſſione. *pag.* 480. *n.* 6. Peccat contra votum caſtitatis qui eo ligatus alium ad peccandum contra caſtitatem inducit. *ibid. n.* 7. Sacrilegium committit Religioſus, qui moroſe delectatur de aliquo luxuriæ flagitio. *ibid. n.* 8. Sicut voto caſtitatis ligatus alium tactibus polluens. *ibid. num.* 9. Sacrilegium duplex non committit Religioſus ſe polluens, qui poſt ſolemne caſtitatis votum aliud particulare votum emittit abſtinendi a pollutione. *p.* 481. *n.* 10.

Sacrilegium committunt coniuges, ſi in Eccleſia coeant. *ibid. n.* 12. Nonnullæ laxæ de hoc ſententiæ reiiciuntur. *ibid.* Sacrilegia ſunt oſcula, tactus, & amplexus, verba turpia, & aſpectus impudici habiti in Eccleſia. *ibid. n.* 14. Aſſignatur quis ſit proprie locus ſacer. *p.* 483. & *ſeq. n.* 15. & *ſeqq.* Sacrilegium committeret Sacerdos, ſi Euchariſtiæ ſacramentum geſtans, aliquod luxuriæ crimen ſive internum, ſive externum patraret. *p.* 484. *n.* 19. Sacrilegus foret qui geſtans reliquias fornicationem committeret. *p.* 485. *n.* 20. Et ſacrilegium, & ſimoniæ crimen committeretur, ſi reliquiæ darentur ſcorto in pretium actus venerei. *ibid. num.* 21.

Saleſius (S. Franciſcus) choreas damnat. *p.* 426. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Salmanticenſes laxam ſententiam docent de filiis matrimonia ineuntibus, inconſultis parentibus. *pag.* 211. *n.* 6. Itemque de homicidio. *pag.* 317. *n.* 21. Et aliam laxam de eodem. *pag.* 336. *num.* 2. Et aliam laxam de occaſione proxima. *pag.* 398. *n.* 25. Et aliam laxam de choreis. *p.* 411. *n.* 5. Et aliam item laxam ex Sanchez, & Dicaſtillo de

Digitized by Google

de pollutione. *p.* 499. *n.* 37. Et alias laxas de furto. *p.* 528. & *ſeq.* *n.* 14. & *ſeq.* Et aliam laxam de occulta compenſatione. *p.* 560. *n.* 1. Et aliam laxam de eadem. *p.*565. *n.*5. Et aliam laxam de ludo pecuniario Religioſorum. *p.*581. *n.*18. Laxas ſententias de falſorum teſtium obligatione. *p.* 590. *n.*6. Male attribuunt Molinæ, & Laymanno ſententiam docentem non eſſe reſtituendam famam privato læſam. *p.* 665. & *ſeq.* *n.* 3. & *ſeqq.* Purum putumque mendacium a mendacio excuſant. *p.* 675. *n.*7. & *ſeqq.* Mutilum referunt D. Thomæ textum de famæ reſtitutione. *p.* 676. *n.* 9. Immerito citant abſolute Bannez pro ſententia aiente famam, ſi reſtitui nequeat, pecuniis compenſandam non eſſe. *p.* 682. & *ſeq.* *n.* 3. Frigidis ſpeculationibus ex Probabiliſmo petitis docent te poſſe occulte ſurripere pecunias ad tuam compenſandam famam quam infamator non vult reſtituere. *p.*688. *n.*4. Refelluntur. *ibid.* *n.* 5. & *ſeq.*

Sanchez (Ioannes) laxas de luxuria ſententias docet. *p.* 254. *n.*9. & *ſeq.* Notus laxitatis eſt fautor. *p.*390. *n.*8. & *p.* 561. *n.* 2.

Sanchez (P. Thomas) laxam de luxuria ſententiam docet. *p.* 355. *n.*17. Et aliam de eadem pariter laxam. *pag.* 699. *n.* 7. Impugnatur. *pag.* 700. *n.* 5. Alias laxas propoſitiones docet de mendacio. *p.* 584. *n.* 4. & *ſeqq.*

Secretum ſummopere eſt cuſtodiendum. *p.* 638. *n.* 1. Contra verſutos aggreſſores ſecreti opus eſt ſpiritus præſentia, & voluntatis integritate. *ibid.* *n.* 2. Secretum ſumi poteſt multipliciter. *pag.* 637. *n.* 3. Secretum tibi ab alio tacite, vel expreſſe commiſſum ſervandum eſt ex virtute fidei. *pag.* 639. *n.* 6. Illud ex iuſtitia ſervandum eſt, quando ex revelatione damnum alicui imminet. *ibid.* *n.* 7. Et ſi tunc reveles, teneris ad reſtitutionem. *ibid.* Si nullum ex illius revelatione ſequatur damnum, grave per ſe loquendo non erit illud revelare. *ibid.* *n.* 8. Secretum, quod eſt commiſſum, & promiſſum; obligat ex iuſtitia: *ibid.* *n.* 9. Sub levi tamen, ſi materia ſit tenuis. *pag.* 640. *n.* 10. Numquam uni, aut alteri abſque neceſſitate ſecretum detegi poteſt. *ibid.* *n.* 11. Inadvertentia, aut imperfecta deliberatio a gravi culpa ſecreti proditionem excuſat. *ibid.* *n.* 12. Sicut etiam commodum, & utilitas illius qui ſecretum commiſit. *p.* 641. *n.* 13.

Secreta aliena expiſcari non licet. *pag.* 642. *n.* 14. Niſi ob utilitatem, & commodum publicum, & quandoque etiam privatum. *ibid.* *n.* 15. Litteras obſignatas aperire non licet. *ibid.* *n.* 16. Licet tamen Superiori: *ibid.* Sicut etiam cuilibet de expreſſo, & tacito domini litterarum conſenſu, ſeu de præſumpto. *ibid.* Parvitas materiæ a gravi culpa excuſat. *p.* 643. *n.* 18. Et ab omni, propria defenſio. *ibid.* *num.* 19. Litteras repertas legere nequis, ſi probabiliter credas a domino fuiſſe deperditas. *pag.* 644. *n.* 20. Potes tamen laceratas in minutas partes, & in publicum projectas. *ibid.*

Servi alii ſunt naturales, alii legales, alii conductitii. *pag.* 263. *n.* 1. & *ſeq.* Qui bello iuſto capiuntur, fiunt ſervi. *ibid.* *num.* 3. Si tamen capti ſint Chriſtiani, ut obſides detinentur, donec pecunia ſoluta, aut pace facta in libertatem reſtituantur. *pag.* 264. *n.* 4. Servi iuſto bello capti ſive Chriſtiani ſint, ſive infideles, licite poſſunt arripere fugam. *ibid.* *n.* 6.

Licite ſe in ſervum quis vendere poteſt ex gravi, & urgente cauſſa *p.* 265. *n.* 7. Si vendens ſe ipſum bona habeat aut præſentia, aut futura, licita eſt emptio. *p.*266. *n.*8. Qui a ſe, vel a parentibus legitime eſt venditus, non poteſt licite fugere. *ibid.* *n.* 9. Servitutis legitimus titulus eſt etiam nativitas. *ibid.* *n.*10. Ea delicta ſufficiunt ad ſervitutem quæ ſatis ſunt ad extremam ſubeundam pœnam, aut perpetuum carcerem. *ibid.* *n.* 11. Servorum in vitam & mortem nequaquam domini ius habent. *pag.* 267. *n.* 12. Servum ſi dominus occidat,

Digitized by Google

dat, tenetur aliquid reſtituere ſervi heredibus. *ibid. n.* 14. Servis tenentur domini alimenta tum corporalia, tum ſpiritualia præbere. *p.* 268. *n.* 15. & *ſeq.* Pro delictis, & contractibus ſervorum iuſſu dominorum peractis, tenentur domini. *ibid. n.* 17.

Servis adverſus dominos actio civilis in foro exteriori quandoque competit. *ibid. n.* 18. Servi honorare debent dominos non modo probos, ſed etiam improbos. *p.* 269. *n.* 19. Non tenentur dominum euntem ad fornicandum comitari. *ibid. n.* 20. Neque tenetur ſervus, ſi ſit in extrema neceſſitate conſtitutus, ſe privare neceſſario alimento, ut domino eadem neceſſitate preſſo illud ſubminiſtret. *ibid. n.* 21. & *ſeq.* Tenetur dominum ſuum defendere cum periculo vitæ propriæ, niſi dominus temere pericula ſubeat. *ibid. n.* 23. Servi tenentur res domini conſervare cum onere reſtitutionis, ſi bona domeſtica ſint eis commiſſa. *p.* 270. *n.* 25.

Servi furantes dominis ſuis avaris tantum rei cibariæ, quantum ſatis eſt ad eorum congruam ſuſtentationem, non peccant, nec ad reſtitutionem tenentur. *ibid. n.* 26. Servus quidquid acquirit, acquirit domino. *p.* 271. *n.* 27. Non omnino tamen Monachis comparatur in rerum dominio. *ibid. n.* 28. Ancilla probabilius acquirit dominium rerum quas recipit ab amaſio. *p.* 272. *n.* 29. Servus retinet dominium, poteſtque diſponere de rebus ante ſervitutem acquiſitis. *ibid. n.* 30. *V. Dominus.*

Sigillum ſacramentale quomodo cuſtodiri debeat a Confeſſario interrogato de auditis in Confeſſione, *V. Confeſſarius.*

Spectra. *V. Adiuratio.*

Sporer (P. Patricius) laxam de homicidio ſententiam docet. *p.* 313. *n.* 6. Et aliam laxam. *p.* 316. *n.* 16. Et alias laxas de luxuria. *p.* 356. & *ſeq.* & *n.* 24. & *ſeqq.* Et aliam pariter laxam de tactibus, oſculis &c. exercitis cauſa delectationis ſenſibilis, ex quibus pollutio conſequitur. *p.* 496. *n.* 30. Et aliam laxam de furto. *p.* 528. *n.* 13. Et alias laxas de occulta compenſatione. *p.* 561. & *ſeq. n.* 4. 6. & 9. Et aliam damnatam doctrinam de eadem. *p.* 570. & *ſeq. n.* 16. Operi ſuo iam confecto damnatas propoſitiones adiecit, nulla facta correctione laxorum interpretamentorum, quæ iam exaraverat. *ibid.*

Stuprum eſt concubitus viri cum femina virgine, quo eius integritas defloratur. *p.* 460. *n.* 2. Stuprum perpetrat qui virginem conſentientem & ſub cura parentum exiſtentem violat. *ibid.* & *p.* 461. & *ſeq. n.* 4. & *ſeqq.* Reſpondetur obiectis. *p.* 463. & *ſeq. n.* 14. & *ſeqq.* Referuntur pœnæ in ſtupratores conſtitutæ. *p.* 465. & *ſeq. n.* 24. & *ſeq.* Stuprator immaturæ virginis pœna mortis plecti debet. *p.* 466. *n.* 26. Stuprator Clericus variis pœnis ſubiacet, de quibus varia nunc obtinet conſuetudo. *ibid. n.* 27. Stupri flagitium eſt mixti fori. *ibid. n.* 28.

Suſpicio de gravibus proximi criminibus habita temere, ideſt abſque probabilibus coniecturis, grave peccatum eſt. *p.* 657. *n.* 1. Suſpicio quæ ex nulla prava affectione ortum ducit, ſed ex ſolo proficiſcitur errore intellectus gravia reputantis indicia quæ levia ſunt, numquam eſt genere ſuo peccatum mortale. *p.* 658. *n.* 9. Oſtenditur ex D. Thoma. *p.* 659. *n.* 10. & *ſeq.* Male hinc anſa arriperetur ſuſpiciones multiplicandi. *p.* 660. *n.* 13. Dubia in meliorem partem interpretanda ſunt, & quomodo. *V. Dubia.*

Suſurratio eſt verbum ſeminans inter amicos diſcordias. *p.* 607. *n.* 1. Eius eſt proprium infringere amicitiam. *ibid.* Genere ſuo peccatum mortale eſt. *p.* 608. *n.* 2. Suſurratio quæ pernicioſam amicitiam diſſolvere ſtudet, licita eſt, ſervatis debitis circumſtantiis. *ibid. n.* 3. Non licet alicuius defectus naturales narrare, ut eo ab amicitia v. gr. Principis reiecto locum eiuſdem occupes. *p.* 605. *n.* 5.

Digitized by Google

T

Tactus mamillares, & de illis notabilis hiſtoria. *V. Auctor Diſſertationis editæ anno 1743. in Caſus reſervatos Venetæ Diœceſeos.*

Tamburinus (P. Thomas) laxiſſimam ſententiam docet de filiis indignam ſponſam ducentibus, inconſultis parentibus. *p.* 212. *n.* 7. Et aliam laxam de luxuria. *p.* 356. *n.* 20. Et aliam laxam de eadem. *p.* 700. *n.* 9. Perperam docet nondum clare compertam eſſe rationem naturalem certo probantem fornicationem iure naturæ vetari. *p.* 375. *n.* 4. Alias laxas propoſitiones docet de furto. *p.* 529. & *ſeq. n.* 20. & *ſeq.* & *p.* 552. *n.* 8. Et alias laxas de occulta compenſatione. *p.* 561. & *ſeq. n.* 4. & 6. Et alias laxas de falſo teſtimonio, & mendacio. *p.* 583. *n.* 1. & *ſeqq.* Et aliam laxam de Sacerdote gaudente ſe ob oblivionem inculpabilem heſternum officium non recitaſſe. *p.* 697. *n.* 3. Impugnatur. *ibid. n.* 4. & *ſeqq.* Eiuſdem in Decalogum opus reprobatur a doctiſſimo P. Chriſtiano Lupo, cuius integrum iudicium refertur. *p.* 705. & *ſeq. n.* 1.

Teſtimonium falſum. *V. Falſum teſtimonium.*

Torrecilla [P. Martinus] laxiſſime interpretatur damnationem factam ab Alexandro VII. propoſitionis 17. *p.* 312. *n.* 3. & *ſeq.* Eius inanis diſtinctio reiicitur. *ibid. n.* 5. Eius laxæ propoſitiones de luxuria. *p.* 357. & *ſeqq. n.* 30. & *ſeqq.* Aliæ laxæ eiuſdem de furto. *p.* 530. & *ſeq. n.* 22. & *ſeqq.* Aliæ eiuſdem pariter laxæ de mendacio & falſo teſtimonio. *p.* 585. *n.* 15 & *ſeqq.*

V

Vanroi (Laurentius) in cauſſa iuramenti apertiſſime contradicit D. Auguſtino, quem ſequi gloriatur. *p.* 138. & *ſeq. n.* 23. & *ſeqq.* Impugnatur. *ibid.*

Vaſquez (P. Gabriel) laxas de luxuria ſententias docet. *p.* 353. & *ſeq. n.* 1. & 20.

Verba obſcœna non ſemper ſunt peccata gravia. *p.* 429. *n.* 1. Aſſignantur locutiones aliquæ, & colloquia, quæ vix a gravi culpa excuſari poſſunt. *ibid.* Non ſolum obſcœna, ſed etiam pudica cum mulieribus colloquia, ſi fuerint familiaria, & frequentia, periculorum plena ſunt. *ibid. n.* 2.

Virginitas quid ſit, eiuſque diviſio in naturalem & moralem traditur, & explicatur. *p.* 368. & *ſeq. n.* 1. & *ſeq.* Hæc eſt virtus a caſtitate diſtincta. *p.* 369. *n.* 3. Dummodo eius propoſitum voto firmetur. *ibid.* & *p.* 370. *n.* 4. & *ſeq.* Eſt excellentior matrimonio. *ibid. n.* 6. Hæreticorum obiectiones ſolvuntur. *ibid.* & *p.* 371. & *ſeq. n.* 8. & *ſeqq.* Virginitas materialis eſt in ſolis feminis; formalis etiam in viris. *p.* 372. *n.* 14. Amittitur in feminis virginalis clauſtri violatione, ſive clauſtrum copula carnali, ſive actibus turpibus aperiatur. *ibid. n.* 15. Amitti non poteſt extra matrimonium abſque culpa. *p.* 373. *n.* 16. Diverſis modis in feminis ac in viris amittitur. *ibid. num.* 17.

Viva (P. Dominicus) damnatam propoſitionem de homicidio ob defenſionem honoris, & famæ male abiudicat P. Amico. *p.* 310. & *ſeq. n.* 2. Peiorem ea, aut ſaltem æque noxiam propoſitionem docet. *ibid.* Et aliam laxam. *p.* 313. *n.* 6. Et alias pariter laxas. *p.* 315. & *ſeq. n.* 13. & *ſeqq.* Et aliam laxam enervantem propoſitionem 31. damnatam ab Innocentio XI. *p.* 324. & *ſeq. n.* 5. Et aliam pariter laxam. *p.* 330. *n.* 13. Et aliam laxam de occaſione proxima. *p.* 360. *n.* 53. & *p.* 391. *n.* 11. Reſellitur. *p.* 592. & *ſeq. n.* 12. & *ſeqq.* Laxam docet ſententiam adverſus ſinceritatem confeſſionis. *p.* 471. *n.* 4. Falſo ait Melchiorem Canum, & Armillam docere peccata contra naturam non differre ſpecie. *p.* 486. *n.* 3. Eius laxa de pollutione ſententia. *p.* 498. *n.* 34. Aliæ eiuſdem laxæ propoſitiones de furto. *p.* 528. *n.* 9. & *ſeqq.* Sincerus non eſt in citando Bannez. *p.* 553. *n.* 11. Eludit, & in nihilum redigit ſenſum propoſitionis 36.

da-

damnatæ ab Innocentio XI. diſtinctione neceſſitatis gravis, & valde gravis. *p.* 554. *n.* 12. Impugnatur. *ibid.* & *n.* 13. & *p.* 355. *n.* 14. Sophiſtice contendit neceſſitatem valde gravem æquiparari extremæ. *ibid.* Ut tutam conſcientiæ regulam tradit ex ſuis Auctoribus damnatam doctrinam, ne dicatur eos damnatam doctrinam docuiſſe. *ibid.* Laxas de occulta compenſatione ſententias docet. *p.* 559. & *ſeq.* *n.* 1. Eius, & aliorum Probabiliſtarum opinio de compenſatione licita famulis, miniſtris, opificibus, graviter pernicioſa eſt Principibus, dominis, & mercatoribus. *p.* 572. & *ſeq.* *n.* 2. & *ſeqq.* Laxam docet ſententiam de mendacio. *p.* 585. *n.* 14. Improbatur ceu ſcandaloſa eius doctrina, qua ait non peccare contra iuſtitiam eum qui imponit alicui falſa crimina ad tuendam propriam famam. *p.* 586. & *ſeq.* *n.* 1. & *ſeqq.*

Uxor honorem, & obedientiam debet marito ſuo. *p.* 248. *n.* 1. Tenetur ſub gravi ei obedire præcipienti ut abſtineat a vanis ſuperfluiſque indumentis, & a moribus minus compoſitis. *ibid.* *n.* 2. & *ſeq.* Laxa Leandri ſententia improbatur. *ibid.* In domus regimine marito ſe ſe opponere licite poteſt in nonnullis caſibus, qui recenſentur. *ibid.* *n.* 4. Recenſentur obſequia quæ uxor præſtare debet marito. *p.* 249. *n.* 5. Peccat ſi cohabitare cum marito, illumque alio migrantem ſequi renuat, niſi id fuerit pactum inter illos. *ibid.* *n.* 6. Non tenetur ſequi maritum vagum, aut in exilium pulſum. *p.* 250. *n.* 7. Probabilius bonis ſuis paraphernalibus maritum pauperem alere debet. *ibid.* *n.* 8. Tenetur probabilius bonis ſuæ dotis ſolvere mariti debita ab eo uti paupere contracta ob illam alendam. *ibid.* *n.* 9. & *ſeqq.* *V. Maritus.*

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

005646039

Digitized by Google

Digitized by Google